Francs

JUS CANONICUM

UNIVERSUM

ANACLETI REIFFENSTUEL

EXCUDEBANT COSNIER ET LACHÈSE, ANDEGAVI.

JUS
CANONICUM
UNIVERSUM

COMPLECTENS

TRACTATUM DE REGULIS JURIS

AUCTORE R. P. F. ANACLETO REIFFENSTUEL

Ordinis Minorum reformatorum provinciæ Bavaricæ lectore jubilato

JUXTA NOVISSIMAM ROMANAM EDITIONEM, INNUMERIS EXPURGATIS MENDIS, RECUSUM

Cui nunc primum accedunt variæ Adnotationes pro quarumdam quæstionum uberiori enodatione, attenta rerum conditione præsenti, digestæ studio et opera

R. D. VICTORIS PELLETIER

Cathedralis Ecclesiæ Aurelianensis canonici capitularis, olim vicarii generalis.

VOLUMEN TERTIUM

DECEM POSTERIORES LIBRI II DECRETALIUM TITULOS, ET QUINQUE PRIORES LIBRI III CONTINENS

PARISIIS
APUD LUDOVICUM VIVÈS
9, VIA DELAMBRE, 9.

MDCCCLXVI

For Ty
R

DOCUMENTA

TERTIO TOMO EDITIONIS ROMANÆ PRÆFIXA

PRÆFATIO AUCTORIS AD LECTOREM

Ecce, benevole lector, juvante Deo, in lucem publicam prodit tertius Juris canonici tomus, in quo eumdem modum, ordinem, stylum, claritatem, brevitatem, ac doctrinæ securitatem, quem in primis duobus, quantum licuit, observare studui : omnia tamen, et singula dicta hujus tertii tomi sancto Ecclesiæ judicio, censuræ, et correctioni humillime subjiciens.

FACULTAS ET CENSURA ORDINARII. — Cum juris canonici tomus tertius Rev. P. Anacleti Reiffenstuel, Ordinis Minorum S. Francisci reformatorum theologi jubilati etc. a theologis perlectus, nihil Fidei orthodoxæ aut bonis moribus contrarium contineat, sed imo ob claram methodum, sententiarum gravitatem, et rationum subtilitatem, jus dicentibus, et in utroque foro versantibus, apprime utilis futurus sit: ideo, ut publicam lucem videre possit, licentiam, et facultatem concedimus, ac impertimur. In quorum etc. — Frisingæ, die 12 septemb. 1706. — FRANCISCUS ANTONIUS BEGNUDELLIUS BASSUS, SS. Theolog. Doctor, canon. capitul. S. Scholasticæ, vicarius generalis et officialis.

LICENTIA ET APPROBATIO ORDINIS. — Fr. Matthæus a sancto Stephano, SS. Theologiæ lector jubilatus, ac totius Ordinis S. P. N. Francisci minister generalis, et servus: Dilecto nobis in Christo R. P. F. Anacleto Reiffenstuel, lectori jubilato et concionatori nostræ reformatæ provinciæ Bavariæ, salutem, et omne bonum.

Cum juxta apostolicas, nostrique Ordinis constitutiones, per idoneos censores revisum fuerit opus quoddam a te compositum, cujus titulus est: *Jus canonicum juxta Titulos quinque Librorum Decretalium in Quæstiones distributum*, etc., tenore præsentium, ad salutaris obedientiæ meritum, facultatem tibi impertimur, quatenus servatis servandis illud typis mandare valeas. — Datum Romæ, die 10 aprilis 1700. Fr. MATTHÆUS a S. Stephano, minister generalis. — De mandato S. P. Reverendissimæ, Fr. PETRUS ab Urbino, secretarius generalis.

FACULTAS ADMODUM REVERENDI PATRIS MINISTRI PROVINCIALIS. — Cum a Reverendo Patre Anacleto Reiffenstuel, Ord. Min. S. Francisci reformatorum provinciæ Bavariæ ex-custode, lectore jubilato, opus quoddam, cui titulus: *Jus canonicum, juxta Titulos quinque Librorum Decretalium in Quæstiones distributum,* sit compositum; illudque a duobus Theologis jamjam sit revisum et approbatnm, plurimumque recommendatum, et omnia, quæ de jure in editione librorum sunt servanda, sint observata: tenore præsentium facultatem impertior ut laudatissimi hujus operis tomus tertius pro utilitate publica typis mandari possit.—Actum Monachii, 1 septemb. 1706. — Fr. DAVID WINTHER, ord. Min. S. Francisci refor. lector jub., minister provincialis.

CENSURA THEOLOGICA PRIMA. — Cum tertius Juris canonici tomus R. P. Anacleti Reiffenstuel, Ord. Min. S. Francisci reform. lectoris jubilati a primo et secundo in nullo degeneret, sed eamdem censuram idemque encomium mereatur, hinc censuram pro primo et secundo tomo a me datam, pro hoc repetitam volo, eumque prælo dignissimum censeo. — Monachii, 1705. — Fr. FORTUNATUS HUEBER, totius ordinis S. Francisci et provinciæ Bavariæ pater.

CENSURA THEOLOGICA SECUNDA. — Juris canonici tomum primum et secundum Rev. P. Anacleti Reiffenstuel, Ord. S. Francisci reform. lectoris jubilati, sequitur hic tertius tomus; qui, quia continet in se materias nobilissimas statum præcipue clericorum tum sæcularium, tum regularium concernentes, de eorum beneficiis, ecclesiis, contractibus, peculio, testamentis, ac decimis etc. et quantum ad stylum, methodum, doctrinæ perspicuitatem soliditatemque, a prioribus in nullo degenerat, sed illis simillimus extat; atque insuper orthodoxæ fidei, bonis moribus, sacris canonibus, œcumenicis conciliis, summorum Pontificum constitutionibus, ac sacrarum Congregationum decretis et declarationibus per omnia consonat, nec conscientias vel sententias laxat, aut laxitates fovet : ideo dignissimum censui ut, ad communem omnium, singulariter in foro ecclesiastico versantium, jurique sacro operam navantium commoditatem, in lucem prodeat, jurisque publici fiat. — Datum Landishuti, die 27 jul. anno 1706. — Fr. FLORIDUS MOSMILLER, O. M. S. Francisci Ref. lect. jub. et Provinciæ custos actualis.

DIE 7 NOVEMBRIS 1831. — REIMPRIMATUR. — Fr. DOMINICUS BUTTAONI, Ord. Præd. Mag. S. Pal. Soc. — REIMPRIMATUR. — JOSEPHUS DELLA PORTA Patriar. Constantinop. Vicesg.

ERRATUM

Pag. 275, col. 2, n. 69, adde : ADNOTATIO XIX.

JURIS CANONICI

UNIVERSI

CLARA METHODO JUXTA TITULOS

QUINQUE LIBRORUM DECRETALIUM

In Quæstiones distributi solidisque Responsionibus et objectionum Solutionibus dilucidati

LIBER SECUNDUS.

TITULUS XX.

De Testibus et Attestationibus.

§ VI.

DE TESTIMONIO LAICORUM CONTRA CLERICOS ET ECONTRA.

160. *Laici in causa criminali clericorum regulariter testimonium ferre non possunt.* — Quæritur I. Utrum laici possint ferre testimonium in judicio contra clericos, et quando? Resp. I. Laicus contra clericum in causa criminali regulariter testimonium ferre non potest. Textus est in can. *Nullus laicus* 2. q. 7. ibi : « Nullus laicus audeat clerico crimen inferre : » juncto can. *Beatus Petrus* 6. q. 1. cum concordantiis. Unde Alexand. III. in c. *De cætero*. 14. h. t. in hæc verba rescripsit Salernitano archiepiscopo : « De cætero laicos in accusationem, vel testimonium, contra clericum in criminali causa non esse aliquatenus admittendos, censura sacrorum canonum manifestus edocet : nisi forte suam, vel suorum injuriam prosequantur. Nec tunc etiam ad testimonium, sed ad accusationem possunt admitti. » Hæc ibi.

161. *Laici sunt clericis oppido infesti.* — Accedit ratio, tum quia laici non sunt ejusdem conversationis, nec paris dignitatis cum clericis : quinimo clerici sunt patres, et rectores ipsorum ; can. *Absit.* 11. q. 3. et can. *Duo sunt genera.* 12. q. 1. cum similibus. Unde propter reverentiam clericis debitam, et quorum castitatem et gravitatem nolunt imitari, recte laici eos impetere prohibentur, can. *Laicos.* 2. q. 7. Impeterent autem, si contra clericos testimonium judiciale in causa criminali ferrent ; tum quia tale testimonium laicorum contra clericos, est suspectum : nam laicos oppido clericis infestos esse, ipsa tradit antiquitas ; cit. can. *Laicos* et can. *Laici in accusatione.* 2. q. 7. et c. *Clericis de Immunitat. Eccles.* in 6 ; Mascardus *de Probat.* concl. 1365. n. 44. et alii.

162. *Cur laici possint clericos accusare, non vero contra eos testimonium dicere?* — Dices : Possunt laici in causa criminali agere contra clericos, istosque accusare, saltem « si suam, vel suorum injuriam prosequantur, » juxta allegatum textum cit. c. *De cætero*, h. t. ; ergo a pari possunt etiam testificari contra eos. Resp. neg. consequent. et paritatem. Disparitas est, quia testimonium dicere est majoris præjudicii quam accusare. Judex

enim tenetur ferre sententiam secundum allegata, et probata per testes; non vero secundum propositam accusationem, can. *Judicet.* 3. q. 7. et l. *Rem non novam.* C. *de Judiciis*, cum similibus. Et hinc fit, quod laici, dum suam, vel suorum injuriam prosequuntur, merito admittantur clericos criminaliter accusandos, non vero ad testificandum contra ipsos : quia ex hoc posteriori facile damnum irreparabile clericis accideret, si laici contra illos juxta antiquum suum affectum sinistrum male testarentur; non item ex priori.

163. *Criminaliter agitur contra clericum, quando agitur ad degradationem, vel depositionem ab ordine. Ad hanc proprie tendit accusatio clericorum.* — Additur, notanter in data conclusione, « in causa criminali. » Si quidem ipsa procedit solum in causis criminalibus criminaliter motis contra clericos; puta, ubi agitur ad degradationem, vel depositionem ab ordine : ad hanc enim proprie tendit accusatio clericorum, c. *Qualiter et quando* 24. § *Verum ita. de Accusation.* Et in talibus causis regulariter laici, veluti suspecti ob antiquam infestationem clericorum; contra hos in testes non admittuntur.

164. *Civiliter agitur contra clericum, quando agitur ad restitutionem rei alienæ, vel ad privationem beneficii. Laicus potest testificari contra clericum in causis civilibus.* — Secus dicendum est in causis civilibus, vel quando de crimine solum agitur civiliter; puta, ad restitutionem rei alienæ, vel ad privationem beneficii, nam etiam tunc dicitur agi civiliter solum, uti patet ex c. *Per tuas.* 32. § fin. *de Simonia.* Quando enim civiliter dumtaxat agitur, tunc laicus admittitur in testem contra clericum; prout desumitur ex c. *Quoniam.* 3. h. t. ac notat Abbas in cit. c. *De cætero*, n. 6. et Barbosa ibid. n. 4. h. t. argumento a sensu contrario desumpto; Mascardus, cit. concl. 1365. n. 54; Farinacius, quæst. 61. *de Testib.* n. 120. allegans plurimos alios.

165. *Imo et in criminibus exceptis.* — Quin etiam loquendo de causis criminalibus, limitatur eadem conclusio in criminibus exceptis; ut est crimen hæresis, læsæ majestatis, simoniæ, et hujusmodi : quia in talibus admittuntur laici in testimonium contra clericos, si bono zelo, et non odio procedere videantur, c. *Tanta.* 7. *de Simon.* et notat Glossa in c. *Cum P.* ȳ. *Laicus. de Accusat.*

166. *Sicut et in crimine notorio, ac probatione infamiæ.* — Idem dicendum in crimine notorio : nam tunc etiam laici admittuntur contra clericos, arg. c. *Cum dilectis.* 13 *de Purgat. Canonic.*; Abbas in d. c. *De cætero.* n. 4. et Barbosa ibid. n. 4. h. t.; Pirhing h. t. n. 58. Farinacius, ead. quæst. 61. n. 118. allegans alios. Item in probatione infamiæ clerici : nam ad istam probandam admittuntur laici, hoc ipso, quod admittantur in crimine notorio. Mascardus *de Probat.* concl. 1365. n. 49 et 50; Barbosa cit. n. 4; Farinacius. n. 119. et alii.

167. *Et ob defectum testium ecclesiasticorum.* — Limitatur rursus eadem conclusio ob defectum testium ecclesiasticorum; puta, quia crimen clerici est commissum in villa, ubi non aderant alii clerici : quia tunc admittuntur laici in testimonium, ne alioquin delictum clerici remaneat impunitum, eique præbeatur causa delinquendi. Hac quippe de causa, seu in casu difficilis probationis, cæteroquin etiam admittuntur testes alias inhabiles, cap. ult. *de Testib. cogend.* et notat Abbas loc. cit. n. 3. Barbosa d. n. 4; Mascardus cit. concl. 1365. n. 46. et alii. Tacentur nonnullæ similes limitationes, apud præfatos auctores videndæ.

168. *Clerici non admittuntur ad testimonium contra laicos in criminali.* — Quæritur II. An clerici sint admittendi ad testificandum adversus laicos? Resp. I. Clerici non admittuntur ad ferendum testimonium contra laicos in causa criminali criminaliter agitata. Ita Abbas in c. *De cætero* 14. n. 1. h. t.; Mascardus, *de Probat.* concl. 306. n. 6; Farin. cit. quæst. 61. q. 57. et alii. Idque liquet ex can. *Testimonium.* 11. q. 1. ubi S. Sylvester Papa in concilio Romano, cap. XIV. sic descrivisse legitur : « Testimonium clerici adversus laicum nemo recipiat : » subintellige, « in causa criminali; » prout explicat Glossa ibid. ȳ. *Recipiat.* et archidiaconus ibid. n. 1 et 3.

169. *Etiamsi non agatur de imponenda laico criminoso pœna sanguinis; quamvis nonnulli contrarium teneant.* — Ampliatur conclusio, ut procedat non solum, quando criminaliter agitur adversus laicum ad imponendam pœnam sanguinis (juxta dicenda n. seq.) sed etiam, ut ea locum habeat, quando contra laicum agitur criminaliter, seu ad publicam vindictam, etiamsi non agatur de imponenda laico criminoso pœna sanguinis. Id enim videtur convincere textus proxime allegatus, utpote indistincte loquens : ac (demptis casibus exceptis, de quibus infra) tenet Felinus in cit. c. *Ex litteris.* n. 1. h. t. ac verius esse,

censet Farinacius d. quæst. 64. n. 69. allegans alios : quamvis contrarium teneat Mascardus cit. concl. 306. n. 7. Jul. Clarus lib.V. § fin. quæst. 24. n. 8. volentes, clericum posse testificari contra laicum in causa criminali, ubi non venit irroganda pœna sanguinis, can. *Quamquam* 14. q. 2.

170. *Ubi agitur ad pœnam sanguinis irrogandam, nullo modo potest clericus esse testis. Ne quidem in criminibus exceptis.* — Eadem conclusio vel maxime procedit, quando agitur criminaliter ad irrogandum laiço criminoso pœnam sanguinis, seu mutilationis, aut mortis : quia tunc nullo modo potest clericus testificari contra laicum, propter periculum irregularitatis, quam illata reo propter suum testimonium pœna mortis, vel mutilationis, clericus incurreret. Glossa in can. *Aliquantos*, dist. 51. ℣. *Ad Sacerdotium*. Covarruvias in Clem. *Si furiosus*, part. II. § 4. n. 5. vers. « Decimo tertio. » Felinus c. *De cætero*. n. 1. h. t. et communis. Adeo, ut clericus ne quidem in criminibus exceptis, v. g. læsæ majestatis; etc., testificari possit contra laicum, quando propter illud crimen infligenda esset pœna sanguinis. Farinacius cit. quæst. 61. n. 66. et 67. quidquid nonnulli alii contradicant, apud ipsum n. 65. relati.

171. *Etiamsi protestetur, se nolle deponere ad causam sanguinis. Solvitur instantia ex c.* Prælatis. de Homicid. *in* 6. *desumpta.* — Nec obstat, quod clericus protestetur, se nolle deponere ad causam sanguinis, arg. c. *Prælatis. de Homicid.* in 6. ubi clerici sine pœna irregularitatis possunt de suis malefactoribus conqueri coram judice sæculari, etiam de criminibus, quibus debetur pœna sanguinis. Non obstat, inquam : quia protestatio ex parte testis in causa sanguinis deponentis, omnino est contraria facto, utpote in quo civiliter nihil agitur; ac proinde, si ex tali testimonio mors reo inferatur, contrahitur irregularitas. Secus in casu cit. c. *Prælatis*, ubi clerici, penes sæcularem judicem sub dicta protestatione deponentes, petunt solummodo emendam sibi fieri, et provideri, ne imposterum ejusmodi injuriæ, seu spoliationem sibi inferantur. Unde patet, quod agant civiliter ad proprium interesse, seu privatam suam indemnitatem : et nisi istud eisdem liceret, daretur malitiosis materia clericos trucidandi, ipsorumque bona libere deprædandi ; prout loquitur textus ibidem. Felinus, Covarruvias, Farinacius, ubi supra. Pirhing h. t. n. 59. et alii.

172. *Potest episcopus judici laico concedere licentiam exhumandi corpus occisi, ut constet de corpore delicti, absque irregularitate. Non tamen potest judex laicus a loco sacro illud exhumare inconsulto episcopo.* — Dices. Potest episcopus judici laico concedere licentiam exhumandi corpus hominis occisi, et in loco sacro sepulti, ad cognoscendum de corpore delicti (seu, an vulnus defuncto illatum lethale extiterit, vel potius is ex incuria v. g. chyrurgi mortuus fuerit) nec tamen episcopus incurrit irregularitatem, etiamsi deprehenso postea vulnere lethali, homicida morte plectatur, maxime accedente protestatione episcopi circa pœnam sanguinis ; ergo idem dicendum de clerico, qui fert testimonium de tali vulnere inflicto, saltem præmissa protestatione, quod nolit deponere ad causam sanguinis. Antecedens docetur a Diana, part. IX. tract. VII. resol. 64. allegante pro se Genuensem in *Praxi*. cap. XLII. n. 10. et alios : quamvis merito addat, quod Judex laicus inconsulto episcopo non possit ad præfatum finem exhumare corpus occisi, et in cœmeterio sepulti ; frangeret enim immunitatem ecclesiasticam, atque ideo posset excommunicari, c. *Decet domum de Immunit. Eccles.* in 6. Resp. concesso antecedente, una cum sua declaratione, neg. consequent. Disparitas est : quia ad incurrendam irregularitatem requiritur actus, qui est causa propinqua mortis, seu mutilationis, et non admodum remota. Glossa un. c. *De cætero. de Homicid.* Navarrus cap. XXVII. *Manual.* n. 211. et alii, ac dixi egomet ipse in *Theolog. moral.* tract. XIII, dist. 3. n. 59. Atqui concessio episcopalis exhumandi corpus occisi, ut possit constare de corpore delicti, est actus remotissimus, et suapte natura non directus in mortem, vel mutilationem reo inferendam ; bene tamen testificatio de vulnere lethali inflicto ; ergo. Accedit, quod in simili casu, ubi malefactor captus a judice sæculari falso dixit se esse clericum, Episcopus possit ipsum pronuntiare laicum absque periculo irregularitatis, et sine limitatione, an postea sequatur mors illius malefactoris, necne, c. *Si Judex*. 12. *de Sentent. excomm.* in 6. idem ergo dicendum in proposito. Diana cit. resol. 64.

173. *Potest etiam clericus testificare in causa criminali pro laico, seu ad ejus defensam.* — Resp. II. Nihilominus data conclusio nonnullas patitur limitationes, seu fallentias. Et primo quidem potest clericus testificari in causa criminali pro laiço, seu ad ejus defen-

sionem, et innocentiam ostendendam : haud obstante, quod hac ratione simul testificetur contra alterum laicum, qui ipsum accusavit. Felinus d. c. *De cætero.* n. 3 et 8 h. t.; Pirhing h. t. n. 60; Farinacius cit. quæst. 61. n. 74. allegans alios ; et concordant dicta superius n. 125.

174. *Item, quando laicus accusatur de crimine coram judice ecclesiastico.* — Limitatur secundo, quando laicus accusatur de crimine coram judice ecclesiastico : quia tunc etiam clericus potest in testem produci contra laicum. Archidiaconus can. *Testimonium.* 11, q. 1. n. 3. id probans ex can. 1, caus. 6, q. 2. Abbas in c. *De cætero.* n. 1. vers. *Dicit tamen.* et Felinus ibid. n. 1. h. t. Farinacius ubi supra n. 70. allegans alios.

175. *Et ubi veritas aliter haberi non potest, nec agitur ad pœnam sanguinis.* — Limitatur tertio, ubi veritas aliter haberi non potest : quia tunc in subsidium, non solum in civilibus (de quibus infra n. 179. et seqq.) sed etiam in criminalibus dummodo non agatur de imponenda pœna sanguinis, clerici admittuntur in testes contra laicos, per textum in can. *Quamquam.* 4. q. 2. et notat Glossa ibid. in *Casu*, et ℣. *Occultetur.* Abbas c. *Cum nuntius.* n. 3. h. t. Felinus c. *De cætero.* n. 1. vers « Fallit secundo. » eod. Alexander consil. 65. n. 7. lib. VII. Farinacius d. quæst. 61. n. 71 et 72. citans alios, et nonnullas alias limitationes subjungens.

176. *In hisce casibus clerici ad testificandum cogi possunt per judicem sæcularem.* — Notandum tamen, quod in illo, et aliis hujusmodi casibus, clerici ad testificandum cogi non possint per judicem sæcularem, coram quo vertitur quæstio contra laicum : nam clerici sunt exempti a jurisdictione fori sæcularis, adeoque nullam potestatem potest habere judex sæcularis in personam clerici, puta, cogendo ipsum ad ferendum testimonium, cap. II. *de Foro compet.* cum similibus. Quinimo istud expresse est prohibitum, can. *Testimonium.* 11. q. 1. illis verbis. « Nemo clericum quemlibet in publico examinare præsumat, nisi in Ecclesia : » ubi Glossa ly, « in publico, » exponit pro « Foro sæculari. » Concordat can. *Nullus ex Ecclesiastico.* 22. q. 5. ubi prohibetur, ne clericus cuipiam laico quidpiam jurare præsumat : sine juramento autem non creditur depositioni testis, quantumcumque religiosi, in alterius præjudicium, c. *Tuis quæstionibus.* 39. et c. *Nuper.* 51. h. t.

177. *Sed episcopus ejus, ad requisitionem judicis sæcularis, debet per se, aut per alium, examinare clericum.* — Itaque in tali casu observanda erit dispositio cit. can. *Quamquam.* 14. q. 2. ubi statuitur, quod si clericos in subsidium oportuerit dare testimonium, « ne veritas occultetur, et malus ut bonus æstimetur, in providentia proprii episcopi sit, ut aut coram se et competentibus judicibus, aut aliter honorifice veritatem attollant, » seu testificentur. Ex quibus verbis liquet, quod ubi in causa laicorum examinandus est clericus in subsidium veritatis, debeat episcopus per judicem sæcularem, coram quo vertitur quæstio, debite requisitus, vel per se, vel per alium a se deputandum, judicialiter examinare clericum illum ; hujusque depositionem per tabellionem, ac sub sigillo suo remittere ad judicem causæ : prout etiam solet observari, quando testes sunt in alieno territorio, ut c. *Constitutus.* 3. *de Fidejussorib.* Ita Archidiaconus in cit. can. *Quamquam.* 14. q. 2. n. 2. Abbas c. *Cum nuntius.* n. 3. et Felinus ibid. n. 3, h. t.; Pirhing eod. n. 60; Mascardus, concl. 365. n. 61; Farinacius cit. quæst. 61. n. 83. allegans plurimos alios.

178. *An tale examen clerici contra laicum, possit jubente episcopo fieri per judicem sæcularem?* — Quinimo plerique horum doctorum addunt, quod tale examen clerici contra laicum, jubente episcopo, seu de ipsius assensu, si ita expedire judicaverit, possit etiam fieri per judicem sæcularem : cum licentia enim episcopi potest clericus etiam coram judice sæculari testimonium ferre. Abbas. Pirhing, Mascardus, Farinacius, ubi supra, et alii ; ac favet textus in can. *Super prudentia.* § *Potest.* in fin. ibi : « jubente episcopo : » 14. q. 2. et cit. can. *Quamquam.* eod. 14. q. 2. ibi : « Aut aliter honorifice veritatem attollant. » Atque hactenus dicta procedunt de causis criminalibus criminaliter motis laicorum, seu quando contra istos agitur ad capiendam publicam vindictam : nunc loquendo de causis eorum civilibus.

179. *In causis civilibus potest clericus contra laicum ferre testimonium. Sicut, et quando de crimine solum agitur civiliter.* — Resp. III. Quod in causis civilibus laicorum possit clericus contra laicum ferre testimonium, passim fatentur doctores : ut Archidiaconus in can. *Testimonium.* 11. q. 1. n. 1. juncta Glossa ibid. Abbas c. *De cætero.* n. 1. et Felinus ibid. n. 1. h. t. et alii. Idemque dicen-

dum, quando de crimine agitur solum civiliter; puta, ad faciendam restitutionem rei alienæ injuste ablatæ, vel ad pœnam pecuniariam : quia tunc pariter nihil est, quod impedit clerici testimonium contra laicum. Abbas cit. n. 1. Pirhing h. t. n. 60. (hi tamen istud solummodo admittunt in defectum aliorum testium, seu « ne veritas occultetur, et malus ut bonus æstimetur, » prout loquitur textus in cit. can. *Quamquam.* 14. q. 2.) Felinus d. n. 1. Farinacius ead. quæst. 61. n. 68. et 77. allegans alios.

180. *Clericus ratione ordinis est testis magis idoneus, quam laicus.* — Quin imo, quod clericus ratione ordinis presbyteratus sit magis idoneus testis quam laicus, textus est in c. *Quamquam.* 14. q. 2. ibi : « Quamquam sacerdotum testimonium credibilius habeatur, » etc. Concordat Glossa can. *Monachos.* dist. 77. ỷ. *Quorum* ubi inquit, « quod tantum valeat testimonium quatuor clericorum, quantum sex laicorum. » Mascard. cit. concl. 306. n. 1. id ipsum asserens, ac pro se citans Socinum consil. 28. col. 3. circa princip. et Decium c. *Ex litteris.* n. 24. *de Probat.* Speculator tit. *de Requisitione consilii,* n. 8. Sperellus decis. 81. *Fori ecclesiast.* n. 49. post Cravettam consil. 43. n. 4. vol. VII. ubi citatis pluribus aliis inquit, quod qualitas illa, nempe quod quis sit clericus, seu Sacerdos, augeat fidem ; et tales sint testes majoris fidei : unde eorum testimonium, cæteris paribus, præfertur testimonio laicorum regulariter.

181. *Saltem regulariter.* — Et notanter subdit ly « regulariter. » Nam si duo Clerici dicant, Titium commisisse fornicationem cum Caja, v. g. tali die, duo autem laici testificentur Titium fuisse cum eis tota illa die in alio loco ; tunc præponendi sunt laici, quia stant pro reo. Glossa notabilis in can. *Clerici.* dist. 81. ỷ. *Aliqui.* Abbas c. *In nostra.* n. 4. h. t. istud limitans, dummodo sit modicus excessus in testibus actoris ; simulque cesset præsumptio subornationis ex parte testium laicorum, in favorem rei deponentium.

182. *Clerici non possunt esse testes in instrumentis sæcularium, can.* Quamquam, *14,* q. 2. — Dices. Clerici extra casum necessitatis, et absque consensu episcopi, non possunt esse testes in instrumentis sæcularium conficiendis ; ergo multo minus in causis criminalibus ipsorum, etiam civiliter dumtaxat agitatis ; et consequenter præmissæ limitationes non videntur subsistere. Antecedens probatur ex cit. can. *Quamquam.* 14. q. 2. ubi in synodo habita Romæ ab Eugenio Papa II. cap. XIII. sic statutum legitur : « Quamquam sacerdotum testimonium credibilius habeatur ; tamen ipsi in sæcularibus negotiis pro testimonio, aut conficiendis instrumentis non rogentur : quia eos in talibus rebus esse non convenit. Si autem eventu aliquo causæ interfuerint, et aliquid viderint, vel audierint, ubi nullæ idoneæ sæcularium inveniantur personæ ; ne veritas occultetur, et malus ut bonus æstimetur, in providentia proprii episcopi sit; ut aut coram se et competentibus judicibus, aut aliter honorifice veritatem attollant. » Hæc ibi : Accedit, quod clerici, ac præsertim monachi et religiosi, subsint suo episcopo, vel prælato regulari, ac sub ejus obedientia sint positi ; ergo hoc ipso non possunt esse testes sine licentia ejus, cui subsunt, arg. can. *Monachi vagantes.* et can. *Monachi a monasterio.* 16. q. 1. cum similibus.

183. *Et quomodo istud intelligendum?* — Ad hanc notabilem instantiam respondetur primo, non deesse auctores qui volunt, relatum canonem *Quamquam* 14. q. 2. procedere potius de honestate, quam de necessitate ; prout videtur innuere ly, « Eos in talibus rebus esse non convenit. » Atque ita sentit Felinus c. *Cum nuntius.* n. 3. in fin. h. t. ; Pirhing eod. n. 60 ; Farinacius cit. quæst. 61, n. 64. allegans alios. Sed quoniam jure cautum est, « Ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant, » prout loquitur rubrica eod. tit. juncto nigro ibid. Hinc spectato rigore juris canonici illicitum videtur, quod clerici extra casum necessitatis, et sine licentia episcopi, aut monachi sine prælati sui consensu, testimonium ferant in instrumentis, aliisque causis sive contractibus civilibus laicorum. Glossa in Authent. *De Monachis.* § *Cogitandum.* ỷ. *Testes.* Collat. 1. juncta Glossa marginali ibid. ; Abbas in c. *Cum nuntius.* n. 3. h. t. ; Farinacius cit. quæst. 61. *de Testib.* n. 64. et alii ; Qui omnes istud probant, tum ex cit. can. *Quamquam.* 12. q. 2. tum quia, ut dictum, Clericis illicitum est, negotiis sæcularibus se immiscere, tot. tit. *Ne Clerici vel monachi,* juncto illo sancti Apostoli II Timoth. 4. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.*

184. *Et quomodo istud intelligendum?* — Respondetur secundo, quidquid sit de rigore juris canonici, citatum can. *Quamquam* 14. q. 2. saltem quantum attinet clericos sæcu-

lares, vel non esse usu receptum, vel denuo per contrariam consuetudinem abrogatum. Solent enim clerici illi passim in testamentis, aliisque contractibus laicorum, ex generali consuetudine in testes adhiberi, etiam sine alia licentia superioris ecclesiastici : prout refert Farinacius cit. n. 64. post Aretinum consil. 159. n. 20. et alios; ac Pirhing cit. n. 60. Verum quoad monachos, aliosque Religiosos, qui strictius per votum obedientiæ suis superioribus propter Deum se subjecerunt, oportet observare laudabiles cujuslibet ordinis constitutiones, et consuetudines.

185. *Stante rigore juris canonici, validum est testimonium clerici, vel monachi, in causis civilibus laicorum sine licentia superioris.* — Quin etiam stante dicto rigore juris canonici, si clericus sine licentia episcopi, aut monachus absque consensu sui prælati, sponte deponat, et a judice sæculari admittatur ad ferendum testimonium super instrumentis; aliisque alii causis civilibus laicorum; tunc, etsi illud foret illicitum, nihilominus validum existeret, parte altera nihil opponente; tum quia licentia superioris est quoddam accidentale, non autem de substantia actus testimonii, arg. cap. I, *de Testib.*; tum quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem, c. *Ad Apostolicam.* 14. *de Regular.* Simulque, quia nullibi reperitur, tale testimonium a jure declarari irritum, ac invalidum. Abbas cit. c. *Cum nuntius.* n. 3. et 4. et Felinus ibid. n. 3. h. t. ex professo hanc quæstionem examinantes.; Mascardus *de Probat.* concl. 260. n. 12. et 13; Farinacius cit. quæst. 61. n. 84. et 134. allegans plures alios. In praxi tamen (monent citati auctores) consultius est, ad effugiendum dubietates habere licentiam superioris : nam quod testamentum possit impugnari, in quo monachus absque sui superioris licentia est testis, eo quod pro mortuo habeatur, tradidit Jo. Faber, § *Testes.* n. 3. Instit. *de Testament.* junctis nonnullis aliis, quos in oppositum citat Mascardus d. concl. 260. n. 1. et 2.

§ VII.

DE TESTIBUS IN CAUSA PROPRIA, VEL ECCLESIÆ, AUT UNIVERSITATIS SUÆ.

186. *Regula est :* Nullus idoneus testis in re sua intelligitur. *Testis debet carere omni suspicione falsitatis, seu propensionis in unam partem.* — Quæritur I. An aliquis possit esse testis in causa propria, seu ex qua commodum ac interesse suum dependet? Resp. I. Regula est : « Nullus idoneus testis in re sua intelligitur. » Ita textus in l. *Nullus.* ff. *de Testib.* quæ est canonizata in can. *Si testes*, § *Nullus.* 4. q. 3. Concordat textus in l. *Omnibus.* C. eod. illis verbis : « Omnibus in re propria dicendi testimonii facultatem jura submoverunt. » Quod ipsum habetur cit. can. *Si testes.* § *Omnibus*, estque recepta doctorum sententia; adeo, ut contradictorem non habeat, teste Farinacio quæst. 60. *de Testib.* n. 2. Accedit ratio, quia testis debet carere omni suspicione falsitatis, seu propensionis in unam partem magis, quam in alteram can. *Placuit sancto*, et can. *Si testes.* § I. caus. 4. q. 2. et 3. Atqui istud non reperitur in teste respectu causæ propriæ; cum ob naturalem inclinationem quilibet præsumitur esse magis affectus erga rem propriam, quam alienam, ergo, veluti suspectus, merito repellitur a ferendo testimonio in causa propria.

187. *Testis in propria causa non est idoneus, etiamsi deponat in mortis articulo. Aut in ultima voluntate debitam sibi pecuniam significaverit.* — Atque istud ampliatur, etiamsi testis deponens in causa propria, constitutus sit in mortis articulo. Quia, licet tunc quilibet præsumatur non immemor esse propriæ salutis, sicque nolle pejerando attestari falsum; nihilominus ob rationem jam dictam, testimonium ejus in causa propria non est idoneum. Farinacius cit. n. 2. post Nattam consil. 74. n. 4. et plures alias ampliationes subjungens. Huc facit textus in l. *Rationes.* C. *de Probation.* ubi dicitur, quod attestatio scripta cujuspiam se sola non sufficiat ad probandum, « etsi in ultima voluntate defunctus certam pecuniæ quantitatem, aut etiam res certas, sibi deberi significaverit. »

188. *Etiam ille est testis inidoneus, qui habet interesse in causa. Causa propria, quæ dicatur?* — Resp. II. Etiam ille est testis inidoneus, et repellendus a dicendo testimonio, qui habet interesse in causa; puta, quia ex suo testimonio commodum, aut, si non testificetur, incommodum sit reportaturus. Ita Glossa in d. can. *Si testes.* 4. q. 3. ℣. *Sua*, istud exemplificans in re communi : quia, quod commune est, utriusque est, l. *Illud.* ff. *de Ritu nuptiar.* Farinacius cit. quæst. 60. n. 4; Pirhing. h. t. n. 79. et alii. Ratio est, quia « Causa propria dicitur ea, cujus emo-

lumentum, vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet; » prout loquitur textus in l. I. § *In propria.* ff. *Quando appellandum sit.* et can. *Biduum.* § *Et palam est.* 2. q. 6. Ergo, cum in propria causa nemo sit testis idoneus, idem dicendum, ubicumque aliquis habet interesse in ea; seu quando commodum, aut damnum inde sibi obventurum est suo nomine. Et notanter hoc ultimum additur, propter dicenda n. 212. et seqq. conformiter quibus præsens conclusio est intelligenda.

189. ***Advocatus, procurator, etc., nequit esse testis in causa, cui patrocinium gessit.*** — Atque isthæc conclusio ampliatur ad advocatum : nam etiam advocatus non potest esse testis in causa cui patrocinium præstitit, l. ult. ff. h. t. juncta Glossa fin. ibid. istud extendente ad syndicos, tutores et curatores. Concordat c. Romana. h. t. in 6. ubi dicitur : « In appellationis causa, is qui appellantis procurator vel advocatus in priori judicio fuerat, non recipiatur in testem. » Idque merito statutum fuit propter propensam animi sui voluntatem in causam illam, cui advocatus antea patrocinium præstitit : unde est præsumptio, quod ferret testimonium potius pro ea parte, pro qua antea stetit. Speculator tit. *de Teste.* § *Opponitur.* 74. Mascardus *de Probat.* concl. 66. n. 1. citans plures alios : quamquam hoc ipsum postea limitet variis modis, ac præsertim accedente consensu partium ; nam quod de voluntate partium etiam mediator testificari cogatur, textus est in auth. *de Testibus.* § *Quoniam vero,* collat. 7.

190. ***Illi, qui habent simile negotium huic, ad quod testes inducuntur, non sunt in testimonium admittendi.*** — Ampliatur ulterius data conclusio, ut procedat etiam in illis, qui habent simile negotium huic, ad quod testes inducuntur. Siquidem isti, ob præsumptam affectionem, quam « morbo consimili laborantes » (hoc est, similem causam habentes, de qua aliunde constat, vel legitima probatio adest) gerunt erga propriam causam, sive negotium suum, non sunt testes idonei, « nec si ab alterutra parte testes adducti fuerint, in testimonium admittendi. » Ita loquitur textus in c. *Personas.* 20. h. t. ubi proin Glossa in *casu,* generatim notat, quod « qui consimilem causam habet, in causa consimili testis esse non debet. » Hoc ipsum amplius tradit Abbas ibid. n. 1. et 2. et Vivianus in *Rationali,* et Barbosa in *Collectan.* n. 2. et Mascardus *de Probation.* concl. 1364. n. 54. et alii. Sicut enim judicem similitudo causæ, quam habet ut privatus, repellit a judicio in alia consimili causa, ne forsan ductus affectione suæ causæ, quam justam putat, sic judicet in causa alterius, c. *Causam.* quæst. 19. *de Judiciis,* estque jam dictum supra tit. I. *de Judiciis.* § 8. n. 205. Ita etiam (et quidem a fortiori, ob majus periculum, de quo supra § 2. n. 63.) similitudo causæ reddit testem suspectum, ut possit repelli a testificando, cit. c. *Personas.* h. t. et l. *Quoniam.* c. eod.

191. ***Ad faciendam videlicet plenam probationem ; secus ad aliqualem præsumptionem.*** — Intellige, quod testes consimilem causam habentes reddantur suspecti, nec sint « in testimonium admittendi » (juxta textum allegatum) parte contra eos excipiente : simulque, quod non sint admittendi in effectu, seu quantum ad faciendam plenam probationem. Nam ad aliqualem præsumptionem bene possunt admitti, considerata qualitate causæ, et personarum, qua inspecta bonus judex arbitrabitur quanta fides ipsis sit adhibenda. Abbas cit. c. *Personas,* n. 2. et Vivianus ibid. h. t.

192. ***Regula illa limitatur, si testis cum juramento protestetur, se nolle commodum sentire ex sua depositione.*** — Resp. III. Patitur nihilominus data conclusio, seu regula quasdam limitationes. Et primo quidem ipsa limitatur, si testis ante depositionem suam cum juramento protestetur se nolle commodum sentire ex sua depositione, aut incommodum inde proveniens ad se non pertinere : tunc enim etiam in causa, ad quam cæteroquin præsumptam affectionem gerere censeretur, validum testimonium dicere poterit, eo quod ejusmodi præsumptio per dictam protestationem elidatur. Ita Socinus in *Fallentiis,* reg. 422. fallent. 1 ; Mascardus cit. concl. 1364, n. 57 ; Farinacius d. quæst. 60. n. 51. et 52. allegans plurimos alios.

193. ***Limitatur etiam in testibus multum legalibus.*** — Limitatur deinde in testibus multum legalibus, et fide dignis : quia tales admittuntur ad testificandum, haud obstante, quod eorum aliqualiter intersit. Mascardus loc. cit. n. 58. post Imolam concil. 58 ; Farinacius, ubi supra, n. 54. citans alios.

194. ***Limitatur etiam in causis modici emolumenti.*** — Idem dicendum in causis modici emolumenti : quia tunc cessat præsumptio immoderatæ affectionis ; simulque ob modicum emolumentum leges neminem præsumunt velle pejerare, arg. c. *Et si quæstiones.* 18. *de Simonia.* Mascardus n. 60 ; Farinacius n. 56 ; Pirhing h. t. n. 81.

195. *Et ubi testis deponit de facto proprio ad utilitatem aliorum tantum.* — Limitatur tertio ubicumque testis deponit de facto proprio ad utilitatem aliorum tantum : quia tunc pariter cessat præsumptio sinistræ affectionis, ac proinde hoc casu plenam etiam faciet probationem. Socinus cit. reg. 422. fallent. 3; Mascardus loc. cit. n. 63. Ubi n. 61. cum aliis, quos citat, hoc ipsum dicit de illis, qui solent aliquid facere pro exercitio, seu officio suo; puta, portare, ut fachini, et hujusmodi: hi enim, licet ad sui exonerationem (seu, quod satisfecerint officio suo) sicque ad aliquale commodum suum deponere videantur, nihilominus probant ea, quæ ad suum officium pertinent.

196. *Item in instrumentis. Hæres nequit esse testis in testamento, bene tamen legatarius : et cur?* — Tandem, ut nonnullæ aliæ limitationes, apud auctores hactenus citatos videndæ taceantur, fallit data regula in instrumentis : his enim testes esse possunt etiam habentes inde commodum, vel interesse in consequentiam, non autem principaliter. Farinacius d. quæst. 60. n. 62. post Angelum in l. *Qui testamento*, n. 3. ff. *de Testament.* et Campegium *de Testib.* reg. 75. in 1. fallent. Sic in testamento legatarius potest esse testis, non obstante aliquo emolumento inde sibi proveniente : licet hæres scriptus non possit esse testis, § *Sed neque hæres.* et § *Legatariis.* Instit. *de Testament.* juncta Glossa ibid. ỳ. *Legatariis.* Disparitas est, quia hæres, est juris successor; non sic legatarius, utpote qui non juris, sed rei singularis successor existit : unde legatarius fert testimonium non in causa sua, sed in causa testamenti. Neque etiam ex eo, quod valet testamentum, necessario sequitur quod valeat legatum; prout notat alia Glossa l. *Omnibus.* ỳ. *In re propria.* C. *de Testib.* ac proinde legatarius ex suo testimonio non reportat commodum principaliter et directe; licet istud indirecte, et in consequentiam quandoque reportare possit. Et idem dicendum de similibus, prout amplius declarabitur infra n. 212. et seqq.

197. *Prælatus, aliique clerici possunt esse testes in causa Ecclesiæ suæ.* — Quæritur II. An sit licitum clericis, ferre testimonium in causa propriæ Ecclesiæ? Resp. I. prælatus, aliique clerici possunt esse testes in causa civili Ecclesiæ suæ; dummodo non subsit alia rationabilis causa, illos impediens a testificando. Ita Glossa in c. *Insuper.* ỳ. *Ecclesiæ.* et Abbas ibid. not. 1. et Felinus n. 1. et Barbosa in *Collectan.* n. 1. h. t. Sperellus Decis. 81. Fori Ecclesiast. n. 47. quæst. 60. Socinus in *Fallentiis.* reg. 408. allegans communem. Idque patet ex c. *Cum nuntius.* 12. h. t. ubi dicitur : « Clerici non sunt a ferendo testimonio super negotia Ecclesiæ suæ (nisi alia rationabilis causa impediat) repellendi. » Accedit ratio : quia imprimis clerici, qui tractarunt Ecclesiæ negotia, meliorem quoad ejus possessiones et jura, tum ex visu, tum ex auditu, præ aliis censentur habere notitiam; ut dicitur can. *Super prudentia.* 14. quæst. 2. Deinde jus Ecclesiæ, non est jus proprium clericorum; ergo male repellerentur clerici a ferendo testimonio in causis Ecclesiæ suæ. Antecedens partim patet ex eo : quia bona Ecclesiæ sunt bona Dei, et patrimonium Christi, can. *Quia tua.* et can. *Res Ecclesiæ.* 12. quæst. 1. cum concordantiis. Partim amplius patebit ex textibus n. 213. allegandis, ex quibus clare habetur, quod bona universitatis non sint bona singulorum.

198. *Etiam istud intelligendo de clericis regularibus.* — Et hæc doctrina, quod clerici possint testificari in causis suæ Ecclesiæ etiam in favorem ejusdem, procedit non solum de clericis sæcularibus, sed etiam regularibus : nam et hi pro suo monasterio testes idonei reputantur; tum quia jure loquuntur indistincte : tum quia pontifex in c. *Insuper.* 6. h. t. expresse concedit priori, et fratribus SS. Trinitatis, ut liceat ipsis in causis propriæ Ecclesiæ ferre testimonium. Accedit, quod rationes proxime allatæ æque militent in clericis regularibus, imo fortius in istis, quia sunt mortui mundo, l. *Deo nobis.* C. *de Episcop. et cleric.* nihilque proprii possident. can. *Non dicatis.* 12. q. 1. cum similibus; sicque in ipsis magis cessat præsumptio affectionis, ac suspicio proprii interesse. Baldus c. *Tertio loco.* n. 4. *de Probation.*; Abbas cit. c. *Insuper.* n. 1. h. t.; Mascardus concl. 3. n. 11. et 12.; Pirhing h. t. n. 101.; Farinacius quæst. 60. *de Testib.* num. 463. et seqq. istud cum aliis etiam extendens ad moniales, et n. 544. plurimos alios allegans.

199. *Exemplificatur hoc in donatione, vel legato facto Ecclesiæ.* — Exemplificatur, et declaratur data conclusio inductione. Sic quando agitur de donatione, vel legato facto Ecclesiæ, monasterio, aut alteri universitati, pro ædificiis v. g. extruendis, aut reficiendis, possunt clerici, aut alii de universitate illa esse testes idonei : nam tale v. g. lega

dum non afficit singulos de universitate, sed solum universitatem : unde cessat præsumptio pravæ affectionis; et si quæ remaneret levis suspicio ipsius, hæc purgatur per juramentum testium. Felinus c. *Insuper*. n. 1. h. Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 106. n. 4. Bartolus l. *In tantum*. § *Universitatis*. n. 1. ff. *de Rerum divis*. Alexander consil. 68. n. 14. istud exemplificans de molendino spectante ad universitatem, seu Ecclesiam. Farinacius. d. quæst. 60. n. 472. citans alios.

200. *Canonici possunt esse testes in causa sui capituli, ad ejus favorem.* — Deinde canonici possunt esse testes in causa sui capituli, atque ad ejus favorem. Glossa in casu, can. *Super prudentia*. 14. q. 2. juncto textu ibid. Ubi de mandato Paschalis II. canonici S. Stephani, in causa civili sui capituli, admittuntur in testes contra canonicos S. Joannis, addita illa ratione : « Cæterum in possessionum, vel hujusmodi negotiis hi potissimum assumendi sunt, qui eadem negotia tractaverunt, de quorum auditu, et visu, dubitatio esse non potest. » Baldus c. *Tertio loco*. n. 3. et 4. *de Probation*. Mascardus *de Probat.* concl. 260. n. 6. et 9. Farinacius cit. quæst. 60. n. 60. allegans alios.

201. *Canonici possunt esse testes in illis, quæ sunt gesta in capitulo.* — Tertio canonici possunt esse testes eorum, quæ sunt gesta in capitulo; puta, in electionibus, et hujusmodi, quæ secreto inter ipsos capitulariter fieri solent. Glossa d. c. *Tertio loco*. ℣. *Jurati. de Probation.*; Bartolus l. *In tantum*. § *Universitatis*. n. 1. ff. *de Rerum divis.*; Menochius *de Arbitrar. jud.* lib. II. cas. 106. n. 1. citans alios. Idque clare desumitur ex c. *Veniens*. 38. § fin. h. t. ubi hoc ipsum expresse concessum legitur, addita illa ratione : « Quia, quæ in capitulo aguntur, non possunt facile nisi per canonicos ipsos probari. » Idem habetur ex c. *Cum dilectus*. 32. § *Nos attendentes. de Election.* ubi pontifex jussit, tres electores præstito juramento dicere, quot ex canonicis in electum consenserint.

202. *Consuetudo non solvendi episcopo quartam decimarum, et hujusmodi, potest probari per rectores vicinarum Ecclesiarum.* — Quarto, consuetudo non solvendi episcopo quartam decimarum, et hujusmodi, potest probari per rectores vicinarum Ecclesiarum, attestantes de generali consuetudine easdem non solvendi; quamvis in consequentiam videantur deponere circa id quod concernit proprium eorum commodum. Joan. Andreas c. *Sine possessione*. n. 8. vers. Primo casu. *de Reg. jur.* in 6; Felinus c. *Insuper*. n. 17. h. t.; Mascardus *de Probat.* concl. 1364. n. 60; Farinacius cit. quæst. 60. n. 494. et alii ab his relati.

203. *Potestque unus canonicus esse testis in causa sui concanonici.* — Quinto, potest unus canonicus esse testis in causa sui concanonici. Glossa in c. *Super prudentia*. 14. q. 2. ℣. *Stephani*, istud intelligens in casu, quo unus canonicus inducit suum canonicum in testimonium contra alium concanonicum ejusdem Ecclesiæ : quia tunc par affectionis causa excludit suspicionem. l. *Non solum*. ff. *de Ritu nuptiar.* estque in simili jam dictum supra § 4. n. 107. Vel etiam contra canonicum alterius Ecclesiæ; imo et contra suum prælatum, ut can. *Lator*. 2. q. 7. Concordat alia Glossa in c. *Cum. R. Canonicus*. ℣. *Cum sint ejus socii*. et Abbas ibid. n. 4. et Felinus n. 3. *de Offic. delegat.* Mascardus *de Probat.* concl. 260. n. 7. Farinacius d. quæst. 60. n. 460. et 461. citans alios.

204. *Ex causa rationabili quandoque impeditur clericus testificari in causa suæ Ecclesiæ; ut si est excommunicatus.* — Resp. II. Nihilominus data n. 197. conclusio nonnullas patitur limitationes, ratione quarum notanter in ea fuit additum : « Dummodo non subsit alia rationabilis causa, illos impediens a testificando. » Sic quippe incipiendo a generalioribus, talis causa rationabilis, impediens clericum a testificando in causa suæ Ecclesiæ, potest esse excommunicatio, perjurium, infamia, vel aliud grave crimen ipsius. Abbas c. *Cum nuntius*. n. 1. h. t. junctis illis, quæ per præcedentes paragraphos copiosius dicta fuerunt.

205. *Vel quando in tali causa constitutus est actor, vel responsalis.* — Deinde descendendo ad specialiora, clericus nequit esse testis in causa suæ Ecclesiæ, quando in eadem causa constitutus est actor, vel responsalis seu procurator, qui nomine ipsius Ecclesiæ, seu universitatis causam exerceat : siquidem nemo potest simul esse actor, et testis, in eadem causa. Textus est in c. *In super*. 6. h. t. ubi Glossa in casu. Joan. Andreas, Abbas, Felinus in *Summario*; Farinacius cit. quæst. 60. n. 526. allegans alios.

206. *Clerici nequeunt testificari in causa suæ Ecclesiæ, quando commodum inde proveniens est singulorum.* — Tertio, prædicta conclusio, seu regula procedit, solum in causis illis, in quibus agitur de rebus, quæ quoad nomen et

commodum immediatum sunt Ecclesiæ, seu universitatis; puta, quando hæc per suos officiales percipit redditus, sive (ut alii loquuntur) quando causa tractatur de rebus, quarum proprietas, simul et utilitas, est ipsius Ecclesiæ, monasterii, vel alterius universitatis. Secus, quando commodum, seu utilitas inde proveniens est singulorum, licet proprietas sit Ecclesiæ, seu universitatis : quia tunc clerici pro tali negotio suæ Ecclesiæ, vel singuli de universitate, non sunt testes idonei; testificarentur enim in re propria, seu cujus commodum singulis eorum immediate obveniret. Ita Joan. Andreas c. *Cum nuntius*. n. 4. h. t.; Abbas c. *Insuper*. n. 2. et Felinus n. 6. eod.; Alexander consil. 168. n. 14. lib. II; Mascardus *de Probat.* concl. 318. n. 3. Farinacius cit. quæst. 60. n. 495. et seqq. usque ad n. 507. allegans alios, et fuse hanc materiam declarans.

207. *Hinc canonicus non est testis idoneus in causa suæ præbendæ.* — Hinc canonicus non potest esse testis idoneus in causa suæ præbendæ : quia licet in genere omnes præbendæ spectent ad capitulum, nihilominus earum redditus immediate obveniunt singulis canonicis specialiter deputatis; atque ideo merito canonicus repellitur a ferendo testimonio in causa suæ præbendæ, cum agatur de proprio et speciali commodo ipsius. Abbas d. c. *Insuper*. n. 7. et Felinus ibid. n. 6. h. t.; Mascardus *de Probat.* concl. 3. n. 19. et concl. 1364. n. 29. istud amplians ad episcopum, vel abbatem, quos pariter negat posse ferre testimonium in rebus spectantibus ad mensam suam. Farinacius d. quæst. 60. n. 462. citans alios.

208. *Et prælatus Ecclesiæ non collegiatæ nequit esse testis in causa ipsius Ecclesiæ.* — Similiter prælatus Ecclesiæ, vel capellæ non collegiatæ, nequit esse testis in causa ipsius Ecclesiæ. Ita Joan. Andreas in Addit. *ad Speculatorem*, tit. *de Teste*. n. 24. ỳ. *Dominicalis*, distinguens inter prælatum Ecclesiæ collegiatæ, de quo hactenus dicta procedunt, et inter prælatum capellæ, in quo (inquit) dum manet prælatus, data regula non procedit. Idem tenet Socinus in *Fallentiis*, regula 408. fallent. 4. Nec immerito : nam redditus Ecclesiæ non collegiatæ immediate proveniunt prælato, seu rectori ipsius : unde procedent proxime dicta de Canonico non admittendo ad testificandum in causa suæ præbendæ.

209. *Loquendo de causis criminalibus, possunt quidem clerici in causa suæ Ecclesiæ testificari contra prælatum. Vel conclericum suum ab alio accusatum.* — Resp. III. Loquendo nunc de causis criminalibus, quamvis clerici in causa suæ Ecclesiæ possint testificari contra prælatum, vel conclericum suum, ab alio accusatum : nihilominus quando criminaliter accusatur aliquis extraneus in causa Ecclesiæ, vel alterius universitatis, tunc clerici, vel alii de tali universitate assumpti non sunt testes idonei ad testificandum in favorem hujus contra illum extraneum. Ita Speculator tit. *de Teste*. § I, n. 22; Menochius, *de Arbitrar. judic.* cas. 106. n. 17; Felinus c. *Insuper*. n. 4. h. t. allegans communem. Et quidem prior pars patet ex can. *Lator*. 2. q. 7. et c. *Ex parte*, 11. *de Accusat.* cum similibus; ubi tales accusationes, et testificationes clericorum contra episcopum, vel monachorum contra abbatem suum factæ, et permissæ leguntur. Accedit ratio, quia tunc cessat præsumptio sinistræ affectionis, cum clerici in testes adducti non magis reputentur esse domestici, et familiares alterius conclerici prælatum accusantis, quam ipsius prælati accusati : unde par affectionis causa tollit sinistram suspicionem, prout in simili jam dictum est supra § IV. n. 104. et n. 127. Et hæc ratio pariter militat respectu conclerici ab alio accusati.

210. *Non vero contra extraneum in favorem Ecclesiæ.* — Altera pars habetur decisa in can. *Super prudentia*. 14. q. 2. eamque præter jam allegatos tradit Abbas in cit. c. *Insuper*. n. 3. h. t. Speculator, ubi supra num. 22. generaliter docens, quod si aliquis de universitate accusat extraneum, non possit testem inducere socium, qui est ejusdem universitatis, nisi in defectum. Mascardus, *de Probat.* concl. 295. n. 14. et seqq. Farinacius d. quæst. 60. n. 508. et seqq. allegans alios. Accedit ratio, quia in criminalibus requiruntur probationes indubitatæ, et luce clariores, l. *Sciant cuncti*. C. *de Probat.* et testes omni suspicione, maculaque carentes, cap. I. *Exception*. et can. *Testes*. 2. q. 7. Atqui tales testes non sunt, qui producuntur de universitate in ejus favorem, utpote quibus potest opponi exceptio familiaritatis, et aliqualis proprii interesse : ergo ipsi merito repelluntur. Nisi forsan necessitas, seu defectus aliarum probationum, tales suadeat esse admittendos ad testificandum in subsidium, seu ne deficientibus aliis testibus veritas occultetur, atque injustus existimetur probus,

in grave præjudicium Ecclesiarum; prout limitant auctores proxime citati.

211. *An pariter illi, qui sunt membra universitatis sæcularis, possint esse testes in causa ejusdem? Proponuntur rationes dubitandi, ac negativam tenendi.* — Quæritur III. An pariter illi, qui sunt membra alicujus universitatis sæcularis v. g. civitatis, oppidi, etc. possint esse testes in causa dictæ universitatis? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, est : quia jura n. 197. allegata, et clericos ad testimonium in causis suæ Ecclesiæ admittentia, solum loquuntur de clericis, de quibus utpote Deo specialiter consecratis, vel propter Deum omnia temporalia relinquentibus, magis præsumitur, quod in causa suæ Ecclesiæ nolint pejorare, falsum attestando : simulque, quia clerici ratione sacri ordinis censentur testes magis idonei, quam laici juxta dicta superius § VI. n. 180. Deinde quia « nullus idoneus testis in re sua intelligitur, » juxta textum expressum in can. *Si testes.* § *Nullus.* et § *Omnibus.* 4. q. 3. et l. *Nullus,* ff. h. t. cum similibus : hoc autem videtur fieri, cum sæculares in particulari sint capaces dominii (quod secus accidit in regularibus) et bonum communitatis redundet in singula membra ejus. Tandem testimonium domesticum utroque jure reprobatur; ut cit. can. *Si testes.* § *Etiam jure civili,* 4. q. 3. et l. 2. c. h. t. cum concordantiis : tale autem videtur esse illud, quod fertur a membro universitatis sæcularis pro ipsa contra extraneum. Atque ob has, et consimiles rationes, non desunt doctores oppositum tenentes; ut Aug. Aretinus. Instit. *de Rerum divis.* in princip. n. 1. quem secutus est Petrasancta Singul. 24. post. n. 4. cum nonnullis aliis, quos refert Farinacius cit. quæst. 60. n. 454. et Menochius lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 106. n. 5. Verum his non obstantibus,

212. *Affirmativa sententia est tenenda.* — Resp. I. Etiam in causa universitatis sæcularis, vel alterius cujuslibet, possunt testes esse illi, qui sunt de universitate; adeo, ut cives v. g. pro sua civitate, oppidani pro suo oppido ad testificandum admittantur. Ita Abbas in c. *Insuper.* n. 2. h. t. Baldus c. *Tertio loco.* n. 4. *de Probat.;* Jason l. *Sed si hac lege.* § *Patronum.* n. 7. ff. *De in jus vocand.;* Menochius cit. cas. 106. n. 6. et seqq, Farinac. cit. quæst. 60. *de Testib.* n. 452. et seqq. citans alios, atque hanc conclusionem appellans verissimam, et communem.

213. *Universitatis sunt, non singulorum, quæ sunt communia.* — Ratio fundamentalis est : quia tales revera non ferunt testimonium in propria causa juxta illud l. *In tantum.* ff. *de Rerum divis.* ubi dicitur : « Universitatis sunt, non singulorum, quæ communia sunt civitatum : » et consequenter causa universitatis, non est causa singulorum. Accedit textus in l. *Sicut.* ff. « Si quid universitatis nomin. » illis verbis : « Si quid universitati debetur, singulis non debetur. nec quod debet universitas, singuli debent. » Unde, quod est commune in universitate, nullus potest singulariter dicere : Meum est; quinimo ista sunt contraria, scilicet, esse singulorum, et, esse universorum; quia non potest esse plurium in solidum, prout argumentatur Baldus cit. n. 4.

214. *Quando agitur de donatione, vel legato facto cuipiam universitati, etiam sæculari, possunt esse testes, qui sunt de illa universitate.* — Hoc ipsum declaratur inductione. Sic potest quis esse testis, qui est de universitate, etiam sæculari, quando agitur de donatione, vel legato eidem universitati relicto. Siquidem titulus donationis, seu relicti in ultima voluntate, non acquiritur singulis, sed toti universitati, l. ult. c. *de Sacrosanct. Eccles.* et l. *Civitatibus.* ff. *de Legatis* I. ubi illud, « quod ad divisionem singulorum civium relictum fuerit, » censetur esse relictum civitati. Felinus c. *Insuper.* n. 2. h. t. Farinacius cit. quæst. 60. n. 472. allegans plurimos alios; et concordant dicta superius n. 199.

215. *Idem dicendum de probatione confinium.* — Deinde, quando agitur de probatione confinium, admittuntur testes de communitate : quia non testantur in re propria, sed in ea quæ est universitatis, l. *In tantum.* § *Universitatis.* ff. *de Rerum divis.* et l. *Sed si hoc.* § *Qui manumittitur.* ff. *De in jus vocand.* Menochius *de Arbitrar. judic.* cas. 106. n. 5. Farinacius loc. cit. n. 487. Mascardus *de Probat.* concl. 395. n. 9. asserens, hanc esse communem opinionem.

216. *Et de probatione consuetudinis non solvendi decimas, gabellas.* — Tertio, testes de universitate admitti in probatione consuetudinis non solvendi v. g. decimas, vel gabellas, affirmarunt Felinus c. *Insuper.*, n. 17. h. t. et Farinacius cit. quæst. 60. n. 594. allegans alios; et concordant dicta superius n. 202. Item, sicut testis de universitate admittitur ad testificandum pro ea, ita etiam admittendus est contra ipsam : tenetur enim

esse indifferens ad deponendam jurato veritatem, prout in sua conscientia repererit. Speculator tit. *de Teste.* § 1. n. 22. Farinacius loc. cit. n. 488. apud quem nonnulla alia huc spectantia.

217. *Solvuntur rationes dubitandi.* — Nec obstant rationes dubitandi n. 211. in contrarium adductæ. Non prima, quia, licet nonnulli canones expresse faciant mentionem tantummodo de clericis, utpote de quorum recto gubernio ex professo loquuntur; nihilominus alia jura indistincte admittunt testes de universitate, ut dictum in conclusione. Accedit, quod etiam laici præsumantur boni et veraces, donec probetur contrarium. Ad alteram negatur, testes de universitate dicere testimonium in causa propria, quando testificantur in causa universitatis : quia universitatis sunt, non singulorum quæ sunt communia, ut jam dictum. Ad tertiam pariter negatur, membra alicujus universitatis esse proprie domesticos ejus : unde etiam jus satis aperte ipsorum testimonium pro causis ad universitatem spectantibus admittit.

218. *Proponitur, ac resolvitur alia notabilis instantia.* — Quod si urgeas. Ex causa universitatis, etiam membra illius commodum reportant; ergo adhuc videntur testificari in causa propria. Resp. neg. consequent. Tum ob rationem proxime dictam, quia videlicet ea quæ sunt communia, non sunt singulorum : ac proinde, etsi membra universitatis emolumentum aliquod exinde reportent (quod ipsum est incertum, consideratis aliis necessitatibus, atque expensis sæpe sæpius per universitatem faciendis) illud non percipiunt nomine proprio, sed nomine universitatis, cujus sunt membra; tum quia ejusmodi commodum non obvenit directe, ac principaliter singulis membris dictæ universitatis (alioquin secus esset dicendum, juxta conclusionem proxime ponendam) sed solummodo indirecte, secundario et consecutive, ac plerumque nonnisi post longum tractum temporis. Hoc autem est per accidens nec impedit eorumdem testimonium : prout in simili patet in legatariis, qui admittuntur in testes circa validitatem testamenti; haud obstante quod exinde aliquod lucrum, sive legatum sibi relictum consequantur. § *Legatariis.* Instit. *de Testament.* estque jam supra n. 196. dictum.

219. *Testes de universitate possunt repelli in causis illis, ubi commodum inde resultans, tangit singulos eorum. Ut fit in lite super nemore, vel pascuis, unde singuli de communitate possunt ligna cædere, vel animalia sua pascere.* — Resp. II. Nihilominus proxime data conclusio procedit solum in illis causis, in quibus agitur de negotio, seu commodo et incommodo totius universitatis : secus dicendum, quando agitur de commodo universitatis, quod sigillatim spectat ad utilitatem singulorum; hoc est, ubi commodum, vel (si causa perdatur) damnum inde resultans tangit singulos de universitate in particulari; quia tunc hi possunt repelli, veluti testes in propria causa, cum in effectu ageretur de commodo, vel damno singulorum. Sic contingit, quando communitas habet nemora, vel pascua, in quibus quilibet incolarum potest ligna cædere, vel animalia sua mittere ad pascendum : quia tunc orta lite super eisdem, repellerentur singuli de tali communitate a ferendo testimonio; eo quod lucrum, vel damnum inde obveniret singulis de communitate in particulari, cum non amplius causa perdita possent ibi ligna cædere, vel animalia sua pascere. Ita Felinus in c. *Insuper.* n. 5. h. t.; Jason l. *Sed si hac lege.* § *Patronum.* n. 7. ff. *De in jus vocand.*; Menochius cit. cas. 106. n. 13; Covarruvias *Practic. quæst.* cap. XVIII. n. 4, hanc appellans communem opinionem; Pirhing h. t. n. 102; Farinacius d. quæst. 60. n. 495. et seqq. citans complures alios : quamvis Abbas in c. *Insuper.* n. 2. ⅴ. *Primum membrum.* h. t. de veritate allatorum exemplorum dubitet. Licet enim (inquit) aliqua utilitas obveniat singulis, nihilominus causa est universitatis, et universitas potest commutare usum v. g. nemoris, vel aliter de eo disponere, etc.

220. *Vel quando agitur de prædiis, aut vinea, cujus proprietas est universitatis, ususfructus autem singulorum.* — Similiter quando agitur de prædio, vel vinea, aut hujusmodi, cujus proprietas quidem spectat ad universitatem, sed ususfructus aut utilitas ejus pertinet ad singulos (ut puta, quia singuli de communitate vivunt de fructibus illius) tunc isti non possunt esse testes idonei in tali causa : nam ratione ususfructus, seu utilitatis in singulos provenientis, censetur causa illa spectare ad singulos de universitate. Baldus c. *Cum nuntius.* n. 1. h. t.; Felinus in d. c. *Insuper.* n. 5. eod.; Farinacius cit. quæst. 60. n. 499. et 504; Pirhing d. n. 102. et alii.

221. *Aut quando lite perdita, in singulos de universitate venit imponenda certa collecta.* —

Rursus testes de universitate non censentur idonei, quando agitur de lite, in qua si communitas succumbit, venit in singulos imponenda certa collecta : tunc enim talis causa censeretur tangere singulos de universitate, sicque hi non essent admittendi ad testificandum. Felinus c. *Insuper*. n. 6. et ibi Baldus n. 3. h. t.; Menochius d. cas. 106. n. 15; Mascardus, *de Probat.* concl. 1422, n. 5. et 6; Farinacius cit. quæst. 60. n. 505. et 507. istud intelligens cum aliis, quando certum foret, collectam singulis de communitate esse imponendam : alias secus.

222. *Idem dicendum in causis civilibus arduis, et magni præjudicii.* — Resp. III. Insuper data conclusio est limitanda in causis civilibus arduis, et magni præjudicii. Hæ enim æquiparantur criminalibus, ut dictum supra, § 3. n. 82. ac proinde, sicut testes de universitate in causa criminali contra extraneos non admittuntur, juxta dicta n. 209. et 210. ita nec in causa civili multum ardua, et magni præjudicii. Accedit, quod testis repellatur ob magnam affectionem quam gerit ad rem litigiosam, non minus ac consanguineus. Felinus d. c. *Insuper*. n. 3. et 11. h. t.; Baldus in c. *Cum nuntius*. n. 1. eod.; Covarruvias *Pract. quæst.* cap. XVI. n. 4. Atqui in re civili ardua, magnique præjudicii suæ universitati imminentis, ut puta, ubi agitur de magno honore, commodo, vel jurisdictione ipsius, præsumi potest magna affectio ex parte illius testis propter annexam commoditatem in singulos redundaturam; haud obstante, quod res immediate spectet ad universitatem, et non ad singula membra ejus. Ita Felinus, Baldus, Covarruvias, ubi supra; Mascardus *de Probation.* concl. 1422. 18; Farinacius d. quæst. 60. n. 521. et 522. allegans plurimos alios.

223. *Testes de universitate, non sint admittendi generaliter, vel dumtaxat in subsidium. Ratio dubitandi, ac istud posterius tenendi.* — Quæritur IV. Num testes de universitate sint generaliter, seu directe admittendi ad testificandum in negotiis Ecclesiæ, vel universitatis suæ, vel tantum in defectum aliarum probationum; Resp. hanc esse specialem difficultatem, in ejusque resolutione variare doctores. Et quidem Speculator *de Teste*, § 1. n. 22; Felinus c. *Cum nuntius*. n. 2. h. t.; Mascardus concl. 318. n. 2; Engel. h. t. n. 39. pluresque alii censent, eos admittendos tantum esse in defectum aliorum testium. Idque probant per textum in c. *Etsi Christus*. § fin. *de Jurejurand.* ubi Papa monachis indulsit, « ut in causis sui monasterii (deficientibus aliis testibus) pro ipso perhibere possent testimonium veritati. » Nota ly, « deficientibus aliis testibus : » cui textui sane absque divinatione (ait Engel.) responderi non potest. Accedit quod præcipua ratio, cur testes de communitate admittantur, ea sit, quod plerumque homines extranei rerum ad communitatem spectantium veram notitiam non habeant, arg. can. *Super prudentia*, 14. q. 2. Atqui hæc ratio cessat, quando adsunt extranei veram notitiam habentes qui idcirco testes esse possunt; ergo. Concordat can. *Quamquam*, ead. 14. q. 2. ubi, præsertim clerici in causis civilibus solum admittuntur ad testificandum in subsidium; seu, « ubi nullæ idoneæ sæcularium inveniuntur personæ : ne veritas occultetur, et malus ut bonus æstimetur, » prout loquitur textus ibidem. Verum his non obstantibus.

224. *Ipsi sunt admittendi generaliter, seu directe, et non tantum in subsidium.* — Resp. I. Testes de universitate admittuntur non solum in subsidium, seu quando veritas aliter haberi non potest (in quo casu nullus negat, eos esse admittendos) sed etiam generaliter, ac pro illo quoque casu, quo adsunt alii testes : sive, ut loquitur Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 106. n. 8. testes ejusmodi admittuntur proprie ac directe, et non tantum in subsidium. Ita Abbas c. *Insuper*. n. 2. vers. *An autem admittantur*. h. t. citans Hostiensem, et doctores communiter. Felinus d. c. *Insuper*. n. 7. ex professo rejiciens contrariam opinionem Speculatoris; Menochius ubi supra; Farinacius cit. quæst. 60. n. 474. et seqq. citans plures alios pro utraque sententia; ac n. 478. pro concordia subjungens, quod quidem in utroque casu, videlicet tam in subsidium, quam alias, testes de universitate admittantur, sed quando admittuntur in subsidium, tunc sint testes omni exceptione majores : secus, si non in subsidium, de quo infra concl. seq.

225. *Idque probatur, Naturale vitium est negligere quod communiter possidetur.* — Prima pars conclusionis probatur ex eo : Quia testes de universitate nullo jure excluduntur (uti patebit ex solutione contrariorum) ergo hoc ipso sunt admittendi, et quidem generaliter, ac directe, per textum in l. 1. ff. *de Testib.* Deinde in sæpe cit. c. *Insuper*. 6. et c. *Cum nuntius*. 12. h. t. et can. *Super prudentia*. 14. q. 2. indistincte admittuntur

testes hujusmodi in causa universitatis, seu Ecclesiæ suæ : simulque ratio n. 213. allata, seu quod ejusmodi « bona sint universitatis, non singulorum, » urget generaliter, ac indistincte; unde etiam indistincte testes de universitate sunt admittendi, et non tantummodo in subsidium. Accedit, verisimile non esse, quod quis velit pejerare propter jura universitatis : « Naturale quippe vitium est negligere quod communiter possidetur; » ut dicitur l. *Meminimus*. C. « Quando et quibus quarta pars, » etc. lib. X.

226. *Solvuntur rationes dubitandi.* — Nec urgent rationes n. 223. in contrarium allatæ. Nam in c. *Etsi Christus. de Jurejurand.* sermo est de juramento, quod monachi præstare timebant, ob verba Christi *Matth.* v, 34. dicentis : *Nolite jurare omnino.* Unde Papa, cum præmisisset, licite jurari pro re vera, atque exigente necessitate postea monachis dat licentiam jurandi, declarando per illa verba, « Deficientibus aliis testibus, » hinc intervenire veram necessitatem jurandi : per hoc tamen non negavit, quin etiam extra talem casum necessitatis possint membra communitatis in hujus negotiis testimonium ferre. Quinimo, cum istud jura proxime allegata indistincte concedant, in quod cit. c. *Etsi Christus*, habetur, est intelligendum juxta contingentiam facti, de quo ibidem fit mentio : vel, conformiter cæteris juribus, dictum illud oportet supplere per ly « maxime deficientibus aliis testibus; » prout supplendum censet Abbas d. c. *Etsi Christus*. n. 4. *de Jurejurand.* citans Hostiensem, et Speculator, tit. *de Teste*. § 1. n. 22.

227. *Solvuntur rationes dubitandi.* — Ad alterum patet ex dictis : nam allata ratio non est adæquata : imo præcipua ratio, cur quis possit esse testis in causa universitatis, non ea est, quia jus universitatis non est jus singulorum. Ad can. *Quamquam*. 14. q. 2. patet ex contextu verborum, ibi solum prohiberi, ne clerici in causis civilibus, seu instrumentis laicorum, extra casum necessitatis, testimonium ferant; de quo jam ex professo dictum est supra § 6. n. 182. et seqq. Ex hoc tamen nihil sequitur contra conclusionem.

228. *Testes de universitate, quando admittuntur in subsidium, plene probant.* — Resp. II. Etsi testes de universitate plene probent, quando admittuntur in subsidium, eo quod per alios veritas haberi non possit : nihilominus extra casum defectus aliarum probationum probabilius est : et magis inter doctores receptum, quod testes de universitate non sint omni exceptione majores, sed minor fides ipsis sit adhibenda; idque pro qualitate causæ, et personarum, judicis arbitrio sit relinquendum. Prior pars est Abbatis cit. *Insuper*. n. 2. vers. *Ego putarem*. h. t. et Farinacii d. quæst. 60. n. 478. et 480. sub data distinctione concordantis extremas doctorum sententias. Fundamentum hujus desumitur ex c. *Tertio loco*. 5. *de Probation.*, ubi testes de universitate admittuntur ad reprobandum instrumentum in casu, quo agebatur de gestis in capitulo, sicque alii testes haberi non poterant. Atqui ad reprobandum instrumentum requiruntur testes legales, et omni exceptione majores. Glossa fin. in cit. c. *Tertio loco;* Bartolus in l. 1. § *Si quis neget*. vers. « Quæro, quid si in instrumento. » ff. *Quemadmodum testament. aperiant.;* Felinus c. *Cum Joannes*. n. 44. *de Fide instrument.* istud inter alia probans ex l. *Optimam*. § fin. c. *de Contrahend. stipulat.;* Menochius *de Arbitrar. judic.* cas. 105. n. 33; Mascardus, quæst. 6. procem. *de Probat.* n. 68. citans alios.

229. *Alias non sunt exceptione majores, sed minor fides ipsis est adhibenda, judicis arbitrio.* — Altera pars est quidem contra Felinum c. *Insuper*. n. 2. h. t.; Menochius *de Arbitrar. judic.* cas. 106. n. 8; Alexandrum consil. 68. n. 14. vol. 2. et nonnullos alios a Farinacio d. quæst. 60, n. 537. citatos, qui indistincte volunt, testes de universitate plene probare in causis ejusdem. Verum aut hi doctores sunt benigne interpretandi, quod loquantur in casu defectus aliarum probationum, juxta proxime dicta : aut iisdem relictis tenenda est sententia datæ conclusionis, quæ est æquitati magis consentanea, magisque recepta inter doctores; uti videre est apud Mascardum *de Probat.* concl. 1422. n. 15. et seqq. et Farinacius loc. cit. n. 536. et 538. Ratio est quia, licet agatur de negotio universitatis, nihilominus ob naturalem affectionem, quam membra universitatis erga eam gerere consueverunt ratione utilitatis inde sibi quoquo modo obvenientis, non carent omni suspicione; sicque non mirum, quod cæteris paribus minus eis credatur, ac crederetur, si istæ etiam suspicione affectionis carerent. Quamquam in casibus particularibus judicis arbitrio relinquendum sit, quantam fidem mereantur testes de universitate in hujus favorem deponentes; uti notarunt Menochius cit. cas. 106. n. 9. et 11; Covarruvias *Pract.*

quæst. cap. 18. n. 4; Mascardus loc. cit. n. 19; Farinacius n. 538. allegans communem.

230. *Testibus de universitate minus creditur in concursu aliorum testium ipsis contradicentium.* — Infertur proinde, quod licet testes de universitate admittantur ad testificandum in ejus favorem; in concursu tamen aliorum testium ipsis contradicentium, seu ab altera parte productorum, et contrarium deponentium, minus illis quam istis credatur : nam illi laborant aliquali suspicione affectionis, non isti; in pari autem causa merito major fides est adhibenda illis, qui etiam hac qualiquali suspicione carent. Abbas cit. c. *Insuper.* n. 2. vers. *Ego putarem.* h. t.; Menochius d. cas. 406. n. 10; Mascardus cit. concl. 1422. n. 17; Farinacius ubi supra, n. 534. allegans alios.

§ VIII.

DE NUMERO TESTIUM AD LEGITIMAM PROBATIONEM REQUISITORUM; ET AN ALIQUANDO SUFFICIAT TESTIMONIUM UNIUS?

231. *Regula est, ad legitimam probationem requiri, et sufficere duos testes.* — Quæritur I. Quot testes requirantur ad legitimam probationem? Resp. I. Regula est, quod in qualibet causa ad legitimam probationem, plenamque fidem faciendam, requirantur et sufficiant duo testes probatæ vitæ, omnique exceptione majores; nisi expresse per legem, seu canonem plures in aliqua causa requirantur. Ita Speculator, tit. *de Teste.* § *Restat.* n. 1; Farinacius quæst. 63. *de Testib.*, n. 232. et communis. Idque patet ex l. *Ubi numerus.* ff. h. t. quæ canonizata est in can. *Si testes.* § *Ubi numerus.* 4. q. 3. quo utroque in loco dicitur : « Ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficiunt. » Concordat textus in c. *Licet universis.* 23. h. t. ubi pontifex inquit : « Mandamus, quatenus si inter vos emerserit quæstio, non minus, quam duorum, vel trium virorum, qui sint probatæ vitæ, et fidelis conversationis, testimonium admittatis juxta illud dominicum (*Matth.*, XVIII, 16; et *Deut.*, XVII, 6, et XIX, 15.) *In ore duorum, vel trium testium, stat omne verbum.* Quia licet quædam sint causæ, quæ plures quam duos exigant testes, nulla est tamen causa, quæ unius testimonio (quamvis legitimo) terminetur. » Simile quid habetur c. *In omni.* 4. et c. *Veniens.* 10. h. t. cum concordantiis. Accedit ratio : quia manifestum periculum subest, ne si unicus homo ad ferendum testimonium admitteretur, is sinistro affectu amoris, odii, timoris, aut hujusmodi perversus, falsum testimonium diceret : duo tamen non tam facile pervertuntur, saltem ut per omnia conformiter loquantur, et falsitas se non prodat, uti patet in duobus illis senibus, quos ex propriis verbis falsitatis convictos fuisse legitur. *Daniel.*, XIII, 1 et seqq.

232. *Et quidem in qualibet causa, tam personali quam ecclesiastica, imo et criminali.* — Atque data regula procedit in qualibet causa, tam profana videlicet, quam ecclesiastica. Siquidem regulæ inhærendum est, donec de fallentia constet, seu per adversarium probetur, cur in illo casu regula non loquatur. Glossa in rubric. *de Reg. jur.* in 6. Quinimo data conclusio procedit nedum in causis civilibus, sed etiam in criminalibus : adeo, ut duorum legitimorum, et omni exceptione majorum testium dispositio, sufficiat ad convincendum, et condemnandum. Farinacius cit. quæst. 63. *de Testib.* n. 233. Julius Clarus lib. V. *Pract. criminal.* § fin. quæst. 66. n. 5; Mascardus *de Probat.* concl. 462. n. 1. et alii. Idque probat textus can. *Nullam.* § *Sed hoc.* 2. q. 5. illis verbis : « Quorum vita adeo laudabilis est, ut omnibus imitanda appareat, de quorum assertione nulla dubitatio nasci poterit, eorum testimonio duorum, vel trium testium quilibet jure convinci, et damnari poterit. »

233. *Dummodo illi duo testes sint omni exceptione majores.* — Dicitur notanter in conclusione, « duo testes omni exceptione majores, » sive, ut loquitur allegatus textus, « de quorum assertione, nulla dubitatio nasci poterit. » Secus enim dicendum de aliis testibus minus idoneis, et quibus aliqua exceptio jure opponi potest, et opponitur : nam in causis criminalibus criminaliter motis requiruntur testes omni exceptione majores, omnique suspicione, et macula manifesta carentes, cap. I. *de Exception.* et can. *Testes.* 2. q. 7; Mascardus concl. 460. et 7. Quod ipsum procedit in causis civilibus : nam etiam in his regulariter requiruntur, ac sufficiunt, duo testes omni exceptione majores.

234. *Testium numerus potest supplere ipsorum defectum in causis civilibus.* — Additur « regulariter, » ob nonnullas limitationes, seu fallentias in progressu adducendas. Quod ipsum, loquendo de testibus omni exceptione majoribus, est limitandum, nisi forsan tes-

tium numerus suppleat ipsorum defectum, atque inhabilitatem : nam quod in causis civilibus inhabilitas testium possit suppleri per eorum numerum, tradit Glossa in l. *Testium fides*. ỹ. *Numerus*, juncto textu ibid. ff. h. t.; Alexander consil. 5. n. 6. vol. 1; Jason. in Auth. *Si vero contigerit*. n. 2. et seqq. c. *de Judiciis*; Mascardus concl. 1359. n. 14. et Farinacius *de Testibus*. quæst. 62. n. 309. et 311. allegans plurimos alios, et communem doctorum.

235. *Secus in causis criminalibus, et civilibus arduis*. — Secus dicendum in causis criminalibus criminaliter motis : nam in his ob gravitatem earum, et periculum majoris præjudicii, adeo requiruntur testes omni exceptione majores, omnique suspicione et macula carentes, per jura n. 233. allegata, ut testium numerus eorum defectum, atque inhabilitatem non suppleat. Jason cit. Auth. *Si vero contigerit*. n. 6. C. *de Judic.*; Baldus c. *Ad nostram*. n. 1. *de Probat.*; Farinacius d. quæst. 63. n. 211. allegans alios; atque n. 213. istud extendens ad causas civiles arduas et graves, utpote quæ æquiparantur criminalibus, juxta dicta superius § 3. n. 82.

236. *Dantur certæ causæ, in quibus plures, quam duo testes requiruntur*. — Resp. II. Etsi conclusio præmissa regulariter procedat, dantur nihilominus certæ causæ, in quibus plures quam duo testes requiruntur. Ita communis; et patet ex cit. c. *Licet universis*. h. t. ibi : « Licet quædam sint causæ, quæ plures » quam duos exigant testes. Ubi Glossa ỹ. *Quædam*. et Baldus n. 1. et Felinus § in textu, et alii notant; dari quasdam causas, in quibus non solum requiruntur plures, quam duo testes (quod nullus negat) sed etiam plures, quam tres, ut puta, in testamento, ac hujusmodi.

237. *Notabilis contra hoc proponitur objectio ex illo : In ore duorum, etc.* — Verum contra istud posterius insurgit Fagnanus in cit. c. *Licet universis*. n. 7. h. t. dicens. Juxta illud Salvatoris jam allegatum, *In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum* : ergo repugnat juri divino, ut requirantur plures quam tres; non minus, ac repugnat eidem, quod sufficiat unicus testis. Accedit : quia in allegata decretali solum dicitur, dari quasdam causas, « quæ plures quam duos exigant testes » (hoc enim non repugnat legi divinæ, quæ solum loquitur alternative, *duorum vel trium*, interim relinquens determinationi legum humanarum, in quibus causis sufficiant duo testes, vel tres sint necessario adhibendi) non autem in citata decretali dicitur, dari aliquas causas, quæ plures quam tres exigant testes. Quinimo istud expresse reprobatur c. *Cum esses*. 10. § *Quia vero de Testament*. ubi consuetudo exigendi septem testes in testamentis, dicitur esse aliena « a divina lege, et sanctorum patrum institutis, » etc.

238. *Quæ resolvitur?* — Sed his haud obstantibus a data conclusione non videtur recedendum; quæ amplius patebit inductione, enumerando tales causas, in quibus plures, quam tres testes requiruntur, uti patebit ex progressu. Nec obstat auctoritas divina, *In ore duorum vel trium testium, stat omne verbum*. Quia, ut inquit Glossa in cit. c. *Licet universis*. ỹ. *Duorum*. et Baldus ibid. h. t. dictum illud est intelligendum « abnegative, » seu exponendum pro : « id est, non pauciorum : ut sic affirmativa exponatur per negativam. » Concordat illud *Deuteron*. XVII, 6. *In ore duorum aut trium testium peribit, qui interficietur : nemo occidatur uno contra se dicente testimonium* : sicque præmissum ly, *In ore duorum, aut trium testium*, claris verbis exponitur abnegative. Hoc ipsum fit, atque repetitur *Deuteron*. XIX, 15.

239. *Dictum illud, In ore duorum, etc., qualiter intelligendum?* — Deinde dictum illud procedit regulariter : limitatur tamen in casibus, ubi per leges humanas justis de causis, seu ad præcavendum diversis fraudibus hominum, plurium testimonium requiritur. Neque istud est prohibitum jure divino, eo quod de tali prohibitione non constet. Quinimo illa ipsa auctoritas divina, etiam abnegative intellecta, patitur limitationem in causis nulli præjudicialibus, et nonnullis aliis, in quibus sufficere testimonium unius, infra n. 254. 258. et seqq. dicetur : ergo pariter, imo a fortiori, potest limitari, ut in certis causis ex rationabili dispositione legum humanarum requirantur plures quam duo, aut tres testes.

240. *Consuetudo adhibendi septem testes in testamento, qualiter dicatur esse a lege aliena divina*. — Ad c. *Cum esses, de testament*. longiori opus foret responsione : pro nunc sufficiat dicere; consuetudinem adhibendi septem testes in testamento juxta præscriptum legum civilium, ibidem dici a « lege divina alienam : » non quidem positive, quasi sit contra legem divinam, hujusque prohibitionem; sed negative, quia est præter legem

divinam, neque ab hac fuit præcepta. Neque cuipiam mira videatur hæc responsio : nam hac ipsa ratione in § *Jus autem gentium*. Instit. *de Jur. natur. gent. civil.* bella, captivitates et servitutes, dicuntur « juri naturali contrariæ ; » prout dictum in proœmio, lib. I, § 1, n. 22.

241. *In purgatione canonica plures requiruntur testes : et cur?* — Resp. III. Inter casus illos, qui de jure canonico plurium, quam duorum, vel trium requirunt testimonium, potissimum sunt sequentes. *Primo*, in purgatione canonica : nam in purgatione episcopi requiruntur testes duodecim; can. *Omnibus*. § *Ipse vero sacerdos*. 2. q. 5. juncto cap. I. et c. *Quoties de Purgat. canon.* Et in purgatione presbyteri, septem; et in purgatione diaconi, tres; can. *Si legitimi*. ead. caus. 2. q. 5. nec mirum, quod plures testes in purgatione canonica requirantur : hi enim solum deponunt, ac jurant ex credulitate, seu quod credant, purgatorem, negantem sub juramento crimen sibi objectum, verum jurasse, cit. c. *Quotiens*. et c. *De Testibus. de Purgat. canon.*

242. *In causa divortii, ob impotentiam viri, septem requiruntur testes.* — *Secundo*, in causa divortii, ob impotentiam viri inter conjuges instituendi, requiritur quod uterque, tam vir nimirum quam mulier, cum septima propinquorum, vel vicinorum manu juret, quod invicem cohabitaverint, et tamen nunquam per carnis copulam una caro effecti fuerint, can. *Requisivisti*. 34. q. 1. et c. *Laudabilem*. 8. et c. *Litteræ*. 7. *de Frigid. et maleficiat.*

243. *Ad condemnationem episcopi cardinalis requiruntur septuaginta duo testes.* — *Tertio*, in can. *Præsul*. et can. *Nullam*. 2. q. 4. ad condemnationem episcopi cardinalis requiruntur septuaginta duo testes; et quadraginta quatuor ad presbyterum cardinalem, et septem ad subdiaconum, acolytum, etc. damnandum. Quamquam Gratianus in fine cit. can. *Nullam*. et Abbas c. *licet*. n. 4. h. t. post Hostiensem ibid. asserant, canones allegatos loqui de testibus non integris, sive de talibus, « qui cum sint non spectatæ vitæ et scientiæ, » improbe nonnunquam in accusationem ministrorum Dei repente prosiliunt : alias vero sufficerent duo, vel tres testes, si sint omni exceptione majores ; « quorum nimirum vita adeo laudabilis est, ut omnibus imitanda appareat, de quorum assertione, nulla dubitatio nasci poterit, » prout loquitur Gratianus loc. cit. § *Sed hoc.*

244. *De consuetudine istud non servatur in practica.* — Verum, quidquid sit de rigore juris communis, quod dispositio cit. can. *Præsul*. 2 q. 5. de consuetudine non servetur hodie in practica : testatur Jul. Clarus in *Pract. crimin.* lib. V. § fin. quæst. 66. n. 5 ; Pirhing h. t. n. 108; Farinacius, quæst. 63. *de Testib.* n. 244. allegans alios, et communem.

245. *Ad inspectionem privilegiorum, quot testes sufficere debeat?* — *Quarto*, ad inspectionem privilegiorum, quæ redarguuntur de falso, debet quis esse contentus duodecim hominum numero, c. *Accepimus*. 4. § fin. *de Fide instrument.*

246. *De jure civili requiruntur in testamentis septem testes, et quinque in codicillis.* — *Quinto*, de jure civili in testamentis requiruntur septem testes, l. *Hac consultissima*. C. *de Testament.* Et quinque testes in codicillis, l. ult. C. *de Codicill.* et alibi. Similiter requiruntur quinque testes in donatione facta causa mortis, l. ult. C. *de Donation. caus. mort.* Tacentur plures alii casus, in quibus ad legitimam probationem plures requiruntur testes, quam duo : de quibus fuse agit Speculator, tit. *de Teste*. § *Restat*, n. 1 et seqq. universim viginti duo tales casus enumerans ; et Farinacius *de Testib.* quæst. 63. n. 239. et seqq. allegans alios.

247. *Testimonium unius, quantumvis legitimum, regulariter non probat, neque sufficit ad decisionem causarum.* — Quæritur II. Utrum probet, vel quid aliud operetur testimonium unius? Resp. I. Testimonium unius, quantumvis legitimum, contra alterum regulariter non probat, neque sufficit ad decisionem causarum. Ita Glossa fin. in c. *Licet universis*. 23. h. t.; Speculator, tit. *de Teste*. § *Restat*. n. 8. et seqq. ; Mascardus *de Probat.* quæst. 11 ; proœm. n. 2. et seqq. Farinacius cit. quæst. 63, n. 50. ac seqq. et alii. Conclusio hæc patet ex cit. c. *Licet universis*. h. t. ubi dicitur : « Nulla est tamen causa, quæ unius testimonio, quamvis legitimo, terminetur. » Ubi Glossa istud esse verum, inquit, « in præjudicium alterius : » quod merito additur ob casus infra n. 258. excipiendos. Concordat c. *Veniens*. 10. h. t. ibi : « Nec unius testimonium ad condemnationem sufficiat alicujus : » junctis concordantiis ibidem a Glossa finali citatis. Hinc can. *Admonere*. 33. q. 2 ; Stephanus Papa V. generaliter inquit : « Nec Evangelium, nec ulla divina, humanaque lex unius testimonio etiam idoneo

quempiam condemnat, vel justificat : » cum similibus.

248. *In quacumque dignitate is sit constitutus.* Vox unius, vox nullius. — Et hoc intellige de uno teste, in quacumque dignitate sit constitutus, can. *Si testes.* § *Jurisjurandi.* 4. q. 3. et l. *Jurisjurandi.* C. *de Testib.* ibi : « Manifeste sancimus, ut unius omnino testis responsio non audiatur, etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat. » Ubi proinde summarium refert illud vulgatum : « Vox unius, vox nullius. » Concordat c. *Cum a nobis.* 28. *de Testib.* ubi Papa « districtius inhibet, ne unius judicis, quantæcumque auctoritatis fuerit, verbo credatur in causis, sive super testamentis, sive quibuslibet aliis contractibus quæstio agitetur. Nec scriptum eorum (nisi testium adminiculo fulciatur) eam obtineat firmitatem, quin ei possint, et debeant, duorum vel trium testium bonorum testimonia prævalere : salva in omnibus Sedis apostolicæ auctoritate. » Hæc ibi.

249. *Idque procedit etiam de jure divino.* — Atque istud procedit non solum de jure humano, civili, et canonico, sed etiam de jure divino, juxta illud Salvatoris, *Matth.*, XVIII, 16 ; *Deut.*, XVII, 6. *In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum.* Quod esse intelligendum abnegative, seu exponendum pro ly, « non pauciorum, » paulo superius num. 238. jam dictum fuit, atque probatum ex illo *Deut.*, XVII, 6. *Nemo occidetur uno contra se dicente testimonium.* Sigism. Scaccia lib. II. *de Judiciis*, cap. IX. n. 381. et 392. et seqq. istud intelligens de causis, in quibus agitur de magno præjudicio ; Farinacius cit. quæst. 63. n. 2. et 3. allegans alios ; atque hoc amplians ad testem senatoria, aut præsidiali dignitate fulgentem, juxta c. *Licet ex quadam.* 47. h. t.; Abbas c. *Cum a nobis.* n. 1. h. t. asserens, quod excepto Papa (utpote quem solum textus ibidem excipit) nulli credatur in præjudicium alterius ; quantæcunque fuerit auctoritatis, etiam cardinalitiæ.

250. *Testimonium unius non caret omni effectu, quia inducit præsumptionem.* — Resp. II. Etsi testimonium unius faciat plenam fidem, neque solo sufficiat ad terminationem causarum, ut dictum ; nihilominus illud non caret omni prorsus effectu. Ita communis ; ac patet inductione. Sic quippe testis unus inducit præsumptionem. Glossa fin. c. *Licet universis.* h. t.; Speculator, tit. *de Teste.* § *Restat.* n. 11 ; Mascardus, *de Probat.* quæst. proœm. 11. n. 4. Farinacius d. quæst. 63. n. 50. allegans alios. Idque patet ex l. 1. fin. ff. « Quemadmodum testament. aperiant, » ubi dictum unius testis, sigillum suum negantis se agnoscere, reddit suspectas tabulas testamenti, licet eas non prorsus infringat.

251. *Et facit indicium sufficiens ad inquirendum, et citandum, et ad torturam.* — Deinde unius testis integri depositio facit indicium sufficiens ad inquirendum, et citandum, imo et ad torturam. Scaccia lib. I. *de Judic.* cap. LXXXIV. n. 7. post Romanum consil. 451. n. 4. et Vivianum in suis *Commun. opinion.* ℣. *Testis unicus.* Jul. Clarus in *Pract. crimin.* lib. V. § fin. quæst. 21. n. 2. allegans communem.

252. *Unus testis legitimus facit semiplenam probationem.* — *Tertio*, unus testis legitimus facit semiplenam probationem. Glossa in l. 3. ℣. *Decidi oportet.* c. *de Rebus creditis.* Jason in Repet. l. *Admonendi.* n. 178. ff. *de Jurejurand.* Mascardus cit. quæst. 11. n. 3. Quia si duo faciunt plenam probationem ; ergo unus semiplenam, prout argumentatur Glossa cit. loc. allegans diversa jura. Atque hinc ulterius fit, quod judex possit deferre juramentum suppletorium illi, pro quo stat semiplena probatio : saltem in defectum aliarum probationum, l. *Si duo.* § 1. ff. *de Jurejurand.* ac suo loco amplius dicetur.

253. *An in nullo prorsus casu sufficiat testimonium unius ad plenam probationem, seu terminationem causarum ? Ratio dubitandi et negativam tenendi, proponuntur.* — Quæritur III. Utrum in nullo prorsus casu sufficiat testimonium unius ad plenam probationem, seu terminationem causarum ? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, desumitur ex jam allegato dicto Salvatoris *Matth.*, XVIII, 16. *In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum :* quod esse intelligendum abnegative, hoc est, ut non sufficiat verbum pauciorum, jam supra dictum est. Accedit illud c. *Licet universis.* 23. h. t. ubi pontifex indistincte inquit, quod « nulla est causa, quæ unius testimonio (quamvis legitimo) terminetur, » cum similibus. Verum his non obstantibus,

254. *Dantur nonnulli tales casus.* — Resp. I. Dantur nonnulli casus, in quibus dictum unius testis plene probat, seu tantam fidem facit, quanta sufficit ad decisionem causarum. Ita Speculator, tit. *de Teste.* § *Restat.* n. 8. et seqq. triginta tales casus enumerans ; Card. Tuschus litt. T. concl. 281. addens plures alios casus ; Felinus c. *Veniens.* il. 1. n. 18. et seqq. h. t. Baldus c. Licet univer-

sis. n. 4. eod.; Mascardus cit. quæst. 11. procem. n. 12. et seqq.; Farinacius d. quæst. 63. n. 18. et seqq. citans complures alios. Concordant dicta superius tit. præced. § 3. n. 61. et seqq. ubi plures enumerantur casus, in quibus terminandis non requiritur plena, et necessario concludens probatio, sed sufficit semiplena, vel alia ex indiciis, atque conjecturis deprompta admittitur : unde consequens est, quod in ipsis etiam sufficiat testimonium unius fide digni testis, cum istud cæteroquin faciat semiplenam probationem.

255. *Solvuntur rationes dubitandi.* — Non obstant rationes dubitandi proxime adductæ. Nam dictum Salvatoris : *In ore duorum*, etc. sicut et c. *Licet universis*. h. t. utpote fundans se in relata auctoritate divina, loquitur de causis arduis et gravibus, in quibus agitur de magno præjudicio : puta, in criminalibus, ubi agitur de inferenda morte, juxta illud jam allegatum *Deuter.*, XVII, 6. *Nemo occidatur uno contra se dicente testimonium* : et in causis civilibus arduis, magnique præjudicii, eo quod hæ æquiparentur criminalibus, juxta dicta superius § 3. n. 82. prout respondet Glossa fin. in cit. c. *Licet universis*. h. t. ad verissimam esse solutionem, inquit. Sigism. Scaccia lib. II. *de Judic.* c. 9. n. 392. Secus ergo dicendum de aliis causis, in quibus vel de nullo, vel saltem non de gravi præjudicio alterius agitur.

256. *Papa non potest tollere jus divinum, bene tamen interpretari. Atque ex certis causis statuere, ut credatur uni testi.* — Accedit, quod etsi summus pontifex non possit tollere jus divinum, neque in eo dispensare; imo teneatur illud usque ad animam, et sanguinem confirmare, can. *Sunt quidam*. 25. q. 1. Nihilominus potest is jus divinum interpretari, atque ex certis et urgentibus causis et interpretando limitare; prout amplius dictum est, lib. I. tit. II. *De Constitutionibus*. § 18. n. 455. et seqq. Ergo etiam Papa potest ex certis causis, et pro aliquibus controversiis definiendis statuere, ut credatur uni testi, eique plena fides adhibeatur, sufficiens ad decisionem causarum : ut puta, in rebus nullius, aut modici præjudicii, vel quando agitur de impediendo peccato, et hujusmodi. Abbas c. *Nuper nobis*. n. 1. et Felinus ibid. n. 3. h. t.; Farinacius cit. quæst. 63. n. 11. et 12. et Scaccia d. lib. II. quæst. 9. n. 380. allegans alios, atque hanc appellans communem, et veriorem opinionem.

257. *An hoc ipsum possint statuere alii principes superiorem non recognoscentes? Et quid de consuetudine particulari locorum?* — Et hoc ipsum præcitati auctores extendunt ad alios principes superiorem non recognoscentes. Licet enim isti generaliter et pro omnibus causis, etiam arduis, magnique præjudicii statuere non possint, ut unico testi plene credatur (obstat enim jus naturale, ac divinum jam relatum) possunt tamen in aliquibus negotiis, atque ex certis causis statuere, ut unico testi cæteroquin idoneo, ac jurato, vel in magna dignitate constituto, plena fides in judiciis adhibeatur. Atque istud confirmatur ex can. *Quicumque*. et can. *Omnes itaque*. 11. q. 1. ubi Theodosius imperator decrevit : « ut testimonium, ab uno licet episcopo perhibitum, omnes judices indubitanter accipiant, etc. Et quod hic dictum est de principe, extenditur etiam ad civitates superiorem non recognoscentes, harumque statuta; sicut et ad particulares consuetudines locorum. Farinacius, ubi supra, citans alios.

258. *Uni testi plene creditur, quando non agitur de alterius præjudicio.* — Resp. II. Inter casus, in quibus uni testi, cæteroquin legitimo, ac jurato plene creditur, potissimum numerantur sequentes. Primo, uni testi plene creditur, quando non agitur de alterius præjudicio. Ita Glossa in c. *Nuper*. ỳ. *Nisi juratus*. h. t.; Felinus c. *Veniens*. il. 1. n. 18. eod.; Abbas in c. *Proposuisti. de Consecr. Ecclesiæ.*; Jason l. *Legatum est ita*. n. 20. ff. *de Legatis*. I. et alii.

259. *Puta, quod aliquis sit baptizatus, ordinatus, Ecclesia consecrata.* — Sic per unum testem plene probatur, quod aliquis sit baptizatus, can. *Parvulos*. et can. *Cum itaque. de Consecr.* dist. 4. Similiter per unum testem probatur, quod aliquis sit ordinatus, vel quod Ecclesia sit consecrata ; ac similiter sacerdotium, vel doctoratus potest probari per unum testem juratum, qui interfuit : siquidem in istis casibus depositio testis nemini præjudicare solet, bene tamen prodesse illi, pro quo fit. Glossa fin. in c. *Nuper*. h. t. id amplians ad casum, quo quis vult probare, se egisse pœnitentiam, per confessarium suum. Speculator tit. *de Teste*. § *Restat*. n. 8. Baldus c. *Licet universis*. n. 4. h. t.; Mascardus cit. quæst. 11. n. 14. et alibi ; Jason cit. l. *Legatum est ita*. n. 20. ff. *de Legat*. I ; Farinacius cit. quæst. 63. n. 26. et alii.

260. *Dummodo probatio, v. g. clericatus nemini præjudicet : alias secus.* — Aditur notanter, « nemini præjudicare solet, » etc.

Nam, quando probatio v. g. clericatus afferret alteri præjudicium, ut puta, si agitur lis inter duos super beneficio uni eorum collato, cujus collationem alter prætendit nullam, veluti factam in non clericum; tunc probatio illa clericatus debet legitime fieri, vel per duos testes, vel per scriptum instrumentum recepti clericatus : ut c. *Tuæ de Cleric. peregrin.* ac recte notat Farinacius loc. cit. n. 27. et 28. allegáns alios.

261. *Testis unus sufficienter probat, quod moriturus dederit signa pœnitentiæ, sicque possit absolvi.* — Similiter ob eamdem rationem seu quia non agitur de alicujus præjudicio : probat sufficienter testis unus, quando quis moriturus dedit signa pœnitentiæ, seu petiit confessarium, de quo saltem unus testatur : quia ille potest absolvi, etiamsi lapsus in phrenesim, vel jam agonizans, superveniente confessario nullum amplius signum dare possit, can. *Qui recedunt.* et can. *Is qui pœnitentiam.* 26. quæst. 6; Speculator cit. tit. *de Teste* § *Restat.* n. 8. Card. Tuschus litt. T. concl. 281. n. 14; Diana part. III, tract. III, resolut. 5, et alii; atque jam dixi in *Theologia morali*, tract. XIV. dist. 7. n. 67.

262. *Sufficit etiam testis unicus, quando agitur de impediendo peccato.* — Deinde, ubicunque agitur de impediendo peccato, et simul nondum fuit jus aliquod alteri quæsitum, sufficit testis unicus, utpote ad cujus depositionem oritur dubium, an actus ille liceat : in dubio autem non est licitum operari. Idipsum desumitur ex c. *Super eo.* 22. h. t. ubi ad dictum solius matris de impedimento deponentis, impeditur matrimonium a filio contrahendum, sed contractum non dissolvitur; estque jam dictum supra § 5. n. 146; Abbas in cit. c. *Super eo.* n. 7. et Vivianus ibid. § *Quæ præsumptio.* h. t.; Jason in repetit. l. *Admonendi.* n. 197. ff. *de Jurejurand.*; Farinacius *de Testib.* quæst. 63. n. 48; Sanchez, lib. I. *de Matrim.* disp. 71. n. 1. loquens de impedimento matrimoniali, et asserens, nullum in hoc discrepare; atque n. 2. et seqq. istud amplians ad testem non citatum, ad testem criminosum, atque ad testem qui non vult publice, seu in partis præsentia testificari, sed duntaxat secreto, et absque sui nominis publicatione, arg. c. *Præterea.* 12. *de Sponsalib.* Quod intellige cum Gobat tract. IX. *Theolog. experiment.* n. 66. et aliis, quamdiu non probatur contrarium : prout fieri posse constat ex cit. c. *Præterea.* juncta Glossa fin.

263. *Ac in denuntiatione inhabilitatis ad ordines, vel beneficium obtinendum. Secus, si beneficium cuipiam jam fuisset collatum.* — Hoc ipsum tradit Layman lib. III. *Theolog. moral.* sect. 5, tract. VI, cap. IV, n. 6. et Pirhing h. t. n. 112. de denuntiatione inhabilitatis ad suscipiendos ordines, vel obtinendum beneficium ecclesiasticum : quia sufficit unus testis juratus, cum agatur de impediendo peccato alterius, et jus parti necdum fuerit acquisitum; quamvis (inquit Pirhing loc. cit.) nonnulli contradicant. Quod si autem beneficium cuipiam jam fuisset collatum, certum est, non sufficere testem unicum ad inducendam illius inhabilitatis probationem; sed requiri plenam probationem per duos saltem testes, arg. c. *Super his.* 16. *de Accusation.* cum similibus.

264. *Creditur dicto unius de consensu partium.* — *Tertio* plene creditur dicto unius, de consensu partium. Siquidem, ubi consensus partium intervenerit, potest etiam fieri, ut soli dicto alterius partis, seu adversarii sui credatur, l. ult. c. *de Fideicommiss.* et l. ult. c. *de Sentent. pass.* ergo pariter, et quidem a fortiori, possunt partes convenire, et facere ut credatur uni testi cæteroquin indifferenti. Speculator loc. cit. n. 11; Farinacius cit. quæst. 63. n. 18. et seqq. allegans communem aliorum; idque intelligens, quando partes non solum consentiunt in personam testis, sed etiam in dictum ejus super certo negotio.

265. *Aut quando testator ita præcepit.* — *Quarto*, statur dicto unius testis, quando testator ita præcepit. Potest enim testator in sua ultima voluntate mandare, ut in materia hæreditatis stetur assertioni unius certæ personæ; et tunc creditur ipsi propter auctoritatem testatoris, utpote cujus solius dispositioni staretur, l. *Theopompus.* ff. *de Dote prælegat.*; Glossa fin. c. *Veniens.* il. 1. et Felinus ibid. n. 18. h. t.; Speculator cit. § *Restat.* n. 8; Jason in repetit. l. *Admonendi* n. 200. ff. *de Jurejurand.* Mascardus cit. quæst. 11, proœm. n. 13; Farinacius, ubi supra, n. 39. cum aliis. Qui tamen addunt, tunc requiri citationem partis adversæ, ac prævium testis illius juramentum, quod testator ita sibi impetraverit.

266. *Sufficit dictum unius testis ad probandam innocentiam inquisiti, denuntiati, vel accusati. Idque exemplificatur, et limitatur.* — *Quinto*, sufficit dictum unius testis ad probandam innocentiam inquisiti, denuntiati,

vel accusati. Mascardus *de Probat.* concl. 491, n. 17. et 18. et concl. 906. n. 10; Farinacius d. quæst. 63, n. 42. et 43. aliique plures ab his citati. Hinc si Titius accusetur, quod occiderit Caium, ille vero probet, quod occiderit provocatus, et ad suam necessariam defensionem; vel quod Caius non ex vulnere, sed ob malum regimen obierit : tunc ad probandam Titii innocentiam sufficit testis unicus, cæteroquin tamen idoneus, saltem ad hoc, ut non possit condemnari. Secus tamen dicendum, quando per duos legitimos testes probatum fuit, quod Titius occiderit Caium, et Titius econverso per unum testem probare conetur, quod non occiderit : quia tunc ambæ probationes non sunt compatibiles (quales tamen sunt in priori casu) sed inter se directe contrariæ : ac proinde probatio accusatoris, veluti plenior, præfertur probationi ipsius rei. Farinacius cit. n. 43. allegans alios, et concordant dicta tit. præced. § 4. n. 74. et 76.

267. *Idem dicendum in causis, in quibus nullo modo, difficulter plures testes haberi possunt. Sic creditur dicto interpretis.* — *Sexto*, sufficit dictum unius testis in probatione causarum, in quibus vel nullo modo, vel saltem difficulter haberi possunt plures testes, arg. l. 1. § fin. ff. *de Verb. obligat.* Ubi creditur dicto interpretis, linguam ignotam alteri explicantis : quamquam Glossa marginalis ibid. dubitet, an interpres possit dici testis, ac velit, eum potius esse dicendum expositorem, quam testem. Mascardus quæst. 11. proœm. n. 17. Farinacius cit. quæst. 63. n. 38. allegans alios. Concordat Card. Tuschus, litt. T. concl. 281. n. 50. hoc ipsum docens in antiquis, in quibus fama, et semiplena probatio sufficit : quia pariter (inquit ipse post Decianum, consil. 17. n. 11. et seqq. lib. 3.) admittitur unus testis.

268. *Et quando agitur de indiciis, seu declaratione mentis disponentis. Testis unus attestans in individuo de mente alterius, facit indicium.* — Idem dicendum, quando agitur de indiciis, seu declaratione voluntatis, et mentis disponentis, quæ per indicia et conjecturas satis apparet, l. *Hæredes palam.* § *Sed si notam.* ff. *de Testament.* et l. *Cum proponeretur.* ff. *de Legat.* I. Quia testis attestans in individuo, et directe de mente alterius, facit indicium et conjecturam. Alexander consil. 75. n. 14. vol. 5. Et sic in dato casu etiam probat Card. Tuschus cit. concl. 281. n. 71. et 72. illico post Gabriellum consil. 51. n. 8. lib. II. subjungens, quod ubi agitur de iis, quæ non sunt facti, sed animi et intentionis, unus testis sufficiat.

269. *Testis unus probat concurrente simul fama, arbitrio tamen judicis.* — *Septimo*, probat unus testis concurrente simul fama, arg. cap. I. *de Appellation.* ac notat Abbas in c. *Cum causam.* n. 2. *de Probat.;* Speculator tit. *de Teste.* § *Restat.* n. 11 ; Card. Tuschus litt. T. concl. 281. n. 32. Quod tamen intelligendum est accedente simul arbitrio judicis, juxta dicenda inferius § 12. n. 401. et 404. ac seqq.

270. *Vel quando accedit juramentum suppletorium personæ principalis. Aut concurrunt alia adminicula.* — Similiter testis unus probat, quando accedit juramentum suppletorium personæ principalis, l. *In bonæ.* C. *de Rebus credit.* et c. *Sicut de Probat.;* Speculator ibid. n. 8; Card. Tuschus cit. concl. 28. n. 10. Et quoties cum uno teste concurrunt aliæ præsumptiones, seu adminicula : quia tunc, si testis ille cæteroquin sit major omni exceptione, in causis civilibus (secus in criminalibus) videtur induci plena probatio. Farinacius d. quæst. 63. n. 25. allegans alios; et concordant dicta superius tit. præced. § 4. n. 98. 99. et seqq. ubi ostensum, atque declaratum fuit, qualiter ex duabus semiplenis probationibus fiat una plena.

271. *Officialis jurati dicto creditur in his, quæ pertinent ad suum officium.* — *Octavo*, creditur dicto officialis jurati, in his quæ pertinent ad suum officium. Idque fit tum ratione publici officii, quod gerit : tum ratione juramenti, cum juratus sit officium suum fideliter exequi; ac proinde hoc præstare præsumatur; nisi contrarium probetur, per textum in c. *Illud quoque.* 11. juncta Glossa fin. *de Præsumpt.* et c. *Ad audientiam.* 13. *de Præscription.* et alibi.

272. *Sic statur dicto nuntii publici.* — Sic statur dicto nuntii publici jurati in iis, quæ concernunt suum officium. Mascardus *de Probat.* concl. 1121. n. 1. et 4. Puta dicentis, quod aliquem citaverit, Glossa c. *Cum parati.* ℣. *Suus nuntius, de Appellat.;* Jason l. *Ne is*, n. 10. ff. *de Acquirend. hæredit.;* Mascardus, loc. cit. n. 14. et seqq. rationem hujus reddens : quia nuntius publicus juravit officium suum exercere legaliter; et sic ipsi creditur, donec probetur contrarium, dummodo aliunde non sit suspectus. Sed de hoc plura superius, tit. III. *De Libelli oblation.* § 2. n. 52. et seqq.

273. *Item ponderatori publico circa mensurationem, seu ponderationem.* — Insuper creditur ponderatori publico circa mensurationem, seu ponderationem justam rerum ad se delatarum, quando is ab aliqua civitate constitutus est ad ponderandum, seu mensurandum, l. II. *de Ponderation.* lib. X. ubi ad ejus dictum lites extortæ dirimuntur.

274. *Sicut et medico, architecto, agrimensori, et similibus.* — Et idem dicendum in medico, architecto, agrimensore, et similibus : nam etiam uni horum (si unum solum civitas habeat) jurato deponenti credendum esse, decisum legitur in Auth. *De non alienandis*, etc. § *Quod autem.* collat. 2; Baldus c. *Licet universis*, n. 4, h. t.; Felinus c. *Veniens.* il. 1. n. 20. eod.; Farinacius d. quæst. 63, n. 40. allegans alios.

275. *Statur notarii publici testimonio de gestis a seipso. Instrumenta publica, in quibus notarius attestatur de rebus a se visis, vel coram se gestis, faciunt probationem probatam.*— *Nono* statur notarii publici testimonio, licet singulari, de gestis a seipso : ut si attestetur, aliquid a se scriptum. Menochius de *Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 92. n. 3; Mascardus *de Probat.* concl. 1101. n. 1. cum aliis. Adeo, ut instrumenta publica, quæ magna illa præsumptione notarii publici, attestantis de rebus a se visis, vel coram se gestis juvantur, vera credantur, et probationem probatam faciant. Bartolus in l. I. in princip. n. 8. et Jason ibid. n. 10. ff. *de Novi oper. nuntiat.* Menochius *de Recuperand. possess. remed.* 1. n. 224; Mascardus loc. cit. n. 2. Idque desumitur ex c. *Ad audientiam.* 13. *de Præscription.* ibi : « Nec credendum sit, ipsum scriniarium, cum juratus sit suum officium fideliter exequi, aliud scripsisse, quam a testibus diceretur. » Intellige, nisi aliunde probetur contrarium, seu ejusmodi instrumentum impugnetur, conformiter dicendis infra tit. XXII. *De fide instrumentorum.* § 10. n. 287.

276. *Quid si testis asserat, se non ita dixisse, sicut notarius scripsit?* — Quinimo Abbas ex allegato textu in cit. c. *Ad audientiam.* n. 7. *de Præscription.* post Speculatorem, tit. *de Instrumentorum editione.* § *Restat*, vers. *Quod si dum attestationes.* n. 10. et seqq. concludit, quod si testis publicatione dicti sui facta asserat se non ita dixisse, sicut notarius scripsit : nihilominus notario plus credatur in causis civilibus, per textum cit. c. *Ad audientiam.* Intellige, nisi forsan notarius aliunde foret suspectus; aut falsitas scripturæ suæ per alios testes qui simul aderant, et audierant deponentem, probari posset.

277. *Testis unus sufficit in probanda verisimili causa ignorantiæ. Ignorantia, qualiter probetur?* — *Decimo*, sufficit unus testis in probanda verisimili causa ignorantiæ. Quia enim ignorantia in dubio præsumitur; ideo testis unicus, de causa dictæ ignorantiæ deponens, plene probabit. Speculator tit. *de Teste.* § *Restat de numero.* n. 8; Farinacius loc. cit. n. 40. Quinimo in tali casu statur soli juramento illius, qui allegat ignorantiam; puta, quod ignoraverit v. g. illum esse clericum quem percussit, c. *Si vero aliquis.* 4. juncta Glossa ɏ. *Ignoraverit. de Sentent. excommunicat.*; Card. Tuschus d. litt. T. concl. 281. n. 7. Aut, quod ignoraverit, citationem edictalem contra se fuisse factam. Glossa c. *Ex litteris.* ɏ. *Ad plenum. De in integrum restitut.* estque jam dictum supra tit. XIV. *De dolo et contumacia.* § 2. n. 60.

278. *Testimonio solius Papæ creditur, quando deponit de facto proprio.* — *Undecimo*, plene creditur assertioni, ac testimonio solius Papæ, quando deponit de facto proprio. Estque illud speciale in summo pontifice, ob supremam ejus auctoritatem, c. *Cum a nobis.* 28. h. t. ubi Abbas, et Barbosa n. 4. post Romanum, singul. 116. qui istud extendit etiam ad ea, quæ vidit Papa ante Papatum, et alios. Concordat Clem. un. *de Probation.* estque jam dictum supra tit. XIX. *de Probationibus.* § 4. n. 104. ac seqq.

279. *Idem dicendum de imperatore, et rege. Cardinali asserenti, se esse legatum Papæ, creditur.* — Hoc ipsum esse dicendum de imperatore, et rege, alioque principe superiorem non recognoscente : censet Mascardus *de Probat.* concl. 139. n. 10. et 35. et concl. 1227. Farinacius d. quæst. 63. n. 28. Barbosa cit. n. 4. cum aliis, quos allegant. Insuper creditur cardinali, asserenti se esse legatum Sedis apostolicæ, etiam non exhibitis litteris suæ commissionis, seu legationis, arg. can. *Nobilissimus.* dist. 97. estque jam dictum l. I. tit. XXX. *de Officio legati.* 27. ac fuse declarat. Farinacius cit. quæst. 63. n. 55. et seqq.

280. *Sufficit testis unicus in causis levioribus.* — *Duodecimo*, sufficere testem unicum, cæteroquin idoneum, in causis levioribus, in quibus solum de modico præjudicio tertii agitur; sicut et in causis summariis, quæ de plano, ac sola veritate inspecta expediuntur : tenet Mascardus cit. quæst. 11. prooemial. n. 18. Farinacius d. quæst. 63. n. 20; Pir-

hing h. t. n. 112. et alii : estque uberius dictum supra tit. præc. § 3. n. 64. et 65. ubi a n. 61. usque ad n. 68. nonnulla alia huc applicabilia continentur.

281. *Sicut et ad leviores pœnas delinquentibus imponendas; idque exemplificatur.* — Similiter ad leviores pœnas delinquentibus imponendas sufficit, quandoque unicus testis de commisso excessu : unde ex testimonio publici custodis mulctari solent furantes ligna ex sylva communi. Sic etiam in religionibus leves pœnitentiæ imponi solent ex unius testimonio : quia in ipsis ita expedit facere pro bono communi, seu conservanda disciplina regulari ; ut ait Lugo *de Justit. et Jur.* disp. 39. n. 17. Tacentur cæteri casus, apud auctores hactenus citatos videndi : nam illi vel commode reducuntur ad unum præmissorum, vel sunt minoris considerationis.

§ IX.

DE TESTIBUS SINGULARIBUS, EORUMQUE PROBATIONE.

282. *Testes alii vocantur testes contestes; alii testes singulares.* — Quæritur I. Quid, et quotuplicis generis sint testes singulares? Resp. I. Testes singulares contradistinguuntur a testibus contestibus, atque istis directe opponuntur : generatim enim loquendo, alii vocantur testes contestes; alii vocantur testes singulares.

283. *Et qui sint?* — Testes contestes dicuntur, qui unum et idem factum testantur, v. g. se vidisse, quod Titius occiderit Caium tali loco, et tempore. Testes singulares econtra sunt, qui testantur super diversis factis, ita quod quilibet est singularis in dicto suo, et non concordet cum alio.

284. *Singularitas testium potest induci secundum omnia decem prædicamenta.* — Porro hujusmodi diversitas, ac testium singularitas, potest induci multipliciter, et secundum omnia decem prædicamenta : ut in prædicamento substantiæ, si unus testium deponat, Titium furto abstulisse equum, alter asserat, eum abstulisse vaccam, aut hujusmodi. Ita prædicamento quantitatis, quando unus deponit de centum, alter de quinque. In prædicamento qualitatis, quando unus testificatur actum pure factum, alter sub conditione; vel equum alteri venditum extitisse sanum, alio dicente, ipsum fuisse claudum, etc. In prædicamento ubi, et quando, si unus dicat, furtum commissum esse tali die, vel loco ; alter testetur, furtum esse factum alio tempore, vel loco, aut hujusmodi : et sic loquendo de cæteris prædicamentis.

285 et 286. *Ea est triplex ; nempe singularitas obstativa, seu adversativa, quid?* — Resp. II. Singularitas testium est triplex, videlicet obstativa, adminiculativa, et diversificativa. Ita Baldus in c. *Licet causam.* n. 11. *de Probation.*; Piringh. h. t. n. 142; Farinacius *de Testib.* quæst. 64. n. 4. allegans alios; idque probatur explicando terminos. Siquidem.

Singularitas obstativa, seu (ut alii loquuntur) adversativa dicitur ea, quæ continet contrarietatem testium de eodem actu deponentium, seu repugnantiam in eorum dictis. Sic accidit, quando unus dicit, furtum v. g. vel homicidium, factum esse in tali loco, vel tali tempore; alter vero inquit, illud commissum esse in alio loco, vel alio tempore: repugnat enim, quod idem numero delictum acciderit diverso tempore, vel diversis in locis. Et talis singularitas obstativa, seu adversativa, reperiebatur in testimonio illorum duorum impudicorum senum, *Daniel.* XIII, 1 et seqq. quorum unus testabatur, castam Susannam commisisse adulterium sub schino, alter sub prino : quos proinde Daniel falsitatis convicerat, eo quod idem numero adulterium sub distinctis locis, seu arboribus, fieri nequiverit.

287 et 288. *Singularitas adminiculativa ; et singularitas diversificativa, quid?* — Singularitas adminiculativa vocatur, quando testes deponunt de actibus diversis mutuo tamen sese adjuvantibus ad probandum id, de quo controvertitur. Ut si unus testis deponat, se vidisse, quod Titius abstulerit equum, alter vero deponat, se audivisse Titium confitentem, quod abstulerit illum equum. Atque hoc ipsum generaliter contingit, quoties ad eumdem actum, vel finem probandum, tendunt diversæ testium depositiones, dum unus deponit de facto a se viso, alter de fama, vel auditu, seu confessione illius facti : item dum unus testificatur de una confessione, alter de alia confessione ejusdem facti : item, quando in ordine ad probandam v. g. possessionem fundi, unus testis inquit, se vidisse eum arari a Caio, alius vero dicit, se vidisse messem ex eo collectam a Caio, etc. In hisce enim, ac aliis hujusmodi casibus, datur quidem singularitas testium, quantum ad actus illos, de quibus deponunt (hi enim sunt diversi,

cum aliud sit videre, aliud audire, arare, messem colligere, etc.), quia tamen iidem tendunt ad probandum eamdem finem, sicque dictum unius testis coadjuvat dictum alterius; hinc singularitas ista vocatur adminiculativa, seu (ut alii loquuntur) cumulativa.

Singularitas diversificativa tandem dicitur ea, quando testes deponunt de actibus diversis, quorum unus neque repugnat alteri, neque ipsius probationem coadjuvat: ut si unus testis dicat, quod Caius mutuaverit Titio centum in tali loco, talique die; alter vero, quod mutuaverit eidem quinquaginta in alio loco, alioque tempore: quia non repugnat, quod Caius bina vice mutuaverit Titio, sicque una depositio non adjuvat alteram in probando, neque idem repugnat, sed quælibet manet singularis in substantia objecti, atque effectus. Aliud exemplum est, si unus dicat, Caium commisisse furtum monachi; alius vero asserat, quod commiserit furtum Augustæ: nam etiam hic, ob diversitatem loci, necessario consurgit diversitas actuum; sicque quilibet testis manet in suo dicto singularis singularitate diversificativa. Et idem dicendum de innumeris similibus.

289. *Regula est, quod testes singulares non probent.* Testes singulares tantum probant mille, quantum unus. — Quæritur II. Utrum testes singulares aliquid probent? Resp. I. Regula est, quod testes singulares non probent, neque ad faciendam probationem conjungantur. Ita communis, et excepta doctorum opinio; prout relatis pluribus quis attestatur Farinacius cit. quæst. 64. n. 33. Adeo ut Baldus in l. *Jurisjurandi.* n. 4. C. h. t.; Jason in repetit. l. *Admonendi*, n. 256. ff. *de Jurejurand.*; Sigism. Scaccia lib. II. *de Judiciis.* cap. IX. n. 373; Farinacius n. 37. et alii ab his relati asserant, « quod testes singulares tantum probant mille, quantum unus. » Quia videlicet hoc ipso, quod sint singulares, quilibet in suo dicto manet unus, et solus: atqui testis unus non probat; quia « vox unius, vox nullius, » ut jam supra dictum est.

290. *Idipsum ostenditur ex jure.* — Idipsum clare desumitur ex diversis textibus juris. Sic quippe in c. *Licet causam.* 9. § *Quamquam, de Probation.* rejicitur testimonium illorum, qui « in dicto sui testimonii singulares » extiterunt. Similiter, in c. *Cum dilectus.* 32. *de Election.* haud obstante, quod post actum electionis cujuspiam ferme omnes canonici publice professi fuerint, quod nullatenus archidiaconum (de quo ibidem est sermo) nominassent; nihilominus contra hoc (seu, quod in sua privata electione archidiaconum non nominarint), « censetur eorum probatio insufficiens, eo quod singuli essent in suis testimoniis singulares: » quia nimirum quilibet ipsorum non nisi de se testari potuit, prout notat Glossa ibid. ℣. *Probatio.* Concordat alius textus in c. *Bonæ memoriæ.* 23. § *Contra*, eod. ubi de nonnullis asserentibus, se ad electionem non fuisse citatos, pontifex loquitur, dictamque eorum assertionem reprobat, illis verbis: « Cum et si quilibet de se posset asserere, quod ad eum citatio minime pervenisset, singuli tamen vestrum essent in suo testimonio singulares: » juncta Glossa ibid. ℣. *Singulares.*

291. *Regula hæc vel maxime procedit in testibus singularibus singularitate obstativa, seu adversativa.* — Resp. II. Regula proxime data, seu quod testes singulares non probent, vel maxime procedit in testibus singularibus singularitate obstativa, seu adversativa: hi enim, propter repugnantiam, et contrarietatem inter eos existentem, quæ falsitatem arguit, nihil omnino probant: adeo, quod nec semiplenam probationem inducant. Ita Baldus cit. c. *Licet causam.* n. 11. *de Probation.* inter alia dicens, quod ubi propter singularitatem vacillat depositio, ibi singularitas omnino vitiat. Alexander consil. 94. n. 1 et 4. lib. VI. loquens de singularitate obstativa ratione loci., atque istud inter alia probans ex c. *In nostræ.* 32. h. t. et exemplo duorum senum *Daniel.* XIII. castam Susannam de adulterio accusantium; Mascardus *de Probat.* concl. 958. n. 20; Farinacius, d. quæst. 64. n. 41. 44 et seqq. et alii copiose ab his citati.

292. *Nequit istis deferri juramentum in supplementum.* — Infertur proinde, quod testibus singularibus singularitate obstativa non possit deferri juramentum in supplementum: quia, ut dictum, non probant semiplene, sed potius unus enervat, atque suspectum reddit dictum alterius sua contrarietate, seu repugnantia. Mascardus cit. n. 20; Farinacius n. 50, cum plurimis alii.

293. *Melius est habere unum testem, quam plures singulares singularitate obstativa.* — Infertur ulterius, quod melius sit, habere pro se unum testem, quam plures testes singulares singularitate obstativa. Siquidem unus testis, cæteroquin idoneus, probat semiplene:

non sic plures illi testes sæculares, etiamsi mille forent. Jason. in repetit. l. *Admonendi.* n. 156. ff. *de Jurejur.*; Farinacius loc. cit. n. 39. post. Cœpolam, caut. 152; Baldum l. *Jurisjurandi.* c. *de Testib.* et alios. Verum de testibus contrariis plura inferius § 10. per totum.

294. *Testes singulares singularitate diversificativa, plene non probant.* — Resp. III. Testes singulares singularitate diversificativa plene quidem non probant: quamvis singuli eorum probent tantum, quantum unus; adeoque ex eorum depositione bene oriatur semiplena probatio, dummodo inter ipsos adsit unus testis omni exceptione major. Ita Farinacius cit. quæst. 64. n. 42 et 47. post Caccialupum in l. *Admonendi.* n. 91. et 92. et 93. ff. *de Jurejurand.* attestantem de communi doctorum opinione, et alios. Prior pars desumitur ex juribus n. 290. allegatis. Accedit ratio: quia hoc ipso, quod testes illi sint singulares singularitate diversificativa, nullus eorum in sua depositione habet contestem, quilibet enim ipsorum deponit de eo, quod ipse solus scit, et alius non scit, cum deponat de actibus diversis; et consequenter inde non consurgit plena probatio.

295. *Quamvis singuli eorum probent tantum, quantum unus. Sicque ex eorum depositione oritur semiplena probatio.* — Atera pars ex eo suadetur. Quia hoc ipso, quod inter actos illos, et factam super eisdem depositionem testium, nulla reperiatur contrarietas, vel repugnantia; non subest ratio, cur depositio u ius testis, de certo actu, deponentis, enervetur, seu debilitetur per depositionem alterius testis super alio actu testificantis. Manet igitur quælibet depositione in valore illo, quem habet depositio unius testis cæteroquin legitimi, et omni exceptione majoris; sicque probat semiplene, juxta dicta. § præc. n. 152.

296. *Quidquid nonnulli contradicant.* — Nec obstat, quod nonulli doctores, quos citat Farinacius, ubi supra, n. 43 et 48. et sequitur Mascardus cit. concl. 958. n. 20. sentire videantur, quod ex singularitate diversificativa testium nec semiplena probatio oriatur. Nam vel horum sententia est relinquenda; vel benigne interpretanda de testibus cæteroquin non omni exceptione majoribus, aut ita inter se diversis, ut quamdam contrarietatis imaginem præ se ferant: quod tamen judicis arbitrio est relinquendum, ut monent auctores proxime citati.

297. *Testes singulares singularitate adminiculativa probant in causis civilibus idem factum genericum, seu successivum.* — Quæritur III. An testes singulares singularitate adminiculativa, probent in causis civilibus? Resp. I. Loquendo de facto suapte natura successivo, continuo vel generico, tunc in civilibus ad ejus probationem sufficiunt testes singulares singularitate adminiculativa; hoc est, tales testes, qui licet deponant de diversis actibus, tamen actus illi mutuo sese adjuvant ad probandum idem factum genericum, continuum, seu successivum. Ita Glossa can. *Nihilominus.* 3. q. 9. et Glossa fin. l. *Ob carmen.* ff. *de Testib.* quarum verba n. 299 et 300. afferentur. Felinus c. *Licet ex quadam.* n. 2. vers. *Secundo limita.* et Baldus ibid. n. 9. h. t.; Card. Tuschus litt. T. concl. 265. plures tales casus referens. Arnold. Albertinus in repetit. c. *Quoniam.* n. 48. *de Hæretic.*; Mascardus *de Probat.* concl. 1205. n. 24 et seqq.; Farinacius cit. quæst. 64. n. 112. et 150. et 160. et 164. allegans plurimos alios, etiam attestantes de communi; etsi n. 151. et 165. multos etiam alleget in contrarium. Zœsius h. t. n. 38. hanc sententiam appellans communem; Gailus lib. II. *Practic.* observat. 66. n. 11; Layman lib. III. *Theolog. moral.* sect. 5. tract. VI. cap. IV. n. 5. § *Interim.*; Pirhing h. t. n. 144. ac novissime Card. de Luca tract. *de Dote.* discurs. 144. n. 9. asserens, quod hæc sit « propositio in foro satis vulgaris.

298. *Et hujus ratio.* — Accedit ratio, quia, ubi testes interrogantur de aliquo facto generico, vel successivo, seu toto integrali, etsi deponant circa diversos actus, sive partes ipsius; nihilominus deponunt super eodem facto successivo, aut generico, vel toto integrali; ergo quoad rem, et substantiam quæstionis, non censentur esse testes singulares, sed potius contestes, per textum notabilem l. *Qui sententiam.* c. *de Pœnis*: ibi: « Per testes in unum conspirantes, concordantesque rei finem convictus sit. » Et quamvis adhuc possent dici testes singulares, eo quod deponant de alio, et alio actu specifico: nihilominus, quod testes etiam singulares conjungantur ad plene probandum, quando tendunt ad eumdem finem, licet per diversa media; desumitur ex cap. ult. *de Successsion. ab intestat.* ac notat Abbas ibid. n. 17; Alexander, consil. 76. n. 4. et 5. lib. VI; Mascardus *de Probat.* concl. 379. n. 14. allegans alios: et concordant dicta superius tit. præc.

§ 1. n. 99 et 100. ubi ostensum, quod ex pluribus probationibus imperfectis constituatur una perfecta, juxta prudens arbitrium judicis.

299. *Idem declaratur exemplis. Possessio, jurisdictio, et similia, possunt probari per testes singulares singularitate adminiculativa.* — Declaratur eadem conclusio exemplis. Sic loquendo imprimis de probatione actus continui et successivi, tunc testes vel in tempore, vel in loco discordes non censentur singulares, sed probant. Ita Glossa notabilis can. *Nihilominus*. 3. q. 9. ubi distinguendo inter actus momentaneos, v. g. homicidium alicujus, quod non nisi semel committitur, et inter actus successivos; ultro quidem concedit, quod diversitas in loco, aut tempore, circa actus momentaneos contingens, tollat fidem testibus, et in eisdem inducat singularitatem : secus tamen esse dicendum de actibus successivis, notat sequentibus verbis : « Si tamen aliquem actum continuum viderent aliqui, licet diversis horis, videtur, quod testimonium teneret : ut si successive in uno foramine viderunt aliquos fornicari; vel si aliqui volunt testari, quod aliquis excommunicatus celebravit, et unus audivit finem missæ, alter principium, hoc casu concedo eos bene testari de una re propter continuationem actus, sicut propter continuationem possessionis una dicitur præscriptio, licet sit facta a diversis personis. » 16. q. 3. § *Potest*. Hactenus Glossa loc. cit. quam sequitur Farinacius d. quæst. 64. n. 87. 90. et 91. allegans plurimos alios. Accedit ratio, quia, cum actus ille sit successivus, testes ejusmodi non videntur deponere super diversis actibus, sed super uno tantum ; prout argumentatur Mascardus *de Probat.* concl. 65. n. 2. post Glossam loc. cit. Bartolum in l. *Quærebatur*. ff. *de Re milit.*; Baldum l. *Testium*. c. *de Testib.* et alios.

300. *Idem declaratur exemplis. Possessio, jurisdictio, et similia, possunt probari per testes singulares singularitate adminiculativa.* — Aliud exemplum de actu quopiam generico ponit Glossa fin. in l. *Ob carmen*. ff. *de Testib.* ubi inquit : « Si dicam, quod possederim, et inducam plures, quorum unus dicat, quod viderit me possidere per annum, alius per alterum, et sic de cæteris, eorum tenet testimonium : quia hoc solum quæritur, an possederim, quod omnes testes dicunt; non autem est quæstio, an ista vel illa die possederim. » Hæc Glossa : quam communiter servari in judiciis, refert Farinacius cit. quæst. 64. n. 78. et 171. et 172. allegans plurimos alios : quamvis in hoc posteriori loco recte notet, datam doctrinam solummodo procedere, quando agitur de probando possessione in genere absque limitatione certi temporis; secus, quando agitur de probanda possessione in specie, ac pro tali tempore : quia tunc singularitas in tempore tolleret fidem testibus, sicut innuit Glossa loc. cit. et sequuntur alii.

301. *Jura indistincte dicentia, quod testes singulares non probent, procedunt in testibus, singularibus singularitate obstativa, et diversificativa, non adminiculativa.* — Nec obstant jura n. 290. allegata, et indistincte dicentia, quod testes singulares non probent. Resp. enim, istud indubitate quidem procedere in testibus singularibus singularitate obstativa, eo quod fidem sibi mutuo detrahant propter contrarietatem, et repugnantiam, dolumque præsumptum, quem continet : simulque procedere in testibus singularibus singularitate diversificativa, qui licet aliquam semiplenam probationem faciant (dummodo inter eos sit unus testis omni exceptione major) quia tamen singuli testantur de diversis actibus, non plus probant mille, quam unus ; ut notat Arnaldus Albertinus cit. repetit. c. *Quoniam*. n. 66 et 68. Secus tamen est dicendum de testibus singularibus singularitate adminiculativa, ac loquendo de actu generico, continuo seu successivo, ob rationes in conclusione allatas ; et suadet multiplex auctoritas doctorum.

302. *Proponitur, et solvitur instantia ex c.* Cum causam de Election. — Quod si urgeas. In c. *Licet causam*. § *Quamquam*. *de Probat.* testes singulares Faventinorum non probant, licet fuerint inducti generatim, et absque aliqua temporis determinatione, super usu jurisdictione ; ergo nulla responsio. Ob hunc textum, qui prima facie videtur fortiter stringere, Jason in l. *repetit*. l. *Admonendi*. n. 256. ff. *de Jurejur.* tandem in contrariam abivit sententiam. Idem tradit Baldus in d. c. *Cum causam*. n. 11. *de Probat.* asserens esse « notatu dignum, quod in probatione actus generalis, puta jurisdictionis, testes singulares nihil probant ; textus est hic expressus melius, quam reperiatur alibi. » Hæc ille. Eidem contrariæ sententiæ adhæret Albericus in l. *Ob carmen*. § fin. n. 7. ff. *de Testib.* et nonnulli alii, apud Farinacium, ubi supra, n. 165. citati.

303. *Proponitur, et solvitur instantia ex c. Cum causam de Election.* — Verum, quod singularitas testium tunc non obsit, quando agitur de probando aliquid in genere, ut possessionem, jurisdictionem, et similia; ac proinde probetur possessio, si unus testis dicat, quod vidit arari, alter seminari, alius messes colligi, alius arbores putari: in hoc exemplo tenet Mascardus *de Probat.* concl. 1205. n. 24. et 15. et Farinacius d. quæst. 64. n. 164. allegans alios, qui attestantur de communi; et subjungens, quod ita fuerit unanimiter conclusum per Rotam Romanam, uti testatur Cæsar de Grassis decis. 78. n. 10. Caputaquens. decis. 269. n. 1 et 2. part. III. Neque urget cit. c. *Licet. causam. de Probat.* Quia, uti liquet ex contextu, ibi Faventini ceciderunt causa, non præcise, quia testes ipsorum fuerunt singulares (nam, ut patet ex littera, sex istorum remanserant concordes, qui utique suffecissent ad legitimum testimonium) sed quia contraria pars justum titulum, et longe potiores probationes allegaverat.

304. *Factum particulare, seu actum specialem et individuum, non probant testes singulares singularitate adminiculativa.* — Resp. II. Loquendo de facto aliquo particulari, seu actu speciali et individuo, tunc testes singulares etiam singularitate adminiculativa plene non probant, licet faciant magnum adminiculum, ac præsumptionem. Ita Glossa in cit. can. *Nihilominus* 3. q. 9; Felinus d c. *Licet ex quadam.* n. 2. h. t.; Card. Tuschus litt. T. concl. 265, n. 58; Arnald. Albertinus cit. repetit. c. *Quoniam.* n. 56. *de Hæretic.*; Jason in repetit. l. *Admonendi.* n. 256. ff. *de Jurejur.*; Farinacius cit. quæst. 64. n. 113. et 126. allegans plurimos alios; idque exemplificans in casu, quo unus testis deponit de veritate, v. g. mutuatæ, seu numeratæ Titio pecuniæ, et alter deponit de confessione, qua Titius fatebatur, mutuatam seu numeratam sibi fuisse pecuniam: quia (inquit) veritas est, quod ex eorum dictis non inducatur plena, et omnimoda probatio ad condemnandum sufficiens. Atque istud ad minimum convincunt jura n. 290. allegata; et præsertim casus in c. *Cum dilectus.* 32. *de Election.* Accedit ratio, quia revera tales testes sunt singulares; cum deponant de factis omnino diversis; puta, unus de numeratione pecuniæ, alter vero de confessione dictæ numerationis sibi factæ: sicque neuter habet contestem circa idem factum particulare.

305. *Etsi magna exinde consurgat præsumptio, et aliquando plus quam semiplena probatio.* — Quia tamen depositio testis de veritate numeratæ pecuniæ testificantis facit semiplenam probationem, quæ adjuvatur seu adminiculatur per depositionem alterius de audita illa confessione, v. g. Titii: hinc magna exinde consurgit præsumptio, seu adminiculum; et aliquando plus quam semiplena probatio, secundum quod animus judicis movetur plus vel minus ad præsumendum, seu indubitanter credendum, arg. l. II. § *Ætas.* ff. *de Excusat. tutor.* juncta Glossa ibid. ỷ. *Legitimis*, allegante inter alia illud vulgatum: « Quæ non prosunt singula, multa juvant. »

306. *Unde judex potest moveri ad ferendum juramentum suppletorium. Imo quandoque ad indubitanter credendum, et ferendam sententiam.* — Infertur proinde, quod ex ejusmodi testibus singularibus possit judex moveri ad deferendum juramentum suppletorium. Farinacius cit. quæst. 64. n. 52 et n. 113. Mascardus *de Probat.* concl. 958. n. 20. in fin. et alii. Imo et quandoque, concurrentibus aliis sufficientibus adminiculis, ad indubitanter credendum; adeo, ut exinde in certis casibus, puta, qui sunt difficilioris probationis, seu minoris præjudicii, aut hujusmodi, etiam procedere possit ad ferendam sententiam. Nam quod duæ semiplenæ probationes, quæ tendunt ad eamdem finem, unam plenam facere possint, jam supra tit. præc. § 4. n. 98 et seqq. dictum fuit.

307. *In causis criminalibus non probant testes singulares singularitate adminiculativa, etsi causent præsumptionem contra reum, et aperiant viam ad specialiter inquirendum.* — Quæritur IV. Utrum testes singulares singularitate adminiculativa probent in causis criminalibus? Resp. I. Etsi in causis criminalibus criminaliter motis ejusmodi testes singulares, ut puta de diversis actibus, vel diversis indiciis commissi sceleris deponentes, plene non probent in ordine ad condemnandum pœna ordinaria: nihilominus testes illi cæteroquin habiles causant magnam præsumptionem contra reum, ita ut aperiatur via judici ad inquirendum specialiter contra ipsum; et insuper constituunt indicium sufficiens ad torturam, imo et quandoque sufficiunt ad inferendam pœnam extraordinariam. Ita Alexander consil. 77. n. 10 et 11. vol. I. asserens, quod testes singulares pro parte accusatoris adducti, non

probent quoad plenam probationem, sed quoad indicium una præsumptio juvet alteram; ut per Bartolum in l. fin. ff. *de Quæstion.;* Sigism. Scaccia *de Judiciis*, lib. II. c. 9. n. 367. et seqq.; Layman lib. III. sect. 5. tract. VI. cap. IV. n. 5. in fin.; Julius Clarus in *Practic. crimin.* lib. V. § fin. quæst. 53. n. 18; Farinacius in *Praxi crimin.* lib. I. quæst. 37. n. 34. et 35. ubi istud intelligit de testibus singularibus, qui alioquin sunt omni exceptione majores, simulque deponunt super indiciis proximis delicti; et alii, quos citat.

308. *Et hujus ratio.* — Ratio prioris partis est, quia in criminalibus ad condemnandum requiruntur probationes indubitatæ, l. *Sciant cuncti.* C. *de Probat.* et absque ulla suspicione, vel exceptione manifesta, can. *Testes.* 2. q. 7. et cap. I. *de Exception.* Atque tales non sunt ejusmodi testes singulares, utpote adhuc de diversis factis particularibus deponentes, et in suis dictis contestem non habentes; ergo, altera pars patet ex dictis supra tit. XVIII. *de Confessis.* § 4. n. 107. quamvis etiam impræsentiarum arbitrio judicis multum sit relinquendum, juxta sæpius jam dicta.

309. *Testes singulares singularitate adminiculativa probare usuram, tenent non pauci doctores.* — Resp. II. Etsi in probatione usuræ; seu quod quis usurius manifestus, ac proinde privandus sepultura ecclesiastica, et aliter puniendus, juxta cap. ult. *de Usuris.* in 6. non pauci doctores velint, sufficere testes singulares singularitate adminiculativa, seu qui deponunt de diversis actibus usurariis particularibus: puta, quod unus testis dicat, se vidisse Titium sub usuris mutuantem Caio, et alius asserat, eum taliter mutuasse Sempronio: prout vult Abbas consil. 77. n. 1 et 2. part. II; Covarruvias lib. III. *Variar. resolut.* cap. III. n. 5. ℣. *Utrum quoties*, et plures alii, tum ab isto, tum a Farinacio *de Testib.* quæst. 64. n. 195. pro hac sententia allegati: quia (inquiunt) hic agitur de probando aliquo universali, habente in se plura particularia; sicque non possunt dici testes singulares, cum ex dictis ipsorum resultet totum.

310. *Opposita sententia videtur tenenda.* — Nihilominus opposita sententia, seu ejusmodi testes singulares non plene probare, quod quis sit usurarius manifestus, ac puniendus, ut supra, videtur tenenda, per rationem n. 308, allatam: quia videlicet in criminalibus requiruntur testes omni exceptione majores. Atque ita hanc opinionem tenet, et communem, ac veriorem appellat Sigism. Scaccia lib. II. *de Judic.* cap. IX n. 376. et seqq. et Farinacius d. quæst. 64. n. 196. et 200. citans plurimos alios; et pro concordia subjungens, quod testes singulares « probant, non usuram, sed infamiam usuræ, etc. Quæ quidem infamia non sufficiet ad sententiandum, et condemnandum de usura, sed tantummodo ad repellendum a testimonio, vel ad diminuendum ei de fide. » Hæc ille.

311. *Hoc ipsum videtur dicendum de probatione hæresis.* — Atque hoc ipsum (servata proportione) dicendum videtur de probatione hæresis: prout fusius ostendit Farinacius d. quæst. 64. n. 201 et 202. ac seqq. allegando in utramque partem diversas doctorum sententias, et auctoritates: ubi etiam in progressu de aliis criminalibus sigillatim tractat, qui idcirco consuli poterit.

312. *Ad probationem sollicitationis pœnitentium in confessionali admittuntur testes singulares, sed non probant sine aliis præsumptionibus et indiciis.* — Juvat huc pro majori præmissorum declaratione referre constitutionem 34. Gregorii XV. *Universi Domini* (quæ habetur tom. III. *Bullarii Romani*) in qua, ne ob defectum probationum illud tam enorme, et Ecclesiæ Dei tam perniciosum delictum, videlicet sollicitationis pœnitentium in confessionali ad inhonesta, maneat impunitum, § 5. expresse quidem admittuntur testes singulares; sed ita, ut non probent, nisi concurrentibus aliis præsumptionibus et indiciis, arbitrio judicis dijudicandis, ibi: « Cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, et aliis adminiculis, delictum probatum esse judicandi, » etc. Unde, quod scelus istud, licet sit nefandum, immaneque sacrilegium, et difficillimæ probationis, non probetur sufficienter per testes singulares, puta, per plures fœminas, quæ singillatim deponunt, se a tali confessario seorsim fuisse sollicitatas ad inhonesta, nisi concurrant alia indicia et præsumptiones: merito docet Jacob Pignatellus tom. I. consult. 105. n. 2. et seqq. Idem igitur in simili dicendum de probatione aliorum criminum, haud obstante, quod ad ipsorum probationem etiam admittantur testes singulares, arg. l. *Non possunt.* ff. *de Legib.* cum concordantiis.

§ X.

DE TESTIBUS CONTRARIIS, VARIANTIBUS, ET VACILLANTIBUS.

313 et 314. — *Testis contrarius et testis varius, se varians, quis?* — Quæritur I. Quis dicatur testis contrarius, varius, et vacillans? Resp. I. Testis contrarius, dicitur, qui deponit duo, vel plura inter se repugnantia: ut si quis interceptus per diversas interrogationes sibi factas talia asserat, quæ prorsus inter se repugnant, et simul esse non possunt. Hoc ipsum clarius videre licet in distinctis testibus, hinc inde ex utraque parte adductis: nam non raro directe contraria, et mutuo repugnantia deponere reperiuntur. Quæ quidem testium contrarietas potest inveniri in omnibus propemodum materiis, ac discurrendo per singula decem prædicamenta; prout de singularitate testium, superius n. 284. jam dictum fuit.

Resp. II. Testis varius, seu varians censetur, qui varia loquitur; ut inquit Baldus in c. *Præterea*. n. 7. *de Testib. cogend.* Hoc est, qui non stat firmus in dicto suo: puta, quia in uno judicio sic, in altero autem, sive iterum examinatus, diverso modo loquitur super eodem facto. Intellige, quando quis primo dicit aliquid, et postea dicit contrarium ejus nulla variationis causa assignata; ut inquit Joan. Andreas in d. c. *Præterea*. n. 11. *de Testib. cogend.* Alioquin enim, si causam suæ variationis daret, potius dictum suum corrigere, quam variare censeretur.

315. *Quomodo differant?* — Differt autem testis varius a contrario: quia hic in eodem examine dicit contraria, seu inter se repugnantia; testis varius autem successive, seu in diversis instantiis, aut examinibus. Quamquam iidem in l. *Qui falso*. ff. h. t. et alibi, inter se etiam æquiparentur. Nisi cum Farinacio quæst. 66. *de Testibus*, n. 8. et 9. dicere velis, quod ille testis proprie dicatur variare, qui non deponit contraria, sed qui diverso modo dicit: ut si primo dixerit, « Titium emisse domum Sempronii; » postea vero, seu in alio examine afferat, « Titium emisse domum Sempronii una cum uxore sua. »

316. *Testis vacillans, quis?* — Resp. III. Testis vacillans dicitur, qui timendo, titubando, vel dubitando testimonium dicit. Ita Joan. Andreas c. *Præterea*, n. 11. *de Testib. cogend.* dicens, quod testis vacillans sit, qui dubitando, et timendo loquitur. Farinacius d. quæst. 66. n. 10. citans alios. Unde, ut testis censeatur vacillans, sufficit, quod dubitando, timendo, aut titubando deponat, etsi non loquatur contraria. Concordat Paris de Puteo t. VII. *Tractatuum*, tract. *de Syndicatu*, circa fin. § *Viro de judiciis*. n. 8. ubi inquit, quod tunc dicitur quis vacillare in testimonio, quando deponit dictum suum dubitando, vel tremendo, vel sudando, præ nimio timore loquendo.

317. *Si deponit vere dubitando fidem non meretur.* — Et quidem testis vacillans, quando deponit vere dubitando, fidem non meretur: quia hoc ipso, quod vere dubitet, in neutram inclinat partem; sicque incertum est ejus testimonium: nec est ratio, cur uni potius, quam alteri parti assensus præbeatur, ac proinde tollitur fides ejus in totum. Joan. Andreas cit. c. *Præterea*, n. 11. *de Testib. cogend.*; Farinacius loc. cit. n. 16. et alii. Unde Innocentius in d. c. *Præterea*: et post ipsum Baldus ibid. n. 6. inquiunt, quod qui dubitando loquitur, vacillat scilicet quoad fidem ei adhibendam, id est, vacillat fides ejus.

318. *Et quid, si deponat titubando, timendo, sudando?* — Quod si vero sit tantummodo vacillans, quatenus deponit titubando, timendo, sive sudando, tunc probatio ejus non tollitur in totum, bene tamen de fide ejus diminuitur. Farinacius d. quæst. 66. n. 15. et 16. post Alberic. in l. *Qui falso*, n. 5. ff. *de Testib.* et alios. Et merito, quia non obstante tali timore, aut sudore, vel pallore vultus, qui vel ex periculi magnitudine, vel ob cordis debilitatem, aut pusillanimitatem sæpius oriri solet, testis duntaxat titubando vacillans vere in favorem unius partis, et quidem sub juramenti religione deponit; sicque non destituitur omni fide, sed meretur aliquam, majorem tamen, vel minorem, pro qualitate suæ vacillationis, formidinis, seu palloris, aliarumque circumstantiarum, prudenti judicis arbitrio dimetiendam.

319. *Judex debet vacillationem testis, et causam ipsius in actis ponere.* — Et hinc notat Jacob. Cognacenus in repetit. c. *Quoniam contra*. n. 59. *de Probat.* et Paris. de Puteo cit. ỿ. *Viso de judiciis*, n. 8. quod tunc judex debeat ejusmodi vacillationem testis, et causam ipsius in actis ponere, et per quem modum vacillavit; debeatque ipsam vacillationem scribi facere in actis ipso deponente intelligente, et tunc quando deponit, juxta l. *De minore*. § *Tormenta*. ff. *de Quæstion.*; Inno-

centius c. *Quoniam contra. de Probat.;* Bartolus l. fin. ff. *de Quæstionib.*

320. *Et ad deprehendendam ejusmodi contrarietatem, varietatem et vacillationem, testes personaliter evocare.* — Porro ad deprehendendam ejusmodi contrarietatem, varietatem, seu vacillationem testium, si qua forsan subesset, jubetur judex testes personaliter evocare, atque ad dignoscendum quanta fides ipsis habenda sit, attendere, « cujus dignitatis, et cujus existimationis sint : et qui simpliciter visi sint dicere : utrum unum eumdemque, et præmeditatum sermonem attulerint : et an ad ea, quæ interrogaverit, ex tempore verisimilia responderint ; » prout rescripsisse Imperatorem, habetur l. 3. § *Ideoque. de Testib.* additis illis notabilibus verbis, videlicet : « Testibus se, non testimoniis crediturum. » Quia, ut ibidem subjungitur : « Alia est auctoritas præsentium, alia testimoniorum, quæ recitari solent. » Hæc ibi.

321. *Si testes videantur inter se contrarii, tunc pro possibili debet judex eorum dicta interpretari, ut non contradicant, etc. Testium dicta benigne sunt interpretanda, ne perjurii reatu notentur.* — Quæritur II. Quid juris, si testes hinc inde producti videantur inter se contrarii ? Resp. I. Ad officium judicis cum primis pertinet, testes ejusmodi, si possibile est, inter se conciliare, et ita interpretari eorum dicta, ut vel non contradicant, vel de diversis actibus deposuisse censeantur. Ita Glossa c. *In nostra.* 32. ✝. *Adversa.* h. t. ubi magisterialiter declarans materiam de contrarietate testium, recte inter alia datam conclusionem intelligit, sive testes ab una parte, sive ex utraque producti inter se dissideant, ac diversa deponant. Abbas cit. c. *In nostra.* n. 4. et Barbosa ibid. n. 14 ; Rota apud Bichium Decis. 503. n. 9. et alia Rota in Elboren. Pensionis. 7 junii 1627. coram R. D. Ubaldo ; Pirhing h. t. n. 152 ; Farinacius de testibus, quæst. 65. n. 37. et seqq. allegans plurimos alios, et communem. Ratio est, quia « dubia in meliorem partem interpretari debent, » per textum vulgatum in c. *Estote. de Reg. juris.* Simulque quia nemo præsumitur esse perjurus, si verba ipsius quoquo modo in partem meliorem trahi possunt ; ergo, si testes prima fronte contrarii appareant, prius judex, si fieri poterit, eos concordare studebit, ne alioquin quidam eorum perjuri esse convincantur. Id ipsum patet ex c. *Cum tu.* 16. h. t. ubi idcirco pontifex « dicta testium benigne interpretentur, ne perjurii reatu notentur : quia utrumque (inquit) esse potuit. » Idem fit c. *In præsentia.* 8. § *Quare. de Probat.* et alibi.

322. *Testes duo ex una parte producti, et sibi manifeste contradicentes, nihil probant : sed si multi fuerint, valet testimonium plurium concordantium, etsi debitetur.* — Resp. II. Si duo duntaxat testes ex una parte producti fuerint, et sibi manifeste contradicant, certum est, eos nihil probare : quia unus enervat dictum alterius, nec constat quis eorum veritatem dixerit. Secus est, quando multi ab eadem parte testes producuntur, quorum plures inter se concordant ; aliqui vero, sed pauciores, ab eis discordant : valet enim, cæteris paribus, testimonium plurium inter se concordantium ; quamvis negari non possit, ex tali quorumdam contradictione, si fiat circa substantiam negotii, seu qualitates intrinsecas, aliorum testium concordantium fidem debilitari, ita ut minus probent. Ita Glossa marginalis tit. c. *In nostra.* ✝. *Adversa.* et Abbas ibid. n. 3. h. t. ; Pirhing eod. num. 146 ; Farinacius, *de Testib.* quæst. 65. n. 2. et seqq. allegans alios. Quamquam notanter addatur, « cæteris paribus valet testimonium plurium, » etc. Quia non ad solam testium multitudinem respicere oportet, sed etiam, an cætera sint paria, considerando videlicet eorum qualitatem, et quorum dictis potius affulgeat lux veritatis, seu qui verisimiliora deponant ; prout observat pontifex in cit. c. *In nostra.* 32. h. t.

323. *Quid agendum, si duo testes contestes allegent tertium, qui negat se interfuisse, aut aliquid scire, etc.* Magis credendum est duobus affirmantibus, quam negantibus : *idque declaratur.* — Et conformiter dictis resolvendum est illud dubium, quid videlicet agendum sit, si duo testes contestes ab eadem parte producti allegent tertium contestem, iste tertius vero neget se interfuisse, vel aliquid scire, aut recordari talis facti. Standum quippe est testimonio duorum testium concordantium, cæteroquin tamen habilium : tum quia sunt numero plures, sicque procedunt proxime dicta ; tum quia magis credendum est duobus testibus affirmantibus, quam centum negantibus ; ut inquit Innocentius c. *Cum super. de Renuntiat.;* Abbas c. *Cum in tua.* n. 2. *de Testib.* et Joan. Andreas c. *Cum Joannes.* n. 8. *de Fide instrument.* addita ea ratione : quia possibile est, quod ubi etiam plures sunt præsentes, duo tantum ad id,

quod agitur, sint attenti, cæteris non advertentibus, vel non curantibus, aut postea non amplius recordantibus; et hinc aptius et naturalius est testimonium affirmantium, præsertim si plures sint, bonæque fidei, quam negantium. Nec obstat, quod Abbas loc. cit. asserat, dictum illud: « Magis credendum est duobus affirmantibus, quam centum negantibus, » solum procedere, quando negativa non est coarctata, utpote quæ vere probari non potest: secus, si est coarctata, cum hæc saltem indirecte probari possit. Non obstat, inquam: quia ratio allata ex Joan. Andrea, etiam urget in negativa coarctata; nisi forsan probetur, vel aliunde constet, testes fuisse ad omnia attentos, riteque omnium recordari, præsertim loquendo de factis recentibus. Deinde in casu posito tertius ille, negans se interfuisse, aut aliquid scire, est unicus testis: atqui « nulla lex unius testimonio etiam idoneo quempiam condemnat, vel justificat, » ut dicitur can. *Admonere te*. 33. quæst. 2. et c. *Licet universis*. 23. h. t. ergo. His adde dicenda inferius tit. XXII. *De Fide instrumentorum*. § 10. n. 296. et seqq.

324. *Testibus ex utraque parte productis, et manifeste contrariis, qui sint præferendi?* — Resp. III. Quod si manifesta contrarietas sit inter testes hinc inde productos, ex parte actoris videlicet ac rei, tunc si testes utrinque producti ejusdem sint honestatis, atque existimationis, præferantur numero plures: si vero testes ex una parte producti tantæ præeminentiæ fuerint, quod eorum auctoritas merito sit præferenda aliorum numero, tunc prævalent digniores, et verisimiliora deponentes. Ita expressum habetur in d. c. *In nostra*. h. t. juncta Glossa ibid. in casu, recte notante, quod non semper judex debeat se referre ad multitudinem testium, sed potius ad eorum honestatem et opinionem, et qui verisimiliora dicant; puta, juri consona, vel aptiora negotio.

325. *Testibus ex utraque parte productis, et manifeste contrariis, qui sint præferendi?* — Resp. IV. Si vero testes ex utraque parte producti omnino pares existant, et deponant contraria, tunc pro reo fertur sententia: nisi forsan actor moveat causam favorabilem, stantem videlicet pro matrimonio, libertate, dote, aut testamento. Ita textus clarus in c. *Ex litteris*. 3. *de Probation*. ibi: « Quod si ambarum partium testes sint atque idonei, possessoris testes præferentur: cum promptiora sint jura ad solvendum, quam ad condemnandum; præterquam in liberali causa, id est, in causa favorabili, puta, matrimonio, libertate, dote, aut testamento, » prout explicatum cap. ult. *de Sentent. et re judicat.* Unde versus apud Glossam ibidem relati.

Stat testamentum, libertas, conjugium, dos.
Si sint æquales, qui producuntur utrinque.

326. *Testis sibi ipsi contrarius, nihil probat.* — Quæritur III. An probet testis sibi contrarius, vel potius sit puniendus? Resp. I. Certum est, si unus idemque testis sibimet ipsi expresse contradicat in sua depositione judiciali, non valere ejus testimonium, nisi forsan hoc fecerit in continenti corrigendo dictum suum, nam tunc statur dicto posteriori, utpote prius corrigenti. Ita communis doctorum. Et quidem prima pars habetur c. *Nihilominus* 3. quæst. 9. et can. *Quod autem*. 23. q. 7. et c. *Sollicitudinem*. 31. in fin. *de Appellat.* ibi: « Non est tanquam adversa petens, et sibi contrarius audiendus, » cum concordantiis. Atque idcirco in c. *Licet causam*. 9. § *Quamquam de Probat.* multi Faventinorum testes reprobantur, cum sibimet in serie sui testimonii contradicant. Accedit, quod non sit major ratio, cur uni potius, quam alteri dicto talis testis sibi contrarii credatur. Imo ex manifesta illa contrarietate redditur testis suspectus, atque perjurus; cum juraverit dicere veritatem, et contraria non possint esse vera.

327. *Nisi forsan incontinenti correxerit prius dictum; nam tunc statur posteriori dicto.* — Altera vero pars habetur expressa in c. *Præterea. de Test. cogend.* ibi: « Quorum testimonia, si quandoque non studiose, sed in proferendo erraverint, et se incontinenti correxerint, reprobari non debent: » et consequenter statur posteriori eorum dicto. Ubi Glossa ly « In continenti » explicat (id est, in eadem instantia judicii, antequam loquatur partibus) vel antequam recedatur a præsentia judicis: quia postea subornatus præsumitur. » Vel certe juxta Hostiensem, et Glossam marginalem ibid. id arbitrio judicis erit relinquendum, ut considerata qualitate personæ, quantitate intervalli, colloquio partium, et reliquis circumstantiis correctionem admittat, vel non. Concordant dicta superius tit. XVIII. *de Confessis*. § 3. n. 78. et 79.

328. *Testis in judicio contraria deponens, est competenter puniendus; et qualiter?* — Resp. II. Insuper testis in judicio contraria deponens, est competenter puniendus de falso. Ita tex-

tus expressus in l. *Qui falso*. ff. h. t. Quæ est canonizata in can. *Si teste*. 4. quæst. 3. quo utroque in loco sic legitur : « Qui falso, aut varie testimonia dixerunt, vel utrique parti prodiderunt, a judicibus competenter puniantur : » videlicet pœna « legis Cornelia *de Falsis*, » ut explicat Glossa fin. in cit. l. *Qui falso*; et sequitur Farinacius d. quæst. 66. n. 56. allegans alios; quamquam circa finem cit. n. 56. moneat, quod hodie pœna falsi sit arbitraria. Porro secundum canones, testis ille de commisso perjurio deberet agere pœnitentiam septem annorum, can. *Quicumque*. 6. quæst. 1. ac notat Glossa c. *Sicut nobis*. 9. ỳ. *Perjurio*. h. t.

329. *Nisi per errorem, seu ignorantiam id acciderit. Et quid si unum dixit in judicio, et aliud extra judicium?* — Excipe tamen hinc testem sibi varium, et contrarium per errorem, seu ignorantiam; ut puta, si per oblivionem aliquid dixit, et postea se corrigat, aut ab alio melius informari patiatur. Talis enim non est puniendus; ut notat Farinacius loc. cit. n. 33. 34. et 75. allegans alios. Idemque dicendum, si unum dixit in judicio, et contrarium ejus extra judicium : quia testis deponens falsum extra judicium, non punitur de falso. Farinacius ibid. n. 83, allegans communem; quamvis tanquam mendax leviter puniatur arbitrio judicis, pro facti et personæ qualitate. Covarruvias cap. *Quamvis*. part. I. § 7, n. 5. prope med. *de Pactis*, in 6; Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 312. n. 3; Farinacius n. 84. et alii.

330. *Quando testis diversis judiciis, vel diversis instantiis ejusdem judicii contraria deponit, ordinarie statur primæ ejus depositioni jurato.* — Quæritur IV. Utrum aliquid probet testis varians in judicio, et quod dictum ejus valeat? Resp. I. Quando testis in diversis judiciis (puta summario, et ordinario) vel in diversis instantiis ejusdem judicii, super eodem facto contraria deponit, ordinarie statur primæ ejus depositioni juratæ. Ita Abbas c. *Cum in tua*. n. 9. et Felinus ibid. n. 4. h. t.; Menochius *de Arbitr. judic.* lib. II, cas. 108. n. 10; Farinacius quæst. 66. n. 124. et seqq. citans plurimos alios; Pirhing h. t. n. 158. et 160. asserens post Mynsinger, cent. 2. observat. 86. ita servare praxin cameræ imperialis. Ratio est, quia, ut l. *Generaliter*. C. *De non numerat. pecun.* et c. *Per tuas. de Probat.* expressum legitur : « Nimis indignum est, ut quod sua quisque voce dilucide protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmare. » Accedit ratio : tum quia non debet esse in potestate testis, per falsi machinationem tollere jus jam quæsitum parti, pro qua prius deposuit; tum quia testi perjuro non creditur : atqui confitens, se prius jurato falsum dixisse, fatetur se perjurum; ergo ei non est credendum post talem confessionem. Hinc c. *Sicut nobis*. 9. h. t. non creditur testibus (nisi in proprium eorum præjudicium, seu ad injungendam ipsis pœnitentiam) qui asserebant, se corruptos testimonium perhibuisse falsitati : sed vult Papa, ut super hoc diligenter inquiratur, et si probetur corruptionis veritas, tunc primum sententia retractetur.

331. *Fallit hoc, si quis ex intervallo dictum suum corrigat allegando errorem facti, eumque probando. Error facti excusat.* — Additur tamen in conclusione, « ordinarie statur primæ, » etc. Fallit enim istud *primo*, si quis ex intervallo dictum suum corrigere vult, allegando errorem facti, eumque probando : eritque talis extra pœnam falsi, et ultimum dictum habebitur validum, et legitimum. Glossa in cap. ult. ỳ. *Justa causa. de Jurejurand.* in 6. Zoesius h. t. n. 41. Siquidem error facti, si probetur ante negotium finitum, excusat: prout habetur c. *Ex parte*. 3. *de Confessis*. Et merito, « cum nullus sit errantis consensus, » per textum in l. *Non idcirco*. c. *de Juris et facti ignorant.* Unde etiam talis error excusat quempiam a culpa, et reddit eum innocentem cap. ult. juncta Glossa. ỳ. *Justa causa. de Jurejurand.* in 6.

332. *Fallit etiam, quando posterius dictum judiciale testis est magis verisimile, vel adminiculum aliis conjecturis.* — Fallit deinde, quando posterius dictum judiciale testis est magis verisimile, quam primum. Item, quando secundum est adminiculatum redditione alicujus rationis concludentis, vel aliis conjecturis, seu præsumptionibus: quia tunc attenditur secundum, et non primum. Tyndarus tom. IV. *Tractatuum*, tract. *de Testibus*. lib. I. cap. II. n. 5. et cap. XIV. n. 1; Farinacius cit. quæst. 96. n. 150. et 151. allegans alios. Idque desumitur ex c. *Litteras*. 14. *de Præsumpt.* ubi posterius dictum judiciale, quadam præsumptione adminiculatum, præfertur priori. Et c. *Per tuas*. 12. *de Probation.* ubi confessio extrajudicialis, gravibus præsumptionibus munita, præfertur juramento judiciali. Et c. *Cum causam*. 37. h. t. ubi testes jubentur diligenter examinari de singulis circumstantiis; sicque dicta illorum, qui

magis verisimilia deponunt, merito præferenda censentur.

333. *Fallit tertio in causa hæresis.* — Fallit *tertio* in causa hæresis: siquidem testis super facto hæresis antea falsum deponens, si postea velit corrigere dictum suum, et veritatem directe, sive contra se, sive contra suos complices deponendo, non obstante quod sit perjurus, auditur et probat: dum tamen ex aliis indiciis apparuerit, talem non animi levitate, odio, vel corruptione, sed zelo veræ fidei velle dictum suum corrigere, ac quæ prius pejerando celaverat, revelare. Idque ob favorem fidei statutum habetur c. *Accusatus.* § *Licet de Hæretic.* in 6. ac notat Felinus c. *Cum in tua.* n. 6. h. t. Covarruvias lib. II. *Variar. resolut.* cap. XIII. n. 9; Pirhing h. t. n. 159. in fin.; Farinacius d. quæst. 66. n. 757. allegans alios.

334. *Et quando testis deposuit primum dictum sine juramento, et posterius contrarium cum juramento.* — Fallit ulterius, quando testis primum dictum deposuit sine juramento, et postea secundum dictum contrarium deponat cum juramento. Quia tunc attenditur dictum juratum, etsi sit posterius; cum præsumatur magis præmeditatum, et ratione annexi juramenti veritati consonum: nam ideo testes compelluntur jurare, ut timore Dei, ac reverentia juramenti, verum directe cogantur. c. *De Testibus.* 29. h. t.; Tyndarus cit. *Pract. de Testib.* lib I. c. XI. n. 1 et 2. Farinacius loc. cit. n. 148. allegans alios, et quasdam alias fallentias subjungens.

335. *Si testis sub juramento deposuit unum in judicio, et contrarium ejus dicat extra judicium, standum est dicto judiciali, nisi contrarium aliunde probetur.*—Resp. II. Si testis sub juramento deposuit unum in judicio, sed contrarium ejus vel jam antea dixerat extra judicium, vel postea extra istud dicat, etiam expresse fatendo, quod falsum in judicio dixerit; nihilominus standum est dicto judiciali, nisi contrarium aliunde probetur. Ita Abbas c. *Per tuas.* n. 11. *de Probat.*; Tyndarus cit. *Tract. de Testib.* lib. II. cap. II; Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 108. n. 19; Farinacius d. quæst. 66. n. 200.; Maranta part. VI. *Speculi aurei*, tit. *de Confessione.* n. 11. dicens, quod non probet confessio testis, extra judicium asserentis, se falsum deposuisse in judicio: quia non per hoc tollitur ejus depositio. Gabriel. *de Malefic.* lib. VII. conclus. 31. ubi ampliationes et limitationes. Pirhing h. t. n. 161. et alii ab his citati. Idque desumitur ex c. *Sicut nobis.* 9. h. t. ubi non creditur testibus asserentibus extra judicium, quod corrupti falsum in judicio testimonium dixerint (« Cum perjuri sint, » ut loquitur textus) nisi in eorum præjudicium, sive ad injungendam ipsis pœnitentiam; et nisi aliunde contrarium probetur.

336. *Idque amplius ostenditur.* — Accedit alia ratio, quia testimonium judiciale ob juramenti religionem, judicisque præsentis auctoritatem est magis qualificatum, et deliberatum, sicque merito præfert simplici dicto extrajudiciali. Quinimo non raro contingit, quod extra judicium quis dicat falsum, ut complaceat partibus; in judicio autem propter religionem juramenti verum dicat: quia igitur istud ad hoc defertur, ut timore juramenti testes cogantur dicere veritatem, simulque nemo præsumitur esse immemor suæ salutis, potius statur dicto judiciali jurato, quam alii; prout argumentatur Abbas in c. *Per tuas.* n. 11. *de Probation.*

337. *Solvuntur notabiles objectiones contra hoc.* — Objicies contra hanc conclusionem. In c. *Per tuas.* 10. *de Probation.* potius creditur priori dicto extrajudiciali mulieris, asserentis, quod filium susceperit ex proprio marito, quam ejus juramento judiciali in contrarium postea præstito; ergo prius dictum extrajudiciale præponderat posteriori dicto judiciali etiam jurato. Resp. hunc casum esse unum ex fallentiis datæ conclusionis, quæ quidem regulariter procedit; patitur tamen et ipsa suas fallentias. Ideo autem ibidem credebatur potius priori dicto extrajudiciali memoratæ mulieris, quia cum ipso concurrebat communis existimatio populi, simul et nominatio et tractatus ipsiusmet mulieris, quo alterum tractabat ad modum legitimi filii: unde merito subsequens juramentum in contrarium reddebatur suspectum, ac nihil probabat, uti notat Abbas. cit. c. *Per tuas.* n. 9.

338. Urgebis, afferendo rationem ibidem a Pontifice allatam: « Nimis indignum est, ut quod sua quisque voce dilucide protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmare; » ergo. Resp. hoc imprimis verificari de testimonio judiciali jurato, juxta dicta num. 330. Deinde loquendo de testimonio extrajudiciali, de quo ibidem est sermo, respondetur, id ipsum pariter procedere, quando quis dilucide, seu concurrentibus tam gravibus adminiculis, ut supra, quidpiam extrajudicialiter protestatus

est: aliàs secus. Vel dic cum Abbate loc. cit. n. 41. datam rationem procedere, quando quis negat in facto proprio, seu quasi proprio, et præsumitur appetere, seu horrere aliquid, prout ibidem accidit; nam tunc obest sibi confessio propria extrajudicialis antea facta, et negatio judicialis sequens redditur suspecta; quia præsumitur facta ratione emolumenti inde sperati. Secus autem dicendum, quando quis assumitur testis in facto alieno, unde nullum sibi sperare potest commodum eventurum: durum enim esset, quod quis ex simplici assertione extrajudiciali possit præcludere viam veritatis indagandæ in judicio.

339. Objicies ulterius. In l. *Eos qui.* ff. *Ad leg. Cornel. de Falsis* dicitur, « Eos, qui diversa inter se testimonia præbuerunt, quasi falsum fecerint, esse puniendos; » ergo neque primum, neque secundum dictum testis variantibus valet, quia est convictus de falso, atque ut talis puniendus. Resp. neg. consequent. Ibi quippe sermo est de duobus contrariis testimoniis datis in judicio, prout liquet ex summario: in quo casu non credi secundæ depositioni, cum fiat a convicto de falso, ultro est fatendum, conformiter dictis supra n. 330. Inde tamen nihil infertur contra ultimam conclusionem.

340. *Prima depositio jurata judicialis debilitatur per secundam judicialem contrariam, arbitrio judicis.* — Resp. III. Licet prima depositio jurata, et judicialis, per secundam contrariam totaliter revocari non possit, ut dictum n. 330. nihilominus prima depositio per secundam judicialem contrariam debilitatur, ac redditur plurimum suspecta; et judex ex circumstantiis, aliisque indiciis discernere debebit, an, et quanta ei fides sit adhibenda. Ita Abbas in c. *Per tuas.* n. 11. *de Probat.* etc. *Cum in tua.* n. 9. et Felinus ibid. n. 4. h. t.; Tyndarus cit. lib. I. cap. XIV. n. 3; Engel. h. t. n. 56; Farinacius d. quæst. 66, n. 164. allegans alios. Idque desumitur imprimis ex. c. *Præterea. de Testib. cogend.* Accedit textus in c. *Sicut nobis.* 9. h. t. ubi testibus privatim, seu extrajudicialiter dicentibus, se corruptos dedisse falsum testimonium, præter pœnitentiam eis injungendam, jubetur veritas diligenter inquiri: et consequenter eorum testimonium judiciale debilitabatur, seu suspectum reddebatur per contrarium dictum ipsorum subsequens, licet fuerit duntaxat extrajudiciale. Idem ergo, et quidem a fortiori, dicendum de secundo dicto judiciali, quando est varium, seu contrarium priori judiciali.

341. *Idemque dicendum, quando testis extra judicium responderit contraria dictis in judicio.* — Addit Covarruvias lib. II. *Variar. resolut.* cap. XIII. n. 7. post Aretinum Consil. 71. col. 4. Alexandrum consil. 63. lib. I. et alios, vacillaturam quoque fidem testis, et arbitrio judicis fore diminuendam, quando is extra judicium etiam absque juramento responderit contraria his, quæ jam solemniter in judicio dixerat. Non enim (inquit) quispiam inficiari poterit, hunc testem saltem esse mendacem, et varium, sicque fidei satis dubiæ; et ideo caute cum eo est agendum, et judex discretus arbitrabitur, quantam fidem mereatur, attenta negotii, personarum, et temporis qualitate. Accedit casus proxime relatus ex cit. c. *Sicut nobis.* h. t.

§ XI.

DE TESTIBUS, DE CREDULITATE, ET AUDITU AUDITUS.

342. *Testes de scientia, qui?* — Quæritur I. Qui dicantur testes de scientia, de credulitate, et de auditu? Resp. I. Testes de scientia dicuntur illi, qui deponunt, se scire rem ita gestam esse, eo quod proprio sensu corporeo, v. g. visu, vel auditu eam perceperint; puta, viderint Titium a Caio esse occisum, audierint eum blasphemantem, et hujusmodi. Scire enim in proposito illud dicimur, ad quod movemur per sensus: et hæc est scientia quæ requiritur in teste, ut inquit Abbas c. *Litteras.* n. 12. *de Jurejurand.* Idque patet ex can. *Hortamur.* 3. q. 9. et melius ex can. *Testes.* ead. caus. 3 q. 9. ubi dicitur: « Testes per scripturam testimonium non proferant, sed præsentes de his, quæ noverunt, et viderunt, veraciter testimonium dicant: nec de aliis causis, vel negotiis dicant testimonium, nisi quæ sub præsentia eorum acta esse cognoscuntur. » Concordat textus in l. *Testium.* c. *de Testib.* juncta Glossa marginali ibid. recte notante, quod testis debeat reddere rationem dicti sui per sensum corporeum, puta per visum, vel auditum, quibus communiter res gestæ percipiuntur; aut loquendo de iis, quæ gestu, odoratu, vel tactu percipiuntur, per sensum illis proportionatum.

343. *Testes ordinarie requiruntur. Testes te-*

nentur reddere causam scientiæ, seu testimonii sui. — Et tales dicuntur Testes de propria scientia, quales ordinarie requiruntur ad facti probationem: quia non possunt testes esse certi de facto externo, et sensu perceptibili, nisi per aliquem sensum corporeum. Unde fit, quod testes teneantur reddere causam scientiæ, seu testimonii sui, quando desuper interrogantur, prout a judice interrogari debent, c. *Cum causam.* 37 juncta Glossa ỹ. *De causis*, h. t. Adeo, quod alioquin dictum ejus non valeret, c. *Sicut nobis.* 16. *de Sentent. et re judicat.* ac notat Glossa ibid. ỹ. *De causis*, et communis doctorum.

344. *Testes de credulitate, qui? Hi proprie non dicuntur testes. Et sententia lata per dicta testium de credulitate, nunquam transit in rem judicatam.* — Resp. II. Testes de credulitate dicuntur, qui jurati deponunt, se credere, rem ita se habere. Et tales proprie non dicuntur testes, sed tantum improprie; ut inquit Glossa in l. II. § penult. ỹ. *Audierint.* ff. *de Aqua pluvia arcend.*; Farinacius *de Testib.* quæst. 68. n. 62 et Jason. in rubric. ff. *de Jurejurand.* n. 11. citans alios. Ubi proinde post Ant. de Butrio in c. *Proposuisti. de Probat.* et Lud. Romanum consil. 228. ad fin. et Alexandrum de Imola in l. *Si ab hostibus.* ff. *Soluto matrim.* notanter infert, quod sententia lata per dictum testium de credulitate, nunquam transeat in rem judicatam; sed cognita veritate per alios testes melius deponentes, semper possit retractari.

345. *Credulitas non potest stare cum scientia. Scientia de illis, quæ sunt facti, unde capiatur?* — Porro, quod testes de credulitate non dicantur proprie testes vel ex eo patet. Quia credulitas concipitur ex variis argumentis, indiciis, et præsumptionibus, ut inquit Abbas c. *Litteras.* n. 12. *de Præsumpt.* ergo hoc ipso non potest stare cum scientia (qualis requiritur in teste proprie dicto per jura n. 352. allegata) sed inest ipsis quoddam dissidium. Scientia enim de illis, quæ sunt facti, tunc habetur; quando eam capimus per proprium sensum, puta, videndo, audiendo, gustando, etc. Credulitas autem ex conjecturis dimanat: et sic ibi non est vere scientia, sicque nec testis proprie dictus Mascardus *de Probat.* concl. 459. n. 2. et seqq.

346. *Testes ex auditu auditus, sive ex auditu alieno qui?* — Resp. III. Testes ex auditu auditus, sive (ut alii loquuntur) ex auditu alieno, vocantur illi, qui jurati deponunt, se illa audivisse narrari a viris fide dignis. Nam ut notat Glossa in can. *Hoc videtur.* 22. q. 5. ỹ. *Indicavit.* testimonium de auditu proprie est cum quis audivit aliquid dici esse factum.

347. *Non dicuntur vere, ac proprie testes et cur?* — Porro testes de auditu alieno, pariter non dicuntur vere ac proprie testes; prout notat Glossa l. *In summa.* ỹ. *Audierint.* ff. *de Aqua pluvia arcend.* Abbas c. *Tam litteris.* n. 5. et Felinus ibid. n. 2. h. t. Farinacius quæst. 69. n. 7. citans alios. Et ratio est, quia testis debet deponere de eo quod gestum est, vel dictum in sua præsentia, cit. can. *Testes.* 3. q. 9. Tales autem non sunt testes ex auditu auditus, uti patet. Et hinc in c. *Licet ex quadam* 47. h. t. testes de auditu dicuntur « Testes præter communem formam : » de quibus proinde etiam procedunt dicta n. 344. nempe, quod sententia ex eorum dictis lata, non transeat in rem judicatam.

348. *Regula est, quod testes de credulitate non probent.* — Quæritur II. Utrum testes de credulitate sint admittendi, et aliquid probent? Resp. I. Regula est negativa, videlicet eos non esse admittendos, nec probare. Ita Glossa c. *Quoties.* ỹ. *Credere;* et Felinus ibid. n. 7. ỹ. *Est enim regulariter.* h. t. et alia Glossa l. *Testium.* ỹ. *Præsto*, c. eod.; Speculator tit. *de Teste.* § 1 n. 58; Socinus *de Fallentiis*, reg. 407; Farinacius loc. cit. quæst. 68. n. 62 et doctores communiter. Ratio est quia testis de credulitate nihil certi videtur affirmare: quinimo credulitas dimanat solum ex conjecturis, ac præsumptionibus; ac proinde ibi non datur vera scientia, virtute cujus quis possit aliquid certo affirmare. Atqui testes, ut probent, debent deponere de eo, quod viderunt, seu proprio corporeo sensu perceperunt, sicque sciunt, can. *Testes* 3. q. 9. et l. *Testium.* C. h. t. ergo. Accedit, quod testis de credulitate non sit proprie testis, ut proxime dictum : quinimo stricte loquendo, « scire, et credere, non possunt super eodem facto concurrere. » Abbas d. c. *Quoties.* n. 9. h. t. Quamvis illico recte moneat, quod verba testium rudium, qui non capiunt istas subtilitates, et sæpe dicunt, se credere illud, quod sciunt, sint largo modo capienda, ut valeat eorum testimonium.

349. *Fallit tamen in pluribus casibus.* — Resp. II. Etsi data conclusio contineat regulam, procedatque regulariter; dantur nihilominus plures casus, in quibus necessitate sic suadente admittuntur testes de credulitate. Ita Speculator tit. *de Teste.* § 1. n. 58; Soci-

nus cit, reg. 407; Jason ad rubric. ff. *de Jurejur.* n. 4. et seqq. octo limitationes dictæ regulæ referens. Farinacius cit. quæst. 68. n. 74. et seqq. octodecim tales limitationes adducens, et communis; idque probatur inductione.

350. *Ut, quando credulitas est proxima sensui.* — Sic imprimis, quando credulitas est proxima sensui, per quem percipitur veritas, tunc valet tale testimonium: secus, quando est remota a sensu. Abbas cit. c. *Quoties.* n. 9. h. t.; Mascardus *de Probation.* concl. 459. n. 12; Farinacius cit. quæst. 68, n. 92. allegans alios. Exemplum prioris est: si testis dicat, se vidisse solum cum sola, vel nudum cum nuda in eodem loco, sicque credere quod commiserint adulterium: talis enim testis, utpote in materia difficilis cæteroquin probationis attestans de præsumptione tam violenta, seu deponens ex credulitate proxima sensui, probat, ut c. *Præterea.* 27. h. t. Secus foret, si solum vidisset eos simul confabulantes; quia inde non recte probaretur adulterium ex credulitate sua.

351. *Sive, quando testis de credulitate sufficientem reddit rationem credulitatis suæ.* — Hoc ipsum, sed sub aliis terminis, tradunt Farinacius cit. quæst. 68. n. 74. et Mascardus d. conclus. 459. n. 11. cum aliis dicentes, quod testis de credulitate probet, quando sufficientem reddit rationem credulitatis suæ: prout accidit in allato exemplo de eo qui vidit nudum cum nuda, sicque credit ipsos peccasse carnaliter. Idemque dicendum, quando concurrunt alia adminicula, et præsumptiones ad sic credendum: nam insufficiens probatio fit sufficiens ex præsumptionibus, conjecturis, aliisque adminiculis arg. *Cum causam.* 13. juncta Glossa fin. *de Probat.* et l. *Instrumenta.* C. eod. cum similibus. Præsertim, quando accedit præsumptio juris. Farinacius loc. cit. n. 40. post Rotam in una Clusin. Pension. coram Blanchetto, die 9, decemb. 1574. et alios.

352. *Item fallit in iis, quæ sunt difficilis probationis.* — Deinde data regula non procedit in iis, quæ sunt difficilis probationis, ut est probatio filiationis, ac hujusmodi: nam in talibus testis deponens per verbum *Credo*, bene probat. Jason ad rubric. ff. *de Jurejur.* n. 5. post Bartolum. in l. II. § penult. ff. *de Aqua pluvia arcend.*; Alexander consil. 24 n. 6. et 20. lib. II. Farinacius loc. cit. n. 81. et seqq. allegans alios.

353. *Admittuntur quoque testes de credulitate ad probandam hominis innocentiam. Sicut et in purgatione canonica.* — *Tertio*, admittuntur testes de credulitate ad probandam hominis innocentiam, v. g. quod quis hominem occiderit ob necessariam sui defensionem. Jason loc. cit. n. 7. Farinacius n. 77. Pirhing h. t. n. 135. et alii. Siquidem innocentia hominis non potest aliter, quam per præsumptiones, ac credulitatem probari. Et ob eamdem rationem in purgatione canonica admittuntur seu jurant compurgatores de credulitate. c. *Quoties.* et c. *de Testibus. de Purgation. canon.*

354. *Testes deponentes per verbum* Credo *de iis quæ consistunt in peritia artis probant: ut medici, obstetrices, etc. Nisi debeant deponere de rebus sensu corporeo perceptibilibus.* — *Quarto*, quando testes per verbum *Credo* deponunt de iis, quæ consistunt in peritia artis: ut fit in medicis, obstetricibus, ac hujusmodi. Tales enim probant. Glossa l. I. ỿ. *Et duæ*, et Bartolus ibid. ff. *de Ventre inspiciend.*; Jason ubi supra. n. 4; Socinus cit. reg. 407. fallent. 3; Mascardus concl. 1370. n. 14; Felinus c. *Quoties.* n. 11. h. t.; Farinacius d. quæst. 68. n. 95. et alii. Siquidem periti in arte, utpote qui de rebus judicio duntaxat intellectus comprehensibilibus deponunt, hoc ipso non nisi de judicio et credulitate deponere valent. Aliud foret, si peritus in arte deponere debeat de rebus sensu corporeo perceptibilibus, puta per inspectionem ocularem: quia tunc tenetur jurare, et deponere non solum, quod ita credat, sed etiam, quod ita sit. Farinacius cit. n. 95. cum aliis.

355. *Testes de credulitate probant contra producentem.* — *Quinto*, licet testes deponentes de credulitate regulariter non probent contra illum, contra quem producuntur, ob dicta n. 348. probant tamen contra producentem, sive contra eum, a quo producuntur: quia producens videtur dicta eorum ratificasse, seu approbasse per suam productionem. Jason loc. cit. n. 9. post Ludov. Romanum consil. 104. in fin.; Marants part. VI. *Speculi aurei.* tit. *de Testium productione.* n. 16; Mascardus d. concl. 1370. n. 18, asserens, quod testis de credulitate contra producentem optime probat. Farinacius n. 75. et alii.

356. *Sicut et confessio de credulitate probat contra confitentem.* — *Sexto*, testis, seu potius confessio de credulitate, probat contra confitentem, sicut probat confessio de veritate. Abbas cit. c. *Quoties.* n. 8. h. t. id probans

ex c. *Et Litteris*, 32. *de Jurejurand.* juncta Glossa fin. ibid. dicente, « quod æque præjudicat confessio de credulitate, sicut de veritate : » quia videlicet confitendo ex credulitate, quis approbat dictum suum. Idem tradit Tyndarus cit. tract. *de Testib.* lib. I. cap. v. n. 14. ubi ait, quod per verbum *Credo* inducitur confessio valida, et responsio positionibus, sicut per verbum assertivum. Jason, ubi supra n. 10. Farinacius n. 99. et alii.

357. *Testis primo deponens de veritate, et postea dicens se illud credere, probat.* — *Septimo*, quando testis primo deponit de veritate, seu quidpiam affirmat de scientia facti, et postea dicit se illud credere: nam per hoc non evanescit prius ejus testimonium, neque testis ille dicitur sibi contrarius, sed bene probat. Felinus c. *Quoties*. n. 8. h. t.; Jason loc. cit. n. 6; Mascardus d. concl. 1370. n. 17. asserens, quod tunc illud verbum *credere*, exponatur pro certitudine, et veritate. Farinacius cit. quæst. 68. n. 102. cum aliis.

358. *Testes de credulitate faciunt indicium efficacissimum ; et quando?* — *Octavo*, licet testes de credulitate non inducant plenam probationem, nihilominus ipsi faciunt indicium efficacissimum. Jason loc. cit. n. 9. citans Angelum in consil. 3; Mascardus loc. cit. n. 22; Farinacius n. 105. et alii. Quod tamen intellige, quando testes congruam rationem assignant, unde resultat tale indicium, vel præsumptio, prout explicat Socinus in *Fallentiis*, reg. 429. fall. 1. Alioquin enim, quamvis testis dicat, se pro certo credere, non facit præsumptionem; ut inquit Baldus in l. *Sive possidetis*. C. *de Probat.*, et Jason cit. n. 9.

359. *Testimonium de credulitate admittitur in omnibus illis casibus, in quibus admittitur testimonium de auditu alieno.* — Tandem, ut nonnullæ aliæ limitationes, apud auctores proxime citatos videndæ, sed cum præmissis multum convenientes taceantur testimonium de credulitate admittitur in omnibus illis casibus, in quibus admittitur testimonium de auditu de alieno. Speculator tit. *de Teste*. § 1. n. 58; Abbas c. *Quoties*. n. 7. h. t.; Jason ubi supra, n. 10; Farinacius cit. quæst. 68. n. 100; Mascardus d. concl. 1370. n. 19. Socinus cit. reg. 429. fall. 1. et alii. Occasione cujus:

360. *Regula est, quod testimonium de auditu alieno non valeat.* — Quæritur III. An, et in quibus casibus testes de auditu alieno, sive auditu auditus probent? Resp. I. Regula est, quod testimonium de auditu alieno non valeat. Ita Glossa fin. c. *Quoties*. h. t.; Speculator loc. cit. n. 53. istud probans ex can. *Imprimis*. 2. q. 1. § *Sed et de personis*. et c. *Licet ex quadam*. 47. h. t. ubi Abbas n. 1. Farinacius *de Testibus*. quæst. 69. n. 1. et communis. Ratio est, quia testes de auditu alieno non fundantur super principali facto, sed super dicto tertii. Atqui istud non sufficit, quia testes tenentur deponere de sua, non aliena scientia: hoc est, de eo quod per proprium sensum perceperunt, juxta textus n. 342. relatos.

361. *Etiamsi fama concurrat sine aliis tamen adminiculis. Dictum unius facile sequitur multitudo* — Et hoc extende, etiamsi fama publica cum tali depositione concurrat, sine aliis tamen adminiculis, arg. c. *Tam litteris*. 33. § 1. h. t. ubi nihil sufficienter ostensum dicitur; cum testes tantum de auditu, et fama deposuerint: et amplius firmat Glossa ibid. ỳ. *de Auditu*. Accedit ratio: quia « dictum unius facile sequitur multitudo, » prout legitur in c. *Cum in juventute*. 12. *de Purgat. canon.*

362. *Idque vel maxime procedit in delictis.* — Atque istud vel maxime procedit in delictis. Card. Tuschus litt. T. conc. 180. n. 1. post Alexandrum consil. 72. n. 8. in fin. l. I. et alios. Adeo, ut testes de auditu alieno non solum non probent, sed nec præsumptionem faciant ad condemnandum, imo nec indicium ad torturam. Farinacius *de Testib.* quæst. 69. n. 9. et 13; Pirhing h. t. n. 137. et alii. Siquidem in criminalibus, ut jam sæpius dictum, requiruntur probationes indubitatæ, l. *Sciant cuncti*. C. *de Probat.* et testes absque ulla macula et suspicione, seu omni exceptione majores, cap. I. *de Exception.* cum similibus.

363. *Notabilis casus quoad propositum refertur.* — Notabilem ad propositum refert casum Caramuel in *Theologia regulari*. n. 1881. de Maldero episcopo Antuerpiensi, viro cæteroquin doctissimo, qui pastorem de fornicatione, ut dicebatur infamatum, capi jusserat: auditur ipse, audiuntur octoginta rustici; negat ille crimen, asserunt isti, et negans ob tot testimonia, seu convictus de crimine condemnatur. Verum reus, audita sententia, cum neque hanc acceptare, neque appellare vellet, modeste ad episcopi colloquium admitti rogavit: qua gratia obtenta aiebat, se damnari ut convictum virtute informationis, quæ

nondum erat plena; obrui testium numero, non veritate: neminem ex illis octoginta esse testem oculatum, testibus vero ex auditu neminem convinci posse; porro omnes illos crimen illud fornicationis habuisse ex ore alicujus vetulæ, sibi ante aliquot menses a servitiis, sed jam ob furtum dimissæ. Obstupuit hæc audiens episcopus, recognoscit processum, nec videt in illo vel unum oculatum testem, imo nec auritum, sed singulorum testimonia sine expressione istius necessariæ circumstantiæ. Mittitur proinde, qui rusticos secundo examinet; illi suæ depositioni constant, fornicationem a sacerdote commissam asserunt: at rogati, unde scirent? an viderint actum, vel indicia? linguam illius vetulæ furis allegant, et forte alios, qui adjuverunt a vetula. Unde episcopus revocat sententiam, parochum innocentem declarat, atque ob illatam, ut putabat, injuriam, veniam rogat, in vetulam tamen animadvertit. Vide, quam parum probent testes ex auditu.

364. *Regula prædicta fallit in pluribus casibus. Testimonium de auditu proprio quoad res auditu perceptibiles valet.* — Resp. II. Nihilominus data, seu quod testes de auditu alieno non admittantur, neque probent, fallit in certis casibus. Ita auctores proxime citandi, et communis. Notanter tamen additur, « de auditu alieno : » quia, quod valeat testimonium de auditu proprio quod res sensu auditus perceptibiles, puta, si quis testificetur, se fuisse præsentem, et audivisse, quando Titius blasphemavit, vel quid promisit, etc. indubium est; atque liquet ex cap. I. *de Consuetud.* ibi : « Sub testimonio videntium, et audientium. » Nam audiens verba alterius loquentis, atque de istis testimonium ferens, revera testificatur de iis, quæ proprio sensu corporeo percepit; sicque testimonium tale est legitimum, riteque probat. Verum loquendo de teste ex auditu alieno, seu deponente quod ita audierit ab aliis dici, posset dubitari, an aliquando probet: et conclusio est affirmativa. Siquidem:

365. *Testes etiam de auditu alieno probant in factis antiquis.* — Fallit *primo* data regula, et probant testes ex auditu alieno in factis antiquis. Speculator titul. *de Teste.* § 1. n. 54. Abbas c. *Licet ex quadam.* n. 3. h. t. ubi dispositionem illius capituli, expresse loquentis de probanda consanguinitate, seu affinitate, ob paritatem rationis procedere ait in aliis factis antiquis, de quibus testes haberi non possunt. Card. Tuschus litt. T. concl. 180. n. 26. Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II, cas. 478, n. 9 et 10. et alii. Atque istud, præter jam allegatum c. *Licet ex quadam*, 47. h. t. desumitur ex l. *Si arbiter.* ff. *de Probat.* et l. *In Summa.* 2. § antepenult. ff. *de Aqua pluvia arcend.* ubi ad probandum quod operis facti memoria extet, admittitur probatio de auditu auditus. Hinc doctores fere in ore habent, quod in antiquis propter difficultatem probationis sufficiant leviores probationes, l. 1. ff. *de Probation.* et c. *Cum causam.* 13. eod. cum similibus. Aymon Cravetta, t. XVII. *Tractatuum.* tract. *de Antiquitate temporum.* § 1. n. 1. et § *Ampliatur.* et § *Viso de verbis.* ac seqq.

366. *Antiquum, et tempus antiquum, quod dicatur? Referuntur variæ circa hoc doctorum sententiæ.* — Cæterum quodnam tempus dicatur antiquum in materia probationum, variant doctores, uti videre est apud Menochium lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 3. n. 1. et seqq. ubi refert septem diversas sententias. Et quidem, ut aliquid dicatur « antiquum, » requiri tempus centum annorum, sicque « tempus » centum annorum censeri « antiquum : » tradit Abbas c. *Licet ex quadam.* n. 3. h. t. id desumens ex l. ult. C. *de Sacrosanct. Eccles.* Innocentius c. *Veniens de Verb.* Alexander consil. 6. n. 7. lib. I; Farinacius de Testib. qu. 69. n. 226. Jason in repet. l. *Admonendi*, n. 245 et 246. allegans alios, et communem; quam sententiam etiam appellat communem Cravetta cit. tract. *de Antiquit. temp.* § 1. n. 4. et 5. cum aliis. Atque huic sententiæ novissime favet Card. de Luca *de Jurepatronat.* discurs. 57. n. 32 et 33. quamvis addat, centenarium istud tempus non esse intelligendum præcise, sed moraliter ac proinde quoad fidem scripturarum, et alios effectus ex antiquitate resultantes, sufficere tempus supra nonaginta annos, etsi sint infra centum : quoniam adhuc adimpletur idem finis, seu verificatur eadem ratio defectus memoriæ hominum. Ab hac opinione non multum distat Decius consil. 195. n. 7. asserens, tempus antiquum esse nonaginta annorum.

Alii contra volunt tempus antiquum in materia probationum esse tempus triginta, vel saltem quadraginta annorum : quidam vero crediderunt, tempus septuaginta annorum esse antiquum, prout videre est apud Menochium cit. cas. 3. n. 3. et seqq. Media via ingreditur Rota apud Rubeum decis. 424. et

Seraphinum, decis. 75. et alia Rota apud Merlinum decis. 489. dicens, tempus antiquum dici tempus sexaginta annorum. Nec immerito; nam tale tempus subductis pueritiæ annis, utpote quibus minus perfecte res gestas percipere solemus, communiter memoriam hominum excedit, juxta illud Davidicum. *Psalm.* LXXXIX, 10. *Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni.* Ultima, et cæteris probabilior sententia asserit, quale tempus dicatur antiquum, judicis arbitrio esse relinquendum, qui ex subjecta materia istud determinabit. Ita Alexander consil. 187. n. 4. lib. II. post Glossam fin. Clem. 1. *de Rebus Eccl. non alienand.* istud probans ex L. 1. ff. *de Jure deliberand.* Menochius cit. cas. 3. n. 2. allegans plures alios. Nam sufficere tempus decem annorum, quando agitur de modico et levi præjudicio, inquit Carol. Molinæus in *Consuetud. Paris.* tit. 1. § 5. n. 65. quem refert idem Menochius n. 5. et Cravetta loc. cit. § 1. n. 6. post Decium putat, tempus quadraginta annorum sufficere ad plenam probationem, ubi non agitur de gravi præjudicio: hoc est, quando præjudicium est quidem alicujus considerationis (in modicis enim etiam admittitur probatio alias imperfecta) non tamen præjudicium illud est multum grave; quod totum (inquit) in arbitrio judicis videtur positum. Porro in causis magni, vel gravissimi præjudicii, locum habebit aut opinio Rotæ sexaginta annos requirentis, aut severior opinio requirens centum annos, non quidem physice, sed moraliter computandos, juxta sententiam Cardinalis de Luca jam relatam.

367. *Testis de auditu alieno probat contra producentem.* — Fallit *secundo* dicta regula, testis de auditu alieno probat contra producentem. Card. Tuschus cit. litt. T. concl. 180. n. 88. post Romanum, consil. 290. dicentem, quod is jungatur cum teste partis adversæ deponente de visu, Farinacius qu. 69. n. 57. allegans alios: et concordant in simili dicta superius n. 355.

368. *Et quando agitur ad defensionem rei. Ac in aliis causis, in quibus modica scientia fidem facit.* — Fallit *tertio*, quando agitur ad defensionem rei: quia enim tunc admittuntur testes de credulitate, ut dictum n. 353. ergo pariter admittendi sunt testes ex auditu qui audierunt ab aliis fide dignis, ac reddentibus causam sui dicti; puta, quod fuerint præsentes, et viderint, istum esse innocentem. Idemque dicendum in aliis causis, in quibus modica scientia fidem facit: ut est causa denuntiationis. Glossa can. *Hoc videtur.* 12. qu. 5. *Indicavit;* Farinacius *de Testib.* qu. 69. n. 54. et 56.

369. *Atque in illis, quæ sunt difficilis probationis.* — Fallit *quarto* in illis, quæ sunt difficilis probationis : quia in talibus etiam admittitur testimonium de auditu. Farinacius cit. qu. 69. n. 48. et seqq. allegans alios, ut accidit in dilectis occultis; Hostiensis c. *Præterea.* n. 4. et Joan. Andreas ibid. n. 10. h. t. Saltem, quando alia adminicula concurrunt; prout innuit textus in d. c. *Præterea.* et hotat Farinacius loc. cit. n. 52.

370. *Testes de auditu alieno faciunt præsumptionem.* — *Quinto*, licet testes de auditu non probent plene, nihilominus faciunt præsumptionem. Archidiaconus can. *Hoc videtur.* 22. cas. q. 5. n. 3; Felinus c. *Tam Litteris.* n. 3. h. t.; Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II. eas. 475. n. 5; Card. Tuschus cit. concl. 180. n. 74. cum aliis. Qui addunt dictam præsumptionem istud operari, ut onus probandi transeat in adversarium: quamvis hoc ultimum non pauci negent, quos allegat Card. Tuschus cit. ibid. n. 76.

371. *Imo accedentibus aliis adminiculis etiam plenam probationem.* — Quod si vero dictæ præsumptioni accesserint alia adminicula, judicis arbitrio adjudicanda, tunc inde etiam plena probatio resultabit, Arg. cit. c. *Præterea.* n. 27. juncta Glossa ỹ. *De auditu.* et *doctoribus* ibid. h. t.; Menochius cit. cas. 475. n. 9; Card. Tuschus, ubi supra, n. 78; Farinacius cit. quæst. 69. n. 44. et seqq. apud quem nonnullæ aliæ fallentiæ videri poterunt.

372. *Proxime dicta procedunt, quando illi, a quibus testis audivit, jam sunt mortui, vel saltem longe absentes: alias secus.* — Solum pro meliori præmissorum intelligentia adverte cum Menochio cit. cas. 475. n. 6. allegante pro se Cravettam consil. 277. col. 3. et in tract. *de Antiq. temp.* in ultima partit. primæ part. n. 7. proxime dicta procedere, quando illi, a quibus testis audivit, jam sunt mortui, vel saltem longe absunt: secus, si in humanis, et præsentes existerent. Nam tunc nullam præsumptionem facerent: quin potius exsurgit suspicio quædam adversus illum, qui producit solummodo testes ejusmodi de auditu alieno, cum tamen producere posset illosmetipsos, qui id antea dixerant.

373. *Consanguinitas, et affinitas, etiam contra valorem matrimonii, olim probatur per*

testes ex auditu alieno. — Quæritur IV. Utrum, et quando in probatione consanguinitatis, vel affinitatis, admittantur testes de auditu alieno? Resp. I. Quia antiquitus consanguinitas, et affinitas, usque ad septimum gradum dirimebat matrimonium; simulque ob brevitatem vitæ humanæ difficile fuerat scire, sive proprio sensu percipere, quousque consanguinitas se extenderet: hinc olim necessitate sic urgente, in causis matrimonialibus, ac etiam contra valorem matrimonii jam contracti, admittebatur probatio consanguinitatis per testes ex auditu alieno; ut can. *de Parentela.* 35. quæst. 5. juncto c. Licet ex quadam. 47. § 1. h. t.

374. *Hodie tamen istud nonnihil est correctum; et cur? Ut de facto possint recipi testes de auditu alieno super causis matrimonialibus, requiruntur duodecim conditiones.* — Quia tamen experientia teste, exinde multa pericula contra legitima provenerunt matrimonia; prout observavit Concilium generale (seu Lateranense, sub Innocentio III, celebratum) a quo editum fuit cit. c. Licet ex quadam; simulque hodie impedimentum consanguinitatis non amplius extenditur ad septimum gradum, sed duntaxat ad quartum; hinc antiqui canones quoad hoc non nihil sunt correcti, nec valet testimonium de auditu auditus ad probandam consanguinitatem, nisi observatis illis conditionibus, quas ponit idem Concilium generale ibidem relatum; et juxta Joan. Andream, Abbatem, et Summarium in d. c. Licet ex quadam h. t. ac Farinacium de Testib. quæst. 69. n. 105. et seqq. sunt duodecim. Unde:

375. *I. Ut testes illi sint personæ graves.* — Resp. I. Prima conditio requisita ad hoc, ut de cætero possint recipi testes de auditu alieno super causis matrimonialibus, est illa; videlicet, quod testes ita depondituri, « personæ graves existant, quibus fides sit merito adhibenda, » prout loquitur concilium generale loc. cit. Gravitas autem personæ desumitur ex gravitate morum, bonæque famæ et opinionis, sic ut censeatur fide digna. Glossa ibid. ℣. *Persona.* et Hostiensis ℣. *Gravis.*

376. *II. Et ante litem motam testificata didicerint.* — II. Testes illi debent deponere de iis, quæ audierunt ante litem motam; juxta illud, quo in cit. c. *Licet ex quadam.* h. t. subjungitur: « Et ante litem motam testificata didicerint, » etc. Unde si deponerent de illis, quæ primum audierunt post litem motam, nullam fidem facerent, licet intervenirent omnes cæteræ conditiones, quæ ibi requiruntur: quia si vel una earum deficiat, tunc testes nullam penitus fidem faciunt. Mascardus *de Probat.* concl. 410. n. 7. et 8. post Hostiensem, et Innocentium in cit. c. *Licet ex quadam*, ubi et Barbosa in *collectan.* n. 2. h. t. citans alios.

377. *III. Et quidem ab antiquioribus suis.* — III. Quod testes audierint, seu « testificata didicerint ab antiquioribus suis. » Antiquioribus enim magna fides adhibetur, ut inquit Barbosa ibid. n. 4. post Tiraquellum *de Jure primogenituræ*, in præfat. n. 148 et seqq.

378. *IV. Nec ab uno tantum, sed pluribus.* — IV. Quod audierint non ab uno tantum: quia, sicut ille solus non sufficeret ad faciendam plenam fidem, etiamsi de scientia deponeret; ita nec sufficiunt plures testes de auditu, qui ab uno solo audierunt, seu gradus consanguinitatis didicerunt: ne plus credatur copiæ, quam originali, ut loquitur Card. Tuschus litt. T. concl. 180. n. 33. Unde subjungit ibidem concilium generale: « Non utique ab uno, cum non sufficeret ille, si viveret; sed duobus ad minus. » Ubi Glossa ℣. *Ab uno*, amplius hoc confirmat ex eo: quia omnes illi, qui causam habent ab uno, pro uno solo reputantur, arg. can. *Cito.* 1. qu. 1. et l. *Cui fundus.* ff. *de Condit. et demonstrat.*

379. *V. Et quidem non infamibus et suspectis, sed fide dignis.* — V. Ut testes illi de auditu deponentes, non audierint gradus consanguinitatis « ab infamibus et suspectis, sed a fide dignis, et omni exceptione majoribus: cum satis videretur absurdum illos admittere quorum repellerentur auctores: » prout loquitur concilium generale loc. cit. Nam is, qui audivit aliquid ab alio, non potest superare fidem illius, a quo audivit, et cujus verba refert.

380. *VI. Atque deponant cum proprio juramento.* — VI. Testes ejusmodi debent deponere cum proprio juramento: alias non probant, juxta textum ibidem, ubi dicitur: « Testes proprio juramento firment, » etc. Et infra: « Nec tales sufficiant, nisi jurati deponant, » etc. Ubi ponderando ly, « proprio juramento, » videtur pro forma, et ad terrorem aliorum, requiri proprium juramentum: adeo, ut non sufficiat jurare per procuratorem habentem specialem mandatum; prout docet Abbas ibid. n. 6. asserens ita tenere omnes doctores.

381. *VII. Et ad ferendum testimonium odio*

amore, etc., non procedant. VIII. Testesque illi debent personas expressis nominibus, vel circumlocutione sufficienti exprimere. IX. Et ab utroque latere singulos gradus clare distinguere. — VII. Ut testes illi « ad ferendum testimonium in causa ipsa odio, amore, timore, vel commodo non procedant. » Ita textus ibidem. VIII. Testes illi debent « personas expressis nominibus vel demonstratione, circumlocutione sufficienti designare. » IX. Ac etiam « ab utroque latere singulos gradus clara computatione distinguere; » ut loquitur textus ibid. Ubi tamen Glossa ỳ. *Gradus.* et Barbosa n. 6. et Farinacius qu. 69. n. 117. istud intelligunt, dempto stipite : quia de isto non reperitur canon, sed tantum de lateribus; ac proinde sufficit incipere a fratribus. arg. c. *Tua nos.* 7. juncta Glossa ỳ. *Vel germanis. de Consanguinit. et affinit.*

382. *X. Et in suo juramento concludere, se accepisse a majoribus quod deponunt. XI. Et se credere, ita esse.* — X. Debent testes illi « in suo nihilominus juramento concludere, se accepisse a suis majoribus, quod deponunt. » XI. Addenda simul, « se credere ita esse : » prout loquitur concilium generale. ibid.

383. *XII. Ac se vidisse, personas pro consanguineis se habere.* — XII. « Sed nec tales testes sufficiant, nisi jurati deponant, se vidisse personas, vel saltem in uno prædictorum graduum constitutas, pro consanguineis se habere. » Ita statuit concilium generale loc. cit. addita illa ratione : « Tolerabilius est enim, aliquos contra statuta hominum relinquere copulatos, quam conjunctos legitime, contra statuta Domini separare. » Nam in constitutionibus suis potest Ecclesia, sive Romanus pontifex, conditor canonum dispensare : non item in lege divina, posita de indissolubilitate matrimonii legitime contracti.

§ XII.

DE FAMA, ET QUALITER PROBETUR, AC PROBET?

384. *Fama vi nominis, et fama ut sic, quid?* — Viso de testibus ex auditu alieno, operæ pretium esse videtur etiam de fama tractare, utpote quæ ex auditu sumit originem. Fama siquidem a *fando*, sive loquendo sic dicta, vi nominis dicitur, quidquid de aliquo divulgatur, sive in bonam, sive in malam partem; ut inquit Calepinus in *Dictionario.* ỳ. *Fama.* Unde Bartolus l. *De minore.* § *Plurimum.* n. 8. *de Quæstion.* famam ut sic definiens, inquit : Fama est communis opinio voce manifestata; ex suspicione proveniens. Et hæc grosso modo dicitur, « Vox populi : » de qua loquendo.

385. *Fama in bonam partem accepta, quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit fama, et quomodo differat a rumore? Resp. I. Fama in bonam partem accepta, est illæsæ dignitatis status, moribus, et legibus comprobatus, ita textus in l. *Cognitionum.* ff. *de Variis et extraord. cogn.* ubi dicitur : « Existimatio est dignitatis illæsæ status, legibus et moribus comprobatus, quæ ex delicto nostro auctoritate legum aut minuitur, aut consumitur. » Nam existimatio idem est, ac fama et opinio, ut inquit Glossa ibid. ỳ. *Existimatio.*

386. *Proprie loquendo fama non dicitur nisi bona sit. Fama mala appellatur* infamia. — Et proprie loquendo, fama non dicitur, nisi bona sit : quia fama est argumentum virtutis, ut inquit Baldus c. *In Genesi.* n. 66. *de Election.* De qua loquitur S. Augustinus can. *Nolo.* 12. q. 1. relatus his verbis : « Duæ sunt res, conscientia et fama : conscientia necessaria est tibi, fama proximo : qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est. » Similia habentur can. *Non sunt.* 11. q. 3. Econtra vero fama in malam partem accepta, speciali nomine appellatur infamia, id est, famæ privatio; prout notat Glossa loc. cit. estque jam dictum supra, § 2. n. 29.

387 et 388. *Fama ut sic dividitur, in famam hominis, et famam inter homines; et quid?* — Resp. II. Fama ut sic dicitur et in famam homines. Ita Fagnanus c. *Vestra*, n. 27 *de Cohabit. cleric.* Bartolus in l. *De minore.* § *Plurimum.* ff. *de Quæstion.* Mascardus de *Probat.* concl. 749, n. 1. et alii. Fama hominis, seu (ut alii loquuntur) fama de homine est ea, de qua proxime dictum est, cuique convenit data definitio.

« Fama inter homines » sic dicitur respectu eorum inter quos viget, seu circumfertur : nec aliud est, ac publica seu communis insinuatio, vel proclamatio ex sola suspicione et certo auctore proveniens. Ita Ant. Nebrissensis in *Vocabulario juris.* ỳ. *Fama.* Fagnanus loc. cit. n. 38. et alii.

389. *Fama an certo auctore provenire debeat?* — Etsi enim Speculator tit. *de Notoriis criminibus.* § *Fama est*, asserat, quod fama quandoque procedit ex scientia, quandoque ex suspicione, quandoque ex certo, et quan-

doque ex incerto auctore; ut can. *Sanctum est, de Consec.* dist. 4. ibi : « Sed incerto auctore fama commendat. » Ex quo canone Glossa c. *Qualiter et quando.* il. 2. ỿ. *A malevolis. de Accusat.* infert, quod difficile est probare, famam ortam esse a malevolis; cum fama ab incerto auctore procedat, can. *Sanctum est. de Consec.* dist. 4. Nihilominus merito retinetur dictio illa, « et certo auctore procedens, » in definitione famæ proprie dictæ apposita : idque tum ad differentiam rumoris, de quo infra : tum quia judex, ut tollat omnem ambiguitatem, debet testes de fama deponentes interrogare, a quo, vel a quibus dici audiverint, et ubi, et an sit fama recens; uti notat Baldus c. *Tua.* n. 3. *de Cohabit. cleric.* et amplius in progressu dicetur.

390. *Fama inter homines est duplex; et qualis?* Resp. III. Fama inter homines adhuc duplex est : una, qua de aliquo homine, puta Titio, in genere dicitur, quod sit bonus, vel malus, aut fur, etc. In qua acceptione sumitur fama cit. l. *D. minore.* § *Plurimum.* ff. de Quæstion. dum inter alia jubetur investigari, « Cujus existimationis quisque in civitate sua est. » Altera vero, quæ est de aliquo facto particulari cujuspiam : ut puta, qua dicitur inter homines communiter, Titium commisisse tale furtum, homicidium, aut hujusmodi. Et hoc modo accipitur fama in L. 3. § *Ejusdem quoque* ff. h. t. ibi : « Alias veluti consentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem. » Bartolus cit. § *Plurimum.* n. 7. Mascardus d. concl. 749. n. 4. et alii.

391. *Fama super facto aliquo particulari, potest ratione suæ originis tripliciter distingui.* — Resp. IV. Fama hujusmodi, seu super facto aliquo particulari exorta, ratione suæ originis, potest adhuc tripliciter distingui. *Primo,* ut est vana vox vulgi, et rumor in populo, quæ nullos habet certos auctores, nec causas seu rationes probabiles ad sic credendum : et talis fama non est attendenda, l. *Decurionum filii.* C. *de Pœnis,* et c. *Osius episcopus.* 2. *de Election.* junctis concordantiis a Glossa ibid. ỿ. *Populi,* relatis. *Secundo,* ut oritur ab aliquibus malitiosis, suspectis, aut proprio commodo, suæque utilitati studentibus : et hæc pariter fama non est attendenda, c. *Qualiter et quando.* 24. *de Accusation.* ibi : « Si per clamorem, et famam ad aures superioris pervenerit, non quidem a malevolis et maledicis, sed a providis et honestis. » Tertio prout fama traxit originem a personis fide dignis, gravibus, et de quorum commodo non agitur, sed apparet, ex qua ratione et causa fama ortum habuerit, cit. c. *Qualiter et quando.* 24. *de Accusation.* et c. *Licet ex quadam.* 47. h. t. ibi : « Nec ab infamibus et suspectis, sed a fide dignis » didicerint. Et de fama hoc tertio modo considerata, impresentiarum est sermo.

392. *Fama differt a rumore, et quomodo? Rumor, quis?* Resp. V. — Fama aliter accepta multipliciter differt a rumore. Nam fama proprie est, quando tota civitas, vel vicinia, seu major pars populi aliquid asserit. Rumor autem est, quando aliqua pars minor, puta, media, tertia vel quarta pars ita loquitur. Abbas c. *Super eo,* n. 3. *De eo qui cognovit consang.*; Speculator tit. *de Notoriis criminibus.* § *Nunc de rumore.* n. 1. Nebrissensis in *Vocabulario juris.* ỿ. *Rumor.*, et alii. Deinde fama, saltem proprie dicta, procedit a certo auctore; puta, quando est orta a certis et honestis personis, quæ dixerunt in populo, se quid vidisse, et interfuisse : Rumor autem, est ab incerto auctore. Baldus cit. c. *Tua.* n. 4. *de Cohabit. cleric.* Fagnanus d. c. *Vestra.* n. 44. eod. *Tertio,* minus probat rumor, quam fama : hæc enim est communis assertio; rumor vero, cum pauci aliqui dicunt, et ideo non probat, sed solam suspicionem, et præsumptionem inducit. Nebrissensis loc. cit. Insuper fama vires suas eundo, et perseverando extendit, juxta illud Virgilii Æneid. IV, vers. 174 et 175.

Fama malum, quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.

Rumor e contra quandoque cito deficit, l. ult. ff. *de Hæredib. instituend.* Hinc rumor definitur a Speculatore, et Nebrissensi, loc. cit. et aliis, quod sit particularis assertio, ex incerto auctore, et sola suspicione proveniens.

393. *Quæ requirantur ad hoc, ut fama probet? Fama debet esse uniformis, solida, constans et perpetua; non vaga, levis, aut contraria.* — Quæritur II. Quæ requiruntur ad hoc, ut fama probet, quibusque testibus ipsa probetur? Resp. I. Ad hoc, ut fama habeat vim quamdam probandi, plura requiruntur, ac præsertim sequentia. I. Ut fama sit uniformis, solida, constans et perpetua; non autem vaga, levis, aut contraria, seu contrariis allegationibus conquassata : quia alioquin non constaret, qualis fama fuerit, quidque asseveraverit. Baldus consil. 275. vol. I. Sperellus decis. 173. *Fori ecclesiastici,* n. 37.

post Rotam decis. 335. n. 5. part. II. Recent. Rolandum consil. 3. n. 49. lib. I. et alios. II. Requiritur, quod fama originem duxerit a personis honestis, et fide dignis, c. *Qualiter et quando* 24. *de Accusation.* cum similibus. III. Quod constet, seu per testes legitime probetur, famam ex probabilius causis originem duxisse, quæ populum inducere poterant ad sic credendum, et dicendum : alias enim non esset fama, sed vana vox populi, quæ attendi non debet, l. *Decurionum filii.* c. *de Pœnis.* Hæ duæ posteriores conditiones ut melius intelligantur.

394. *Fama potest probari per duos testes. Testes illi debent esse spectatæ fidei, seu omni exceptione majores.* — Resp. II. Fama potest probari per duos testes spectatæ fidei, atque integræ opinionis, seu (ut alii loquuntur) omni exceptione majores. Ita Glossa in l. 3. ℣. *Confirmat.* ff. h. ṭ. dicens, quod fama probatur per duos testes, cum jurant majorem partem populi ita sentire. Bartolus l. *De minore.* § *Plurimum.* n. 19. *de Quæstion.* Felinus c. *Tertio loco.* n. 4. *de Probation.* Jul. Clarus in *Practic. crimin.* § fin. quæst. 6. nu. 11 ; Farinacius lib. II. *Praxis criminal.* quæst. 47. n. 208. 210. et seqq. Menochius lib. VIII. consil. 701. n. 49. Mascardus *de Probat.* concl. 750. n. 1. allegans communem. Et habetur c. *Inquisitiones.* 21. § *Quæsitum de Accusat.* ubi fama censetur probata per duos, vel tres testes. Concordat c. *Licet universis.* 23. h. t. et c. *Cum esses.* 10. *de Testament.* ubi allegatur illud Dominicum : *In ore duorum, vel trium testium fiat omne verbum.* Quod autem testes illi debeant esse spectatæ fidei, seu (ut loquitur Menochius cit. n. 49. et Farinacius d. n. 210. cum aliis) omni exceptione majores, patet ex c. *Qualiter et quando.* 24. *de Accusat.* et c. *Licet ex quadam.* 47. h. t. quorum verba n. 391. referuntur.

395. *Testes deponentes de fama debent deponere quod ita audiverint dici a majori parte populi.* — Resp. III. Testes deponentes de fama debent inter alia deponere, quod audierint ita publice dici a majori parte populi : alioquin non probarent famam. Ita Glossa loc. cit. Bartolus cit. n. 19. Mascardus n. 1. et 2. allegans alios. Ratio est : tum quia testes, ut probent, debent reddere rationem dicti sui, per sensum corporeum ; puta, quia audierunt sic dici a majori parte populi, ut dictum supra § præc. n. 342. et 343 ; tum quia fama non inducitur, nisi a majori parte populi ; ergo etiam testes de ea deponentes tenentur jurati dicere, se audivisse ita publice dici a majore parte populi. Unde non sufficit deponere, quod audierint ita publice dici (posset enim contingere, quod unus solus id publice dixisset) sed necesse est testificari, ita fuisse dictum a majori parte populi.

396. *Populi nomine qui hic intelligantur? In negotiis tamen parvis sufficit fama viciniæ.* — Cæterum nomine majoris partis populi, hic non semper venit intelligenda major pars totius multitudinis hominum in tali loco, vel vicinia quomodocumque existentium : sed id est accipiendum in sensu accommodo, videlicet pro majori parte eorum, qui hoc scire poterant, et ad quos spectabat istud scire. Bartolus cit. § *Plurimum.* n. 12. Mascardus d. concl. 750. n. 8. et alii. Sic, ubi quæritur de fama super peritia alicujus, vel ejus scientia, sufficit esse famam inter peritos, et discipulos talis artis, aut scientiæ, a majori parte sic dicentes ; puta, inter legistas, si quæratur de fama legistæ ; vel inter canonistas, si de canonista, et hujusmodi unde Glossa l. *Cum quidam.* ℣. *Sed si scit,* ff. *de Acquirend. hæredit.* in simili ita loquitur : « Sed si scit, multorum opinione, qui hoc scire possunt. » Concordat textus l. *In ratione.* § *Quod vulgo dicitur.* ff. *Ad legem Falcid.* ubi ly, « quod vulgo dicitur, » nequit verificari, nisi inter sapientes et studentes, qui jus illud scire possunt et debent, prout argumentatur Bartolus, ubi supra.

Deinde ex eo, quod fama oriatur nonnisi ex communi opinione eorum, ad quos spectat scire, infertur, quod testes super ea deponentes in negotiis magnis, debeant testificari, famam esse totius civitatis, utpote ad quam pertinet scire negotia ardua, vel saltem majoris partis ejus : secus in negotiis parvis, nam in his sufficit fama viciniæ, seu illius universitatis, ad quam de hoc scire spectat. Bartolus loc. cit. n. 12. id probans ex c. *Illud, de Præsumpt.* et l. *Cum quidam.* § *Quod dicitur.* ff. *de Acquirend. hæredit.* et sequitur Mascardus cit. concl. 750. n. 9, allegans insuper Salycetum in l. *Ea quidem.* C. *de Accusation.*

397. *Testes de fama tenentur exprimere certas personas, saltem duas ; a quibus audierunt.* — Resp. IV. Insuper testes super fama deponentes, ac interrogati, tenentur exprimere certas personas, saltem duas, a quibus audierunt, quamvis de aliis non amplius recordentur. Ita Menochius cit. consil. 701. n. 50.

et 51. post Bartolum l. *De minore.* § *Plurimum.* n. 23. ff. *de Quæstion.;* Fagnanus c. *Qualiter et quando.* il. 2. n. 83. *de Accusat.* post Innocentium ibid. n. 1. et Mascardus cit. concl. 750. n. 12. 16. et 17, allegans alios; ex quibus multi dicunt, istud etiam procedere, licet testes non sint interrogati. Ratio est : quia fama debet habere originem ab honestis et providis, et non malevolis personis, neque ab iis, de quarum commodo agitur, cit. c. *Qualiter et quando.* 24. *de Accusat.* et c. *Licet ex quadam.* h. t. cum similibus. Hoc autem judici constare nequit, nisi certæ personæ, saltem duæ nominentur : alioquin, ut l. *Decurionum.* c. *de Pœnis.* dicitur, « Vanæ voces populi non sunt audiendæ. »

398. *Ac reddere causam scientiæ, et dicti sui.* — Addit Alexander consil. 70. n. 6. vol. 3. et consil. 25. n. 5. vol. 4; Sperellus cit. decis. 173. n. 39. allegans Rotam coram card. Mantica, decis. 279. n. 9. et Mascardus d. concl. 750. n. 12. et 15. post Bertrandum, consil. 126. n. 8. vol. 7; Decium cap. I. n. 20. *de Appellat.* et plures alios, quod testes super fama deponentes, non solum teneantur reddere causam scientiæ suæ, attestando videlicet quod publice sic audierint dici a majori parte communitatis : sed insuper debeant dare causam dicti sui, nempe assignando causas probabiles, ex quibus inductus est populus ad sic credendum puta, quia personæ illæ honestæ, a quibus fama traxit originem, asseruerunt, ita se vidisse oculis suis; vel quia is, de cujus morte dicitur publica fama extare, ingressus est conflictum bellicum, aut navigans passus est naufragium, et amplius non est inventus, nec comparuit, licet diu expectaretur, vel hujusmodi. Nisi (inquiunt) hujusmodi causæ probabiles exortæ famæ assignentur, non censetur fama probata, sed potius dicitur esse probatum de vanis vocibus populi, quæ audiri non debent, cit. l. *Decurionum.* c. *de Pœnis.*

399 *Simulque deponere de tempore, a quo fama traxit originem. Fama est difficilis probationis.* — Resp. V. Ad famam legitime probandam ulterius requiritur : quod testes illi deponant de tempore, a quo fama traxit originem : nam, ut probent famam, requiritur, quod ita audierint ante litem motam; alioquin præsumeretur orta fama primum occasione litis motæ, seu ex contestatione ipsius. Desumitur istud ex c. *Licet ex quadam.* § *Nisi forte.* 47. h. t. ac notat Abbas ibid. n. 3. et Ancharanus n. 5. et Mascardus cit. concl. 750, n. 30. et 31. Qui tamen Mascardus illico subjungit, istud intelligendum esse, quando testis interrogatur de tempore : quia, si non fuerit interrogatus, neque expresse deposuerit de tempore, præsumitur famam jam extitisse ante litem motam, nisi aliud ex depositione ipsius deprehendatur; uti voluit decisio Rotæ coram domino de Rubeis. 1563 mens. decemb. in causa Toletanæ Portionis: apud quem nonnulla alia de conditionibus ad probationem famæ requisitis; quæ cum tam multæ sint, non mirum, quod fama censeatur esse difficilis probationis; adeo, ut Grammaticus *consil. criminal.* 42. n. 8. quem refert Sperellus d. decis. 173. n. 43. et Menochius cit. consil. 701. n. 51. cum nonnullis aliis dixerit, toto tempore vitæ suæ nunquam se vidisse processum, in quo fama legitime probata fuerit.

400. *Quis sit effectus famæ, seu quam vim probandi habeat? Fama regulariter plenam fidem non facit.* — Quæritur III. Quis sit effectus famæ, seu quam vim probandi habeat? Resp. I. Fama regulariter plenam probationem non facit. Ita Glossa can. *Si testis.* 4. q. 3. ℣. *Fama;* Abbas c. *Transmissa.* n. 10. *Qui filii sunt legit.;* Felinus c. *Per tuas.* n. 15. *de Probat.;* Mascardus *de Probat.* concl. 754. n. 1. allegans communem. Ratio est, quia fama sæpe est fallax, teste experientia : nam « dictum unius, facile sequitur multitudo, » prout notavit pontifex c. *Cum in juventute. de Purgat. canon.*

401. *Utrum fama faciat semiplenam probationem, variant doctores.* — Resp. II. Utrum fama faciat semiplenam probationem, variant doctores; et melius istud judicis arbitrio relinquitur, qui, pensata qualitate famæ, causisque seu conjecturis, et personis, a quibus traxit originem, ipsiusque negotii gravitate, et aliis circumstantiis, vim probandi ipsius, dijudicabit. Ita Abbas c. *Veniens ad nos.* 10. n. 8. et Felinus ibid. n. 11. h. t.; Bartolus l. *De minore.* § *Plurimum.* circa fin. ff. *de Quæstion.;* Mascardus, *de Probat.* concl. 754. n. 6. allegans alios.

402. *Refertur sententia asserentium, famam per se nihil probare.* — Et quidem prior pars, seu quod circa hoc varient doctores : patet inductione. Nam quod fama per se, ac sine aliis adminiculis nihil probet, tradit Glossa can. *Si testes.* 4. q. 3. ℣. *Fama,* dicens, « quod fama per se nihil probat. » Idemque in re tenent omnes illi, qui volunt, famam

se sola non inducere semiplenam probationem, sed tantummodo coadjuvare probationem factam; ita nimirum, ut si utriusque partis probationes essent æquales, et altera pars insuper pro se haberet famam, ista vinceret: pro qua sententia Bartolus, ubi supra, allegat Jacob. de Aretio, et Ant. de Pisis, et Jacob. Butrium; quibus plures alios addit Mascardus loc. cit. n. 5. Accedit ratio, quia probatio debet necessario concludere, c. *In præsentia*. 8. *de Probation*. cum similibus: atqui fama est fallax; ergo.

403. *Alii tenent, quod fama legitime probata, semiplenam probationem inducat in causis civilibus.* — Econtra, quod fama legitime probata, ut supra, semiplenam probationem inducat, saltem in causis civilibus (secus in criminalibus, ubi requiruntur probationes indubitatæ, et luce clariores) insinuat Glossa c. *Veniens ad nos*. 10. ℣. *Illorum*, h. t. et Glossa in l. 3. ℣. *Confirmat*. ff. h. t. asserens cum aliis, quod fama faciat probationem semiplenam, unde facit deferri juramentum, ut l. *In bonæ*. c. *de Jurejurand.*; Archidiaconus can. Si duo. 35. q. 6. n. 5; Speculator tit. *de Notoriis criminibus*. § *Fama est*. n. 5. pariter asserens quod fama inducit semiplenam probationem in civilibus; Card. Tuschus litt. F. concl. 66. n. 59. post Alexandrum consil. 103. n. 3. et 5. lib. VII. inferens, quod in civilibus et pecuniariis causis fama faciat plenam probationem, si jungatur cum alia probatione semiplena. Jason in repetit. l. *Admonendi*. n. 242. ff. *de Jurejurand*. Sigism.; Scaccia lib. II. *de Judiciis*, cap. IX. n. 84. et 85; Sannig. tit. *de Probation*. cap. IV. n. 12. Et pro hac sententia ulterius allegat Mascardus loc. cit. n. 6; Parisium consil. 75. n. 17. vol. 1; Decium cap. I. n. 11. *de Apellat*. ubi hanc dicit communem opinionem, et servari in pratica. Bellameram decis. 740. et alios. Atque ex his patet varietas sententiarum inter doctores quantum ad propositum.

404. *Melius istud relinquitur arbitrio judicis, qui pensata qualitate famæ, causisque ejus, et aliis circumstantiis id dijudicabit.* — Altera vero pars conclusionis, seu quod judicis arbitrio sit relinquendum, quantam vim probandi hic et nunc fama obtineat, est probabilior. Siquidem hæc ambas extremas sententias hactenus allatas apte inter se conciliat, dum primam procedere censet seclusis aliis adminiculis, seu conjecturis; secundam vero admittit istis simul concurrentibus: quod eo magis dicendum, quia fama non censetur legitime probata, nisi nominatis ejus auctoribus, qui sint honestæ vitæ, et bonæ fidei, reddendo simul rationem dicti sui, quibus concurrentibus recte judex arbitrabitur, quod fama inducat semiplenam probationem, imo quandoque etiam plenam, prout illico amplius dicetur. Accedit textus expressus in l. 3. § *Ejusdem*. ff. h. t. quæ est canonizata in can. *Si testes*. § *Sæpe*. 4. q. 3. ubi istud judicis arbitrio relinquitur dijudicandum, illis verbis: « Sæpe sine publicis monumentis cujusque rei veritas deprehenditur: alias numerus testium, alias dignitas: et auctoritas, alias veluti consentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem. Hoc ergo solum tibi scribere possum summatim (alloquitur judicem imperator) non utique ad unam probationis speciem cognitionem statim alligari debere, sed ex sententia animi tui te existimare oportere, qui aut credas, aut parum probatum tibi opineris. » Hæc ibi.

405. *Dantur aliqui casus, in quibus fama plene probat.* — Resp. III. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus fama plene probat. Ita Bartolus in l. *De minore*. § *Plurimum*. circa fin. ff. *de Quæstion*. junctis auctoribus proxime citandis: estque communis. Concordant dicta superius tit. præced. § 3. n. 61. et seqq. ubi plures enumerantur casus, in quibus sufficit semiplena probatio, vel alia ex conjecturis desumpta. Accedit textus ex jam allegata l. 3. ff. h. t. ibi. « Veluti consentiens fama confirmat. »

406. *Ut in factis antiquis.* —Idem probatur inductione. Sic quippe in factis antiquis, quæ excedunt memoriam hominum, fama plene probat: ut c. *Cum causam*. 13. *de Probat*. ubi fines diœcesium in alia probantur per famam; et notat Innocentius c. *Veniens*. il. 1. et Felinus ibid. h. t.; Alexander consil. 83. n. 7. vol. 3; Jason in repetit. l. *Admonendi*. n. 243. ff. *de Jurejurand.*; Mascardus d. concl. 754. n. 7. allegans alios, et communem. Generaliter enim in antiquis, ob difficultatem probationum, leviores probationes admittuntur; prout jam sæpius dictum est.

407. *Et in rebus modici præjudicii.* —Deinde fama plene probat in rebus modici præjudicii. Abbas c. *Veniens ad nos*. 10. n. 9. vers. *Si vero agatur;* Felinus ibid. n. 9. h. t. Bartolus cit. l. *De minore*. § *Plurimum*. circa fin. ff. d. *Quæstion*. id probans ex l. *Ubi adhuc*. c. *de Jure dotium*. Mascardus d. concl. 754. num. 8. et 17. allegans alios. Concor-

dant dicta superius. § 8. num. 280. et alibi.

408. *Vel quando cum fama concurrunt alia adminicula.* — *Tertio*, potest fama plene probare, quando cum ea concurrunt alia adminicula; juxta illud cap. I. *de Apellat.* ibi: « Veritate per idoneas personas, et famam loci sollicite inquisita. » Concordat textus in 6. Illud quoque de Præsumpt. ubi Glossa ℣. *Fama loci*, recte infert, quod fama sufficiat ad probationem, si aliæ præsumptiones coadjuvent; ita quod cum fama faciant probationem, et ita, quæ non prosunt singula, multa juvant. Huc adde c. *Præterea de testibus*, ibi: « Si præsumptionem violentam fama consentiens subministret, ac alia legitima adminicula suffragentur. Etenim circumspecte judex atque discretus motum animi sui ex argumentis, et testimoniis, quæ rei aptiora esse compererit, confirmabit » Hæc ibi. Atque idcirco hanc limitationem tradunt Felinus loc. cit. n. 17; Alexander consil. 24. n. 20. lib. II. Abbas consil. 81. n. 1. vol. 2. asserens, quod fama cum aliis adminiculis sufficiat ad probandum quem usurarium manifestum, ut excludatur a sepultura ecclesiastica; idque probans ex c. *Cum in diœcesi.* juncta Glossa ℣. *Manifestos.* et Joan. Andrea ibid. n. 2. *de Usuris.* Card. Tuschus litt. F. concl. 66. n. 3. et 65. hanc appellans communem opinionem.

409. *Item in iis, quæ sunt difficilis probationis.* — *Quarto*, fama sola, legitime tamen probata, plene probat in iis, quæ sunt difficilis probationis. Card. Tuschus d. concl. 66. n. 66; Alexander consil. 66. n. 9. lib. III, citans Ant. de Butrio in c. *Veniens.* il. 1. *de Testib.* et Bartolum l. *De pupillo.* § *Si quis ipsi prætorio.* quæst. 8. ff. *de Novi oper. nuntiat.* Jason cit. repetit. l. *Admonendi.* n. 252. ff. *de Jurejurand.* Mascardus cit. concl. 754. n. 22. et alii.

410. *Et quando agitur Remedio can.* Redintegranda. — *Quinto*, quando agitur Remedio can. *Redintegranda* 3. q. 1. ad recuperandam possessionem: nam tunc probata publica fama, debet restitui possessio agenti hujusmodi remedio. Ancharanus consil. 42, n. 2. asserens, in hoc convenire omnes doctores. Mascardus n. 24. allegans alios.

411. *Item, quando agitur ad evitandum peccatum.* — *Sexto*, fama probat, quando agitur ad evitandum peccatum: ut c. *Super eo.* juncta Glossa fin. *de Consanguin. et affinit.* ubi sola fama loci de subsistente impedimento, impedit matrimonium contrahendum. *Septimo*, quando agitur de probanda morte alicujus in loco remoto, aut naufragio, vel conflictu bellico, juxta dicta n. 398. *Octavo*, fama plene probat in illis casibus, in quibus versatur opinio, et consuetudo hominum: ut in nominum impositione, arg. l. *Librorum.* § *Quod tamen.* juncta Glossa ℣. *Libros deberi.* ff. *de Legat.* III. *Nono*, quando lex vult, quod sufficiat, famam esse de re aliqua: prout amplius tradit Mascardus cit. concl. 754. n. 24. 25. et seqq. ubi citatis aliis auctoribus universim enumerat triginta duos tales casus.

§ XIII.

DE PRODUCTIONE TESTIUM.

412. *Testes regulariter sunt producendi post litem contestatam.* — Quæritur I. Quando, et qualiter testes sint producendi? Resp. I. Testes regulariter sunt producendi post litem contestatam. Ita communis; et patet ex rubrica, totoque tit. « Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem: » estque jam superius dictum eod. tit. 6. n. 1. et seqq.

413. *Exceptis certis casibus. Remissive.* — Additur « regulariter, » ob certos casus ibid. n. 4. ac seqq. jam specificatos. Potest enim reus etiam ante litem contestatam, petere productionem, et receptionem testium, atque eorum testimonia publicanda curare, si timet v. g. de futura controversia sibi per adversarium movenda, et testes, quos pro sua defensione nunc habere posset, sunt valetudinarii, aut in longinquas regiones abituri; sicque periculum subest, ne ob ipsorum defectum veritas inposterum occultetur, c. *Quoniam.* 5. § 1. « Ut lite non contestata, » etc. Tacentur cæteri casus ibidem videndi.

414. *Qualiter testes sint producendi? Sunt producendi tempore per judicem designando, vel citandi a judice ad instantiam partis.* — Resp. II. Quando lite jam contestata actor per testes vult probare intentionem suam, vel reus suam exceptionem, petere a judice debet admitti ad probandum, seu producendum testes suos tempore per judicem designando: et si testes ad solas producentis preces venire recusent, vel saltem recepta praxis tribunalium ita habeat, tunc ipsi sunt citandi a judice, ad instantiam tamen partis producentis. Ita Vallensis h. t. § 3. n. 1. Engel eod n. 1. et alii, præsertim proxime citandi. Idque de-

sumitur ex l. 3. § fin. ff. h. t. ubi judex jubetur in testibus evocandis attendere ad antiquam locorum consuetudinem: et consequenter judicis est evocare testes ad petitionem partis, vel saltem huic dare facultatem statuto tempore ipsos producendi.

415. *Testis ultroneus censetur suspectus, et non probat parte contra eum excipiente.* — Et merito hic intervenit auctoritas judicis, parte petente vel testes citantis, vel eorum productionem pro statuto tempore consedentis. Nam testis ultroneus, sive non citatus, neque post assignatum a judice terminum a parte producente petitus, sed ultro ad testificandum se offerens, censetur suspectus, id est, nimium parti affectus; ac proinde debet reprobari, juxta l. *Quæ omnia.* § *Sed et si.* ff. *de Procurat.* Nec probat parte adversa contra ipsum excipiente. Felinus c. *In nomine.* n. 23. h. t. istud confirmans ulterius ex Auth. *de Testib.* § *Si vero ignoti.* collat. 7. Bartolus l. *Post legatum,* § *His vero.* ff. *De his quibus ut indignis*, etc. Mascardus *de Probat.* concl. 1365. n. 63; Farinacius *de Testib.* quæst. 80. n. 1. allegans plurimos alios.

416. *Si tamen deponat in præsentia partis, valet dictum ejus nemine reclamante.* — Excipe, nisi ejusmodi testis ultroneus in præsentia adversæ partis, et judicis deposuerit: quia tunc, nemine reclamante, valet dictum ipsius. Ratio est, quia talis non præsumitur se ingerere, sed potius a parte produci, utpote quæ in ejus depositionem altera parte non reclamante consensit: nam, ut inquit Abbas c. *In nomine.* n. 15. h. t. post dom. de Rota decis. 360. ad validitatem testimonii satis est, quod judex assignet certum terminum parti ad producendum testes: quo facto potest pars intra terminum absque alia citatione testes producere, arg. c. *Constitutus.* 30. h. t. ubi pars ita legitur testes coram judicibus pro se produxisse. Idem docet Speculator tit. *de Teste.* § *Qualiter.* n. 6; Mascardus cit. concl. 1365. n. 66. et 67. post Rotam decis. 22. *de Testib.;* Bartolum cit. l. *Post legatum.* § *His vero.* ff. *De his quibus ut indign.* et plurimos alios quos citant.

417. *Partibus præsentibus, et non contradicentibus, non requiritur alia testis citatio.* — Accedit Felinus cap. II. n. 24. h. t. asserens veritatem esse, quod præsentibus partibus, et non contradicentibus, alia testis citatio, vel monitio non requiratur. Et quod dictum illud, « testis ultroneus non probat, » sit verum parte opponente: alioquin vero noceat ei taciturnitas sua, juxta reg. 43. jur. in 6. « Qui tacet consentire videtur. » Si quidem inhabilitas ista non est talis, cui pars tacite renuntiare non possit: unde redeunt dicta superius. § 1. n. 17. 18. et 21.

418. *Regula est, quod productio et receptio testium, debeat fieri citata parte adversa: alias non probant.* — Quæritur II. Utrum ad productionem testium requiratur citatio partis adversæ; et quid, si quis eam impedire præsumat? Resp. I. Regula est, quod productio, et receptio testium debeat fieri citata parte adversa, contra quam producuntur: alioquin attestationes contra non citatum receptæ nihil probant, imo sunt nullius momenti. Ita textus expressus in c. 2. h. t. ubi Glossa, Abbas, Joan. Andreas, Baldus in *Summario;* Mascardus *de Probat.* concl. 683. n. 1; Farinacius *de Testib.* quæst. 72. n. 1. et communis. Id ipsum habetur in Auth. *de Testib.* § *Et hic vero,* collat. 7. quæ est canonizata in cit. cap. II. h. t. illo tamen addito, quod si citatus cessante justo impedimento venire noluerit, absentia ejus habeatur pro præsentia; et factæ postmodum attestationes perinde teneant, ac si eo etiam præsente factæ sint.

419. *Et hujus ratio.* — Ratio conclusionis est; tum quia, ubi agitur de alicujus interesse, semper ille in judicium citandus est, l. *De unoquoque.* ff. *de Re judicat.;* tum quia, si testes reciperentur parte adversa non citata, adimeretur huic facultas proponendi legitimas exceptiones, per quas repellerentur personæ testium, aut negotium principale elideretur, c. *Quoniam frequenter.* § 1. juncta Glossa. ℣. *Ad repellendum,* et ℣. *Vel aliæ.* « Ut lite non contestata, » etc. Hoc autem fieri non debet; cum legitimæ defensiones nulli sint subtrahendæ. Clem. *Sæpe contingit.* § 1. *de Verb. signif.* cum similibus.

420. *Debet etiam citatio illa scribi inter acta judicii.* — Quinimo non solum pro receptione testium citandi sunt illi, quorum interest; sed etiam super ipsa facta citatione, testiumque depositionibus confici debet publicum instrumentum: ut c. *Significavit.* 41 et c. *Albericus.* 43. h. t. et notat Hostiensis in *Summa.* tit. *de Testib.* n. 8. Aut saltem per Notarium ea est scribenda inter acta judicii, c. *Quoniam contra.* 11. *de Probat.*

421. *In quo sensu pars adversa debeat audire testes; juxta cap.* II, *h. t. Juramentum testium trahitur ad totum actum depositionis.* — Cæterum illud, quod in cit. cap. II. h. t. additur,

videlicet quod « oportet, ut testimonia dentur, illo (adversario) admonito a judice, vel defensore venire, et audire testes : » non sic intelligendum est, quasi adversa pars venire debeat, ut audiat testes, quando deponunt dictum suum (debent enim testes secreto, ac singillatim deponere, c. *Venerabili.* 52. h. t. et l. *Nullum.* c. eod.) seu quia debent eos videre, et audire jurantes; ut explicat Glossa ibid. ỿ. *Audire.* et Vivianus in *Rationali* cit. cap. II. h. t. Nam testis censetur recipi, ac deponere, quando jurat, eo quod juramentum testium ad totum actum depositionis trahatur, l. *Si quando.* c. h. t. et sic actus depositionis refertur ad tempus juramenti. Vivianus loc. cit. Porro dicta ipsamet testium sufficienter audiuntur, ac videntur, post publicationem attestationum, quando etiam legi possunt.

422. *Regula illa est limitanda in certis casibus.* — Resp. II. Etsi data regula, sive conclusio regulariter procedat, eadem nihilominus est limitanda in certis casibus. Ita Abbas, et Felinus in cit. cap. II. n. 7. h. t. et Additio *ad Abbat.* ibid. ỿ. *De crimine;* Mascardus concl. 683, n. 15 et seqq.; Farinacius d. quæst. 72. n. 36. et seqq. ubi viginti tres hujusmodi limitationes refert : earum tamen præcipuæ sunt sequentes.

423. *Sic, quando est periculum in mora, possunt testes recipi altera parte non citata idque exemplificatur.* — *Primo*, data regula fallit, possuntque testes recipi parte altera non citata, quando est periculum in mora. Mascardus cit. concl. 683, n. 41.; Farinacius d. n. 36, allegans alios. Ut si jurisdictio judicis delegati esset peritura eo tempore, quo pars citatur. Vel si agatur de probatione debiti contra debitorem de fuga suspectum. Farinacius ibid. n. 36. et 37; Mascardus n. 26. cum aliis. Aut, quando est timor mortis, aut diuturnæ absentiæ testium, vel alias urget periculum admittendæ facultatis ad probandum, c. *Quoniam frequenter*, § 1. « Ut lite non contestate, » etc.

424. *Idem dicendum, quando pars adversa consentit, saltem tacite.* — Deinde fallit data conclusio, quando pars adversa consentit in talem productionem, ad receptionem testium absque sua citatione (potest enim cedere juri suo) sive dein ita consentiat expresse, sive tacite; hoc est, non excipiendo contra talem productionem testium, justa dicta superius, § 1. n. 17. 18. et 21.

425. *Aut, quando ea est præsens in productione, ac receptione testium.* — Idem dicendum si pars adversa sit præsens in productione, ac receptione juramenti testium, quia tunc non est opus alia citatione, cum præsentia ejus suppleat citationem. Auth. *Sed si quis.* c. h. t.; Glossa cap. II. ỿ. *Admonendus.* et Felinus ibid. n. 16. h. t. et concordant dicta superius tit. III. *De Libelli oblatione.* § 2. n. 69.

426. *Vel intervenit monitio judicis, ut pars adversa compareat. Plus operatur monitio judicis, quam citatio nuntii.* — Fallit *tertio* data regula, quando intervenit monitio judicis, ut pars adversa compareat : quia tunc non est opus alia citatione : uti probat textus in d. cap. II. h. t. ibi : « Illo admonito a judice, aut defensore venire, » etc. Quinimo plus operatur monitio judicis, quam citatio nuntii. Maranta part. 6. *Speculi aurei*, tit. *de Citatione.* n. 49; Farinacius d. quæst. 72. n. 76.

427. *Item, quando est talis testis, ut ejus dicto necessario si standum. Et quid, sit testis sit omni exceptione major?* — Fallit *quarto*, quando est talis testis, ut ejus dicto jurato necessario sit standum; ut puta, ex voluntate testatoris ita mandantis, juxta l. *Theopompus.* ubi Bartolus n. 4. ff. *de Dote prælegat.* ac notat Alexander consil. 130. n. 5. lib. I; Felinus c. *In nomine.* 2. n. 14. h. t. rejiciens contrariam Abbatis opinionem; Mascardus d. concl. 683. n. 30. allegans alios. Idem dicendum, quoties certum est, nihil posse opponi contra testem : puta, quia constat, quod sit major omni exceptione. Felinus, et Mascardus, ubi supra, et plures alii, quos pro hac sententia allegat Farinacius d. quæst. 72. n. 47. quamvis ipse n. seq. fateatur hanc limitationem sibi admodum duram videri : quia, licet nihil possit opponi personæ testis, multa tamen alia possunt proponi ad impediendum examen, vel saltem ad veritatem magis explicandam formando certa interrogatoria, quæ pars citata formare posset.

428. *Et quando testes recipiuntur ad informationem superioris super habilitate electi.* — Fallit *quinto*, quando testes recipiuntur ad informationem superioris super habilitate vel inhabilitate electi, vel alterius personæ ad aliquam dignitatem promovendæ : tunc enim non requiritur citatio partis. Abbas c. *In nomine*, n. 7. et Felinus ibid. n. 8. h. t.; Socinus *de Fallentiis.* reg. 406. fallent. 2; Farinacius d. quæst. 72. n. 51. et 52. istud intelligens, antequam quis est promotus ad dignitatem : secus, ubi quis jam fuit promo-

tus, et agitur de illo removendo; quia tunc judicialiter foret agendum, non sic in priori casu, ubi sufficit informatio extrajudicialis.

429. *Item in causa hæresis.*— Fallit *sexto* in causa hæresis, quando propter potentiam personarum, contra quas inquiritur, testibus grave periculum imminere vident, episcopus et inquisitores quia tunc nomina testium non sunt publicanda, cap. ult. *de Hæretic.* in 6. sicque cessat depositio cap. II. h. t.; Abbas cit. cap. II. n. 8. et Felinus ibid. n. 17. h. t.; Socinus d. reg. 406. fallent. 4; Mascardus ubi supra, n. 36. et alii.

430. *Et quando judex vult se informare super notario, vel fama. Vel testis alias examinatus iterum producitur ad declarandum dictum suum.* — Fallit *septimo*, quando judex vult se informare super notorio, vel fama : puta quando agitur, ut deveniatur ad inquisitionem specialem, juxta c. *Qualiter et quando.* 24. *de Accusat.* quia tunc potest recipere testes parte non citata. Felinus c. *In nomine.* n. 7. h. t.; Mascardus d. concl. 683. n. 15. allegans alios. Idemque dicendum, quando testis alias examinatus, iterum producitur ad declarandum dictum suum : quia in tali declaratione non est necessaria partis citatio. Mascardus loc. cit. n. 31. allegans alios. Tacentur aliæ limitationes, de quibus auctores proxime citati : nam præmissæ sunt principaliores, minusque dubiæ.

431. *Excommunicari potest, qui impedire præsumit productionem testium.* — Resp. III. Quod si pars adversa, vel quicumque alius impedire præsumpserit productionem testium, tunc excommunicari poterit. Textus est in c. *Constitutis.* 45. h. t. ubi pontifex intellecto, quod nonnulli partim minis et terroribus, partim extorto juramento de non testificando contra reum, testes a ferendo testimonio arcere niterentur; ex officio suo providere volens mandavit ut generalis sententia excommunicationis feratur in omnes, qui impedimentum aliquod parti in producendis testibus præstare præsumpserint : et notat Abbas in *Summario*, et Barbosa in *Collectan.* ibid. n. 1. et communis doctorum. Accedit ratio; quia occultare veritatem in alterius præjudicium, dum quis legitime inducitur ad testificandum, est peccatum mortale, can. *Quisquis metu.* 11. quæst. 3. ergo idem dicendum de eo, qui malitiose præsumit impedire alterum a ferendo testimonio : nam facientes, et consentientes pari pœna sunt plectendi, c. *Quantæ.* 47. *de Sentent. excommun.* Atqui pro peccato mortali, præsertim tam pernicioso, potest quis excommunicari, can. *Nemo episcoporum* et can. *Nullus sacerdotum.* 11. q. 3. ergo.

432. *Judex ex officio providere debet, ne impediatur productio testium.* — Hinc Abbas in cit. c. *Constitutis.* n. 1. h. t. ex textu illius notanter infert, quod judex ex officio suo providere debeat, ne impediatur productio et receptio testium, sed salva sit partibus rerum probatio : et si secus fiat, judex ecclesiasticus possit excommunicare etiam laicos, vel quoscumque impedientes partem in explicandis illis, quæ sunt judicio necessaria. Quod si tales ignorantur in specie, notetur practica in d. c. *Constitutis.* 45. h. t. insinuata, ut feratur excommunicatio generalis in quoslibet ita impedientes.

433. *Quid agendum, si testes producendi alienæ sint jurisdictionis? Debet tunc citatio eorum expediri per litteras* mutui compassus. — Quæritur III. Quid agendum, si testes producendi alienæ sint jurisdictionis? Resp. I. Quando testes non sunt subjecti jurisdictioni judicis citantis, sed alienæ jurisdictionis; tunc eorum citatio expediri debet per litteras, quas vulgo *mutui compassus* appellant, in quibus requiritur judex competens, ut testes suæ jurisdictioni subjectos mittat ad locum judicii, in quo eorum testimonium desideratur. Ita Engel h. t. n. 2. Et ratio est : quia necessariæ probationes debent fieri coram judice, qui præstet judicio, l. *Quinquaginta.* ff. *de Probat.* Et ipse omnibus rite observatis tenetur existimare, quanta fides testibus sit adhibenda, l. 3. § *Ideoque* ff. h. t. Istud autem obtineri non potest a testibus alienæ jurisdictioni subjectis, nisi per memoratas litteras, petendo ipsorum remissionem a proprio eorum judice : siquidem citatio non subditi, nullius est momenti; cum extra territorium jus dicenti, impune non pareatur, l. ult. ff. *de Jurisdict. omn. judic.* et cap. ult. *de Constit.* in 6. ergo.

434. *His non indiget episcopus in causis ecclesiasticis citans testes laicos suæ diœcesis; et cur? Episcopus est ordinarius totius diœcesis.* — Additur notanter, « quando testes non sunt subjecti jurisdictioni judicis citantis, » etc. Cum enim episcopus sit ordinarius totius diœcesis. Abbas in *Repet.* c. *Si quis contra.* n. 41. *de Foro compet.* Atque ipse in quolibet loco suæ diœcesis non exempto per se, vel per alium possit pro tribunali sedere,

eo quod « episcopus in tota sua diœcesi jurisdictionem ordinariam noscatur habere, » juxta textum expressum in c. *Cum episcopus.* 7. *de Offic. ordinar.* in 6. Liberamque habeat potestatem, adulteria et scelera inquirendi, ulciscendi, et judicandi, secundum quod canones censent, absque impedimento alicujus, cap. I. *de Offic. ordinar.* junctis concordantiis a Glossa ibid. ỳ. *Secundum quod*, relatis. Hinc perspicuum est, quod episcopus in causis ecclesiasticis, citans testes laicos suæ diœcesis, non indigeat litteris *mutui compassus*, quibus requirat judices sæculares, ut mittant subditos suos ad ferendum testimonium in judicio ecclesiastico; habet enim episcopus jurisdictionem ecclesiasticam non solum in clericos, verum etiam in laicos totius suæ diœcesis; sicque testes ab eodem in causis ecclesiasticis citati, nequeunt declinare forum ipsius. Quod si forsitan aliqui eorum secus attentare præsumpserint, per censuras ecclesiasticas sunt compellendi ad ferendum testimonium, ne veritas occultetur, cap. I. et II. et c. *Pervenit ad nos.* 5. *de Testib. cogend.* Sed nec ejusmodi testes possunt a sæcularibus judicibus, vel dominis suis territorialibus impediri, quominus ferant testimonium coram episcopo loci in causis ad ejus forum pertinentibus : quia, ut patet ex c. *Constitutis.* 43. h. t. estque proxime dictum n. 431. et 432. per judicem ecclesiasticum excommunicandi sunt quicumque illi, etiam laici qui productionem testium impedire præsumpserint.

435. *Quod si testes personaliter venire nequeant, concedenda est alteri judici* Remissoria. — Resp. II. Quod si testes vel ob nimiam distantiam locorum, seu pericula itinerum, aut infirmitatem ipsorum, vel aliud justum impedimentum, judicem judicii personaliter accedere, seu remitti nequiverint, tunc per istum concedenda est alteri judici *Remissoria* (seu litteræ remissoriales) pro examinandis ejusmodi testibus absentibus, ac extra provinciam existentibus : ita videlicet, ut ille alius judex examen testium in se suscipiat, illudque secundum ordinem juris instituat, ac depositiones testium in scriptis sub suo sigillo clausas transmittat. Ita probat textus in l. *Judices.* c. *de Fide instrument.* ac notat Menochius *de Recuperand. possess.* remed. 15. n. 348. asserens, ita affirmare omnes : ac Farinacius, *de Testib.* quæst. 77. n. 2. citans plurimos alios, et n. 4. subjungens, quod si judex ejusmodi in causa civili denegaverit remissoriam, possit a tali denegatione appellari.

436. *Intelligendo istud in causis civilibus : secus in criminalibus, in quibus remissoria non conceditur. Nisi hæ sint modicæ, vel agatur ad defensionem rei.* — Notanter tamen additur, « in causa civili. » Nam in causis criminalibus remissoria non conceditur; ut habet textus expressus in Auth. *Apud eloquentissimum.* c. *de Fide instrument.* Ubi Baldus, et Salycetus in *Summario,* sic inquit : « Receptio testium potest committi in civilibus causis, non in criminalibus. » Quamquam istud sit limitandum in causis criminalibus parvis, seu ubi agitur de modica pœna pecuniaria : item, quando agitur ad defensionem rei inquisiti, vel de crimine agitur solum civiliter : aut quando petitur remissoria pro examinandis testibus senibus, vel valetudinariis, sive non habentibus tutum accessum ad locum, ubi causa criminalis intentatur; atque in nonnullis aliis casibus, in quibus remissoria etiam in causis criminalibus concedi potest, ne facultas probationum angustietur, aut veritas occultetur : prout fusius declarat Farinacius cit. quæst. 77. a n. 78. usque ad n. 114. allegans alios.

437. *Depositiones testium a judice remissoriam accipiente, transmitti debent alteri judici clausæ, seu sigillatæ. Et quid, si transmittantur apertæ?* — Porro, quod attestationes, seu depositiones testium examinatorum a judice delegato, seu remissoriam accipiente, transmitti debeant judici remissoriam concedenti clausæ, seu sigillatæ, non vero apertæ, patet ex eo : quia per remissoriam committitur alteri judici examinatio testium, non vero publicatio attestationum, cit. l. *Judices,* juncta Glossa fin. c. *de Fide instrument.* et notat Farinacius d. quæst. 77. n. 143. Quamquam illico subjungat n. seq. quod si secus fiat, et attestationes testium mittantur apertæ, seu non sigillatæ, idcirco non vitientur dicta testium : licet pars aperiens dictas attestationes absque auctoritate judicis, puniatur pœna falsi; et amplius non possit opponere contra testes inhabilitate, vel falsitate.

438. *Testes e longinquo sunt producendi sumptibus ipsius producentis.* — Quæritur IV. Cujus sumptibus testes e longinquo sint producendi? Resp. I. Testes sunt producendi sumptibus ipsius producentis, sive ipsorum testimonium desiderantis; qui proinde testibus e longinquo adductis tenetur subministrare viaticum, seu competentes expensas in veniendo, stando, et redeundo factas, juxta condictionem et qualitatem ipsorum. Ita

communis ; et habetur decisum in c. *Statutum.* 10. § *Pro ferendo. de Rescript.* in 6. et l. *Quoniam liberi.* c. h. t. ubi judex jubetur esse cautus, ut testibus « venturis ad judicium, per accusatorem, vel ab iis per quos fuerunt postulati, sumptus competentes dari præcipiat. » Quod ipsum refertur can. *Si testes.* § *Venturis.* 4. q. 3. Et merito : quia licet testimonium non debeat testi esse lucro, non tamen debet ipsi esse nocumento : et regulare est, quod ille teneatur ad impensas, cujus gratia actus celebratur, l. *Sed etsi hæreditas.* § *Quo autem.* ff. *Ad exhibendum ;* Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 310. n. 10 ; Covarruvias c. *Peccatum.* part. II. § 3. n. 2; Gailus lib. I. *Practic.* observat. 99. n. 2. et seqq.; Engel h. t. n. 8. et alii.

439. *Qui tenetur eis subministrare competentes expensas in veniendo, stando, et redeundo; et qualiter id præstandum ?* — Additur notanter, « competentes expensas in veniendo, stando, et redeundo.» Hæc enim omnes sunt testibus aliunde vocatis subministrandæ, per textum expressum in cit. c. *Statutum.* § *Pro ferendo. de Rescript.* in 6. Ubi Glossa ℣. *Expensas,* et Ancharanus ibid. n. 3. sentit expensas illas esse deponendas apud judicem jam a principio, seu antequam testes citet e longinquo. Et idem placet Gailo cit. observat. 99. n. 2. et 3. ubi addit, istud pro cautela esse bene notandum : simulque notat, quod ubi testes extra locum habitationis suæ peregre evocantur, viaticum necessarium ipsis subministrandum sit nulla habita ratione, vel deductione sumptuum, quos alias domi fecissent, per textum in d. § *Pro ferendo:* et nisi producens id fecerit, testes citati comparere non teneantur, nec judex causam differre debeat, juxta Glossam ibid. ℣. *Expensas.*

440. *Judex cavere debet, ne testes e longinquo adductos diutius detineat, saltem non ultra quindecim dies.* — Judex tamen cavere debet, ne testes e longinquo adductos diutius quam par est, in loco examinis stare faciat, et saltem ipsos non detineat ultra quindecim dies ; alias enim testes illi, etiam venia non petita discedere, atque domum redire possent, per textum expressum in l. *Si quando.* c. *de Testib.* Licet ante illud tempus, absque licentia, impune hoc facere non possint, cap. I. *de Judiciis,* ac notat Gailus loc. cit. n. 6. allegans alios.

441. *Expensæ testibus e longinquo venientibus debitæ qualiter sint mensurandæ?* — Resp. II. Expensæ testibus e longinquo venientibus debitæ, sunt mensurandæ per judicem habita ratione status personarum, et qualitatum suarum. Ita desumitur ex textu cit. § *Pro ferendo,* ibi : « Competentes expensas. » Quod ipsum traditur in d. l. *Quoniam liberi.* c. h. t. ibi : « Sumptus competentes dari præcipiat : » et amplius tradit Gailus loc. cit. n. 3. et 4.

442. *Rusticus equo uti non debet : et si utatur, expensæ idcirco factæ non sunt ei reficiendæ.* — Hinc in taxando modo expensarum considerare oportet, an nobilis, plebeius, vel rusticus in testem vocetur. Rusticus enim equo uti non debet; et si utatur, expensæ idcirco factæ non sunt ei reficiendæ, juxta Glossam singularem in l. *Idemque.* § *Idem Labeo.* ℣. *Eum oportere.* ff. *Mandati :* « Quia (inquit Glossa) consuetudo sua est servanda, et non competit suæ conditioni equitare. »

443. *Utrum emolumentorum, quibus testis ob absentiam carere debet, ratio sit habenda?* — Utrum autem emolumentorum, quibus testis ob absentiam carere debet, seu operarum omissarum ratio habenda sit, variant doctores. Et quidem negativam tenet Gailus cit. observat. 99. n. 5. post Baldum in l. fin. n. 12. c. *de Fructib. et lit. expens.* ac tenent nonnulli alii apud Farinacium *de Testib.* q. 67. n. 271. et 272. Verum ipsemet Farinacius ibid. n. 270. et 273. adhæret oppositæ sententiæ tanquam veriori, et magis communi, ne videlicet testimonium sit testificanti damnosum ex jactura talium emolumentorum.

444. *Testes e longinquo citati gratia utriusque partis, ab utraque sumptus ex æquo recipiunt. Sed hos pars victa tenetur victrici refundere, nisi, etc.* — Solum adde, quod si testes e longinquo citentur pro utilitate utriusque partis, tunc sumptus ex æquo faciendi sint ab utraque parte, utpote cujus gratia atque geritur : ut l. *Sed et loci.* § 1. ff. *Finium regund.;* Gailus loc. cit. n. 6. Alioquin vero pars victa cogetur sumptus necessarios in producendis testibus factos, parti victrici refundere : nisi forsan ob justam causam litigandi compensatio expensarum facta fuerit, l. *Properandam.* § *Sive autem alterutra.* c. *de Judiciis.*

445. *Regulariter tres solum productiones testium fieri possunt : quarta vero nonnisi cum solemnitate legali admittitur.* — Quæritur V. Quot possint fieri productiones testium?

Resp. I. Regulariter tres solum productiones testium fieri, et admitti possunt; quarta vero nonnisi ex justa causa, et cum solemnitate legali, admitti debet. Ita Summarium, Abbas, Barbosa, et doctores communiter in c. *In causis*. 15. h. t. ubi sic habetur decisum, illis verbis : « In causis ecclesiasticis, et civilibus ultra tertiam productionem, non debent testes produci, nisi adhibita quadam solemnitate, quæ in legibus invenitur expressa. » Concordat Auth. *de Testib.* § *Quia vero*. collat. 7. et c. *Ultra tertiam*. 53. eod. illico referendum. Unde.

446. *Solemnitas ista legalis declaratur.* — Resp. II. Solemnitas legalis, quæ debet observari in quarta testium productione, determinatur in cit. Auth. *de Testib.* § *Quia vero*. et d. c. *Ultra tertiam*. h. t. illis verbis : « Ultra tertiam productionem non debent testes produci in causa, nisi præstito ab eo, qui hoc postulat, juramento, quod neque per se, neque per alium testificata subtraxerit, vel fuerit percunctatus : nec per dolum aut artem aliquam quartam productionem exposcat; sed quia, quos desiderat de novo producere, prius habere nequivit. » Hæc ibi.

447. *Importat juramentum super tribus punctis judicialiter deponendum.* — Ex quibus verbis liquet, quod dicta solemnitas legale importet juramentum super tribus punctis judicialiter præstandum. I. Quod *testificata*, seu factas sive pro sua, sive pro adversa parte (ut explicat Glossa in cit. c. *Ultra tertiam*. ỿ. *Testificata*) testium depositiones, « neque per se, neque per alium subtraxerit : » hoc est, suppresserit; vel occultaverit, forsan advertens, quod sibi non faveant. II. Quod nec testificata « fuerit percunctatus; » id est, non didicerit, aut exploraverit : quia tunc oriretur periculum, et præsumptio subornationis testium, si isti post jam didicita testificata produci possent, c. *Fraternitatis*. 17. juncta Glossa ỿ. *Novis*. h. t. III. Quod dolose, « seu per dolum, aut artem aliquam, » puta, ad malitiose protrahendam litem « quartam productionem non petat; » sed quia hujusmodi testes antea producere non poterat : uti liquet ex allegato textu, et cit. Auth. *de Testib.* § *Quia vero*.

448. *Affertur ratio memoratæ decisionis.* — Ratio conclusionis, seu memoratæ decisionis est : partim, ut coerceatur effrænata testium multitudo; qualis sequeretur, si semper alii et alii testes possent produci, l. I. § fin. ff. h. t. et c. *Significaverunt*. 36. juncta Glossa. ỿ. *Effrænata*. h. t. Partim, quia ex petita jam multiplici productione testium oritur præsumptio, quod quis malitiose id faciat, nimirum vel animo prolongandi litem; vel quia jam percunctatus fuerat dicta testium antea a se productorum, et videndo, quod illi non bene probent intentionem suam, velit postea producere alios testes subornatos : prout in simili cavetur Clem. 2. h. t. Sed quia potest quandoque oppositum contingere, hinc statuitur illud moderamen, ut cessante tali fraude possit quidem admitti quarta testium productio, sed nonnisi servata præmissa solemnitate legali, sive præstito juramento, ut supra.

449. *Cur juramentum, ad quartam productionem testium requisitum, non superfluat post præstitum juramentum calumniæ?* — Dices : Frustra exigitur istud juramentum, postquam a principio jam fuit juratum de calumnia; ergo. Antecedens probatur. Quia juramentum de calumnia extendit se ad omnia, quæ postea occurrunt in causa, Auth. *Hoc sacramentum*, c. *de Jurament. calumn.* simulque non debet sæpius in eadem causa jurari, auth. *De his qui ingred. appellat.* § fin. collat. 5. Resp. neg. antecedens, cum suæ probationis consequentia. Quia juramentum de calumnia est longe diversum ab isto; atque ideo unum juramentum non excludit alterum, neque istud reddit superfluum; nam juramentum de calumnia, est juramentum de credulitate, seu quod quis credat, se habere justam causam, etc. Juramentum autem, quod hic requiritur ad obtinendam quartam productionem testium, est juramentum de veritate; seu quod quis neque per se, neque per alium didicerit testificata, etc. Glossa cit. c. *Ultra tertiam*. ỿ. *Juramento*. h. t. juncta Glossa marginali ibid. amplius hanc instantiam deducens, et resolvens.

450. *An per ly* productionem, *oporteat hic intelligere* dilationem? — Circa dictam tamen conclusionem, et allegatum in ea textum ex c. *Ultra tertiam*. h. t. est sciendum, quod Glossa ibid. ỿ. *Productionem*. et Barbosa in *Collectan.* n. 1. et Joan. Andreas c. *In causis*. n. 6. h. t. pluresque alii, per ly, « productionem, » intelligant « dilationem : » ut sit sensus, quod ultra tertiam non concedatur quarta dilatio absque memorata solemnitate legali, quamvis intra terminum ejusdem dilationis plures possint fieri productiones testium. Verum de hac opinione Glossæ multum dubitat, ac in oppositum inclinat Abbas

in cit. c. *Ultra tertium.* not. 1. et c. *In causis.* n. 1. h. t. eumque sequitur Pirhing h. t. n. 174; tum quia textus in juribus præallegatis utitur verbo *Productionis*, et non *Dilationis;* tum quia ex tot repetitis testium productionibus, quæ juxta dictam Glossæ opinionem intra singulas dilationes fieri possent, daretur locus effrænatæ testium multitudini : simulque oriretur præsumptio fraudis contra producentem, juxta dicta n. 448. Quod si tamen ista incommoda cessarent, poterit habere locum dicta Glossæ opinio : quam etiam servari in practica, esseque tenendam, monet Joan. Andreas ad fin. cit. n. 6.

451. *Si quarta productio testium fuerit concessa sine solemnitate legali nemine contradicente, valent attestationes.* — Resp. III. Etsi quarta productio testium concedi non debeat absque memorata solemnitate legali, ut dictum : nihilominus si ea concessa fuerit absque illa solemnitate, simulque a parte altera non sit contradictum, neque appellatum, valent attestationes inde secutæ. Ita Abbas cit. c. *In causis.* n. 4. h. t.; Mascardus quæst. 10. procem. n. 63. et 64. et concl. 1229. n. 18. citans alios. Ratio est, quia hoc ipso, quod non fuerit contradictum, censetur pars altera tacite consensisse in ejusmodi quartam productionem testium, eamque approbasse; sicque sibi præjudicat, conformiter dictis supra § 1. n. 17. 18. 21 et tit. VIII. *De Dilationibus.* § 3. n. 57 et 58.

452. *Secus si fuerit contradictum, et appellatum. Idem dicendum de receptione testium post conclusionem in causa.* — Accedit, quod in simili, imo et a fortiori, valeat productio ac receptio testium facta post conclusionem in causa, si non fuerit contradictum; prout censuerunt domini de Rota, decis. 5. apud Abbatem cit. n. 4. Quod si vero fuerit contradictum, et appellatum, non valent attestationes, quæ recipiuntur post conclusionem in causa, vel in quarta testium productione absque solemnitate legali concessa, juxta reg. 64. juris in 6. « Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi, » cum concordantiis. Abbas loc. cit. n. 4.

453. *Testes simul producti, an iterum in eadem causa produci valeant? Potest eos reproducere, qui testificata nondum didicit.* — Quæritur VI. An testes semel producti, iterum in eadem causa produci valeant? Resp. I. Qui testificata nondum didicit, neque testibus producendis renuntiavit, potest in eodem etiam judicio, et super iisdem articulis, iterum eosdem vel alios testes producere. Ita habetur decisum in c. *Constitutis.* 46. h. t. ubi Summarium, Glossa, Abbas, Barbosa, aliique communiter. Accedit ratio, quia is, qui testificata nondum didicit, adhuc ignorat quid testes deposuerunt in sua priori productione; sicque cessat periculum subornationis, ut aliquid addant, vel corrigant de priore testificatione sua. Deinde facultas probationum non est indebite angustianda, c. *Dilecto.* 40. h. t. et l. I. § *Adhiberi.* ff. eod. ergo non est impedienda iterata productio testium illorum, quos antea, quis producere potuit, aut etiam produxit, nisi obstet facta renuntiatio testium, vel aliud legitimum impedimentum. Occasione cujus:

454. *Didicita testificata, quando dicantur?* —Est notandum, quod « Didicita testificata » tunc dicantur, quando quis acta depositionis testium plene cognovit, seu ex actis intellexit, quid testes in sua testificatione deposuerint : secus, quando quis vel omnino non, vel saltem non plene, aut non ex actis illis, sed aliunde extrinsecus, testium depositiones intellexisset. Baldus c. *Constitutis.* il. 2. n. 3. h. t. asserens, hoc esse mente tenendum; et alii proxime citandi. Quare, si quis attestationes perfunctorie, et quasi aliud agens non diligenter perlegerit, vel si ipsi legenti notarius attestationes e manibus eripuerit, aut alio quovis modo imperfecte duntaxat attestationum notitiam acquisierit, nondum censetur testificata didicisse; sicque potest adhuc testes producere. Bartolus in Auth. *At qui semel.* vers. *Venio ad quartum.* c. *de Probat.*; Baldus loc. cit.; Mascardus *de Probat.* concl. 1243. n. 30. et alii, quos citat.

455. *Non censetur didicisse testificata cui testes revelarunt, quid dixerint, aut dictari sint.* — Hinc etiam non censetur didicisse testificata pars illa, cui testes probantur revelasse examen; seu, quid in sua testificatione deposuerunt: quia sæpe mentiuntur, aut saltem veritatem occultant ejusmodi testes, ut partibus blandiantur et placeant. Baldus cit. n. 3; Gailus lib. I. *Pract.* Observat. 105. n. 3. vers. « Idem est, si ab ipsis, » etc. Idemque dicendum, si testis antequam deponeret, prædixit parti, quid in examine dicturus sit : quia sæpe aliter postea dicunt. Felinus c. *Fraternitatis.* n. 11. h. t. Farinacius *de Testib.* qu. 75. n. 35. et 38. allegans plures alios, atque inde concludens, quod quis propterea non excludatur a productione novorum testium.

456. *Secus, quando judex prælegit partibus testium depositiones, vel quis eas subtraxit, etc.* — Econtra vero, quando judex partibus præsentibus, tacentibus et audientibus prælegit testium depositiones, tunc indubie censentur a partibus testificata didicita, seu plene percepta. Et idem dicendum, quando quis testificata subtraxit, vel penes notarium, aut aliam personam existentia perfecte legit, arg. c. *Ultra tertiam.* 53. h. t. Vel quando alias hæc penes ipsum aperta, seu desigillata reperiuntur : præsumitur enim testificata perlegisse, sicque didicisse; nisi forsan oppositum probari posset, v. g. ex eo quod attestationes penes ipsum reperiantur adhuc clausæ, et non disigillatæ. Farinacius cit. quæst. 75. n. 43. et alii, quos copiose citat.

457. *Post publicationem attestationum, et didicita testificata nequit pars super eisdem articulis reproducere priores testes, nec alios producere ; et cur?* — Resp. II. Post publicationem attestationum, et dicita testificata, non potest pars super eisdem articulis, vel directe contrariis, reproducere priores testes, neque alios novos producere. Ita Glossa c. *Fraternitatis.* ℣. *Novis.* et Abbas ibid. n. 4. h. t. Farinacius cit. quæst. 75. n. 68. et communis doctorum. Atque istud habetur expressum in Auth. *de Testib.* § *Quia vero.* collat. 7. ubi dicitur: « Illud tamen indubium est, quia et si semel producens testes, aut his, aut testificationes tractaverit (id est, descripserit, ut explicat Glossa) aut adversario in hoc faciente ipse disputationem acceperit, et ex hoc didicerit testificata, non habebit omnino licentiam ullam ulterius uti testium productione. » Concordant textus in c. *Constitutis.* 46. h. t. ibi : « Cum nondum testificata didicerint: » sumpto argumento a sensu contrario. Et c. *Ex tenore.* 35. juncta Glossa fin. et c. *Veniens.* 38. § *Pars autem.* 46. h. t. cum similibus. Accedit ratio: quia, postquam pars didicit testificata, subest periculum subornationis testium, seu ne pars, quæ testes produxit, eos subornet, ac instruat, ut aliquid addant, vel demant factæ suæ depositioni ; prout notatur in Clem. 2. *de Testib.*

458. *Etiamsi didicisset testificata statim post primam, vel secundam productionem testium.* — Atque hæc conclusio non solum procedit ad impediendum quartam productionem testium, de qua fit mentio in c. *Ultra tertiam* 55. h. t. sed etiam locum habet, quando quis post primam jam, vel secundam testium productionem testificata didicit, ut probatur ex cit. Aut. *de Testib.* ibi: « Et si semel producens testes, aut bis. » etc. Nam etiam tunc subest periculum subornationis testium, dum qui testificata jam didicit, per jura hactenus allegata ; sicque non possunt alii testes produci, aut reproduci.

459. *Et hoc regulariter loquendo, ac demptis certis casibus. Remissive.* — Intellige *regulariter loquendo*, ac demptis certis casibus, in quibus etiam post publicationem attestationum, aut didicita attestata, imo et post conclusionem in causa, posse novas probationes recipi, testesque produci aut reproduci, jam dictum est supra tit. præced. § 6. n. 154. et seqq. et n. 163. et seqq. Sed de his ibi videatur, vel, si placuerit, legatur Prosper Farinacius *de Testib.* quæst. 75. n. 98. usque ad n. 255. ubi sexaginta septem tales limitationes adducit.

460. *In causa appellationis, an post didicita testificata possint priores, vel novi testes produci.* — Procedit insuper data conclusio in causa appellationis : nam etiam tunc post publicatas antea factas testium depositiones, et didicita testificata, non possunt amplius super eisdem, vel directe contrariis articulis, priores vel novi testes produci. Glossa in cit. c. *Fraternitatis.* ℣. *Novis.* et Abbas ibid. n. 3. h. t. rejiciens contrariam quorumdam legistarum sententiam. Siquidem cit. Auth. *de Testib.* § *Quia vero,* loquitur indistincte : et ratio prohibitionis, scilicet timor subornationis, quæ est in causa principali, pariter militat in causa appellationis. Accedit nova decisio apostolica, seu textus apertus in Clem 2. h. t. ubi et hujus ratio additur, illis verbis : « Cum non minus in appellationibus, quam in principali causa, subornatio sit timenda. » Intellige tamen hoc ipsum regulariter, demptis nimirum casibus, de quibus n. præced. remissive dictum fuit.

461. *Timor subornationis testium magis urget post publicationem attestationum quam antea.* — Dices. Timor subornationis testium etiam urget ante publicationem attestationum ; cum pariter antea super causa principali possint testes subornari, arg. c. *Licet causam.* 9. § *Post hoc de Probat.* et c. *Sicut nobis.* 9. h. t. ergo. Resp. neg. consequent. Quia, ut notat Joan. Andreas in d. c. *Fraternitatis.* n. 24. et Abbas ibid. n. 3. h. t. ante publicationem attestationum non subest tantus timor subornationis testium, quantus postea. Siquidem pars verisimiliter antea sperat, se posse intentionem suam probare per testes, vel ad-

versarium suum in probando succubiturum; sicque minus est sollicita de subornatione testium: secus dicendum post jam didicita attestata, ubi videt se succubituram, nisi aliter testes deposuerint; unde spe victoriæ, seu ne succumbat, facilius induceretur ad testium subornationem, si denuo super iisdem articulis, vel saltem directe contrariis, testes producere, vel reproducere posset.

462. *Solvitur instantia ex c.* Cum causa *h. t.* — Urgebis: In c. *Cum causa.* 42. h. t. recipiuntur testes, etiam jam antea producti, ad probandam eamdem causam; ergo. Resp. neg. consequent. Quia, licet ibidem fuerint testes recepti super eadem causa, videlicet læsionis, ultra dimidiam justi pretii in contractu venditionis; non tamen idem testes fuerunt reproducti super eodem articulo, sed super articulo diverso: nam testes illi in secunda productione solum debuerunt deponere de valore, seu quantitate pretii, quo res vendita constabat tempore venditionis; prout liquet ex textu, et amplius probat Glossa ibid. ỳ. *Ad alium.* Porro, quod super diversis articulis possint testes tum iidem, tum diversi sæpius produci, etiam post publicationem attestationum super uno articulo factam; patet ex c. *Fraternitatis.* 17. juncta Glossa ỳ. *Novis.* h. t. estque jam dictum tit. præced. § 6. n. 150.

§ XIV.

DE JURAMENTO TESTIUM.

463. *Testis antequam deponat, debet jurare; alioquin non probat.* — Quæritur I. An, et de quibus testes ante suam depositionem jurare debeant? Resp. I. Testis, antequam deponat suum testimonium, debet jurare: alioquin dictum ejus non probat. Ita communis; et habetur expressum in c. *Nuper nobis.* 51. h. t. illis verbis: « Nullius testimonio, quantumcumque religiosus existat, nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium debet credi. » Ubi proin Joan. Andreas, Abbas in *Summario*, Barbosa, et alii passim, hanc regulam ponunt: « Non creditur testi, etiam religioso, qui sine juramento deponit. « Concordat textus in l. *Jurisjurandi.* c. h. t. quæ est canonizata can. *Si testes.* § *Jurisjurandi.* 4. q. 3. ubi dicitur: « Jurisjurandi religione testes, priusquam perhibeant testimonium, coarctentur: » juncto c. *Fraternitatis.* 16. et c. *Tuis quæstionibus.* 39. h. t. et l. *Testium.* C. eod. cum similibus. Unde ob textus juris claros, quod præsens conclusio contradictorem non habeat testatur Farinacius *de Testibus*, quæst. 74. n. 2. quamvis ipsa procedat solum « regulariter, » demptis videlicet certis casibus, infra n. 471 et seqq. referendis; et salva illa quæstione, an sufficiat testem jurare post depositionem suam, de qua n. 492. et 493.

464. *Juramentum testium est de veritate dicenda.* — Resp. II. Juramentum testium est de veritate dicenda; et quidem de tota, quam noverunt de re illa super qua depondituri jurant. Ita Glossa fin. in c. *Fraternitatis*, h. t. quam approbat Joan. Andreas ibid. n. 15. et Abbas n. 13. Speculator tit. *de Teste.* § *Sequitur.* n. 1. Farinacius cit. quæst. 74. n. 5. et seqq. et alii. Idque patet ex can. *Hortamur.* 4. q. 9. ubi testes jubentur veritatem aperire, « tactis sacrosanctis Evangeliis, præbito etiam legaliter sacramento, quæ in veritate rerum noverunt, ut patefactis omnibus, quæ secundum leges, et justitiam censenda sunt, » judex cognoscere, et competentem legibus, et veritati terminum dare valeat. Concordat Auth. *de Testibus.* § *Sancimus autem.* collat. 7. cum similibus.

465. *Quinque capitula, secundum Glossam, sunt juranda per testes: nempe, quod dicent totam veritatem.* — Atque idcirco Glossa fin. cit. c. *Fraternitatis.* h. t. ponit quinque capitula juranda per testes; quibus Jo. Andreas et Abbas, ubi supra, addunt sextum. *Primo.* enim jurabunt, quod dicent totam veritatem judici, vel cui is commiserit, quam noverunt de re illa, super qua jurant, ut proxime dictum. Et hinc inquit Speculator cit. § *Sequitur.* et Pirhing n. 116. h. t. allegans insuper Imolam in c. *Testibus.* n. 2. eod. notandum esse, quod nec judex, nec partes pati debent ut testes de varietate jurent super certis duntaxat articulis (sic enim non valeret eorum testimonium super aliis, quæ nonnunquam contigunt; eo quod de his non jurati deponerent) sed debeant jurare super articulis datis, totaque causa; et sic valebit eorum testimonium super omnibus ad causam facientibus; ut cit. can. *Hortamur.* 4. 9. et c. *de Testibus.* 29. h. t. et c. *Cum dilecti.* 18. § 1. *de Accusation.* Hoc ipsum confirmat praxis recepta tribunalium, juxta quam testes jurant, quod dicent veritatem super illis, de quibus fuerint interrogati: tale enim juramentum respicit totam causam, quando de ea, sicut possunt, interrogabuntur.

466. *Nullam interserendo falsitatem.* — *Secundo*, testes jurabunt dicere veritatem, nullam interserendo falsitatem; ut can. *Nullam damnationem*. 2. q. 4. ibi : « Et prius ad sacra Christi quatuor Evangelia sacramenta præstent, quod nihil falsum depromant : » juncta Glossa ibid. ℣. *Falsum*, quæ pariter enumerat quinque ista capitula per testes juranda. Verum hæc verba sufficienter in priori capitulo includuntur, etsi formam dicendæ veritatis magis specificent, et declarent : unde quod verba ista, de falsitate non immiscenda, in practica non apponantur juramento testium, refert Farinacius cit. quæst. 74. n. 12. allegans alios.

467. *Et quid dicent veritatem, pro utraque parte.*—*Tertio* jurabunt testes, quod pro utraque parte dicent veritatem quam sciunt, can. *Non sane*. 14. q. 5. ac notat Glossa, ubi supra, Speculator loc. cit. n. 1. istud ulterius probans ex Auth. *Sed judex*. c. *de Episcop. et cleric.* et c. *Veniens*. 38. § fin. h. t. ibi : « Ut vocati ad testimonium libere valeant pro utraque parte testari. » Maranta part. VI. *Speculi aurei*. tit. *de Testium productione*. n. 19. Farinacius d. quæst. 74. n. 16. allegans alios. Sicut enim testes pro utraque parte tenentur dicere veritatem, ita etiam jurare. Pirhing h. t. n. 116.

468. *Et quidem omnem veritatem, sive interrogati, sive non.* — *Quarto*, jurabunt testes, quod dicent omnem veritatem, sive interrogati, sive non, arg. c. *Cum dilecti*. 18. § 1. *de Accusat.* et notat Glossa fin. in cit. c. *Fraternitatis*. h. t. et can. *Nullam damnationem*. 2. q. 4. ℣. *Falsum*. Farinacius ead. quæst. 74. n. 9. allegans alios : quamquam statim n. 10. subjungat, istud requisitum in pratica non servari, seu in juramento testium non exprimi ; sed sufficere, ut testis juret simpliciter de veritate dicenda : hoc ipsum enim importat omnem veritatem.

469. *Et quod non pretio nec amore, nec timore, etc., testimonium dicent.*—*Quinto* jurabunt testes, quod non pretio, nec amore, nec timore, vel odio, aut pro alio commodo, quod habuerunt, habent, vel habituri sunt testimonium dicent, c. *Quoties*. 5. et c. *Licet ex quadam*. 47. h. t. Glossa, ubi supra. Speculator cit. tit. *de Teste*. § *Sequitur*. n. 2. Farinacius loc. cit. n. 17. allegans alios : quamvis addat etiam hoc requisitum in forma juramenti testium non solere exprimi, cum sufficienter includatur in eo, quod testes jurent simpliciter de veritate dicenda.

470. *Alii sexto requirunt, quod testes jurent, secreto tenere dictum suum.* — Sextum capitulum, quod extra Glossam Abbas in cit. c. *Fraternitatis*. n. 13. h. t. citans Joan. Andream, et Speculator loc. cit. n. 2. et Farinacius n. 18. cum aliis in juramento testium requirunt, consistit in hoc, quod testes jurent, secreto tenere dictum suum, illudque ante publicationem attestationum nemini revelare. Idque desumitur ex l. *Qui falso* ff. h. t. quæ est canonizata in can. *Si testes*. § *Qui falso*. 3. quæst. 3. illis verbis : « Qui falso, vel varie testimonia dixerunt, vel utrique parti prodiderunt, a judicibus competenter puniantur. » Ratio hujus prohibitionis est, ne ex talium textium dicto alii testes subornentur. Quanquam et istud requisitum potius sit de specificatione formæ juramenti, quam de ipsa forma, ut notat Farinacius n. 19.

471. *Dantur aliqui casus, in quibus juramentum testium non exigitur, sed probant testes non jurati.* — Resp. III. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus juramentum testium necessario non exigitur, sed probant testes etiam non jurati. Ita Socinus in *Fallentiis*, reg. 424. plures tales casus enumerans. Farinacius cit. quæst. 74. n. 83. et 101. ac seqq. allegans alios. Idque probatur inductione :

472. *Ut, quando judex super notorio recipit informationes ad suam plenam instructionem.*— Sic imprimis testis non juratus admittitur, quando judex procedit super notorio, ac super eo recipit informationes, et probationes, ad suam plenam instructionem, arg. c. *Tua nos*. juncta Glossa ℣. *Testimonium. de cohabit. cleric.* et c. *Ad nostram*. 11. *de Jurejurand.* ubi dicitur, quod in notoriis ordo judiciarius non sit necessario observandus. Abbas c. *In nomine Domini*. 2. n. 7. et Felinus ibid. n. 7. h. t. Jason in *Repetit*. l. *Admonendi*. n. 232. *de Jurejurand.* Socinus cit. reg. 424. fallent. 1 ; Mascardus *de Probat*. concl. 1369, n. 17 ; Farinacius n. 103. et 104. et alii.

473. *Item in probatione consuetudinis populi.* — Deinde testes non jurati admittuntur in probatione consuetudinis populi. Felinus c. *Tuis quæstionibus*. n. 2. h. t. Jason loc. cit. n. 232. Mascardus cit. n. 17. Farinacius n. 105. et alii, qui tamen loqui videntur de consuetudine notoria, eo quod de consuetudine, et notorio, simul loquantur.

474. *Et generaliter, quando testes recipiuntur pro informatione solius judicis.* — *Tertio* generaliter admittuntur testes non jurati

quando recipiuntur pro infermatione solius judicis. Jason cit. *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 220. ff. *de Jurejurand.* allegans pro se Glossam singularem in cap I. § *Si duo.* « de pace tenend. in usib. feudor. » et Baldum ibid.; Mascardus d. concl. 1369. n. 14. et 15. citans Innocentium c. *Cum in tua. de Sponsalib.* asserentem, quod judex possit ad informationem suam procedere sine ordine et figura judicii, et sine testibus in forma judicii receptis. Farinacius loc. cit. n. 106. allegans complures alios.

475. *Unde executor litterarum apostolicarum cum clausula: Si idoneum eum inveneris, potest recipere informationes a testibus non juratis.* — Infertur proinde, quod executor litterarum apostolicarum cum clausula, « Si idoneum eum inveneris, » possit recipere informationes a testibus non juratis. Mascardus loc. cit. n. 16. post Butrium, et Abbatem in cap. I. *de postulat. prælat.* Farinacius ead. quæst. 74. n. 107. allegans alios, et Socinus cit. reg. 424. fallent. 4. istud limitans, nisi diceretur, quod diligenter se informet: quia tunc testes deberent jurare, et partes citari.

476. *Probat testis non juratus, quando ipsi remittitur juramentum.* — *Quarto*, probat depositio testis non jurati, quando ipsi de consensu partium remittitur juramentum: prout remitti posse testi, præsertim illustri, aut religioso, vel in aliqua dignitate constituto, proxime dicetur.

477. *De consuetudine qua multis in provinciis personæ illustres sine juramento testificantur, etc. Non testimoniis, sed testibus judicandum est.* — Addit Farinacius loc. cit. n. 58. et Ludov. Engel h. t. n. 43. et Pirhing eod. n. 122. post Gailum lib. I. *Pract.* observat. 101. n. 13. et 14. in multis provinciis, ac nominatim in Bohemia, Austria, Bavaria, et aliis locis, ex singulari privilegio, et longa observantia atque consuetudine introductum esse, ut personæ illustres, et in dignitate constitutæ, sine juramento, solum sub fide nobilitatis, vel status sui testificentur, et depositionem in scriptis clausam, suoque sigillo munitam judici transmittant. Quanquam de rigore juris « non sit testimoniis, sed testibus judicandum, » juxta textum in c. *Tua nos.* 8. *de Cohabit. cleric.* Siquidem « alia est auctoritas præsentium testium, alia testimoniorum, quæ recitari solent; » prout habetur l. *Testium fides.* § *Sabino.* ff. h. t.

478. *Consuetudo illa non valet, qua generaliter omnibus testibus creditur sine juramento.* — Cæterum consuetudinem illam esse reprobandam, nec valere, qua generaliter, et omnibus testibus, etiam privatis indifferenter creditur sine juramento: merito censet Farinacius cit. quæst. 74. n. 57. et 58. citans Gailum d. observat. 101. n. 11. et 13. et alios, ac sequitur Pirhing cit. n. 122. et Engel ubi supra, n. 44. Quia talis consuetudo generalis foret irrationabilis, cum præberet ansam multis calumniationibus, falsitatibus et corruptionibus testium.

479. *Testes sine juramento recepti, licet non probent, ne quidem semiplene, faciunt tamen præsumptionem.* — Tandem, ut taceantur nonnulli alii casus, in quibus admittuntur testes non jurati, viderique possunt apud Mascardum, et Farinacium, ubi supra: licet testes sine juramento recepti plene non probent, imo nec semiplenam probationem faciant, ut inquit Mascardus cit. concl. 1369. n. 18. nihilominus faciunt ipsi aliquam præsumptionem. Glossa fin. c. *Nuper nobis.* h. t.; Jason, ubi supra. n. 220. Farinacius d. quæst. 74, n. 109. et 110. allegans complures alios. Quæ quidem præsumptio id operatur, ut si ab utraque parte par foret probatio prævaleret illa, quæ cæteris paribus haberet ulterius pro se testem non juratum. Menochius lib I. *de Arbitrar. judic.* quæst. 26. n. 6; Mascardus d. concl. 1369. n. 18; Farinacius n. 110. et alii ab ipsis citati. Concordant dicta superius tit. præced. § 4. n. 79.

480. *Juramentum potest testibus remitti de consensu partium; et cur?* — Quæritur II. An juramentum possit testibus remitti? Resp. I. Testes possunt testificari de consensu partium etiam sine juramento, sicque potest illud illis remitti. Ita Glossa fin. et doctores communiter in c. *Tuis quæstionibus.* 39. h. t. ubi dicitur: « Testes producere absque juramenti depositione non possunt, nisi forte a parte remittatur adversa. » Accedit ratio, quia juramentum in favorem ipsarum partium principaliter introductum fuit, ne in earum præjudicium veritas occultetur: sed potest quilibet favori pro se principaliter introducto renuntiare, c. *Ad Apostolicam. de Regularib.* ergo. Accedit, quod quis verbo adversarii totum suum jus relinquere possit, l. ult. c. *de Fideicommiss.* ergo etiam poterit istud relinquere verbo testis, atque esse contentus, ut in proprium etiam præjudicium fides habeatur simplici ejus assertioni.

481. *Disparitas inter juramentum testium,*

et juramentum calumniæ, quod expresse remitti nequit. — Nec obstat, quod juramentum calumniæ de expresso consensu partium nequeat remitti, l. 2. § *Sed quia.* .c. *de Jurejurand. propter calumn. dand.* et cap. r. § *Propter omissum. de Jurament. calumn.* in 6. Disparitas enim inter juramentum testium, et juramentum calumniæ, jam supra tit. 7. *De Juramento calumniæ.* § 3. n. 47. assignata fuit. Siquidem expressa remissio juramenti calumniæ præberet ansam calumniandi, et cum agatur de proprio interesse partium, circumveniendi partem alteram, sicque violandi jus publici judicii; et sic contra bonos mores foret talis remissio et proinde non valeret. Nam generaliter pacta, quæ invitant ad peccatum, non sunt servanda, l. *Illud.* ff. *de Pactis dotalib.* et ult. *de Pactis* : unde nec valet pactum, ne dolus præstetur, l. *Contractus.* ff. *de Reg. jur.* Secus accidit in juramento testium : nam hujus remissio, etiam expressa, non sic inducit ad peccandum, eo quod non agatur de proprio interesse testium, a quo facilius solet animus corrumpi; quinimo juramentum testium respicit potius favorem partium, cui per has remitti potest. Glossa c. *Tuis quæstionibus.* 39. ỳ. *Remittatur.* et Abbas ibid. n. 6. h. t.

482. *Ut remittatur juramentum testibus, requiritur utriusque partis consensus.* — Resp. II. Ad hoc, ut remittatur juramentum testibus, requiritur utriusque partis consensus. Ita Joan. Andreas cit. c. *Tuis quæstionibus.* n. 1. et Abbas ibid. n. 4. h. t.; Farinacius cit. quæst. 74. n. 86. cum aliis. Ratio est, quia testis tenetur testificari, pro utraque parte veritatem deponendo; unde etiam utrique parti posset præjudicium generari ex falso ejus testimonio : ergo utriusque partis interest, ut testes sub juramenti religione ad veritatem edicendam compellantur; et consequenter ad istud juramentum remittendum requiritur etiam utriusque partis consensus, juxta reg. 66. juris in 6. « Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. »

483. *Solvitur instantia ex c.* Tuis quæstionibus, *h. t.* — Objicies contra datam conclusionem. In cit. c. *Quis quæstionibus.* h. t. fit mentio solius consensus adversarii, seu remissionis juramenti per ipsum factæ, ibi : « Nisi forte a parte remittatur adversa : » ergo sufficit consensus solius adversarii. Resp. neg. consequent. Quia ideo textus ille fecit mentionem duntaxat de remissione juramenti per partem adversam, contra quam testes inducebantur; quia pars altera, seu producens testes, ultro in hoc jam consenserat volendo testes producere absque interventu juramenti : sed pontifex hoc illius intentum reprobat, nisi forsan accesserit etiam remissio partis adversæ. Abbas ibid. n. 4.

484. *An ad remittendum juramentum testibus requiratur auctoritas judicis?* — Urgebis. Requiritur ulterius consensus, et auctoritas judicis, ut juramentum testibus remitti possit; ergo non sufficit consensus utriusque partis duntaxat. Resp. neg. anteced. Licet enim Glossa in cit. c. *Tuis quæstionibus.* ỳ. *Remittatur.* et Baldus ibid. n. 6. et Ancharanus n. 4. h. t. et Speculator tit. *de Teste.* § *Sequitur.* n. 6. pluresque alii velint, juramentum illud testium non posse remitti a partibus, nisi accedente simul auctoritate et consensu judicis : oppositum tamen est probabilius, tum per allegatum textum cit. c. *Tuis quæstionibus;* tum per l. *Si convenerit.* juncto summario. ff. *de Re judicat.* ubi dicitur, quod si partes concordant, qualiter sententia feratur, judex debeat sequi eorum voluntatem. Ita Abbas, ubi supra, n. 3; Pirhing h. t. n. 124; Farinacius d. quæst. 74. n. 91. allegans plures alios. Multo minus potest judex partibus invitis remittere dictum juramentum, ut tradit idem Farinacius n. 88.

485. *Dantur aliqui casus, in quibus juramentum testibus remitti non potest. Ut in causa matrimoniali, quando agitur de matrimonio dissolvendo : alias secus.* — Resp. III. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus juramentum testibus remitti non potest. Ita communis; et patet inductione. Sic imprimis nequit remitti juramentum testibus in causa matrimoniali, quando agitur de matrimonio dissolvendo. Glossa in cit. c. *Tuis quæstionibus.* ỳ. *Remittatur.* et abbas ibid. n. 5. et Barbosa n. 3. h. t.; Speculator cit. § *Sequitur.* n. 6; Mascardus de Probation. quæst. 5. proœm. n. 3; Farinacius n. 92. et alii. Idque merito, ne alioquin partes ad invicem colludere possint contra valorem matrimonii, c. *Super eo.* 5. « De eo, qui cognovit consang. uxor. » Secus dicendum, quando agitur de matrimonio contrahendo : tunc enim bene potest partibus juramentum remitti. Glossa, Abbas, Mascardus, Barbosa, ubi supra, Speculator cit. n. 6. Farinacius n. 941. et alii.

486. *Et in causis criminalibus, præsertim capitalibus.* — Deinde nequit testibus remitti juramentum in causis criminalibus; præsertim capitalibus : quia tunc non agitur de pri-

vato duntaxat favore partium, sed potius de communi et publica reipublicæ utilitate, utpote cujus interest, delicta non manere impunita, sed castigari, l. *Si ita vulneratus*. ff. *Ad Legem Aquiliam*, cum concordantiis. Atqui favori publico partes renuntiare nequeunt, c. *Si diligenti*. 12. de *Foro compet.* et l. *Jus publicum*. ff. *de Pactis*; ergo.

487. *Et quando agitur de beneficio ecclesiastico, etc.*, *ac in causis civilibus arduis*. — Tertio, nequit remitti juramentum testibus, quando agitur de beneficio ecclesiastico, aliave re spirituali non dependente a mera voluntate partium. Farinacius cit. quæst. 74. n. 93. et alii. Idemque dicendum in causis civilibus arduis, utpote quæ æquiparantur criminalibus. Barbosa cit. n. 3; Farinacius n. 85. allegans alios.

488. *Juramentum testium, qua forma sit præstandum? Debet esse personale, ac præstari tactis sanctis Evangeliis*. — Quæritur III. Qua forma juramentum testium sit præstandum? Resp. I. Juramentum testium debet esse personale, ac præstari tactis sacrosanctis Evangeliis. Ita Glossa 1. in l. *Jurisjurandi*. c. h. t. Abbas c. *Tuis quæstionibus*. n. 7. h. t.; Speculator cit. tit. *de Teste*. § *Sequitur*. n. 4; Farinacius quæst. 74. n. 20; Pirhing h. t. n. 118. et alii. Idque patet ex can. *Hortamur*. 4. dist. 9. ubi jubentur testes jurare « tactis sacrosanctis Evangeliis. » Concordat textus in Clem. 1. § *Porro de hæretic.* ibi : « Jurabunt ad sancta Dei Evangelia corporaliter a se tacta. »

489. *Spectato rigore juris, qui non habet manus, nequit testimonium judiciale dicere. Juramentum quando possit præstare solo verbo?* — Unde, quamvis regulariter juramentum possit præstari solo verbo, et absque tactu sacrarum Scripturarum; secus tamen est, ubi juramentum defertur a jure tactis sacrosanctis Evangeliis : quia tunc non sufficit, quod solo verbo juretur, aut in conspectu sanctorum Evangeliorum, sed necesse est, ut eorum tactus interveniat. Et hinc spectato rigore juris, qui non habet manus, nequit testimonium judiciale dicere : quia oportet, ut testes jurantes tangant manibus sacras Scripturas. Mascardus *de Probat*. concl. 1365. n. 40; Farinacius cit. n. 20. allegans Rotam *de Jurament. calumn.* decis. 1, alias 37, n. 4, in nov. et alios.

490. *De consuetudine alicubi sufficit jurare tangendo quaslibet sacras Scripturas. Consuetudo hæc stricte interpretanda; et qualis esse debeat?* — Verum, quod de consuetudine alicubi sufficiat jurare tangendo quaslibet sacras Scripturas, etiamsi non sint Evangelium; censet Glossa in cit. Clem. 1. § *Porro*. ỳ. *Tacta de hæretic.* et Abbas cit. c. *Tuis quæstionibus*. n. 7. h. t. Farinacius d. quæst. 74. n. 22. allegans alios. Quamvis deinde addat, consuetudinem illam esse stricte intelligendam; simulque debere esse specificam, expressam, et servatam super non tactu Evangeliorum : alioquin enim, ubi talis consuetudo in specie non viget, testis juxta dispositionem juris communis jurare debet ad sancta Evangelia.

491. *Episcopus receptus in testem jurat, non tactis, sed positis ante se Evangeliis*. — Excipitur tamen hinc episcopus : qui licet receptus in testem jurare debeat, et alioquin non probet; nihilominus non jurat tactis corporaliter sacris Evangeliis, sed tantummodo iis coram se positis, et inspectis tangendo pectus suum, juxta Auth. *Sed judex*. c. *de Episcop. et Cleric.* et cap. ult. juncta Glossa ỳ. *Per te ipsum. de Jurament. calumn.* et confirmat generalis consuetudo, de qua testantur Farinacius cit. quæst. 74. n. 81. et 82; Pirhing h. t. n. 121. aliique ab his copiose citati.

492. *Testes prius debent jurare, quam deponere; alias non valet testimonium*. — Resp. II. Testis prius debet jurare, quam deponere : adeo, ut probabilius non valeat testimonium, si prius deponat, et postea primum juret. Ita desumitur ex l. *Jurisjurandi*. c. h. t. quæ est canonizata in can. *Si testes*. § *Jurisjurandi*. 4. q. 3. ubi dicitur : « Jurisjurandi religione testes, priusquam perhibeant testimonium, coarctentur : » et notat Glossa in cit. l. ỳ. *Jurisjurandi*, reddens rationem : « Quia aliter esset ordo præposterus. » Bartolus ibid. in 2. *Lectura*. not. 1. ponderans dictionem illam, *priusquam*. Mascardus *de Probation.* concl. 1369. n. 10; Gailus lib. 1. *Practic.* observat. 101. n. 7; Farinacius d. quæst. 74. n. 31. citans plurimos alios, hancque sententiam asserens esse magis inter doctores receptam. Accedit textus in c. *Fraternitatis*. 17. h. t. ibi : « Receptis prius testium juramentis : » juncto c. *De testibus*. 29. ubi Joan. Andreas n. 2. Abbas n. 8. Felinus n. 5. h. t. et alii. Siquidem antea jurans, religione juramenti non præsumitur falsum dicere : sed postea jussus jurare, etsi prius falsum dixisset, tamen ob verecundiam, et metum infamiæ, contrarium dicere non au-

det; et sic juramentum tunc destituitur suo fine, cessatque dicta præsumptio.

493. *Quid si prius deponant, et postea jurent?* — Additur tamen in conclusione, « probabilius non valet. » Nam, quod præfatus ordo non sit substantialis, adeoque valeat testimonium, si testis prius deponat, et postea primum juret, non pauci, præsertim ex antiquoribus, tenent; uti videre est apud auctores proxime relatos. Accedit Gailus lib. I. *Practic.* observat. 101. n. 7. in camera receptum esse, quod depositio testis, ante juramentum facta, eatenus valeat, si post eam incontinenti sequatur juramentum : tunc enim dictum testis censetur juramento informatum, juxta illam regulam : « Quæ incontinenti apponuntur, censentur inesse, » l. *Juris gentium.* § *Quinimo.* ff. *de Pactis.* cum similibus.

494. *Testis debet jurare præsente adversario.* — Resp. III. Testis debet jurare præsente adversario, et depositionem juramenti audiente : nisi forsan citatus, contumaciter absit. Ita Speculator tit. *de Teste.* § *Sequitur.* n. 4. et communis; patetque ex cap. II. h. t. et dictis supra § 13. 418. et 421. ac seqq.

495. *Nisi forsan citatus, contumaciter absit.* — Additur notanter, « nisi forsan citatus contumaciter absit. » Quia, si debite fuerit citatus adversarius, et tamen noluerit venire, et quidem contumaciter (hoc est, « non ex inevitabili quadam necessitate » præpeditus, ut loquitur textus in cit. cap. II. h. t. sed forsitan malitiose sua absentia impediturus receptionem testium) perinde testimonia receptorum testium valebunt, ac si ipso præsente facta fuissent. Textus est in d. cap. II. h. t. et in Auth. *de Testibus.* § *Et hic vero.* collat. 7.

496. *Et quid, si adversarius justa de causa venire nequiverit.* — Quod, si vero citatus adversarius ex inevitabili quadam necessitate, sive (ut explicat Glossa in cit. cap. II. ℣. *Inevitabili.* h. t.) justa de causa detentus, venire nequiverit : tunc probata postmodum tali causa absentiæ, nec ipse censebitur contumax, neque valebunt attestationes testium ipso absente receptæ; sed erunt in irritum revocandæ, sicut et sententia inde secuta. Glossa in cit. cap. II. ℣. *Inevitabili.* h. t. et Abbas ibid. n. 11. et 12. aliique doctores, quos citat, et sequitur Farinacius quæst. 72. *de Testib.* n. 20. Idque clare patet ex d. Auth. *de Testib.* § *Et hic vero.* atque ex textu cit. cap. II. h. t. argumento a sensu contrario desumpto : et concordat c. *Cum Bertoldus.* 18. *de Sent. et re judicat.* et l. *Si prætor jusserit.* § fin. ff. *de Judiciis.*

§ XV.

DE EXAMINE TESTIUM, AC INTERROGATORIIS SUGGESTIVIS VITANDIS.

497. *Testes sunt examinandi ab ipsomet judice.* — Quæritur I. A quo, coram quibus, et ubi examen testium sit instituendum? Resp. I. Testes sunt examinandi ab ipsomet judice : utpote qui in persona testium diligenter explorare debet, cujus conditionis, « et cujus dignitatis, et cujus existimationis sint, et qui simpliciter visi sint dicere : utrum unum eumdemque; et præmeditatum sermonem attulerint : an ad ea, quæ interrogaverit, ex tempore verisimilia responderint. » Textus est in l. 3. ff. h. t. ubi pluribus officium, atque potestas judicis in examinandis testibus, et discutiendis argumentis, quanta fides habenda sit testibus, declaratur. Concordat Auth. *Ut defuncti, seu funera,* etc. § *Illud etiam.* collat. 5. ubi ipsimet administratores (id est, ordinarii judices, ut explicat Glossa ℣. *Administratores*) per seipsos jubentur examinare testes, ut possint istos terrere, et si opus fuerit, juxta Glossam ibid. ℣. *Testibus,* etiam per torturam cogere ad ferendum testimonium : nisi forsan aliis publicis occupationibus impediti, examen istud testium inferioribus consiliariis delegare cogantur.

498. *Qui tamen ex causa potest examen testium alteri committere.* — Et notanter hoc ultimum additur. Quia si judex ordinarius justis de causis impeditus testes personaliter examinare nequiverit, aut ipsimet testes remote abfuerint, ita ut difficulter ad eum accedere valeant; tunc judex poterit alteri, puta, consiliario suo, aut alteri idoneæ personæ, vices suas delegare, eique examen testium committere : ita tamen, ut ipse postea causam audiat, sententiamque sibi reservet, ac proferat, cit. § *Illud etiam.* Concordat textus in l. *Judices,* juncta Glossa, et summario. c. *de Fide instrument.* ubi disponitur, quod judices possint committere examinationem absentium testium judici illius territorii, ubi testes degunt, et commonere partes ut adsint delationi juramenti ab ipsis testibus præstandi. Quinimo ad excipiendum testimonium mulierum, quæ personaliter ad judicium invitæ trahendæ non sunt, posse transmitti ta-

bellionem, aut aliam personam idoneam, habetur decisum cap. II. *de Judiciis*, in 6.

499. *Testes sunt examinandi secreto, et singillatim.* — Resp. II. Testes sunt examinandi secreto, ac singillatim; etsi per hoc non excludatur præsentia notarii, eorum depositiones in scripta redigentis. Ita speculator tit. *de Teste.* § *Nunc tractandum.* n. 2; Abbas c. *Cum causam.* 37, n. 5. h. t. et alii. Prior pars constat ex c. *Venerabili.* 52. juncta Glossa ỹ. *Examinare.* h. t. et l. *Nullum.* c. eod. et c. *Inquisitionis.* § *Tertiæ de Accusation.* ibi : « Qui post juramentum interrogati secreto. » Idque merito fit exemplo Danielis, qui secreto ac separatim examinavit duos senes, qui accusabant castam Susannam. Alioquin enim, si non ita secreto et singillatim testes examinarentur, sed omnes simul et semel interrogarentur, periculum foret, ne unus instrueret alterum, sicque omnibus eodem modo respondentibus, falsitas deprehendi non posset.

500. *Etsi per hoc non excludatur præsentia notarii, eorum depositiones conscribentis.* — Altera vero pars constat ex c. *Quoniam contra.* 11. *de Probation.* ubi judex in judicio jubetur adhibere publicam personam, sive notarium, aut alios duos viros idoneos, qui fideliter inter alia acta judicii conscribant « testium depositiones : » et consequenter notarius ille, aut alii duo viri idonei debent interesse examini testium, horumque depositiones audire. Nam id, quod dicitur, testes secreto, ac nemine audiente esse examinandos, refertur tum ad partem litigantem, quæ non potest interesse examini, et depositioni testium, ne forsan ejus præsentia deterriti, vereantur libere veritàtem edicere : tum ad alios simul testificaturos, qui pariter cæterorum depositiones audire non debent, ne ab illis instruantur, quod dicant. Neutiquam tamen illud refertur ad notarium, aut illos alios duos viros idoneos, qui necesse habent acta judicii conscribere. Sicut a simili in c. *Quia propter.* 42. *de Election.* jubetur electio prælatorum fieri secrete, ac singillatim : haud obstante, quod tres de collegio fide digni assumantur, qui vota singulorum eligentium in scriptis redigant; imo et notarius publicus, aliique testes extranei ad negotium illud electionis assumi valeant; prout jam alibi, videlicet lib. I. tit. VI. *De Electione.* § 5. n. 124. et 126. dictum fuit.

501. *In examine testium super crimine hæresis, præter notarium, adhibentur aliæ duæ discretæ personæ. Consultum est, ut idem fiat in aliis causis multum arduis.* — Accedit textus notabilis in c. *Ut Officium.* § *Quia vero de Hæretic.* in 6. ubi in causa hæresis, propter negotii gravitatem, et ad præcavendum quemlibet errorem, mandat pontifex, ut inquisitores in examine testium, super crimine præfato recipiendorum, præter publicum notarium adhibeant alias duas religiosas et discretas personas. Atque, ut hoc ipsum judex faciat in aliis causis multum arduis, adhibendo videlicet in examine testium præter notarium alios duos fide dignos viros, ne unquam de ejus fide dubitari contingat : monet Abbas c. *Cum causam.* 35. n. 5. h. t.; Baldus in l. *Nullum.* n. 5. c. eod. et Felinus c. *Venerabili.* n. 3. h. t. Id ipsum consulunt plures alii, quos pro hac sententia allegat Farinacius *de Testib.* quæst. 80. n. 95. et 96. quamvis ipse dicat, communem observantiam esse in contrarium, seque nunquam vidisse talem cautelam servari.

502. *Examinatio testium regulariter fit in loco judicii.* — Resp. III. Receptio, atque examinatio testium, regulariter in loco judicii per ipsummet judicem die non feriato institui debet; et, nisi necessitas aliud exposcat, ante prandium, dum testes adhuc jejuni, et melius sibi præsentes existunt, cap. I. juncta Glossa fin. h. t.; ac notat Engel h. t. n. 48. post Sutingerum observat. 54. et seqq.

503. *Quamvis etiam extra judicium et ubivis locorum fieri possit.* — Additur tamen, « regulariter. » Nam quod examinatio testium, si opus fuerit, aut expedire videatur, etiam extra judicium, et ubique locorum fieri possit : notat Abbas in c. *Quoniam contra.* n. 31. *de Probat.* id desumens ex textu ibidem, dum notarius jubetur in actis judicii scribere depositiones testium. « loca designando, tempora, » etc. Id ipsum declaratur inductione.

504. *Personæ egregiæ domi suæ examinari debent.* — Sic quippe personæ egregiæ, quando producuntur in testes, domi suæ examinari possunt, ac debent, l. *Ac personas.* ff. *de Jurejurand.* ubi dicitur : « Ad personas egregias, eosque qui valetudine impediuntur, domum mitti oportet ad jusjurandum. »

505. *Inter has connumerantur episcopi, sacerdotes aliique clerici, item personæ illustres, doctores et milites.* — Porro inter « personas egregias » connumerantur episcopi, sacerdotes, aliique clerici, eo quod sint constituti in altiore gradu Ecclesiæ; ac notat Abbas c.; *Si qui testium.* n. 5. et 6. h. t.; Pi-

rhing eod. n. 189; Farinacius, *de Testib.* quæst. 77. n. 213. citans alios. Item personæ illustres, et in dignitate constitutæ. Felinus c. *Si qui testium*. n. 6. h. t.; Farinacius cit. quæst. 77. n. 210; Pirhing h. t. n. 189. Item doctores. Abbas in d. c. *Si qui testium*, n. 5. Farinacius n. 214. Et milites. Farinacius loc. cit. n. 223. allegans alios.

506. *Ad personas egregias quando producuntur in testes, debet judex domum mittere pro excipiendo earum juramento, et testimonio. Idem dicendum de testibus valetudinariis, senibus, fœminis, etc.* — Atque ad hujusmodi personas egregias, quando producuntur in testes, debet judex in earum domum mittere notarium, vel alios idoneos viros, qui illarum juramentum, et testimonium fideliter excipiant, judicique deferant, juxta cit. l. *Ad personas*. ff. *de Jurejurand.* etsi istud quoad clericos, præsertim inferiores, in plerisque dicasteriis ecclesiasticis non sit usu receptum. Id ipsum est dicendum de aliis personis privilegiatis: ut sunt fœminæ, præsertim religiosæ, cap. II. *de Judiciis* in 6. Item testes valetudinarii, et senes, vel debilitate confecti, aut paupertate depressi, ita quod non possint ad præsentiam judicis adduci: nam etiam ad horum testimonium recipiendum judex mittere debet personas idoneas, ac discretas, juxta textum expressum in cit. c. *Si qui testium*. n. 8. h. t.

507. *Sacerdotes, aliæque personæ ecclesiasticæ, si producuntur in testes coram sæculari judice, non jurant neque doponunt coram eo, sed coram episcopo.* — Illud tamen non est prætereundum, quod sacerdotes, aliæque personæ ecclesiasticæ privilegio fori gaudentes, quando producuntur in testes coram sæculari judice, non jurent, neque examinentur coram eo, sed coram episcopo, vel prælato suo ecclesiastico, aut coram eo, cui is commiserit: prout inter alios observat Abbas c. *Si quis testium* n. 5. h. t. et patet ex can. *Quamquam*. 14. q. 2. juncta Glossa ibid. ỿ. *Coram se*. Nec mirum, nam hoc ipsum contingit in laicis, quando eorum testimonium petitur a judice alterius territorii: quia tunc jurant, atque testificantur coram suo judice, qui eorum attestationes clausas, suoque sigillo obsignatas mittit ad alterum, Auth. *Apud eloquentissimum*. c. *de Fide instrument.* Speculator tit. *de Teste*. § *Sequitur*. n. 5. estque uberius dictum supra § 13. n. 434. et seqq.

508. *Testes, de quibus sint interrogandi, seu examinandi?* — Queritur II. De quibus testes sint interrogandi, seu examinandi? Resp. I. In examine testium proponuntur ipsis interrogatoria partim generalia, partim specialia; eorumque dicta, quantum ad verba etiam formalia prout fieri potest, protocollari debent. Ita in re communis. Et quidem.

509. *Interrogatoria generalia, quæ?* — « Interrogatoria generalia » sunt primo, quo nomine testis vocetur? Cujus sit ætatis, et conditionis? Deinde, an sit conjunctus producenti? An inimicus parti adversæ? An non subornatus? An non cum aliis testibus convenerit, quid dicere velit? An non in causa controversa interesse habeat? et hujusmodi, de quibus hactenus plura.

510. *Interrogatoria specialia, quæ?* — « Interrogatoria specialia » sunt, quæ ex facto controverso, ejusque circumstantiis desumuntur. Et horum generatim sunt decem, quæ enumerat, atque in testibus singillatim examinanda decrevit pontifex in c. *Cum causam*. 37. h. t. mandans episcopo Placentino, « Quatenus recipiat testes, quos utraque pars duxerit producendos: ac eos diligenter examinari procuret: et de singulis circumstantiis diligenter inquirens, de causis videlicet, personis, loco, tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, fama, et certitudine, cuncta plene conscribat. » Hæc ibi. Quibus verbis interrogatoria specialia, breviter quidem, simul tamen exacte comprehenduntur, atque numerum denarium constituunt; et in sequentibus versiculis, ibidem a Glossa relatis apte continentur.

Auditus, visus, persona, scientia, causa,
Fama, locus, tempus, ac certum, credulitasque
Dum testes recipit, judex hæc cuncta notabit.

511. *Testes sunt diligenter examinandi de causis. Testis tenetur reddere causam suæ scientiæ, si interrogatur.* — Resp. II. Discurrendo per singula hæc decem interrogatoria specialia, juxta ordinem a pontifice observatum, judex imprimis tenetur diligenter examinare testes *de causis:* tum rei gestæ; videlicet cur, et qua occasione initium sumpserit: tum suæ scientiæ; hoc est, an, et qualiter testes producti sciant negotium ita gestum esse. Siquidem testis debet reddere causam suæ scientiæ, quam si interrogatus non reddiderit, non valebit dictum ejus, neque fidem faciet; ut l. *Solam* c. h. t. et can. *Si testes*. § *Sola* 4. q. 3. juncta Glossa ibid et Auth. *de Testibus*. § *Et licet*. collat. 7. cum similibus.

Et merito : quia scire, est rem per causam cognoscere; ergo hoc ipso non censetur scire, qui nescit reddere rationem dicti sui. Farinacius quæst. 70. *de Testib.* n. 1. allegans alios.

512. *Secus, si non interrogetur.* — Additur vero, « quam si interrogatus non reddiderit, » etc. Quia testis non interrogatus de ratione, seu causa scientiæ suæ, non tenetur eam reddere. Glossa cit. c. *Cum causam.* 37. ℣. *De causis.* et Abbas ibid. n. 6. h. t. Farinacius d. quæst. 70. n. 91. cum aliis. Neque idcirco invalidum erit testimonium ejus, c. *Sicut nobis.* 16. juncta Glossa ℣. *De causis. de Sentent. et re judicat.* et l. *De pupillo.* § *Qui opus.* ff. *de Novi oper. nuntiat.* Siquidem testis ille dixit omnia, quæ novit, etsi non dixerit causam eorum. Glossa can. *Si testes.* 4. q. 3. ℣. *Attestatione.* Nec enim hanc non interrogatus dicere tenebatur, quia non debet esse verbosus. Glossa magna in cit. l. *Solam.* c. h. t. Quanquam si judex malitiose omisisset interrogare testem de causa, sciens forsitan, eum non redditurum sufficientem suæ scientiæ causam ; non solum in foro externo (si istud probari posset) sed etiam in foro conscientiæ, sed pœnitentiali, teneretur parti læsæ ad interesse, seu ad compensationem damni illati. Abbas cit. c. *Cum causam.* n. 7. h. t.

513. *Testes sunt examinandi de singulis circumstantiis ; puta, de personis, loco et tempore.* — Deinde testes diligenter examinandi sunt de singulis circumstantiis, prout judex arbitratur fore necessarium, vel utile : quia aliter ad veritatem non perveniretur, can. *Occidit.* 23. q. 8. Hinc testes sunt examinandi *de personis :* tum illis, quas tangit negotium principale ; puta, an eas testis probe noverit, quales sint, cujusque conditionis, *etc.* tum de aliis, quæ forsan rei gestæ interfuerunt. Item *de loco*, exemplo Danielis duos senes interrogantis, sub qua arbore viderint Susannam adulterantem. Ac *de tempore*, quo aliquid dicitur factum : quia, si testes discordent in loco, vel tempore, tunc veluti inter se contrarii nihil probant; prout jam supra dictum § 10. n. 322.

514. *Testes sunt interrogandi de visu et auditu.* — Rursus testes sunt interrogandi *de visu :* hoc est, an proprio sensu corporeo rem gestam perceperint, viderintque, v. g. quod Titius percusserit Caium : quia bene potest contingere, quod quis præsens fuerit, sed ad alia intentus, non viderit quod actum fuit. Item *de auditu :* quando videlicet vel res gesta, puta blasphemia, nonnisi sensu auditus erat perceptibilis; vel quando testis interrogatur de iis quæ audivit a majoribus suis dici, sicque debet testificari de auditu alieno ; ut similiter jam dictum superius § 11. n. 364. et seqq.

515. *Testes sunt interrogandi de scientia, et de credulitate ; ac de fama, et certitudine.* — Ulterius testes sunt interrogandi *de scientia :* an nimirum illud, quod deponunt, vere sciant, seu proprio sensu corporeo veraciter et indubitanter perceperint, riteque adhuc omnium recordentur, etc. Ac *de credulitate :* seu, num credant rem ita se habere, prout asserunt ; præsertim, quando solum deponunt de conjecturis, aliisque indiciis rei gestæ, ipsam tamen propriis oculis non perceperunt. Item *de fama :* quæ de ejusmodi facto, aut negotio, in populo habetur. Et *de certitudine :* an scilicet certi sint de eo, quod testificantur, qualemque desuper certitudinem acquisierint, etc. Textus, Glossa, et doctores in cit. c. *Cum causam.* 37. h. t.

516. *Interrogatoria suggestiva, quæ? Testes interrogari per suggestionem, quid?* — Quæritur III. Quid sint interrogatoria suggestiva, et qualiter vitanda? Resp. I. « Interrogatoria suggestiva » dicuntur ea, quæ fiunt de aliquibus in specie, sive exprimendo speciales personas, circumstantias, et qualitates alicujus causæ civilis, vel criminalis, seu rei gestæ, aut commissi criminis. Prout contingit, si judex interroget testem, an viderit, quod « Titius occiderit, Caium tali die, in tali loco, percutiendo ipsum gladio, vulnerando in pectore, » etc. Hac enim ratione dicitur testis « interrogari per suggestionem, » suggerendo videlicet, seu ipsi indicando, quid respondeat : puta, « Ita vidi, quod Titius occiderit Caium tali die et loco, gladio ipsum percutiendo in pectore, » etc. Sigism. Scaccia lib. 1. *de Judiciis*, cap. LXXXVI. et Farinacius t. III. *Praxis criminalis*, quæst. 84. n. 91. et 92.

517. *Suggestio alia aperta, alia palliata, quid?* — Porro duplex est suggestio, una aperta, alia palliata : « Suggestio aperta » dicitur, quando de ea aperte, seu clare constat ex ipsamet facta interrogatione ; uti fit in proxime allato exemplo. « Suggestio palliata » econtra censetur, si tecto aliquo modo aperitur via respondendi, sed de ea ex interrogatione non apparet : idque accidit dupliciter. Primo, quando nullo modo apparet, de

qua re testis fuerit interrogatus: ut puta, si in Actis scribatur: « Ad opportunam interrogationem respondit, » etc. sic enim libera datur via respondendi. Secundo, quando interrogans prævenit testem in responsione, quasi subtiliter ei indicando modum respondendi, aut (si ipsemet reus interrogetur) modum evadendi. Scaccia cit. quæst. 86. n. 8. et n. 40. asserens cum aliis, hoc genus suggestionis esse valde perniciosum. Farinacius d. n. 91. et 92. ubi tamen n. 89. post alios notavit, in judicis arbitrio esse positum, quæ dicantur interrogatoria suggestiva, et quæ non.

518. *Interrogatoria suggestiva sunt prohibita, et vitanda.* — Resp. II. Interrogatoria suggestiva sunt vitanda, et in jure prohibita; teneturque judex ab ipsis abstinere non solum quando tendunt in damnum rei, sed etiam, quando tendunt in damnum fisci. Ita Scaccia cit. quæst. 86. n. 8 et 40; Farinacius *de Testibus*, quæst. 79. n. 78. et communis. Idque patet ex textu aperto in l. I. § *Qui quæstionem. ff. de Quæstionib.* ubi dicitur: « Qui quæstionem habiturus est, non debet specialiter interrogare, an Lucius Titius homicidium fecerit; sed generaliter, quis id fecerit: alterum enim magis suggerentis, quam requirentis videtur, » etc.

519. *Interrogationes testium debent fieri in genere, gradatim descendendo ad magis specialia.* — Infertur proinde, quod interrogationes testium solum debeant fieri in genere: puta, utrum sciant delictum esse perpetratum, quale, a quo, et quando illud sit commissum, quo modo, quibus cooperantibus, etc. semper a generalioribus gradatim descendendo ad magis specialia. Idemque dicendum, quando testes producuntur super causis civilibus: quia in his quoque judici abstinendum est ab interrogatoriis suggestivis, ne testes facile assentiendo deponant ea, quæ a veritate sunt aliena, nec antehac ab ipsis cogitata, cum potius assenserint suggerenti, ne forsan displiceant, quam interroganti ex proprio responderint.

520. *Idem procedit in examine rei super crimine admisso.* — Atque hoc ipsum procedit in examine rei super crimine admisso. Nam etiam reus, quando in processu criminali interrogatur super quopiam crimine, non nisi juris ordine servato interrogari debet: ac proinde neutiquam per interrogationes suggestivas, juxta cit. l. I. § *Qui quæstionem.* ubi Bartolus, et alii. ff. *de Quæstion.* Hinc judex non illico debet interrogare reum, an ipse occiderit Caium, an mœchatus sit cum Bertha, etc. sed incipiendo ab indiciis, et quidem a generalioribus, et descendendo ad particularia, quasi per circuitum, et a longe, debet formare suas interrogationes: v. g. An interfuerit, dum Caius occisus est; an sciat, quis percusserit Caium; an ipse habuerit cum eo rixas, etc. sicque paulatim descendendo ad qualitates, et circumstantias speciales, juxta quod indicia magis magisque se produnt; ac demum deveniendo ad ipsum delictum in specie. Sigism. Scaccia l. I. *de Judiciis.* cap. LXXXVI. n. 39; Farinacius tom. III. *Praxis criminal.* quæst. 83. n. 84. et seqq. citans alios; atque istud n. 97. limitans, quando indicia commissi criminis sunt manifesta: quia tunc reus potest etiam in specie interrogari de crimine.

521. *Adeo, ut confessio rei per suggestionem extortæ, sufficiat ad condemnandum.* — Quod si secus accidat, et reus per interrogatoria suggestiva deceptus crimen fateatur: tunc ejusmodi confessio per suggestionem extorta non præcedentibus signis, non sufficit ad condemnandum, omniaque inde secuta, ipso jure nulla sunt ac invalida. Scaccia d. lib. I. cap. LXXXVI. n. 7. et 40. et Farinacius cit. tom. III. quæst. 83. n. 84. allegans plures alios; et tradit novissime Ludov. de Ameno in *Practica criminali*, tit. XIX. § 4. n. 17. asserens, ita tenere doctores communiter; atque hoc ipsum subjungens de teste suggestive interrogato. Nec immerito: nam « quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi, » ut dicitur, reg. 64. juris in 6. et can. *Imperialis.* 25. q. 2. et l. *Non dubium.* c. *de Legib.*

§ XVI.

DE PUBLICATIONE ATTESTATIONUM.

522. *Publicatio attestationum, quid sit, qualiter fiat, et an post ipsam liceat alios testes, vel instrumenta producere? Remissive.* — Quæritur I. Quid sit publicatio attestationum, qualiter fiat, et an post ipsam liceat alios testes, vel instrumenta producere? Resp. De hoc, occasione aliarum materiarum tunc occurrentium, ex professo jam dictum est tit. præced. § 6. a n. 148. usque ad n. 158. Ibi videatur.

523. *Publicatio attestationum non est de substantia processus judiciarii, bene tamen de*

ejus justitia. — Quæritur I. Utrum publicatio attestationum sit de substantia processus judiciarii? Resp. I. Publicatio attestationum, per quam videlicet examinatione testium peracta, horum attestationes in secreto receptæ, utraque parte præsente (nisi aliqua rite citata contumaciter absit) a judice publicantur, seu publice præleguntur, non est de substantia processus judiciarii, bene tamen de ejus justitia : adeoque omissio publicationis attestationum non vitiat processum, valetque sententia inde secuta, et transit in rem judicatam, nisi intra decennium ab ea fuerit appellatum ; potest tamen pars litigans petere harum publicationem, et judice recusante eam facere, appellare. Ita Innocentius, et Abbas in c. *Cum* I. et A. n. 10; Joan. Andreas ibid. n. 8. et Felinus n. 1. aliique doctores *de Sentent. et re judicat.;* Menochius *de Arbitrar. Judic.* lib. I. quæst. 33. n. 1. Maranta part. IV. *Speculi aurei.* dist. 9. n. 22; Gailus lib. I. *Practic.* observat. 105. n. 5. asserens, ita communiter receptum esse, contra Accursium in l. *Prolatam.* c. *de Sent. et interlocut. omn. judic.;* Farinacius *de Testib.* quæst. 75. n. 5. citans alios.

524. *Idque probatur.* — Conclusio hæc desumitur ex cit. c. *Cum* I. et A. 22. *de Sent. et re judicata :* ubi pontifex, post interpositam ad se appellationem, novis judicibus delegatis mandat, ut servatis servandis confirment processum, quem alii judices formarant, sententiamque tulerant testium « depositionibus coram partibus minime publicatis, nec ostensis eisdem. » Quem textum Innocentius ibid. et Glossa marginalis, dicit esse singularem ad hoc, quod attestationum publicatio sit de justitia, non autem de substantia processus. Accedit ratio, quia judici semper publicatæ sunt attestationes, seu nota acta judicii, et partium jura; ut inquit Menochius cit. q. 33. n. 1. et 11. et Pirhing h. t. n. 202. unde cum his optime instructus sit de jure partium ex attestationibus testium sibi cognitis, ferre sententiam poterit, lataque valebit, nisi ab ea appellatum fuerit.

525. *Attestationes receptæ in uno judicio, sed non publicatæ, fidem non faciunt in alio, etiam inter easdem personas.* — Quæritur II. Utrum attestationes testium receptæ, sed non publicatæ in uno judicio, probent, seu fidem faciant in alio? Resp. I. Attestationes receptæ in uno judicio, sed non publicatæ, fidem non faciunt in alio judicio, etiam inter easdem personas. Ita Felinus c. *Causam quæ.* il. 1. n. 13. h. t. allegans pro se Glossam, Jacob. de Aretio, et Bartolum in l. *Gesta.* c. *de Re judicat.* Menochius *de Arbitrar. Judic.* lib. I. q. 33. n. 7. et 8; Pirhing h. t. n. 203. et seqq.; Farinacius cit. quæst. 75. n. 10. 12. et seqq. cum aliis pluribus, contra Abbatem in cit. c. *Causam quæ.* 11. n. 2. et nonnullos alios, qui volunt, testes in uno judicio receptos fidem facere in alio, quamvis non fuerint publicati. Ratio conclusionis est : quia judex alterius judicii non ita notam habet qualitatem testium, neque adeo potest esse instructus de jure partium, sicuti prior judex, qui testes examinavit : unde non mirum, quod aliter de hoc, quam de illo dicatur.

526. *Idque probatur.* — Accedit textus in c. *Cum causam.* 37. § fin. h. t. ubi pontifex mandat, ut per novos judices a se delegatos iidem testes, qui jam antea fuerant recepti, sed nondum publicati (parte adversa eorum depositiones non ratificante) iterato producantur, ea addita ratione : « Cum attestationes illæ sint clausæ : » sicque totum defectum nullitatis illarum attestationum, seu cur coram novis judicibus datis fuerint repetendæ, refundit pontifex in defectum publicationis earum, seu quia adhuc fuerunt clausæ. Accedit textus in l. *Gesta. c. de Re judicat.* ubi tum demum gesta sub priore judice censentur habere firmitatem perpetuam, quando « sunt translata in publica monumenta (hoc est, quando gesta, seu acta illa sunt in scriptis translata, facta scilicet publicatione coram eo, apud quem sit publicandi facultas, » arg. l. *Publicati*, c. *de Testament.* prout Glossa ibid. ỿ. *Gesta*, explicat.) « Neque enim morte cognitoris perire debet publica fides : » id est, Acta publicata non pereunt morte judicis, ut subjungit textus in cit. l. *Gesta.* juncta Glossa fin.

527. *Solvitur instantia.* — Nec obstat cap. ult. *de Probat.* Glossa ibid. ỿ. *Judices*, absolute dicens, quod attestationes in uno judicio receptæ, valent in alio, Auth. *de Testibus.* § *Quoniam.* collat. 7. cum similibus. Resp. enim, concordando jura juribus, hujusmodi auctoritates esse intelligendas de testibus in priori judicio receptis, simul et publicatis : alioquin enim saltem foret contra justitiam, attestationibus nondum publicatis, simulque partibus invitis, ferre sententiam. Jura autem non intendunt aliquam injustitiam fovere, seu approbare, multo minus committendam tradere.

528. *Regula data non procedit in judice subrogato ejusdem judicii.* — Resp. II. Conclusio, seu regula proxime data procedit, quando sermo est de diverso judicio, diversoque judice : secus, in judice subrogato ejusdem judicii : puta, quando judex aliquis recepit testes, et ante publicationem attestationum sententiamque latam mortuus est, ac in locum ejus alius successit, sive subrogatus fuit. Ita Felinus in c. *Causam quæ*, il. 1, n. 1. h. t. Jason l. II. n. 21. c. *de Edendo*; Pirhing h. t. n. 204. Farinacius cit. quæst. 75. n. 21. allegans alios. Ratio est, quia successor, sive subrogatus judex, debet judicare ex actis, quæ coram mortuo fuerunt producta. l. *Mortuo judice.* ff. *de Judiciis* : imo censetur veluti idem judex cum priori l. *Proponebantur.* ff. eod. Et consequenter attestationes, etiam nondum publicatæ, æque probant coram ipso, ac coram priori judice ; sicque valet sententia inde lata absque harum publicatione, nisi fuerit appellatum, juxta dicta concl. 1.

529. *Neque in judice in causa appellationis, et revisionis.* — Atque hoc ipsum esse dicendum de judice in causa appellationis, et revisionis, censent proxime citati auctores. Idque tum ob paritatem rationis, quia videlicet judex *ad quem* succedit respectu ejusdem causæ judici *a quo;* tum quia alioquin sequeretur, quod sententia lata per judicem *a quo* sine publicatione attestationum, non posset confirmari per judicem *ad quem* sine nova receptione, et publicatione attestationum : hoc autem non esse dicendum, patet ex c. *Cum I.* et *A.* 22. *de Sentent. et re judicat.* de quo jam supra n. 524. dictum est.

530. *Regula illa fallit quoque in nonnullis aliis casibus. Ut fit accidente, consensu partium.* — Resp. III. Dantur ulterius nonnulli alii casus, in quibus fallit regula n. 525. data, ac testes in uno judicio recepti, fidem faciunt in alio etiam sine publicatione suarum attestationum. Ita Felinus loc. cit. n. 14. et seqq.; Farinacius n. 22. et seqq. et alii. Sic quippe fit accedente consensu partium : quia partibus consentientibus testes etiam non publicati, probant coram quocumque judice, per textum in cit. c. *Cum causam.* 37. h. t.

531. *Item in aliis casibus, in quibus testes possunt examinari lite non contestata* — Deinde testes non publicati probant inter easdem personas, ac etiam coram alio judice, in omnibus illis casibus, in quibus testes possunt examinari lite non contestata. Jason cit. l. 2. n. 21. c. *de Edend.* id probans ex Auth. *Sed et si quis.* c. *de Testib.* quem textum Bartolus ibid. ad hoc notat, et reputat mirabilem; Farinacius d. quæst. 74. n. 25; Pirhing h. t. 205, istud exemplificantes in testibus, senibus, valetudinariis, et hujusmodi.

532. *Et quando testes priores interim fuerunt mortui.* — Id ipsum est dicendum in casu, quo testes priores interim fuerunt mortui, vel nunc existunt in adeo remotis partibus, quod iterato produci non possint : quia tunc ipsi probant non publicati. Jason l. 2. n. 20. c. *de Edendo;* Farinacius cit. quæst. 74. n. 26. allegans alios.

533. *Tenetur pars adversa vel ratam habere priorem receptionem testium, vel pati, ut denuo testes examinentur.* — Tandem, etsi testes non publicati fidem non faciant coram alio judice, ut dictum, nihilominus pars adversa vel debet ratam habere priorem receptionem testium, atque in eorum publicationem per alterum judicem faciendam consentire; vel compellitur pati, ut denuo iidem, alique testes producantur, atque examinentur, c. *Cum causam.* 37. h. t.; Farinacius cit. quæst. 74. n. 28. et alii.

§ XVII.

DE EXCEPTIONIBUS CONTRA TESTES PROPONENDIS, HORUMQUE REPROBATIONE.

534. *Exceptiones, quæ testibus possunt objici, sunt triplicis generis. Potest opponi contra personas testium.* — Quæritur I. Quotuplicis generis exceptiones possint testibus opponi, et quando proponendæ? Resp. I. Exceptiones, quæ testibus objici possunt, sunt triplicis generis. Ita Pirhing h. t. n. 239. post Hitropium in *Process. Judic.* tit. IX, cap. VI. Idque patet inductione. *Primo* enim potest excipi contra personas testium; opponendo videlicet ipsis, quod vel omnino, vel saltem respectu talis causæ, inhabiles sint ad ferendum testimonium : et de hoc fuse dictum fuit supra d. § 2. usque ad § 7.

535. *Potest opponi contra examen testium.* — *Secundo* potest excipi contra examen testium : opponendo videlicet, quod non sit legitime factum. Idque vel ex defectu jurisdictionis, si nimirum ab incompetente judice testes fuerunt examinati; puta, clerici a judice sæculari sine consensu proprii episcopi, can. *Quamquam.* 11. q. 2. Vel quia testes producti, et recepti fuerunt ante litem contestatam, seu adversa parte non citata, sive post

tertiam productionem non observata solemnitate legali, aut post jam didicita testificata, sive non jurati, aut non singillatim, sed simul plures admissi, hac hujusmodi : de quibus etiam fuse dictum extitit supra § 13. et 15.

536. *Potest opponi contra dicta testium. Testes extra articulum deponentes, nullam fidem faciunt.* — *Tertio* potest excipi contra depositiones, seu dicta testium ; ut quia deposuerunt contraria, obscura, incerta, vacillantia, non verisimilia, non congruentia facto, vel penitus falsa : aut quia deposuerunt singularia, vel non addita causa suæ scientiæ, aut saltem non idonea, et hujusmodi ; de quibus pariter jam dictum est § 9. 10. et seqq. Huc accedit quando testibus objici potest, quod dicta eorum sint impertinentia, sive data extra articulos : nam, quod testes extra articulum interrogati, seu deponentes, nullam fidem faciant, eo quod deponerent non jurati, desumitur ex c. *De testibus*; ac notat Glossa ibid. ỿ. *Non jurati.* et Abbas n. 1. h. t. Jason l. *Si duo patroni.* § *Idem Julianus.* n. 26. et seqq. ff. *de Jurejurand.* Gailus lib. I. *Practic.* observ. 95. n. 4; Pirhing h. t. n. 239. et alii.

537. *Exceptiones contra personas testium sunt opponendæ ante publicationem attestationum, exceptis tribus casibus ; et quibus?* — Resp. II. Exceptiones contra personas testium sunt opponendæ ante publicationem attestationum : his autem publicatis regulariter non potest amplius aliquid objici in personas testium. Ita textus in c. *Præsentium.* 31. h. t. Alioquin enim præsumptio foret, quod quis malitiose velit nunc testes reprobare, postquam vidit, seu ex publicatis attestationibus cognovit, quod contra eum deposuerint, prout notat Abbas ibid. n. 2. Additur vero « regulariter : » fallit enim hoc in tribus casibus, qui referuntur in cit. c. *Præsentium.* h. t. et sunt sequentes. I. Si quis « cum juramento firmaverit, quod ad hoc ex malitia non procedat. » II. « Si forsan ante publicationem id fuerit protestatus. » Et hic est casus cæteris frequentior : formam autem talis protestationis ponit Speculator tit. *de Teste.* § *de Testium reprobatione*, n. 3. III. Quando « quis ostendere poterit, quod post publicationem » attestationum primum, non autem antea « didicerit, quod objicit in personas. » Et hoc ultimum (inquit Glossa ibid. ỿ. *Didicerit*) est difficile probare, nisi per juramentum.

538. *Si quis protestatus est exceptionem proponere contra personam testis, tunc testi in favorem ejus deponenti de facili non creditur.* — Ubi tamen notandum est, quod si quis ante publicationem attestationum protestatus fuerit se velle contra personam alicujus testis exceptionem proponere, ipsumque reprobare ; tunc non facile credendum sit dicto talis testis, si forsan is in favorem protestantis deposuerit. Textus est in cit. c. *Præsentium.* h. t. ibi : « Si quid pro ipso dixerint (nempe pro protestante) de facili non credatur. » Ubi Glossa fin. et Abbas ibid. n. 12. et alii plures ly, « de facili, » exponunt pro ly, « nullo modo : » vel saltem (quod probabilius est) ut sensum faciat, « Non credatur de facili ; « videlicet, sine aliis adminiculis : quod postea judicis arbitrio relinquitur. Ratio hujus est, tum quia protestatio illa debilitat dictum testis, dum exinde oritur præsumptio contra ipsum, quod in favorem protestantis aliquid dixerit ex timore criminis, alioquin sibi ab eo objiciendi, si quid contra eum diceret ; tum quia is, qui noluit dictis illorum testium fidem haberi contra se, etiam non debet habere pro se, arg. c. *Cum olim*, 19. *de Censib.* ubi quis ex eo, quod studuit impugnare, non debet beneficium consequi ; cum similibus.

539. *Exceptiones contra dicta testium, et contra eorum examen, opponuntur post publicationem attestationum.* — Resp. III. Exceptio contra dicta testium est opponenda post publicationem attestationum : neque enim antea norunt partes, qui testes deposuerint, ac proinde, quid in eorum dictis sit reprobandum. Engel h. t. § 4. n. 52. Idemque, servata proportione, dicendum de exceptionibus contra examen testium : nam et hæ tunc primum opponi valent, quando examine illo testium producto alteri parti innotescere potuit, istud se non citata, vel alias illegitime fuisse attentatum, et factum.

540. *Exceptio contra personas testium proprie non est dilatoria, nec peremptoria. Exceptio contra testes est quasi peremptoria.* — Quæritur II. Utrum exceptio contra personas testium sit dilatoria, impediatque examen testium ? Resp. I. Exceptio contra personas testium proprie non est dilatoria, nec peremptoria, sed participat de utraque. Ita Abbas d. c. *Præsentium.* n. 1. h. t. ; Pirhing h. t. n. 244. Ratio est, quia imprimis ea proprie non est dilatoria : nam exceptio dilatoria differt, seu impedit processum su-

per negotio principali ad tempus, § *Appellantur*. Instit. *de Exception*. debetque ante litis contestationem opponi, c. *Inter monasterium*. 20. *de Sentent. et re judicat*. et l. ult. c. *de Exception*. Exceptio autem contra personas testium potest etiam post litem contestatam oppponi; imo et quandoque post publicationem attestationum, ut proxime dictum. Nec proprie est peremptoria: quia exceptio peremptoria est actionis exclusio, l. I. et II. ff. *de Exception*. et semper agentibus obstat cit. § *Appellantur*. Instit. eod. Hoc autem non facit exceptio contra personas testium; ergo. Remanet proinde, quod exceptio, quæ fit contra testes, participet de utraque: nisi cum Glossa in c. *Ex parte* A. ℣. *Testes idoneos*. *de Testib*. Abbate c. *Finem litibus*. n. 11. *de Dolo et contumac*. atque Barbosa cap. I. n. 7. h. t. exceptionem illam, quæ opponitur contra testes, malueris appellare « quasi peremptoriam: » quia, licet directe non perimat intentionem adversarii, perimit tamen ipsam per obliquum; dum sublata probatione per testes, jus ipsius remanet inutile, non probatum.

541. *Ea regulariter non impedit examen testium, sed reservatur disputanda in finem litis*. — Resp. II. Exceptio contra personas testium regulariter non impedit examen illorum, sed reservatur examinanda seu disputanda in finem litis. Ita Glossa in c. *Ex parte*. ℣. *Infames*. et ibi Joan. Andreas n. 1. et 16. Abbas n. 3; Baldus n. 11; Felinus n. 12. h. t.; Socinus *de Fallent*. reg. 129. Mascardus *de Probation*. concl. 695. n. 1; Pirhing h. t. num. 247; Farinacius *de Testib*. quæst. 62. n. 350. allegans plurimos alios. Idque desumitur ex Auth. *Si testis*. c. h. t. ubi decernitur, quod propter exceptionem, quæ objicitur in personam testis, non differatur ejus testimonium; sed dictæ exceptionis probatio, et examinatio in tempus disputationis (hoc est, post publicationem attestationum) sit differenda: nisi pro opponente sit de jure præsumptio, vel talis aperta probatio, quæ testimonium etiam latum penitus evertat; prout limitat Baldus in *Summario* ibid. Accedit ratio, quia statim disputando de inhabilitate testium, quæ nondum est aperta, sed longiori indiget examine, multum protraherentur lites, et quandoque inutiliter: cum contingere possit, quod in progressu appareat, judicem etiam sine testimonio illorum testium, quibus aliqua exceptio objicitur, ex aliis depositionibus, et probationibus, posse sententiam ferre. Sufficit ergo, in fine disputare de inhabilitate testium, quando id opus esse videbitur; eaque probata respuere testimonium illius testis.

542. *Fallit hæc regula, quando pro opponente simul stat præsumptio juris*. — Dicitur tamen in data conclusione, « regulariter. » Patitur enim hæc regula suas limitationes. Et *primo* quidem, quando pro opponente simul stat juris præsumptio: ut si contra testem opponatur, quod sit servus, sicque inhabilis ad testificandum; et testis fateatur, se fuisse servum, nunc autem esse libertinum, sive manumissum: quia tunc non admittitur ad testificandum, nisi prius exhibeat instrumentum suæ manumissionis; stat enim præsumptio juris contra ipsum, utpote manumissionem non præsumentis, donec probetur. Authent. *Si testis*. c. h. t.; Socinus cit. reg. 129. fallent. 3; Farinacius d. quæst. 62. n. 356. et alii.

543. *Vel, quando notorius est defectus, qui testi objicitur*. — Limitatur *secundo*, quando notorius est defectus, qui testi objicitur; aut si huic opponitur crimen publicum, et manifestum; vel saltem in continenti offertur ejus probatio: quia talis exceptio impedit examen testium, illiusque probatio statim est admittenda, nec reservatur in finem litis; et si judex noluerit eam admittere, licite appellatur. Casus est in cit. c. *Ex parte*. 7. h. t. ubi Summarium, et Abbas n. 8; Felinus n. 15; Menochius *de Arbitrar. judic*. lib. II. cas. 239. n. 12; Farinacius d. quæst. 62. n. 358. et 362. allegans plurimos alios. Id ipsum desumitur ex cit. Auth. *Si testis*. c. h. t.

544. *Vel quando testi opponitur excommunicatio, ob quam sit vitandus*. — Limitatur *tertio*, quando opponitur testi excommunicatio, ob quam sit vitandus: quia talis exceptio impedit receptionem, atque examen illius testis, propter periculum communicationis cum excommunicato; atque ideo statim est inquirendum de veritate dictæ exceptionis. Joan. Andreas cit. c. *Ex parte*. n. 15 et Abbas ibid. n. 8. h. t.; Socinus cit. reg. 129. fallent. 4; Mascardus cit. concl. 695. n. 3. istud probans ex c. *Pia*. *de Exception*. in 6; Pirhing n. 250 et alii.

545. *Item, quando periculum est, quod testes reprobatorii aliorum, postea non amplius sint reperiendi in fine litis*. — Limitatur *quarto*, quando periculum est, quod testes reprobatorii aliorum, contra quos proponitur excep-

tio, postea non amplius sint reperiendi in fine litis: ut quia sunt senes, infirmi, vel in remotas regiones abituri: tunc enim exceptio contra testes opposita non reservatur in finem litis, sed impedit examen testium, donec de ea cognoscatur. Joan. Andreas loc. cit. n. 16; et Abbas d. n. 8; Socinus cit. reg. 129. fallent. 5, Farinacius d. quæst. 62. n. 363. allegans alios.

546. *In arbitrio judicis est positum, exceptiones testium statim admittere ad probandum, vel earum discussionem reservare in finem litis. Materia de testibus multum est arbitraria.* — Tacentur nonnullæ aliæ limitationes, apud auctores proxime relatos videndæ: qui tandem concludunt, in arbitrio judicis esse positum, an pensatis variis circumstantiis, quæ hinc inde possunt occurrere, velit exceptiones contra testes oppositas statim admittere ad probandum, vel potius earum discussionem reservare in finem litis: nam præsens materia *de Testibus*, multum est arbitraria, l. III. ff. h. t. Quod si vero judex non arbitrabitur ut bonus vir, poterit ab eo appellari. Abbas cit. n. 8. vers. « Quare concludo, » et alii.

547. *Non possum reprobare testem, quem induxi pro me, nisi nova causa supervenerit.* — Quæritur III. A quo possint, vel non possint reprobari testes, aut dicta eorum? Resp. I. Etsi reus possit reprobare testes actoris contra se inductos, et econtra, ostendendo ipsorum inhabilitatem, dummodo eos antea necdum approbaverit, ut est extra controversiam, testem tamen, quem induxit pro se, non potest amplius reprobare, sed tenetur eum admittere contra se, nisi nova causa supervenerit. Ita Glossa in c. *Præsentium*. ỿ. *Si quis*. et Joan. Andreas ibid. n. 10. et Abbas n. 6. h. t.; Speculator tit. *de Teste*. § *de Testium reprobatione*, n. 5. et alii. Ratio est, quia, cum quis producit testem pro se, hoc ipso approbat personam illius; ergo contra personam ejus (nisi ex nova causa emergente) nihil amplius potest opponere; sicque tenetur eum etiam contra se admittere: nam, « quod semel placuit, amplius displicere non potest, » juxta reg. 21. juris in 6. cum similibus. Accedit textus in l. *Si quis testibus*. c. h. t. proxime referendus.

548. *Ne quidem in alio judicio.* — Ampliatur hæc conclusio, ut etiam in alio judicio non possim reprobare personam testis, quem semel pro me induxi, nisi ex nova causa. Textus est expressus in cit. l. *Si quis testibus*. c. h. t. quæ est canonizata in can. *Si testes*. § *Si quis testibus*. 4. q. 3. quo utroque in loco sic legitur: « Si quis testibus usus fuerit, iidemque testes in alio judicio (seu in alia lite) producantur, non licebit ei personas eorum excipere: nisi ostenderit, inimicitias inter se et illos postea emersisse, ex quibus testes repelli leges præcipiunt, » etc. Hæc ibi.

549. *Etiamsi ipso postea usus non sim.* — Et quamvis allegatus textus loquatur in casu, quo « quis testibus usus fuerit: » hoc ipsum tamen censent doctores esse dicendum etiam tunc, quando quis testes pro se produxit, etiamsi iis postea usus non sit; forte, quia non potuit, vel eorum testimonio non indiguit. Quia hoc ipso, quod istorum testimonio uti voluerit, sicque eos produxerit, censetur approbasse personam illorum: unde redit allata ratio, seu ne quis reprobet, quod antea approbavit, Joan. Andreas, et Abbas, ubi supra n. 7. et alii.

550. *Ex causa de novo superveniente possum reprobare testem antea a me productum.* — Cæterum limitatio illa, « nisi ostenderit inimicitias inter se et illos postea emersisse, » etc. merito extenditur ad omnes alias causas de novo supervenientes, quibus de jure potest persona testis repelli; ut puta, si postea testis ille factus sit infamis, perjurus, etc. Tunc enim possum exinde ipsum repellere, haud obstante quod antea eum pro me induxerim, juxta textum relatum ex cit. l. *Si quis testibus*. c. h. t.

551. *Ac etiam ex defectu nunc primum cognito, quo antea testis laborabat. Paria sunt, non esse, et non apparere.* — Atque hoc ipsum est dicendum de aliis hujusmodi defectibus postea primum cognitis, quibus testis productus antea laborabat, sed a producente ignorabantur. Abbas cit. n. 7. asserens, ejusmodi ignorantiam posse probari juramento: quod ipsum tradit Felinus c. *Pastoralis de Exception*. et favet textus c. *Nulli licere*. 8. *de Electión*. in 6. Siquidem quantum ad propositum, paria sunt, non esse, et non apparere, l. *In lege fundi*, juncto Summario. ff. *de contrahend. emption*.

552. *Possum reprobare dicta testis a me producti, quando sunt sibi contraria, vel aliunde eorum falsitas ostendi potest.* — Resp. II. Etsi personam testis, quem induxi pro me, non possim amplius reprobare dicta ejus, quando video quod sibi sint contraria, vel aliunde eorum falsitas ostendi potest. Ita Glossa in cit. l. *Præsentium*. ỿ. *Si quis*. et Joan. An-

dreas ibid. n. 8. et 12. et Abbas n. 7. in fin. h. t. et alii. Ratio diversitatis est, quia, qui producit testem, censetur nosse, et approbare personam ejus; sicque contra hanc non potest amplius excipere, nisi nova supervenerit causa : non autem is novit, neque divinare potuit, quid testis sit dicturus; atque ideo dicta ipsius reprobare potest, ostendendo eorum contradictionem, falsitatem, etc. Sicut in simili potest quis appellare a sententia illius, quem impetravit in judicem, c. *Causam quæ*. 14. *de Sentent. et re judicat.* et l. *Ex consensu*. ff. *de Appellat.* licet personam ejus, quam suo censensu jam approbaverat, amplius repudiare, seu recusare non possit, nisi nova causa superveniente, c. *Insinuante*. 25. *de Offic. delegat.* cum similibus.

553. *Testes probatorii, reprobatorii et testes reprobatorii reprobatoriorum; qui?* — Quæritur IV. Qua ratione licitum sit reprobare testes probatorios, et reprobatorios ? Ubi prænotandum, quod « testes probatorii » dicantur illi, qui super negotio principali producuntur ad probationem illius. « Testes reprobatorii » vero appellantur, qui ab altera parte producuntur ad reprobandum, seu refutandum personas, aut dicta illorum testium probatoriorum : ut puta, probando per eos quod testes illi probatorii sint servi, infames, etc., aut quod eorum depositio sit contradictoria, falsa, etc., sicque ipsi nihil probent. « Testes reprobatorii reprobatoriorum » tandem vocantur illi, qui vicissim producuntur ad reprobandum personas, aut dicta præfatorum testium reprobatoriorum. Hoc prænotato :

554. *Testes probatorii possunt reprobari per alios testes reprobatorios; et hi rursus mediantibus aliis, sive per testes reprobatorios reprobatoriorum; sed non ultra.* — Resp. I. Testes probatorii, seu producti super probatione causæ principalis, possunt reprobari per alios testes reprobatorios a parte adversa productos; ac etiam hi ipsi rursus possunt reprobari mediantibus aliis, sive per testes reprobatorios reprobatoriorum : ultra vero, hoc est, contra testes istos reprobatorios reprobatoriorum, non est permissum alios testes reprobatorios producere. Ita habetur decisum in c. *Licet dilectus*. 49. h. t. ac notat ibi Summarium, Innocentius, Joan. Andreas, Abbas, Barbosa, et communis aliorum. Ratio est, quia reprobatio testium, sive repulsa ipsorum ob suam inhabilitatem, seu falsitatem, est quædam defensio: si enim non liceret uni parti testes ab altera parte productos reprobare, sæpe veritas succumberet, ac per falsos testes opprimeretur, cap. II. h. t. et l. *Eos testes*. c. eod. Ac proinde, ut æqualitas servetur in judiciis, merito tam actori, quam reo permittitur reprobare tum testes probatorios super principali negotio ab altera parte productos, tum etiam horum reprobatorios : ita tamen, ut hic, sive in tertia productione testium priores reprobantium, utrobique detur status.

555. *Infinitas est vitanda, et reprobatur a jure.* — Et merito hic datur status : « Ne, si producendi quartos contra tertios, et sic deinceps partibus licentia tribuatur, negotium diutius protelari contingat; » prout loquitur Pontifex cit. c. *Licet dilectus*. h. t. Quia tunc daretur processus in infinitum, nec esset aliquis finis litium, partibus semper in nova reprobatione ulteriorum testium occupatis. Infinitas autem est vitanda, inquit Glossa ibid. ℣. *Quos*. id probans ex l. *Ut inter divinum*. c. *de Sacrosanct. Eccles.* utpote quæ reprobatur a jure, c. *Cum in multis. de Rescript.* in 6. juncta Glossa ℣. *Multis*. fusius istud exemplificante.

556. *Licet testes reprobatorii reprobatoriorum non possint reprobari per novos testes, possunt tamen reprobari per instrumenta.* — Dicitur notanter in conclusione, « ultra vero non est permissum, alios testes reprobatorios producere. » Licet enim testes secundo reprobatorii (hoc est, reprobatorii reprobatoriorum) non possint reprobari per novos testes; bene tamen possunt iidem reprobari per instrumenta : ut inquit Joan. Andreas in cit. c. *Licet dilectus*. n. 4. et Abbas ibid. n. 3. et Imola col. 2. h. t. et Pirhing eod. n. 253; tum quia in cit. c. *Licet dilectus*. h. t. solum prohibetur, ne fiat tertia reprobatio per testes : atqui in materia odiosa, ut est præsens, nomine *testium* non veniunt instrumenta; tum quia in simili, post publicationem attestationum non est licitum novos testes producere; bene tamen possunt produci instrumenta de novo reperta, c. *Cum dilectus*. 9. *de Fide instrument.* estque jam dictum supra tit. *præced.* § 6. n. 149. et 152.

557. *Modus in reprobatione testium probatoriorum, et reprobatoriorum observandus, in quo consistat? Non sufficit dicere in genere, quod v. g. testis sit criminosus; sed oportet crimen specifice exprimere, et cur?* — Resp. II. Modus in reprobatione testium probatoriorum, et reprobatoriorum observandus, tra-

ditur in cap. II. § *Testes etiam*. h. t. in 6. et consistit potissimum in sequentibus. *Primo*, ut « fiat singillatim specificatio criminum, et aliorum objectorum, » seu defectuum, qui forsan productis testibus objici possunt, suntque tales, ut illi idcirco testes esse prohibeantur; prout explicat Glossa ibid. ℣. *Et aliorum*. Unde non sufficit tantum in genere dicere quod testis, qui ab altera parte productus fuit, sit criminosus, vel aliunde inhabilis ad testificandum : sed oportet, crimen illud, vel alium defectum singillatim, ac specifice exprimere. Alioquin enim opponens crimen sub tali generalitate, posset postea variare ; et cognito, quod unum crimen probare nequiret, aliud fraudulenter objicere, sicque negotium protrahere in infinitum : quod est absurdum. Simile quid habetur c. *Ut circa. de Election.* in 6. ubi pariter appellantes contra electionem, tenentur exprimere omnia, quæ intendunt objicere contra personam electi, vel formam electionis.

558. *Qui producit testes reprobatorios reprobatoriorum, debet jurare, quod ad hoc ex malitia non procedat. Et quid dicendum de prima reprobatione testium?* — *Secundo*, quod is qui producit testes reprobatorios reprobatoriorum, « prius præstet juramentum, quod ad hoc ex malitia non procedat. » Ita loquitur textus in cit. cap. II. in fin. h. t. in 6. Ubi Glossa ℣. *Juramentum*, quærit rationem disparitatis, cur in prima reprobatione testium probatoriorum, non exigatur juramentum, bene tamen in secunda, per quam testes reprobatorii reprobantur. Et respondet, disparitatem esse, quia potius præsumitur, malitiam intervenire in reprobatione testium reprobatoriorum, quam in reprobatione probatoriorum, seu super principali negotio productorum, quamquam hoc ipsum sit in potestate judicis; adeo ut in prima etiam reprobatione possit exigere juramentum, si ita sibi videbitur, cap. II. § fin. *de Jurament. calumn.* in 6. et illud in secunda omittere, si sibi videbitur.

TITULUS XXI.

De testibus cogendis, vel non.

1. *Ratio continuationis rubricarum*. — Quia præcedenti titulo visum est de testibus et attestationibus; et dubitari posset, an quis invitus possit ad testificandum cogi, necne, merito præsens rubrica subjungitur : quæ cum duplex membrum contineat, pariformiter duobus paragraphis declarabitur. Unde sit :

§ I.

QUO MODO, ET PŒNA, QUIBUSQUE IN CAUSIS TESTES COGENDI SINT?

2. *Testes auctoritate publica sunt citandi, vocato etiam adversario*. — Quæritur I. An, et quomodo, quibusque pœnis testes cogi possint ad ferendum testimonium? Antequam respondeatur, est supponendum, quod testes auctoritate publica, hoc est, a judice, vel de ejus mandato per publicam personam, ad ferendum testimonium judiciale citari debeant : ita tamen, ut simul vocetur, seu admoneatur adversarius ad veniendum, et audiendum testium juramentum; vel etiam ad opponendum contra eorum personas, si quid forsan habuerit, quod testibus objicere, sicque eos reprobare possit : prout uberius tit. præced. diversis in locis dictum est. Quia vero nonnunquam contingit, quod testes legitime citati, vel odio producentis, vel gratia aut timore illius contra quem producuntur, sese subtrahant; et vel penitus comparere recusent, vel saltem in tali causa, et contra talem personam testificari nolint : hinc quæstio remanet, an, et quomodo, quibusque pœnis testes cogi possint ad ferendum testimonium. Quo prænotato :

3. *Regula est, quod si testes legitime citati venire, aut testificari nolint, per judicem compelli possent*. — Resp. I. Regula est, quod si testes legitime citati venire, aut testificari nolint, per judicem tum ordinarium, tum delegatum, ad testificandum compelli valeant. Ita textus expressus in cap. I. h. t. ubi pontifex sic loquitur : « Mandamus, quatenus testes ab alterutra partium in suæ assertionis testimonium invocatos, ne veritatem occultent, diligentius moneas, et inducas. Si autem odio, vel gratia, vel timore se subtrahant, eos ad ferendum testimonium coram præfatis judicibus, vel eorum nuntio, quem ad hoc miserint, ecclesiastica districtione compellas. » Hæc ibi. Atque ideo hanc regulam tradit Hostiensis in *Summa*. h. t. n. 1; Speculator tit. *de Teste*. § *de Testium compulsione*, n. 3; Sigism. Scaccia lib. II. *de*

Judiciis, cap. x. n. 1; Farinacius *de Testib.* quæst. 78. n. 57. citans alios.

4. *Officium testium est publicum, vel quasi publicum.* — Accedit ratio : quia officium testium, est officium publicum, arg. l. 1. ff. *de Testib.* et notat Baldus ad rubric. h. t. n. 1. Mascardus *de Probat.* quæst. 5. proœm. n. 48. Vallensis h. t. n. 1. Vel saltem, ut inquit Joan. Andreas ad rubric. h. t. officium testium est quasi publicum : sive, ut inquit Innocentius in c. *Nihil.* ad fin. *de Election.* et Abbas ad rubric. h. t. et cap. ult. n. 3. eod. est publicum in se. Atqui ad officium publicum compellitur interdum quis invitus, l. *Cum ab initio*, juncta Glossa ℣. *Cogat.* ff. *Quemadmodum testament. aperiant.* cum similibus : neque enim juri publico quis renuntiare potest, c. *Si diligenti.* 12. *de Foro compet.*; ergo.

5. *Aliæ rationes afferuntur, cur testes quandoque cogantur ad testificandum.* — Confirmatur, tum quia testes quandoque cogi ad testificandum, exigit bonum commune, et publica necessitas seu utilitas reipublicæ, ut hac ratione præcaveatur malitiis hominum cæteroquin plures fraudes criminaque perpetrantium, quæ occulta remanerent, nisi quandoque testes cogi valerent : seu, « ne veritas occultetur, et ne malus ut bonus æstimetur, » prout habetur can. *Quamquam.* 14. q. 2. et cit. c. h. t.; tum quia ex eo, quod quis non vult ferre testimonium, præsumitur contra ipsum, quod veritatem, quam novit, velit odio, gratia, vel timore occultare, sicque merito compellitur ad eam detegendam; tum tandem, quia officium testium adeo est necessarium, ut quis etiam removeatur a munere judicandi propter actum testificandi, c. *Dilecto.* 40. *de Testib.* ubi judici delegato substituitur alius, eo quod pars litigans illius testimonio indiguisset : nam, ut inquit Abbas ibid. n. 3. facilius reperiuntur centum judices quam unus testis.

6. *Testes non illico compellendi sunt, sed debet præcedere monitio.* — Resp. II. Testes recusantes ferre testimonium, non illico, et ex abrupto compellendi sunt, sed necesse est, ut præcedat monitio. Ita textus in cit cap. I. h. t. ibi : « Diligentius moneas, et inducas : » ac notat Abbas ibid. n. 1; Felinus n. 1; Farinacius *de Testib.* quæst. 78. n. 55. allegans alios. Concordat textus in c. *Super eo.* 3. h. t. illis verbis : « Testes, qui interfuerunt facto, monendi sunt, non cogendi ad ferendum testimonium veritati. » Ubi Glossa ℣. *Non cogendi*, hoc intelligit, « a principio : primo enim sunt monendi, et postea cogendi, » inquit Glossa. Nec immerito, quia non statim debet judex fulminare minitando excommunicationem, sed mitius procedendo, prius monere, donec crescente contumacia testis, et graviora juris remedia procedere oporteat.

7. *Nisi eorum testimonium mox a principio sit necessarium.* — Limitat tamen istud Abbas in cit. cap. I. n. 1. h. t. et post ipsum Farinacius, ubi supra, n. 56. nisi testimonium illorum testium mox a principio fuerit necessarium : ut puta, quia factum aliter probari non potest; vel quia judex est remotus a partibus, nec judicium de facili potest geminari. Tunc enim non est opus præmittere aliam monitionem; sed poterit judex statim a principio præcipere testium comparitionem, atque depositionem, etiam sub conditione, fulminando censuras ecclesiasticas. Idque desumit Abbas loc. cit. ex cap. II. h. t. ubi ita videtur practicatum a pontifice in casu, quo testimonium quorumdam fuerat necessarium pro decisione causæ tunc existentis.

8. *Testes admoniti, et testificari recusantes, compellendi sunt pro qualitate fori.* — Resp. III. Quod si admonitio testibus facta de aperienda veritate non prosit, sed ipsi jam admoniti adhuc testificari recusent, tunc testes (extra casus in jure privilegiatos) sunt compellendi pro qualitate fori. Ita communis. et patet ex juribus illicò allegandis.

9. *Nempe de jure canonico, per censuras ecclesiasticas.* — Et quidem de jure canonico testis monitus, ac interrogatus, si odio unius vel gratia aut timore alterius partis (quod juxta Glossam in c. *Super eo.* ℣. *timore.* h. t. fieri præsumitur, nisi privilegium, aut justum impedimentum allegare valeat) testimonium ferre recusaverit; « ecclesiastica districtione » compelli debet, cap. I. h. t. et cap. II. et c. *Pervenit ad nos.* 5. eod. ibi : « Sunt per censuram ecclesiasticam compellendi. » Id est, clericus in testem vocatus, et contumaciter non comparens, imprimis compellitur sub pœna suspensionis : deinde, quia crescente contumacia crescere debet et pœna, cogitur sub pœna excommunicationis : et tandem sub pœna depositionis, juxta textum in cit. cap. II. h. t.

10. *Et de jure civili, pignora capiendo, vel mulctam imponendo.* — Porro de jure civili, testis auctoritate judicis compelli debet venire in judicium, atque testimonium perhibere: quod si facere contemnat, pignora ejus erunt

capienda, et distrahenda; vel ipse mulcta, seu banno extraordinario coercebitur, donec veniat, et respondeat: ut l. 1. § *Post editum.* ff. *de Ventre inspiciend.* ubi Glossa ỷ. *Et multis.* Bartolus, et alii, et sequitur Vallensis. h. t. n. 2. de quo tamen civilistæ. Verum occasione horum.

11. *Qui subtrahit testes a testificando, potest excommunicari.* — Quæritur II. Qua pœna puniatur ille qui subtrahit testes a testificando, et an idcirco perdat causam? Resp. I. Qui subtrahit testes adversario suo, puta, impediendo ne testimonium contra ipsum ferant, aut per vim occultando eos domi, ut non testificentur, potest excommunicari. Ita textus in c. *Constitutis.* 45. et Joan. Andreas, et Abbas in *Summario*, ibid. *de Testib.* Farinacius *de Testib.* quæst. 78. n. 138. et alii; estque jam dictum supra. tit. præced. § 13. man. 431. et seqq. ubi generaliter dicitur, posse excommunicari eos, qui partem impediunt, in producendis testibus.

12. *Et punitur pœna extraordinaria, tanquam contemptor judicis.* — Resp. II. Insuper subtrahens testem adversario suo, puta, per vim eum domi occultando, ne testificetur, punitur pœna extraordinaria ad motum judicis, tanquam contemptor ipsius. Ita desumitur ex c. *Pervenit ad audientiam.* 4. h. t. ubi dicitur, quod subtrahens adversario testem, « experiri debet in se judicis auctoritatem elusam; » hoc est, quam suo facto eludebat: ac notat Baldus in c. *Pervenit.* il. 1. n. 2. et Felinus n. 3. h. t.; Farinacius cit. quæst. 78. n. 138. allegans alios.

13. *An etiam teneatur pœna falsi?* — Dices. Qui subtrahit, seu furatur instrumenta, ut veritas non appareat, tenetur pœna falsi, l. *Eum qui.* c. *Ad leg. Cornel. de Falsis:* atqui subtrahens testes, hoc ipso subtrahit instrumenta; ergo is tenetur pœna falsi, et consequenter non sola pœna extraordinaria, seu arbitraria. Min. probatur ex textu cit. c. *Pervenit ad audientiam.* h. t. ubi pontifex attendendum censet, « quod nemo debet adversario instrumenta (quorum appellatione testes continentur) » subtrahere. Resp. majorem esse veram de instrumentis proprie dictis: ut sunt tabulæ testamentariæ, de quibus in cit. l. *Eum qui*, fit mentio: secus dicendum de testibus.

14. *Testes continentur appellatione instrumentorum. Proprie tamen aliud sunt instrumenta, aliud testes.* — Ad probationem negatur consequentia. Quia, licet testes nomine *Instrumenti* contineantur, ut inquit textus allegatus, possintque dici instrumenta, saltem in lata significatione, quatenus deserviunt ad instruendam causam, non minus, ac instrumenta, l. *In exercendis.* c. *de Fide instrument.* sicque instrumentis æquiparentur, c. *Forus.* juncta Glossa ỷ. *Testibus, et fide tabularum. de Verb. signif.* Nihilominus proprie loquendo, ac in materia strictæ interpretationis (qualis est ista, imponens subtrahentibus instrumenta pœnam falsi) aliud sunt instrumenta, et aliud testes. Unde in simili videmus, quod post publicationem attestationum possint produci instrumenta, non vero testes, c. *Cum dilectus.* 9. *de Fide instrument.* Ita Abbas in c. *Pervenit.* il. 1. n. 2. et Baldus ibid. n. 2. et Felinus ibid. n. 3. h. t.; Farinacius cit. quæst. 78. n. 134. et alii.

15. *Subtrahens adversario instrumenta, vel testes, ex hoc solo causam non perdit: ostendit tamen, quod iniquam foveat causam.* — Resp. III. Licet is, qui subtrahit adversario instrumenta, vel testes, ostendat iniquam a se litem moveri; sicque oriatur contra eum præsumptio, ac proinde testes sint compellendi ad dicendam veritatem: nihilominus subtrahens testes ex hoc solo non perdit causam, si de justitia sua aliunde doceat. Ita Glossa fin. l. *Providendum.* c. *de Postuland.* loquens in simili casu, quo quis adversario subtrahit copiam advocati. Abbas in cit. c. *Pervenit.* il. 1. n. 2; Joan. Andreas ibid. n. 5. et Felinus n. 3. h. t.; Farinacius de quæst. 78. n. 141. et seqq. citans alios, nonnullis tamen exceptis. Et quidem prior pars constat ex textu cit. c. *Pervenit.* il. 1. h. t. Ratio vero posterioris partis est, quia nullo jure reperitur cautum, quod subtrahens testes, in pœnam hujus delicti perdat causam; ergo nec est asserenda talis pœna, sed sufficit pœna arbitraria, vel etiam excommunicatio ipsi infligenda, donec dimittat testes ad libere ferendum testimonium.

16. *Hæc præsumptio, quid operetur?* — Quia tamen contra talem oritur præsumptio juris, quod foveat iniquam litem, cit. c. *Pervenit.* il. 1. seu c. *Pervenit ad audientiam.* 4. h. t. Hinc imprimis merito testis ille compellendus est ad detegendam fraudem, et calliditatem illius, qui eum voluit subtrahere; prout loquitur textus ibid. in fin. Deinde debet testis ille deponere super causa principali, ne veritas occultetur: imo, ut inquit Abbas, ibid. n. 2. post Innocentium, potest etiam ad hoc compelli. Tandem, si non con-

stet de justitia causæ ex parte subtrahentis testes, sed de ea remaneat dubium, tunc præsumitur quod subtrahens ille foveat injustam causam; et sic, loquendo de causa civili, amittit ipsam ex tali præsumptione. Farinacius loc. cit. n. 143. Quin etiam in criminalibus præsumptio delicti oriens ex subtractione testium contra subtrahentem, transfert in ipsum onus probandi suam innocentiam; alias condemnabitur, juxta Hostiensem cit. c. *Pervenit.* il. 1. n. 1. et 2. h. t. quem sequitur Farinacius d. q. 78. n. 148.

17. *Certum est, in causis civilibus posse testes cogi ad testificandum, nisi reperiantur privilegiati.* — Quæritur III. Utrum non solum in causis civilibus, sed etiam in criminalibus, testes sint cogendi ad perhibendum testimonium? Resp. I. Certum est, quod in causis civilibus testes possint compelli ad testificandum, nisi reperiantur expresse privilegiati, de quibus § seq. n. 28. et seqq. Ratio est, quia jura hactenus allegata ad minimum procedunt in causis civilibus. Idque patet ex cap. I. et VI. h. t. ubi sermo est de causa matrimoniali, et consanguinitate probanda. Item ex cap. II. et III. juncta Glossa fin. eod. ubi clare habetur, in causis civilibus posse cogi testes; cum similibus.

18. *De jure civili etiam in causis criminalibus cogendi sunt testes.* — Resp. II. Utrum in causis criminalibus cogendi sint testes, variant doctores. Et quidem loquendo de jure civili, regula est affirmativa, quod videlicet quilibet possit cogi ad ferendum testimonium, nisi reperiatur exceptus. Ita desumitur ex l. *Si quando.* c. h. t. juncta Glossa ibid. ℣. *Causis;* quæ istud ulterius probat ex eo: quia cum quidam excusentur, ut inviti non dicant testimonium, l. IV. et seqq. ff. *de Testib.* consequens est alios ad hoc compelli. Atqui ideo hanc sententiam in jure civili esse expeditam, eamque servari de consuetudine, asserit Jul. Clarus in *Praxi crimin.* lib. V. § fin. quæst. 24, n. 21. et Sigism. Scaccia cit. lib. II. *de Judiciis.* cap. X, n. 12. allegans capellam Tholosanam decis. 413. in fin.; Follerum in *Pract. crimin.* can. rubr. *Testibusque diligenter examinatis*, cap. VIII. n. 5. et n. 34. et alii.

19. *An idem sit dicendum de jure canonico, variant doctores.* — Verum loquendo de jure canonico, diversæ sunt doctorum sententiæ. Et quidem affirmativam sententiam, seu spectato etiam jure canonico testes in criminalibus cogi posse ad testificandum, originaliter docuit Hostiensis in *Summa* h. t. n. 2. appellans falsam opinionem doctorum antiquorum, negativam tenentium. Zoesius n. 2. h. t. rationem dans, quod reipublicæ intersit crimina sciri, ne maneant impunita. Et huic sententiæ multum favet Glossa fin. in c. *Dilectorum.* vers. *In contrarium.* h. t. ipsamque in praxi hodie esse receptam, refert Scaccia cit. cap. X. n. 16; Jul. Clarus de quæst. 24. n. 21. in fin.; Barbosa c. *Dilectorum.* n. 4. h. t. et Farinacius cit. quæst. 78. n. 120. in fin. ubi n. 116. pro hac sententia plures alios doctores allegat. Negativa econtra sententia, abstrahendo a speciali locorum, seu tribunalium consuetudine, videtur juri conformior, atque magis recepta inter canonistas doctrina, quamquam etiam ipsa quasdam patiatur limitationes. Unde

20. *Secundum canones, in causis criminalibus regulariter testes non possunt cogi.* — Resp. III. Secundum sacros canones, in causis criminalibus regulariter testes non possunt cogi ad testificandum. Ita Glossa c. *Super eo.* ℣. *Passim* et c. *Pervenit ad nos.* ℣. *Recusant.* et c. *Dilectorum.* ℣. *Super criminibus.* h. t.; Speculator tit. *de Testes.* § *de Testium compulsione.* n. 4; Innocentius cap. II. n. 2. h. t.; Abbas cit. c. *Dilectorum.* n. 3. eod.; Pirhing h. t. n. 11. et seqq.; Farinacius cit. quæst. 78. n. 115. allegans plurimos alios, hancque appellans communem opinionem canonistarum. Atque pro hac regula facit textus in d. c. *Dilectorum* 10. h. t. illis verbis : « Testes, qui fuerint nominati, præterquam super criminibus) si se gratia, odio, vel timore subtraxerint) per censuram ecclesiasticam cogatis veritati testimonium perhibere. » Ubi exceptio illa, « præterquam super criminibus, » firmat regulam in oppositum. Concordat c. *Ex parte.* 7. *de Testib.* juncta Glossa fin. ubi dicitur, quod in crimine probando testes sunt monendi, non cogendi.

21. *Peccatum fratris tacere, non est peccatum, sed meritorium; et quando?* — Accedit ratio, quia peccatum fratris tacere, non est peccatum (saltem regulariter, et quando sine periculo dissimulari potest) imo est laudabile, ac meritorium arg. can. *Si peccaverit.* 2. quæst. 1. Simulque in infamiam alterius nemo facile debet prosilire, arg. can. *Ex merito.* et can. *Summa iniquitas.* 6. q. 1. ergo multo fortius nemo debet ad hoc compelli.

22. *Vel maxime testes non sunt cogendi, quando agitur de probando crimine occulto.* —

Atque hæc conclusio vel maxime procedit, quando agitur de probando crimine occulto: quia tunc multo minus testes cogendi sunt, per jura proxime allegata, juncto c. *Super eo.* 3. h. t. ubi dicitur: « Verum si non est notorium... testes qui interfuerunt facto, monendi sunt, non cogendi, » etc., ac notat Joan. Andreas c. *Dilectorum.* n. 11. vers. *In occultis.* h. t. hinc excipiens crimina occulta perniciosa; ut est hæresis, dilapidatio, et hujusmodi; Farinacius d. quæst. 78. n. 121. allegans alios.

23. *Vel quando ex tali depositione grave periculum, v. g. capitalis inimicitiæ, imminet testi.* — Atque id ipsum incunctanter etiam est dicendum, quando ex depositione super crimine alterius grave periculum, v. g. capitalis inimicitiæ, imminet testi: quia tunc non debet judex eum cogere. Baldus c. *Dilectorum.* n. 6. et Felinus ibid. n. 3. h. t.; Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 487. n. 3. et seqq. qui tamen extra tale periculum arbitrantur, testem esse cogendum ad testificandum etiam in criminalibus favore reipublicæ, ne crimina maneant impunita. Rationem dant, quia nemo potest cogi testificari in præjudicium suorum consanguineorum, vel affinium, l. *Lege Julia.* ff. *de Testib.* cum concordantiis: ergo multo minus, æquitate naturali sic suadente, cogitur quis testificari in præjudicium proprium adeo magnum, quale est inimicitia capitalis, quæ ex testimonio in causa capitali consurgere solet, arg. c. *Cum P.* 10. *de Accusat.*

24. *In certis casibus, etiam de jure canonico, coguntur testes ferre testimonium in causis criminalibus.* — Resp. IV. Patitur nihilominus data conclusio quasdam limitationes, atque in certis casibus testes etiam de jure canonico coguntur ferre testimonium in causis criminalibus. Ita Abbas c. *Dilectorum.* n. 6. h. t. nonnullas tales limitationes assignans; et subjungens, promptum esse, hoc modo jura juribus concordare. Farinacius cit. c. quæst. 78, n. 122. et 124. ac seqq. et alii.

25. *Ut, quando veritas aliter haberi non potest.* — Sic imprimis testes ad testificandum compelluntur, quando veritas aliter haberi non potest: et hoc non solum in civilibus, sed etiam in criminalibus. Textus est in c. *Pervenit ad nos.* 5. juncto *Summario*, et Glossa ꝟ. *Ecclesiasticis* h. t. ubi in causa injuriarum enormium clericis illatarum illi, « qui testificari recusant, si aliter veritas nequiverit elici, ad illud sunt per censuram ecclesiasticam compellendi. » Abbas cit. c. *Dilectorum.* n. 6. h. t.; Pirhing eod. n. 13; Socinus in *Fallentiis*, reg. 417. fallent. 1; Farinacius d. quæst. 78. n. 124. allegans plurimos alios.

26. *Vel, quando adversa pars malitiose impedit testium productionem. Item quando ipsimet testes esse subtrahunt timore, gratia, vel odio.* — Deinde testes in criminalibus compelluntur testificari, quando adversa pars malitiose impedit eorum productionem, c. *Pervenit ad audientiam.* 4. h. t. Item, quando ipsimet testes sese subtrahunt timore adversæ partis, c. *Super eo.* 3. eod. quem timorem eo ipso præsumi, quod quis monitus sit, et nolit testificari, censet Glossa in cit. c. *Super eo.* ꝟ. *Timore.* Idemque dicendum, quando testes sese subtrahunt non solum timore partis adversæ (ut vult Abbas in cit. c. *Super eo.* n. 2.) sed etiam gratia, vel odio aliquo; ut c. *Cum contra.* 9. et cap. ult. h. t. ubi expresse dicitur, testes etiam in criminalibus, utpote de quibus ibidem agitur, esse cogendos ad perhibendum testimonium veritati, « si se gratia, odio vel timore subtraxerint: » haud obstante, quod in cit. c. *Super eo.* eod. de solo timore fiat mentio. Farinacius cit. quæst. 78, n. 126. cum plurimis aliis.

27. *Et in criminibus summe perniciosis hæresis, læsæ majestatis, etc.* — Insuper in crimine hæresis, læsæ majestatis, conjurationis, simoniæ, aliisque hujusmodi gravissimis, summeque perniciosis criminibus compelluntur testes, haud obstante, quod simus in criminalibus: talia enim crimina nequeunt dissimulari, neque reticeri in summam perniciem communitatis, can. *Si quis per capillum.* 22. q. 1. et cap. ult. h. t. cum similibus; Baldus ad rubric. h. t. n. 2; Joan. Andreas d. c. *Dilectorum.* n. 11. h. t.; Socinus cit. reg. 417. fallent. 3; Pirhing h. t. n. 19; Farinacius d. quæst. 78. n. 189. et seqq., allegans alios, et de singulis talibus criminibus specialiter differens: quamquam n. 199, recte subjungat, quod ubi agitur causa sanguinis, tunc clerici sint excipiendi, nec cogendi ad ferendum testimonium, propter periculum irregularitatis; estque jam dictum supra tit. præced. § 6. n. 170 et 171.

§ II.

DE PERSONIS PRIVILEGIATIS, VEL NON, A FERENDO TESTIMONIO.

28. *Plures sunt personæ privilegiatæ a ferendo testimonio.* — Quæritur I. Quænam sint

personæ privilegiatæ; ita ut non possint cogi ad ferendum testimonium? Resp. I. Plures esse tales personas :

29. *Ut parentes, et liberi adversus se.* — Et imprimis excipiuntur parentes et liberi, qui non solum non coguntur inviti adversus se dicere testimonium, sed ne quidem volentes admittuntur, l. *Parentes.* c. *de Testib.* quæ est canonizata in can. *Si testes.* § *Parentes.* 4. q. 3. ubi dicitur : « Parentes, et liberi invicem adversus se nec volentes ad testimonium admittendi sunt. » Et merito : ne quoquo modo vel pietas in liberis (sub his quoscumque descendentes comprehendendo) vel charitas in parentibus lædatur, si adversus se testari eos contingat. Concordant dicta superius, tit. præced. § 5, n. 144. et seqq. ubi plura de hoc.

30. *Agnati et cognati usque ad tertium gradum.* — Deinde agnati, et cognati, non possunt compelli ad testificandum contra suos consanguineos usque ad tertium gradum inclusive. Glossa fin. in can. *Consanguinei.* 3. q. 5; Abbas c. *Litteras.* n. 8. vers. *Et quod dixi de Præsumption.*; Mascardus *de Probation.* concl. 74. n. 3; Farinacius *de Testib.* quæst. 54, n. 23. allegans alios. Idque desumitur ex l. 4. ff. *de Testib.* quæ est canonizata in can. *Si testes.* 4. q. 3; § *Lege Julia publicorum.* ubi cavetur, ne consanguinei inviti cogantur adversus se dicere testimonium usque ad « sobrinum et sobrinam, sobrinove natum; » quos tertio gradu secundum canones ab invicem distare, constat ex arbore consanguinitatis.

31. *Agnati et cognati, qui, et quomodo differant?* — Ubi sciendum, quod *Agnati* dicantur illi, qui propter virilis sexus cognationem sunt conjuncti : adeoque eodem nomine gentilitio, familia et insigniis utuntur. *Cognati* autem vocantur, qui per fœminei sexus cognationem sanguine junguntur; prout habetur § 1. Instit. *de Legitima agnator. tutel.* et l. *Sunt autem agnati.* ff. *de Legitimis tutorib.* et l. *Inter agnatos.* ff. *Unde legitimi.* Quamvis in hoc ultimo loco addatur, quod *Cognatorum* nomen latius pateat : adeo, ut agnati etiam censeantur cognati, sed non econtra : prout v. g. omnis emptio est pactum, sed non econtra; cum pactum sit genus respectu emptionis, ut exemplificat Glossa ibid. ỷ. *Continentur.*

32. *Affines, qui sibi instar parentum, et liberorum sunt, inviti non coguntur adversus se testimonium perhibere, et quales illi sunt.* — Insuper affines, qui sibi instar parentum et liberorum sunt, ut socer, gener, vitricus, privignus, inviti non compelluntur adversus se testimonium perhibere, cit. l. 4. ff. *de Testib.* et can. *Si testes.* 4. q. 3. § *Lege Julia publicorum*, quo utroque in loco etiam subjungitur, « generi appellatione, sponsum filiæ quoque contineri; item soceri, sponsæ patrem. » Et merito tales personæ sunt privilegiatæ, ne cogantur adversus se dicere testimonium : quia durum, et naturali affectioni contrarium esse dignoscitur, ut quis invitus contra suum sanguinem, vel affinitate adeo conjunctum, atque in præjudicium ipsius, passim compellatur testimonium.

33. *Differentia inter agnatos et affines, et inter parentes et liberos quo ad hoc.* — Est tamen differentia inter agnatos et affines, ac hujusmodi, et inter parentes et liberos. Nam hi non solum non possunt cogi, sed neque volentes admittendi sunt ad testificandum contra se, cit. l. *Parentes.* c. h. t. Illi vero licet non cogantur inviti, tamen volentes admittuntur. Vallensis h. t. n. 6.

34. *Quando veritas aliter haberi nequit, possunt agnati et affines cogi ad ferendum testimonium.* — Deinde dictum illud, quod cognati et affines, non cogantur adversus se dicere testimonium, procedit quidem regulariter : fallit tamen, quando veritas aliter haberi non potest. Nam, ubi ob defectum aliarum probationum, sive testium, veritas aliunde nequit haberi, cessat harum personarum privilegium : atque possunt eædem cogi ad ferendum testimonium in subsidium etiam contra se invicem : idque publicæ utilitatis causa, quæ privato affectui præferenda est. Ita desumitur ex. c. *Pervenit ad nos.* 5. h. t. ibi : « Si aliter veritas nequiverit elici : » juncto cap. ult. eod. ibi : « Ne pro defectu testium pereat sua justitia; » cum similibus : ac notat Hostiensis in cap. 1. n. 2. et Joan. Andreas ibid. n. 5.; et Abbas n. 4.; et Felinus n. 8. h. t.; Vallensis eod. n. 7; Farinacius cit. quæst. 78. n. 77. et n. 108. allegans plurimos alios.

35. *Adhuc tamen est disparitas inter privilegiatos, et non privilegiatos; et qualis?* — Neque hinc inferre licet, quod frustraneum sit harum personarum privilegium. Resp. enim cum Joan. Andrea, et Abbate, ubi supra, et aliis, adhuc disparitatem esse inter privilegiatos, et non privilegiatos : nam non privilegiati possunt compelli ad ferendum testimonium hoc ipso quod nominantur, seu in tes-

tes vocantur, et moniti testificari recusant, etiamsi veritas aliunde haberi possit. At vero personæ privilegiatæ non coguntur, nisi ubi per alios nequit veritas apparere; ut can. *Quanquam*. 14. q. 2. ubi Glossa. ỳ. « Occultetur, inquit, istud esse regulare, quod in defectum probationum quilibet possit cogi, ut c. *Pervenit ad nos*. 5. *de Testib. cogend.* » Nam qui veritatem occultat, peccatum committit mortale, can. *Quisquis metu*. 11. q. 3. ut loquitur Glossa in cap. 1. ỳ. *Occultent*. h. t.

36. *Inviti non coguntur ferre testimonium senes, valetudinarii, milites, etc. Et in quo sensu?* — Rursus inviti testimonium dicere non coguntur senes (id est, majores septuaginta annis; ut l. 1. c. *Qui ætate*, etc. et l. 3. ff. *de Jure immunit.*) item valetudinarii, milites, vel illi, qui cum magistratu reipublicæ causa absunt, vel quibus venire non licet, cit. can. *Si testes*. 4. q. 3. § *Inviti*. et l. 8. ff. *de Testib.* juncta Glossa ibid. Quod tamen intelligendum est, non quod tales simpliciter exempti sint a ferendo testimonio; sed ne inviti longius evocentur ad judicem. Idque merito statutum est, partim propter eorum impotentiam, qualis reperitur in senibus, et valetudinariis, ac hujusmodi; partim propter occupationem, qua detinentur milites, et alii reipublicæ causa absentes : et hinc, quando vocantur in testes, ad ipsorum domum pro recipiendo testimonio suo mittendum est, c. *Si qui testium*. 8. *de Testib.*

37. *Clerici in certis casibus non coguntur testificari.* — Tandem, ut omittantur nonnulli alii, de quibus fit mentio in sæpe cit. can. *Si testes*. 4. q. 3. Clerici in certis casibus, ac præsertim in causa sanguinis propter periculum irregularitatis, non coguntur testificari; prout uberius jam dictum est tit. præced. § 6. n. 170. Et multo minus possunt iidem ferre testimonium super auditis in confessione, propter sigillum ipsius; estque amplius dictum tit. 18. *De Confessis*. § 6. n. 133. Verum occasione horum :

38. *Utrum clericus possit compelli ad ferendum testimonium contra suam Ecclesiam? Et ratio dubitandi ac negativam tenendi.* — Quæritur II. Utrum clericus, ab alio invocatus, possit compelli ad ferendum testimonium contra suam Ecclesiam? Ratio dubitandi ac negativam tenendi est : quia clericus, qui contra Ecclesiam, a qua beneficium obtinet, pro extraneis advocatus, vel procurator esse præsumpserit, potest tanquam ingratus beneficio hujusmodi spoliari, per textum expressum in cap. ult. *de Postulando* : idem ergo dicendum de testimonio adversus Ecclesiam suam ferendo. Accedit, quod nemo cogatur esse testis in præjudicium fratris et cognatorum suorum, l. 4. ff. *de Testib.* et can. *Si testes*. § *Lege Julia publicorum*. 4. q. 3. ergo nec clericus in præjudicium suæ Ecclesiæ : quia nulla ejus proximior videtur, quam Ecclesia sua, quæ ipsum domino sociavit, c. *Presbyteri*. 2. *de Pœnis*. Tandem, nemo debet petere ab adversario suo propria instrumenta, cap. 1. *de Probation.* et can. *Si testes*. § *Qui intendit*. 4. q. 3. ergo neque actor potest exigere probationes, seu attestationem fieri sibi per clericum Ecclesiæ, contra quam agit. Verum his in suo robore relictis.

39. *Quando Ecclesia producit clericum pro se in testem, tenetur is etiam testificari contra eam.* — Resp. I. Quando Ecclesia producit clericum pro se in testem, tunc is, quando rei veritas ita exegerit, tenetur etiam testificari contra Ecclesiam. Ita Glossa c. *Cum nuntius*. 12. ỳ. *Repellendi*. et Abbas ibid. n. 2. *de Testib.* et alii. Ratio est, quia testis pro utraque parte tenetur deponere; ac dicere veritatem, can. *Non sane*. 14. q. 5. ac proinde hoc ipso, quod Ecclesia inducat pro se testem clericum, tenetur ipsum recipere contra se, can. *Si testes*. § *Si quis testibus*. 4. q. 3. cum concordantiis.

40. *Sed si producitur ab adversario, timetque sibi de damno aliquo, potest se clericus excusare a ferendo tali testimonio.* — Resp. II. Quod si vero Ecclesia non produxit clericum illum pro se in testem, sed inducitur ab adversario, tunc clericus ille, quando timet aliquod damnum temporale, vel spirituale inde sibi imminere, puta a populo, vel alio potentiore, potest se excusare a ferendo tali testimonio. Ita Baldus in cit. c. *Cum nuntius*. n. 1. *de Testib.* id probans ex eo : quia, si non cogitur quis in præjudicium fratris, vel consanguineorum ferre testimonium, l. 4. ff. *de Testib.* cum similibus; ergo multominus cogetur illud dicere in præjudicium tam grave sui ipsius.

41. *Extra hos casus, si non adsunt alii testes, compellitur clericus perhibere testimonium veritati etiamsi cederet in damnum Ecclesiæ.* — Resp. III. Extra hosce casus est distinguendum : quia aut reperiuntur alii testes, per quos veritas haberi potest; et non compellitur clericus testificari contra Ecclesiam. juxta textum notabilem in can. *Quanquam*, 14. q. 2. et favent rationes dubitandi proxi-

me allatæ : aut non adsunt alii testes, per quos veritas aperiatur, et tunc compellitur clericus perhibere testimonium veritati, etiamsi cederet in aliquod damnum Ecclesiæ. Ita Glossa un. in cit. c. *Cum nuntius.* et Abbas ibid. n. 4. *de Testib.* et alii. Ratio est, quia in defectu probationum cessat omne privilegium, ne veritas occultetur, et injustitia foveatur, cit. can. *Quamquam.* 14. q. 2. et cap. I. juncta Glossa ỷ. *Occultent*, h. t. et c. *Pervenit ad nos.* 5. eod. cum similibus. Majorque debetur reverentia veritati, quam Ecclesiæ, præsertim, cum iniquum sit, Ecclesiam contra alium injuste locupletari, vel manuteneri, atque cum gravi alterius læsione veritatem opprimi. Accedit, quod clericus possit testificari in favorem Ecclesiæ suæ, cit. c. *Cum nuntius.* 12. *de Testib.* estque amplius dictum tit. præc. § 7. n. 197 et seqq. ergo æquum est, ut pro manutenenda veritate etiam contra eam testificari valeat, saltem in subsidium, seu quando alii testes non adsunt : puta, quando ipse adfuit contractui per œconomum nomine Ecclesiæ celebrato, cum aliquo laico, qui soluta jam pecunia urget ejus observantiam, nec aliter nisi per clericum potest probare celebrationem illius, aut solutionem pecuniæ a se jam factam.

42. *Solvuntur rationes dubitandi.* — Nec urgent rationes dubitandi n. 38. allatæ. Non quidem cap. ult. *de Postuland.* Quia ibi sermo est de munere advocati, vel procuratoris quorum prius aliunde clericis prohibitum est, cap. I. *de Postuland.* posterius autem nemo invitus suscipere compellitur, l. *Invitus.* c. *de Procuratorib.* Secus est dicendum de testibus, quos cogi posse ad ferendum testimonium, præsertim ubi veritas aliunde haberi non potest, patet ex toto hoc titulo. Ad secundam dicitur, etiam cognatos et affines cogi ad ferendum testimonium, quando aliter veritas haberi non potest, ut dictum n. 34. unde ista ratio militat in oppositum. Ad tertiam dicitur, ipsam procedere in instrumentis, non in testibus, horumque attestatione ; cum proprie nomine instrumenti non veniant, ut dictum n. 14. Accedit, quod res, seu causa Ecclesiæ, non sit res vel causa clerici : unde requirendo clerici testimonium contra Ecclesiam, in defectum aliarum probationum, neutiquam petuntur instrumenta e domo adversarii. (ADNOTATIO I *ad calcem hujusce voluminis.*)

43. *Potest cogi ad testificandum, qui juramento se obstrinxit ad nihil dicendum, nec testificandum.* — Quæritur III. An possit cogi ad testificandum, qui juramento se obstrinxit ad nihil dicendum, seu non testificandum? Resp. I. Non obstante juramento, quo testis juravit se nihil dicturum, neque depositurum in judicio, potest is ad testificandum compelli. Ita textus in c. *Pervenit ad audientiam.* et Glossa ibid. ỷ. *Juramento astrinxit.* et Abbas n. 2. h. t. Mascardus *de Probat.* quæst. 5. Proœm. n. 47. 48. et seqq. ubi n. 49. istud extendit ad eum casum, quo quis sub juramento promisit alicui non revelare arcanum sibi privatim commissum; nam si producatur in testem, tenetur (inquit) illud detegere. Farinacius *de Testib.* quæst. 78. n. 49. allegans plurimos alios. Concordat cap. ult. h. t. et c. *Constitutis.* 45. *de Testib.* ubi testes inducti « ad jurandum, ne adversus Archiepiscopum aliquid dicerent, » denuntiantur « juramento hujusmodi non teneri. »

44. *Et hujus ratio.* — Accedit ratio, quia tale juramentum est temerarium, et contra bonos mores præstitum; estque vinculum iniquitatis, ne scilicet veritas manifestetur, et justa sententia sequatur : atqui « non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. » juxta reg. 58. juris in 6. Confirmatur : quia simpliciter jurans de non revelando, vel intendit comprehendere casum testimonii judicialis non ferendi; et illicitum fuit juramentum, utpote factum contra jus superioris, c. *Venientes.* 19. *de Jurejurand.* Vel non intendit, nec cogitavit casum illum comprehendere; et sic juramentum illud ad talem casum non extenditur, et consequenter hic et nunc non obligat, can. *Humanæ aures.* 12. q. 5. Ita argumentatur Abbas in cap. ult. n. 3. h. t. et post ipsum Mascardus cit. quæst. 5. n. 50. et concordant proxime dicenda n. 46.

45. *Imo talis potest testificari nulla prævia sui juramenti absolutione quamvis hanc præmittere sit consultius.* — Resp. II. Post ejusmodi juramentum de non testificando factum, potest quis in testem vocatus, ac judicialiter deponere jussus, nulla alia prævia illius juramenti absolutione testificari, quamvis, si juramentum illud sit publicum, consultius sit, absolutionem ad cautelam ab eodem petere, vel saltem, ut judex prius declaret nullitatem ejus. Ita Glossa in cap. ult. ỷ. *Sacramento absolvant.* et Abbas ibid. n. 3. h. t.; Vallensis eod. n. 3; Pirhing n. 19; Mascardus cit. quæst. 5, n. 48; Farinacius d. quæst. 78,

n. 150. et 151. et alii. Et quidem consultius esse, talem absolutionem ad cautelam, seu declarationem nullitatis juramenti præmittere, non est, cur negetur : idque convincunt jura, et rationes in progressu adducendæ.

46. *Juramentum de non testificando, est contra bonos mores, sicque non obligat.* — Prior autem pars ex eo probatur; tum quia tale juramentum non est obligatorium, utpote præstitum contra bonos mores: unde absque ullo periculo perjurii potest quis ipsi contravenire, c. *Quanto.* 18. *de Jurejurand.*, tum quia in omni juramento præter alias conditiones, de quibus jam dixi in *Theologia morali.* tract. VI. distinct. 2. n. 23. tacite subintelligitur conditio illa, « si potero (quia ad impossibile, de jure vel facto, nemo tenetur, juxta reg. 6. juris in 6. juncta Glossa, et doctoribus ibid.) et, salvo jure, et auctoritate superioris; » prout liquet ex c. *Venientes.* 19. *de Jurejurand.* Atqui tale juramentum est observatu impossibile, saltem de jure; cum sit vinculum iniquitatis, et contra bonos mores; simulque præjudicat juri superioris, nempe judicis publica auctoritate constituti, et juridice interrogantis; ergo.

47. *Declaratur istud in crimine simoniæ.* — Utraque hæc conclusio declaratur exemplis. Sic in c. *Constitutus.* 45. *de Testib.* ubi testes aliqui leguntur antea fuisse inducti ad jurandum, ne quid dicerent contra archiepiscopum de simoniæ crimine accusatum, hoc non obstante coguntur testificari : jubetque Papa judici a se delegato, « ut illos, quos jurasse constiterit, quod contra archiepiscopum nihil dicerent, denuntiet juramento hujusmodi non teneri. » Quæ posteriora verba clare indicant, juramentum ejusmodi ipso jure fuisse invalidum, veluti contra bonos mores præstitum : quia pontifex non mandat suo delegato ut illos a suo juramento prius absolvat; sed solum ut denuntiet illos suo juramento non teneri.

48. *Et conjurationis seu conspirationis subditorum contra prælatum suum.* — Deinde in cap. ult. h. t. compelluntur testes ad manifestandam veritatem conjurationis, seu conspirationis subditorum contra suum prælatum, etiamsi prius juraverint eam celare, et nullatenus manifestare : ita tamen, ut prius illi, quorum interest, per censuras ecclesiasticas cogantur, ut testes illos « ab hujusmodi juramento absolvant. » Ubi tamen Glossa ỷ. *Juramento absolvant*, et Abbas ibid. n. 3. aliique notant, quod absolutio illa seu relaxatio juramenti non fuisset necessaria, sed potius sit facta ad cautelam : qua ratione quandoque aliquos absolvi ad cautelam, ut possint testificari, patet c. *Veniens ad Apostolicam.* 38. in fin. *de Testib.*

49. *Et in inquisitione super reformatione monasterii.* — Simile quid habetur c. *Pervenit ad audientiam.* 4. h. t. et c. *Olim.* 26. *de Accusation.* ubi in inquisitione super reformatione monasterii jubentur omnes regulares deponere, « juramentis, si quæ de tacenda veritate abbas extorserat, relaxatis, » ut loquitur textus. Quamvis enim talia juramenta ipso jure non teneant, utpote præstita contra bonos mores : nihilominus ad cautelam, majorisque securitatis gratia, non immerito prius relaxantur, vel saltem per judicem prius denuntiantur esse invalida, præsertim quando existunt notoria : ne testi illi quoquo modo vitium perjurii objici valeat sicque minus valeat testimonium ejus; vel ne ipse judex perjurium videatur in testem admisisse. Pirhing h. t. n. 18; Farinacius cit. quæst. 78, n. 150. allegans alios.

50. *Atque in denuntiationibus matrimonialibus. Conscius impedimenti matrimonii tenetur istud denuntiare, etiamsi sub secreto acceperit, vel etiam sub juramento, ne quid dicat.* — Hoc ipsum est extendendum ad denuntiationes matrimoniales. Quando enim quis conscius est alicujus impedimenti, quantumvis illud extra confessionis sigillum sub secreto acceperit, vel etiam sub juramento, ne quid dicat, nihilominus tenetur illud denuntiare. Sanchez lib. III. *de Matrim.* disp. 13, n. 5. et 6. citans plures alios. Ratio est, quia secreto commissa tenetur quis manifestare, quoties vergunt in damnum publicum communitatis, vel in grave damnum alicujus tertii, ut inquit divus Thomas 2. 2. q. 70, art. 1. ad 2. ac sequuntur theologi communiter; prævalet enim bonum communitatis, nec habet quis jus ad tuendam famam suam cum tam gravi damno proximi. Atqui istud contingit in impedimento matrimoniali secrete cognito, utpote quod, si non denuntietur, vergit tum in præjudicium alterius conjugis bona fide contrahentis cum tali impedimento, ut pote non solum mortaliter peccantis, sed etiam in apertum periculum permanendi in concubinatu sese conjicientis; ergo.

TITULUS XXII.

De Fide instrumentorum.

1. *Ratio continuationis rubricarum. Scriptura juvat ad probationem actus, licet ad ejus substantiam non semper requiratur.* — Viso in præcedentibus duobus titulis de prima specie probationis, quæ fit per testes, sequitur nunc de altera, quæ fit per instrumenta. Et merito: nam probatio facilius, et securius fit per scripturam, licet hæc ad substantiam actus non semper requiratur, l. *Contrahitur.* ff. *de Pignorib.* ibi: « Fiunt enim de his scripturæ, ut quod actum est per eas facilius probari possit: et sine his autem valet, quod actum est, si habeat probationem.

§ I.

DE INSTRUMENTORUM NATURA ET DIVISIONE, AC DE INSTRUMENTO PUBLICO.

2. *Instrumentorum nomine, large loquendo, ea omnia accipiuntur, quibus causa instrui potest. Etiam testes.*—Quæritur I. Quid, et quotuplex sit instrumentum? Resp. I. Large et generaliter loquendo. *Instrumentorum* nomine non tantum comprehenduntur scripturæ, sed etiam testes, horumque testimonia; imo et omnis alia probatio, per quam causa, et notitia judicis instrui potest. Et in hoc largiori sensu intelligendum est illud, quod habetur c. *Pervenit ad audientiam.* 4. *de Testib. cogend.* ibi: « Nemo debet adversario instrumenta, quorum appellatione testes continentur, subtrahere. » Item illud, quod l. I. ff. h. t. habetur, illis verbis: « Instrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus causa instrui potest; et ideo tam testimonia, quam personæ instrumentorum loco habentur. » Quod esse accipiendum in largiori significatione, jam dictum est superius tit. præc. §. 1. n. 14.

3. *Instrumentum largissime acceptum, comprehendit etiam utensilia domus.* — Tacetur illa largissima acceptio instrumenti, qua illud sub se comprehendit etiam utensilia, per quæ domus, vel fundus instruitur. In quo sensu de instrumentis fit mentio l. I. et l. *Instrumenta.* ac seqq. ff. *de Fundo instructo,* etc. et l. I. et l. *Instrumenti.* ac seqq. ff. *de Supellect. legat.* et c. *Significasti.* 18. § fin. *de Homicid.* ibi: « Ratione instrumenti, cum quo ipse percussit. » et alibi. Verum de instrumento sic largissime sumpto impræsentiarum non est sermo.

4. *Instrumentum stricte, quid?* — Resp. II. Instrumentum stricte acceptum, seu quantum attinet ad rubricam præsentis tituli, idem est, ac scriptura quæ fit ad probationem alicujus rei in futurum faciendam. Ita Abbas ad rubric. h. t. et alii passim. Ratio patet ex ipsa diversitate titulorum; nam si hic appellatione *Instrumentorum*, etiam testes venirent, non debuisset nunc poni rubrica specialis, sed simul de utrisque agendum fuisset. Atque de instrumentis in hac postrema acceptione loquendo.

5. *Instrumentum aliud est publicum, aliud privatum.* — Resp. III. Instrumentum aliud est publicum, aliud privatum: atque de utroque in præsenti titulo tractatur uti patet ex c. *Scripta vero* 2. et c. *Imputari.* 13. et c. *Si cautio.* 14. h. t. cum similibus. Porro.

6. *Instrumentum publicum generatim, quid, et quæ ejus species?* — « Instrumentum publicum » generatim dicitur omne illud, quod publicam habet auctoritatem. Speculator tit. *de Editione instrumentorum.* § *Nunc dicendum.* n. 1. et seqq. ubi plures instrumenti publici species enumerat, videlicet, instrumentum manu publica, seu publici notarii confectum, de quo mox plura. Deinde instrumentum authentico sigillo episcopi, capituli, vel principis, aut magistratus sæcularis munitum in rebus ad suum officium spectantibus, cap. II. juncta Glossa ℣. *Sigillum.* h. t. quamvis idem Speculator n. 2. notet, tale instrumentum potius dici authenticum quam publicum. *Tertio*, instrumentum publicum censetur illud, quod est auctoritate judicis exemplatum: cap. penult. et ult. h. t. et cap. I. ac seqq. *de Confirmat. util.* et l. *Publicati.* c. *de Testament.* cum similibus; atque infra § 2. n. 45. 48. et seqq. amplius dicetur. *Quarto*, instrumentum dicitur publicum, quod in judicio scribitur apud acta publica: ut c. *Quoniam contra de Probation.* et l. ult. c. *de Re judicat. Quinto*, instrumentum dicitur publicum, quod de archivio publico producitur, arg. can. *Pervenit.* 30. q. 1. et c. *Ad audientiam.* 13. *de Præscript.* et Auth. *Ad hæc de iis.* c. *de Fide instrument.* Addit Speculator loc. cit. n. 3. atque Mascardus *de Probat.* quæst. 6. procem. n. 73. post Innocentium

cap. I. h. t. quod generaliter instrumentum publicum, sive publica scriptura, vel authentica dicatur illa, cui de jure, vel speciali consuetudine creditur. Verum istud duntaxat procedit sumendo instrumentum publicum pro authentico: alioquin vero plura dari instrumenta authentica privata, seu non publica, patebit ex dicendis infra § 5. n. 143. et seqq.

7. *Instrumentum publicum specialius loquendo, quod?* — Additur notanter, « Instrumentum publicum generatim, » etc. Nam magis communiter, et specialius loquendo, « Instrumentum publicum » appellatur scriptura illa, quæ per manum publicam, sive a publico notario, legitime, et cum debitis solemnitatibus confecta est. Textus est in cap. II. juncta Glossa, et doctoribus ibid. h. t. et Auth. *de Instrumentorum cautelis, et fide.* § *Sed etsi.* collat. 6. Atque in hac ultima potissimum acceptione de instrumento publico præsenti paragrapho dicetur.

8. *Notarius quis? Vocatur etiam tabellio, scriniarius.* — Solum nota, quod « notarius » (qui cit. cap. II. h. t. intelligitur per « Manum publicam, » ut explicat Glossa ibid. ℣. *Per manum*) aliud non sit, quam persona publica a principe deputata, et sacramento abstricta, ut rationes, et acta in formam publicam redigat. Et hic alio nomine in jure appellatur *tabellio:* uti nominatur cap. penult. h. t. et Auth. *de Tabellionibus.* collat. 4. per totum. Item scriniarius, prout nominatur c. *Ad audientiam.* 13. *de Præscript.* et notat Glossa ibid. ℣. *Scriniarius.* Dicitur etiam servus publicus, l. II. ff. *Rem pupilli salvam fore*, juncta Glossa ℣. *Publicum:* quia videlicet est persona publica, cujus officium est inventum ad publicam utilitatem.

9. *Instrumentum privatum, quid?* — « Instrumentum privatum » econtra vocatur illa scriptura, quæ fit a privatis personis: et plerumque contra scribentem tantum, rarius autem pro ipso fidem facit. Et hujusmodi instrumentum privatum, seu privata scriptura ad tres species reducitur: quarum prima vocatur *Apocha*, quæ datur a parte parti; atque alio nomine appellatur *chirographum*, et complectitur sub se antapocham, et syngrapham. Secunda dicitur *Liber rationum:* et tertia *Epistolæ:* de quibus, earumque fide, quam faciunt, singillatim plura inferius § 5. 6. et 7.

10 et 11. *Differentia inter instrumenta publica et privata. Instrumentum publicum in prima figura quod? Probat plene etiam absque aliis adminiculis. Nisi quis possit illud arguere de falso.* — Solum nota cum Glossa in cap. II. ℣. *Authenticæ.* h. t. communiter recepta, notabilem differentiam inter instrumenta publica, et privata. Siquidem instrumenta publica perpetuam habent firmitatem ad damnum et commodum utriusque partis: ut cit. cap. II. h. t. et can. *Si quis de clericis.* 12. q. 2. et c. « Cum pridem. de Pactis, » cum similibus. Et hinc instrumentum publicum, seu manu publici notarii confectum, si fuerit in prima figura (hoc est, non cancellatum, non abolitum, non vitiatium, sed absque omni vituperatione; ut explicatur l. ult. c. *de Edicto. divi Hadriani tollend.*) plene probat, etiam absque aliis adminiculis; prout habetur cit l. ult. et d. cap. II. h. t. ubi scripta per manum publicam facta plenæ firmitatis robur habere noscuntur, etiamsi testes inscripti jam decesserint.

Intellige, dummodo is, contra quem ejusmodi instrumentum manu notarii confectum est, non possit illud arguere de falso: puta, probando, quod ille non fuerit legitimus notarius, vel quod in confectione illius instrumenti crimen falsi commiserit. Hoc tamen asserenti, incumbit defectus ejusmodi probandus: nam instrumentum præsumitur verum, validum et solemne, donec probetur contrarium, arg. l. *Cum precibus.* c. *de probat.* Baldus c. *Illud.* n. 7. *de Præsumpt.* Mascardus *de Probat.* concl. 907. n. 1. et seqq. citans alios.

12. *Instrumenta privata regulariter valent in præjudicium scribentium, non vero ad eorum commodum, nisi aliis adminiculis adjuventur.* — Econtra vero instrumenta privata valent quidem regulariter in præjudicium illorum, qui ea scripserunt, l. *Generaliter.* ff. *de non numerat. pecun.* et l. *Publia Mævia.* § fin. *Depositi.* Ad commodum vero eorum non valent, nisi aliis adminiculis adjuventur. l. *Instrumenta.* et l. *Rationes.* et l. *Exemplo.* c. *de Probation.* atque amplius declarabitur, simul et limitabitur infra § 6. per totum.

13. *Instrumentum authenticum, et non authenticum, quid?* — Resp. IV. Ulterius instrumenta alia sunt authentica, alia non. « Instrumentum authenticum, seu scriptura authentica » dicitur, quæ per se fidem facit: sive id contingat ob interventum publici notarii, sive ex oppositione sigilli authentici, sive alio modo; ita quod ad sui validitatem non requirat aliud adminiculum. Unde voca-

tur *authenticum*, quasi ex se auctoritatem habens, ut inquit Abbas cap. I. n. 2. h. t. Econtra « instrumentum non authenticum » dicitur, quod ex se, ac seclusis aliis adminiculis non facit fidem, plenamque probationem. Occasione cujus :

14. *Inter instrumentum publicum et authenticum an sit differentia? Differunt tanquam superius et inferius.* — Quæritur II. An sit differentia inter instrumentum publicum et authenticum? Resp. I. Etsi inter instrumentum publicum, et authenticum, possit notari aliqua differentia, in effectu tamen parum interest; ac frequenter publica et authentica instrumenta, sumuntur pro synonymis. Ita Abbas in cit. cap. I. n. 2. h. t. dicens, quod « omnis scriptura publica est authentica : sed non omnis authentica, est publica : habent enim se, ut superius et inferius. » Hæc ille. Id ipsum tradit Innocentius in c. *Scripta vero.* 2. n. 1. h. t. asserens, quod omnia scripta publica possint dici authentica, sed non econtra; quia « se habent ut excedentia, et excessa. » Baldus ibid. n. 8.; Engel h. t., n. 2; Sannig eod. cap. II, n. 1. et alii. Ratio prioris partis est : quia magis communiter per « instrumentum publicum, » intelligitur illa scriptura, quæ confecta fuit a publica persona, scilicet a notario cum solemnitatibus a jure requisitis. Econtra vero per « instrumenta authentica » intelliguntur ea, quæ ex se fidem faciunt : sive ex appositione sigilli authentici, puta episcopi, vel principis sæcularis, cui creditur de consuetudine : sive alio modo, ita ut ad sui validitatem non requiratur aliud adminiculum. Unde patet, quod differat velut excedens et excessum, seu tanquam superius et inferius; atque instrumentum publicum sit etiam authenticum, sed non econtra omne authenticum sit publicum.

15. *Scriptura authentica magis patet, quam publica.* — Accedit, quod scripturæ illæ, quæ originaliter sunt privatæ, pluribus modis possint roborari; ita ut recipiant authentizationem, atque authentica evadant, plenamque fidem faciant, sicut scriptura publica: et consequenter scriptura authentica magis patet, quam scriptura publica. Antecedens probatur inductione. Sic enim scriptura, cæteroquin privata, seu non confecta manu publici notarii, dicitur authentica, quando ipsi appositum est sigillum authenticum; puta, episcopi, capituli, vel alicujus principis sæcularis cap. II. juncta Glossa ℣. *Sigillum* h. t. Item, quando habet trium testium viventium subscriptionem, l. *Scripturas.* § fin. c. « Qui potiores in pignore, » etc. Insuper scriptura privata, redditur authentica per subscriptionem ambarum partium; ut fit in contractibus, aliisque scripturis facientibus pro utraque parte : imo et per subscriptionem illius solius partis, contra quam facit; ut in donatione, deposito, ac hujusmodi, l. *In donationibus.* c. *de Donation.*; Joan. Andreas in *Addit. magna ad Speculatorem*, tit. *de Instrumentorum editione.* § 7. *Nunc dicendum.* vers. « Tertium supplementum. » Taceantur nunc alii modi, quibus scripturæ privatæ authentizantur, atque infra § 5. n. 143. et seqq. ex professo declarabuntur.

16. *Instrumentum publicum et authenticum, frequenter sumuntur pro synonymis.* — Altera pars datæ conclusionis, scilicet, in effectu parum interesse inter instrumentum publicum et authenticum, ex eo patet : quia hoc ipso, quod instrumentum authenticum ex se fidem faciat, jam illud perpetuæ firmitatis est, fidemque meretur omnium; non obstante, quod a publico notario cum requisitis solemnitatibus confectum non fuerit. Atque idcirco Speculator tit. *de Instrument. edition.* § *Nunc dicendum.* n. 1. pro eodem accipit « instrumentum publicum, seu authenticum : » ac frequenter hæc duo accipi pro synonymis, fatetur etiam Pax Jordanus tom. III. tit. *de Fide instrument.* n. 5 ac 13. Et quia hæc videtur esse quæstio de nomine, non expedit eidem diutius immorari.

17. *Ad instrumentum publicum, quæ solemnitates requirantur?* — Quæritur III. Quæ solemnitates requirantur ad Instrumentum publicum? Resp. I. Loquendo de instrumento publico specialius accepto, seu manu publici notarii confecto, plures solemnitates de jure, vel consuetudine, ad illud requiruntur. Ita Speculator cit. tit. *de Instrumentorum editione.* § 1. n. 1. et seqq. Abbas cap. I, n. 3, h. t.; Mascardus *de Probat.* quæst. 6, proœm. n. 80. et seqq.; Covarruvias *Pract. Quæst.* cap. XX. n. 1. et seqq.; Engel. h. t. sect. 1. et communis. Idque probatur inductione, declarando singulas solemnitates, quæ in eo adhibendæ sunt.

18, 19, 20 et 21. *Debet illud continere invocationem divini nominis, ac in eo apponi annus Dominicæ incarnationis. Item mensis et dies anni, atque indictio.* — Et primo quidem oportet instrumentum publicum contineat invocationem divini nominis, per ly, « In

nomine Domini, Amen; In nomine sanctissimæ et individuæ Trinitatis. » Atque hæc solemnitas desumitur ex can. *In Nomine Domini.* dist. 23. et can. *In Nomine Patris.* dist. 73. ubi pontifex in publico instrumento legitur usus tali invocatione divini nominis: juncta Auth. *Ut præponatur nomen Imperatoris documentis.* collat. 5. ibi: « Auctore Deo: » et id ipsum probat consuetudo, quæ viget hodie, sicque est observanda. Quanquam solemnitatis hujus omissio, veluti levis, non vitiet instrumentum: unde et in juribus allegatis ipsa quidem adhibetur, non tamen fieri præcipitur. Covarruvias loc. cit. n. 1; Mascardus n. 81. allegans communem: etsi ratione receptæ consuetudinis contrarium sentire videatur Abbas, ubi supra, n. 3. citans quosdam alios.

Deinde ad instrumentum publicum requiritur, ut apponatur annus Dominicæ Incarnationis. Ita Glossa in cit. Auth. *Ut præponatur nomen imperatoris.* ℣. *Auctore.* et alia Glossa c. *Inter dilectos.* ℣. *Indictionis.* h. t.; Abbas loc. cit. Mascardus n. 82; Covarruvias d. c. xx. n. 2, allegans alios. Quamvis enim hæc solemnitas jure non requiratur, nec probetur (nam in cit. can. *In nomine Domini.* dist. 23. et can. *In nomine Patris.* dist. 73. hoc quidem observatur, non tamen mandatur, ut ita fiat) nihilominus ipsa de consuetudine est inducta; adeo, ut ea omissa instrumentum sit nullum. Neque enim negari potest, mentionem annorum Domini esse maximi momenti, ut constet quo tempore sit confecta scriptura; cum alioquin maxima posset contingere incertitudo cujuslibet negotii, seu juris per instrumentum probandi: simulque ad invalidandum instrumentum sufficiat omissio solemnitatis consuetudine tantum inductæ, modo ea cæteroquin non sit levis, sed magni momenti. Glossa in cit. Auth. *Ut præponatur nomen imperatoris.* v. auctore; Covarruvias *Pract. Quæst.* cit. cap. xx, n. 2, asserens hanc sententiam in praxi esse receptam, et nunquam se vidisse hac de re ambigi.

Tertio, in instrumento publico debet apponi mensis ac dies anni Dominici quo ea gesta sunt, quæ inferuntur instrumento. Glossa c. *Inter dilectos.* v. *Indictionis.* h. t. et alia Glossa in l. *Generali.* v. *Servituti.* c. *de Tabulariis.* l. X; Speculator loc. cit. n. 7. et alii.

Quarto, debet addi Indictio, prout habetur cit. Auth. *Ut præponatur nomen imperatoris.* collat. 5. ac notat Glossa cit. c. *Inter dilectos.* v. *Indictionis.* h. t. juncto textu ibid. dum inquit, quod in annotatione indictionis falsitas instrumenti facilius potuisset deprehendi. Covarruvias lib. I. *Variar. resolut.* cap. xii. n. 7; post Bartolum in l. *Si quis.* § *Si initium.* n. 12. ff. *de Edendo.* et Felinus cit. c. *Inter dilectos.* n. 12. h. t. dicens, ita fieri debere, nisi consuetudine id omissum fuerit.

22. *Indictionis nomine, quid intelligatur, et unde traxerit originem? Modus facillimus inveniendi indictionem cujuslibet anni.* — Porro indictio, sic dicta ab indicendo, est numerus annorum constans ex tribus lustris, seu ex quindecim annis. Glossa cit c. *Inter dilectos.* v. *Indictionis.* h. t. Quibus peractis, iterum reditur ad unitatem: initiumque sumit quilibet annus hujus cycli indictionum a januario in bullis pontificiis, prout notatur circa initium Breviarii Romani tit. *De Indictione.* Originem autem hujus nominis *Indictionis.* tradit Glossa in Auth. *Ut præponatur nomen imperatoris,* etc. ℣. *Indictionis.* collat. 5. sequentibus verbis: quia (inquit) antiquitus Romani singulis quindecim annis recipiebant tributum de toto mundo: et erat in primo quinquennio ferrum, ut inde fierent arma militibus Romanis: secundo quinquennio argentum, ut inde haberent stipendia milites: tertio quinquennio aurum, quod in ærario reponebatur, ut tempore necessitatis pro republica Romanorum expenderetur. Unde adhuc hodie servamus cursum illorum trium lustrorum, scilicet horum quindecim annorum; et indictionem appellamus. Hæc Glossa loc. cit. subjungens modum facillimum inveniendi indictionem cujuslibet anni. Accipe (inquit) annos Domini, et eis addas tres annos; quia tertius annus Indictionis erat tempore Nativitatis Christi: deinde numerum annorum divide per quindecim, et semper, abjicias illa quindecim; et residuum, vel saltem ultimum quindecim, dabit Indictionem. Hæc breviter annotare placuit, quia Indictionum (vulgo, *Romer Zinss-Zahl*) frequens mentio fit in diplomatibus, bullis pontificiis, aliisque scripturis publicis.

23. *Instrumento publico debet inseri nomen Papæ, vel imperatoris, etc. An etiam nomen consulis? — Quinto,* instrumento publico debet inseri nomen Papæ, vel imperatoris, aut regis, in locis ipsius imperio subjectis, una cum anno papatus, seu imperii: et hoc est necessarium, juxta cit. Auth. *Ut præponatur nomen imperatoris,* etc. ac notat Abbas in d.

cap. I. n. 4. h. t. post Bartolum l. *Infames*. ff. *de Public. judic.* Et subjungit Abbas, utile esse, ut apponatur nomen utriusque, videlicet tam Papæ quam imperatoris, una cum anno Imperii, seu papatus. Porro nomen consulis illius anni, olim quidem apponi debebat, juxta d. Auth. *Ut præponatur nomen*, etc. istud tamen hodie locum amplius non habet. Glossa can. *Quoties cordis*. 1. q. 7. v. *Consulibus*.

24. *In eo debet exprimi locus in quo celebratur contractus in ipso expressus; et quidem locus particularis.* — *Sexto*, necessarium est, ut in instrumento publico exprimatur locus, in quo celebratur contractus, sive actus ille, qui instrumento exprimitur. Glossa c. *Abbate sane.* v. *Censeretur* juncto textu ibid. *de Sentent. et re judicat.* in 6.; Abbas cit. n. 3. Covarruvias *Pract. Quæst.* cap. XX. n. 3. Mascardus cit. quæst. 6, proœm. n. 89. et 90. citans alios. Et quidem locus celebrationis actus debet in instrumento exprimi, non tantum in genere, v. g. dicendo ita esse actum, nimirum domus in qua actus ille gestus est: alioquin hujus omissio instrumentum labefactare posset, ob incertitudinem illam, quam haberet, si locus et tempus confecti instrumenti deficeret. Covarruvias cit. n. 3; Mascardus n. 90, allegans alios. Quinimo majoris securitatis gratia, solet etiam exprimi in instrumentis locus loci particularis; puta, hypocaustum ipsius domus: quamvis hoc ultimum non ita sit necessarium, ut notat Mascardus loc. cit. n. 91. post Bartolum, et alios communiter.

25. *Nomina etiam testium, qui interfuerunt actui, sunt instrumento publico inscribendi.* — *Septimo*, nomina testium, qui celebrationi actus, super quo fit instrumentum, interfuerunt, atque ad minimum duo requiruntur, etiam publico instrumento sunt inscribenda. Auth. *de Instrumentorum cautelis*. § *Sed etsi instrumenta.* collat. 6. Et solet quoque addi per tabellionem in instrumento, quod testes illi fuerint ad hoc vocati, et rogati: quamvis de jure istud non sit necessarium, demptis certis casibus. Speculator loc. cit. n. 10; Abbas cit. n. 3. vers. *An autem testes*. et alii.

26. *Testium tamen subscriptio non requiritur.* — Testium tamen subscriptio neutiquam requiritur ad instrumentum publicum, prout desumitur ex Auth. *de Instrumentorum cautelis*. § *Sed etsi instrumenta.* collat. 6. juncta Glossa v. *Compleatur*: ac notat Abbas d. cap. I, n. 3, h. t.; Covarruvias *Pract. Quæst.* cap. XX, n. 4, citans alios: quidquid contradicat Glossa c. *Post cessionem*. v. *Litteras de Probat.* cum nonnullis aliis. Quanquam in hoc servandam esse consuetudinem locorum moneat Abbas loc. cit. Nec obsit, si testes se subscribant arg. c. *Cum inter*. 13. *de Sentent. et re judicat.* et l. *Contractus*. c. h. t.

27. *Ex parte notarii plura requiruntur ad validitatem instrumenti. Nempe, ut is legitime sit creatus, ac per se sciat actum, etc.* — *Octavo*, atque ex parte notarii, ad validitatem instrumenti plura requiruntur. I. Ut is legitime fuerit creatus: id est, ab habente potestatem publicus notarius constitutus. II. Notarius confecturus instrumentum, debet per se scire, atque interfuisse ipsi negotio de quo conficit instrumentum: ac proinde nihil aliud debet scribere, quam quod ipsemet propriis oculis vidit, atque præsens audivit; prout habetur Auth. *de Tabellionibus*. collat. 4. et cum aliis notat Speculator cit. tit. *de Instrumentorum editione*. § 1. 13; Menochius, lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 144. n. 8, et Engel h. t., n. 7.

28. *Notarius debet subscribere nomen suum, addendo, qua auctoritate sit notarius.* — III. Notarius nomen suum subscribat propria manu, addendo qua auctoritate, an Cæsarea, vel pontificia, sit notarius: alias vitiabitur instrumentum. Auth. *de Instrument. cautel.* § *Sed etsi instrumenta*. collat. 6. juncta Glossa ibid. ℣. *Adjiciatur*. Speculator cit. tit. *de Instrument.* edit. § 1. n. 11; Covarruvias d. cap. XX. n. 5; Mascardus, quæst. 6. proœm. n. 91; Engel h. t., n. 14; et alii ab istis citati.

29. *An etiam debeat addere signum sui notariatus? Narbonæ, et in quibusdam locis, hoc non fit.* — IV. Notarius debet addere signum sui notariatus, cit. Auth. *de Instrument. cautel.* § *Sed etsi instrumenta.* juncta Glossa ℣. *Oportet*. et l. ult. c. *de assessorib.*; Covarruvias cit. n. 5. asserens hujus omissionem vitiare instrumentum; Mascardus loc. cit. n. 92. post Bartolum in proœm. ff. n. 6. et alios. Et quamvis Abbas cap. I. n. 3. vers *Decimo requiritur*. h. t. et c. *Inter dilectos*. n. 3. et Felinus hic n. 5. vers. *Et adverte eod.* velit, quod solemnitas sigilli in instrumento manu publici notarii confecto non sit necessaria, nec defectus in eo noceat: atque etiam Speculator cit. tit. *de Instrument. edit.* § 1. n. 15. referat, quod in quibusdam locis, ut Narbonæ, tabelliones non utantur aliquibus signis, sed solum de in instrumentis subscri-

bant : tamen illico hinc subjungit, quod circa istud sit standum consuetudini regionis, nihilominus utile sit, ac honestum, unumquemque notarium suum proprium habere signum. Addit Engel cit. n. 14. h. t. quod quamvis hoc signum non esset de substantia instrumenti, ut vult Abbas, ubi supra, cum nonnullis aliis : tamen consuetudo ita passim invaluit, ut instrumentum illo signo carens, de falsitate suspectum habeatur.

30. *Notarius debet esse rogatus a partibus.* — V. Ad valorem instrumenti ex persona notarii requiritur, ut sit rogatus a partibus, Auth. *de Tabellionibus.* § 1. collat. 4. Atque ideo stylus communis habet, ut notarii in principio, vel fine instrumenti exprimant, se fuisse rogatos.

31. *Is attendat, ut semper servet eamdem formam subscriptionis.* — VI. Notarius attendat, atque in praxi sollicitus sit, quod semper servet eamdem formam subscriptionis in uno instrumento, ac in aliis : ut cum opus fuerit, possit fieri comparatio instrumentorum per ipsum confectorum, arg. cit. *de Instrument. cautel.* juncta Glossa. ℣. *Adjiciatur.* collat. 6.

32. *Dictæ solemnitates in publicis instrumentis sunt servandæ ; et cur? Omissio solemnitatis de consuetudine requisitæ vitiat instrumentum.* — Tandem sciendum, quod licet aliquæ ex dictis solemnitatibus de rigore juris non forent necessariæ, dummodo alias non intervenerit vitium ; de consuetudine tamen tales solemnitates in publicis instrumentis adhiberi soleant et debeant : nam omissio solemnitatis de consuetudine requisitæ ita vitiat instrumentum, sicut omissio solemnitatis juris. Glossa in d. Auth. *Ut præponantur nomen imperatoris.* v. *Auctore.* Alexander consil. 166. n. 13. lib. VI. Mascardus cit. quæst. 6. n. 93, allegans insuper Cravettam, consil. 216. et alios. Addit Engel h. t. n. 15. constitutionem Maximiliani imperatoris, in comitiis Coloniensibus anno 1512 promulgatam, in qua dictæ solemnitates in necessitatem legis translatæ videntur.

33. *Notarius, vel alius ad scribendum testamentum alienum vocatus, nequit sibi adscribere hæreditatem, aut legatum, sub pœna falsi.* — Caveat autem notarius, vel quicumque alius ad scribendum testamentum alienum vocatus, ne in tali testamento, vel codicillo, manu sua sibi hæreditatem, aut legatum adscribat: alioquin enim non solum privaretur tali legato, sed etiam incideret in pœnam falsi, l. *Divus Claudius.* § 1. ff. *Ad leg. Cornel. de Falsis.* et l. *Quæ in testamento*, ac seqq. c. « de his, qui sibi adscribunt in testament. » Hostiensis in *Summa.* tit. *de Falsis.* n. 5; Julius Clarus in *Pract. crimin.* § *Falsum,* n. 34; Zœsius lib. XLVIII. ff. tit. *Ad leg. Cornel. de Falsis.* n. 17. et alii. Siquidem hæc res est jure prohibita, quia fraudi obnoxia : unde si testator quid velit relinquere notario, vel alteri testamentum scribenti, istud scribendum erit manu aliena, cit. l. *Divus Claudius.* § fin. ut sic evitetur fraudis suspicio. Zœsius loc. cit. ubi n. 24, subjungit, quod serenissimi imperii principes edicto anni 1611, art. 14. vetuerint notariis, et iis qui funguntur notariorum vice, sibi quid adscribere, aut parentibus suis usque ad quartum gradum, secundum jus civile computandum. Verum de hoc plura doctores præallegati, et alii juris civilis interpretes.

§ II.

DE FIDE PROTOCOLLI, ATQUE EXEMPLARIUM, SEU TRANSUMPTORUM.

34. *Protocollum, quid?* — Quæritur I. Quid sit protocollum, et quam vim probandi habeat? Resp. I. Protocollum est prima, seu originalis scriptura, in qua breviter a tabellione annotatur substantia actus gesti, ut deinde extendi et absolvi possit. Ita Calvinus in *Lexico juridico.* v. *Protocollum ;* Spiegelius in *Lexico juris* eod. v. *Protocollum*, et alii. Et dicitur *Protocollum*, a græco verbo, πρότος, quod est *primum*, et κόλλυμ, quod est *collatio*, scilicet litterarum : quasi diceretur; *Protocollum*, est prima collatio litterarum in charta. Glossa in Auth. *de Tabellionibus.* v. *Protocollum*, collat. 4. Atque alio nomine dicitur, *Abbreviatura.* Mascardus *de Probat.* concl. 4. n. 1. et 5. Card. Tuschus litt. P. concl. 945. n. 1. illud appellans *Imbreviaturam*, sive instrumentum notarii non extensum.

35. *Dicitur etiam liber, in quo originalis scriptura instrumentorum continetur.* — Porro protocollum dicitur etiam liber, in quo prima matrix, seu originalis scriptura instrumentorum rogatorum describitur, habens generalem superscriptionem : « Hic est liber protocollorum mei, » etc. De quo fit mentio in cit. Auth. *de Tabellionibus.* § *Illud quoque*, juncta Glossa v. *Protocollum.* et notat Card. Tuschus loc. cit. n. 3. Quamvis de consuetu-

dine liber iste protocolli non ubique sit in usu : sed vel in quaterno, vel in alia prorsus charta rogationes petentium, seu substantialia actuum a petentibus gestorum, per tabelliones, sive notarios publicos describi soleant. Glossa loc. cit.

36. *Protocollo, si omnia requisita habeat, plena fides adhibetur.* — Resp. II. Protocollo, si habeat omnia requisita, plena fides adhibetur. Ita Speculator tit. *de Instrumentorum editione.* § *Videndum.* n. 4. Abbas c. *Cum. P.* n. 3. et Felinus ibid. n. 1. h. t.; Mascardus d. concl. 4. n. 1. post Bartolum in rubric. c. *de Fide instrument.* et concl. 1250. n. 2 et 26; Pirhing. h. t. n. 16. et alii, nonnullis tamen exceptis, ob rationem loco objectionis n. 38. afferendam. Conclusio hæc desumitur ex l. *Argentarius*, juncta Glossa v. *Absimiles*, et Summario, ibid. ff. *de Edend.* ubi argentarii, et omnes, qui gerunt officium publicum, puta notarii, tenentur suas rationes, cum opus fuerit, edere : et consequenter horum scripta probant. Idem, et quidem fortius probatur ex c. *Quoniam contra.* 11. *de Probation.* ubi judex semper adhibere jubetur notarium publicum, aut duos viros idoneos, qui fideliter universa judicii acta conscribant ut si quid difficultatis emerserit, ad eadem imposterum possit haberi recursus : et consequenter protocollum ejusmodi probat. Concordat textus notabilis in l. ult. c. *de Re judicat.* ubi dicitur : « Gesta quæ sunt translata in publica monumenta, habere volumus perpetuam firmitatem : neque enim morte cognitoris perire debet publica fides. » Accedit ratio; quia instrumentis ex protocollo extractis habetur publica fides, et perpetua firmitas, cap. penult. h. t.; ergo multo magis ipsi protocollo, juxta illud vulgatum philosophorum : « Propter quod unumquodque tale, et illud magis est tale. »

37. *Adeo ut in dubio magis sit standum protocollo, quam instrumento inde desumpto.* — Resp. III. Protocollo habenti omnia requisita adeo creditur, ut in dubio magis sit standum protocollo, quam instrumento inde desumpto. Ita Abbas c. *Tum ex litteris.* n. 8. *De in integrum restitut.* Bartolus l. *Sempronius.* ff. *de Legat.* 2. istud probans ex l. *Si quis ex argentariis.* § penult. ff. *de Edend.* et Auth. *de Tabellionibus.* collat. 4. per totum. Alexander consil. 105, n. 1, vol. 2; Menochius, *de Arbitrar. Judic.* lib. II, cas. 87, n. 21; Mascardus, *de Probat.* concl. 1250. n. 2. et plurimi alii ab his allegati. Idque clare desumitur tum ex cit. c. *Quoniam contra de Probat.* tum amplius ex d. Auth. *de Tabellionib.* collat. 4. ubi multas fraudes per hoc fuisse detectas, fatetur imperator in § *Illud quoque*, illis verbis : « Novimus enim multas falsitates ex talibus chartis (protocollis) ostensas et nunc, et prius. » Hinc Zœsius h. t. n. 6. recte cum aliis notat, si contrarietur protocollo instrumentum, potius standum esse protocollo, tanquam priori, et continenti primam actus sive contractus gesti conceptionem; et quia ex eo trahitur instrumentum, et istud secundum formam illius expediri debet : quo fit, ut si de instrumenti fide dubitetur, ad protocollum recurri soleat.

38. *Solvitur instantia. Nihil creditur actum, dum aliquid superest addendum.* — Objicies majoris charitatis gratia. Protocollum est principium instrumenti nondum completi; ergo nisi compleatur, pro nihilo habetur, sicque non probat, arg. l. *Cum Syllanianum.* § fin. c. *Ad Syllanian.* ubi imperator sic loquitur : « Nihil etenim actum esse credimus, dum aliquid addendum superest. » Resp. cum Abbate cit. c. *Cum P.* n. 3. h. t. instantiam hanc, et contrariam quorumdam opinionem procedere, quando sermo est de protocollo imperfecto; seu ita truncato, et abbreviate scripto, ut non possint ex eo, quæ facta sunt, plene intelligi : tunc enim, cum multa possint intelligi sub abbreviaturis illis, non est congruum fidem adhiberi, donec negotium illud in publicam et extensam formam redactum fuerit. Secus dicendum de protocollo, quod habet omnia requisita, et de quo hactenus dicta procedunt. Verum occasione hujus.

39. *Quæ requirantur ad protocollum, ut plene probet? Notarius illud conficiens debet esse rogatus a partibus, ac per se audire negotium.* — Quæritur II. Quæ requirantur ad protocollum, ut habeat vim probandi? Resp. I. Ad protocollum, ut plene probet, requiritur cumprimis, quod manu notarii, per se negotium audientis, ex rogatione partium, sit scriptum, et quidem tam clare, ut ex ipso quæ gesta sunt, plene ac distincte intelligi possint. Ita Abbas cit. c. *Cum P.* n. 3; Felinus ibid. n. 1. h. t.; Mascardus, *de Probat.* concl. 4; n. 24. et seqq. et concl. 1250. n. 26. et 40; Menochius *de Arbitrar. Judic.* lib. II. cas. 187. n. 1. et 30, aliique ab his allegati. Et quidem, quod tabellio, sive notarius publicus, debeat a partibus esse rogatus, et ipse per se audire negotium, ac ipsemet scri-

bere, non vero aliqui alteri delegare : habetur statutum in Anth. *de Tabellionibus*. § *Nos autem*. collat. 4. juncta Glossa ibid. v. *Ipsis per se*.

40. *In protocollo debent gesta clare esse conscripta.* — Cæterum, quod in protocollo, ut probet, debeant gesta clare esse conscripta, patet ex proxime dictis n. 38. Alioquin enim ex eo constare non posset, quid revera gestum fuisset. Unde notulæ, seu schedulæ illæ, in quibus notarii multoties aliqua annotant, seu summatim et admodum abbreviate scribunt, fidem in judicio non faciunt : quia voluntatem partium perfecte non exprimunt. Menochius, et Mascardus, ubi supra, et alii.

41. *Ad illud requiruntur omnia, quæ debent intervenire in publico instrumento.* — Resp. II. Ad protocollum, ut plene probet, ulterius requiruntur ea omnia quæ debent intervenire in publico instrumento ad effectum plenæ probationis, nempe subscriptio notarii, signum ipsius, rogatus seu petitio partium, expressio loci, temporis, et personarum celebrati actus, seu contractus, conformiter dictis supra de solemnitatibus instrumentorum. Ita Abbas cit. c. *Cum P.* n. 3. et Felinus ibid. n. 1, h. t.; Alexander consil. 153. n. 12. vol. 2; Hondedæus consult. 66. n. 95. vol. 1. post Decium consil. 447. n. 5; Angelum consil. 220. et alios; Mascardus d. concl. 4. n. 17. et concl. 1250. n. 26. allegans alios. Idque desumitur tum ex cit. Auth. *de Tabellionibus*. collat. 4. tum ex c. *Quoniam contra. de Probat.* ubi inter alia ad hoc, ut acta judicialia per notarium conscripta faciant fidem perpetuam, requiritur, quod eadem diligenter conscribantur « loca designando, tempora et personas. » Accedit textus in cit. c. *Cum P.* 15. h. t. ubi ea, « quæ in nota redacta fuerant » a notario mortuo, non probant, donec auctoritate judicis ordinarii in publicam formam redigantur, de quo tamen infra n. 48. et seqq.

42. *Protocollum, an debeat publicari, seu prælegi partibus.* — Resp. III. Quamvis consultum sit, præter observatas alias solemnitates instrumenti publici, protocollum publicare, seu prælegere partibus eo tempore, quo actus coram notario gestus est, atque in protocollum relatus, ut appareat, omnia rite percepta, et conscripta fuisse : nihilominus loquendo de aliis casibus, in quibus scriptura non est de substantia actus, sive contractus, talis prælectio, seu publicatio protocolli coram partibus et testibus, non necessario requiritur. Ita Abbas cit. c. *Cum P.* n. 4, h. t.; Pirhing h. t.; n. 17; Mascardus d. concl. 4, n. 26; post Socinum Junior. consil. 102, n. 8, vol. 4. et alios. Ratio est, quia nullo jure talis necessitas publicationis probatur. Quinimo c. *Quoniam contra.* de *Probat.* ad hoc, ut scriptura notarii perpetuam fidem faciat circa actus judiciales, solum requiritur, quod acta illa diligenter conscribantur, « loca designando, tempora et personas, » non autem requiritur aliqua eorum prælectio, seu publicatio.

43. *Ubi scriptura est de substantia actus, non valet, quidquid scribitur nisi complete scribatur.* — Additur notanter, « loquendo de illis casibus, in quibus scriptura non est de substantia actus, sive contractus. » Nam ubi scriptura est de substantia actus, sive contractus, non valet quidquid scribitur, nisi complete scribatur, l. *Contractus*. c. h. t. ubi sancitur, contractus venditionum, permutationum, transactionum, et hujusmodi, quos in scriptis fieri placuit, « non aliter vires habere, nisi instrumenta in modum recepta, subscriptionibusque partium confirmata, et si per tabellionem conscribantur, etiam ab ipso completa, et postremo a partibus absoluta sint : » qualia proinde debent partibus prælegi, seu publicari. Glossa in l. *Fideicommissa.* § 1. v. *Quoties*. ff. *de Legat.* III; Abbas cit. n. 4; Mascardus d. concl. 4. n. 26. vers. *Septimo*. allegans alios.

44. *Protocollum notarii, cui aliqua ex requisitis desunt, adhuc semiplenam facit probationem.* — Resp. IV. Protocollum notarii, in quo sufficienter apparet de perfecta voluntate partium, saltem semiplenam facit probationem, etsi aliqua ex cæteris requisitis non adsint. Ita Bartolus l. *Admonendi*. § *Quæro pone quod in libro notarii*. ff. *de Jurejurand.*; Mascardus concl. 1250, n. 21, post Hostiensem cap. I. h. t.; Nevizanum consil. 25. n. 9. et alios, istud exemplificans in defectu indictionis, et subscriptionis, et signi notarii. Quia enim testis unus cæteroquin idoneus inducit semiplenam probationem, cur non idem dicendum de notario publico, ejusque scriptura ? Præsertim, quia juravit officium suum fideliter exequi, licet forsitan morte præventus non potuerit scripturam illam in formam authenticam redigere. Idem confirmatur ex cit. c. *Cum P.* 15. h. t. ubi alius notarius potest notas defuncti notarii in formam publicam auctoritate judicis redigere; prout illico fusius declarabitur. Unde :

45. *An unus notarius possit in publicam formam redigere instrumentum juxta notas in protocollo alterius repertas? Notarius, dum vivit, non potest alteri notario committere completionem publici instrumenti, sed ipsemet debet illud complere.* — Quæritur III. Utrum unus notarius possit in publicam formam redigere instrumentum juxta notas in protocollo alterius repertas? Resp. I. Notarius publicus, dum vivit, non potest alteri notario committere completionem publici instrumenti, sed ipsemet debet illud complere, prout in protocollo reperitur. Textus est in Auth. *de Tabellionibus.* collat. 4. ubi Glossa v. *Ipsis per se*, notanter ex his ipsis verbis, ac sequenti littera infert, quod ipse tabellio, seu notarius debeat a partibus esse rogatus, ac ipse debeat per se audire, et scribere verba contractus usque ad finem, non vero possit illud alteri scribendum committere : « Quia (inquit) facere instrumentum, non competit jure magistratus; ergo delegari non potest, ». l. I. *Princ.* ff. « de Officio ejus, cui mandata est jurisdictio. »

46. *Nihil addendo, aut diminuendo, quam in protocollo continetur : et quomodo istud sit intelligendum?* — Concordat Glossa fin. in c. *Cum P.* h. t. asserens esse sciendum, « quod tabellio, dum vivit, non possit alteri committere completionem instrumenti, sed ipsemet debeat complere instrumentum, prout in protocollo reperitur : nihil addendo, aut diminuendo, quam in protocollo continetur ; » ut in Auth. *de Tabellionib.* collat. 4. Hæc Glossa quamquam verba illa, « Nihil addendo, » etc. intelligenda sint de verbis spectantibus ad substantiam actus, seu contractus : nam hoc ipso, quod protocollum sit in prima scriptura, in qua breviter solum a tabellione annotatur substantia actus gesti, ut deinde extendi, et absolvi possit, juxta dicta n, 34. necesse est, in ejusmodi extensione, seu confectione solemnis instrumenti, quidam addere juxta interpretationem juris, et consuetudinem locorum, dummodo nihil addatur, aut diminuatur de substantialibus.

47. *Si duo, vel tres notarii de eodem instrumento fuerunt rogati, an tunc unus eorum possit inde instrumentum levare?* — Cæterum data conclusio patitur limitationem, quando duo, vel tres notarii de eodem instrumento rogati fuerunt : quia tunc unus eorum solus, vel is cui alterius protocolla commissa sunt, instrumentum authenticum inde levare potest. Menochius *de Arbritrar. judic.* lib. II, cas. 187. n. 7. id probans ex Auth. *de Instrument. cautel.* et fid. juncta Glossa in Auth. *de Hæredib. et Falcid.* § *Si vero absunt.* v. *Quantum.* Siquidem tunc unusquisque notariorum in solidum rogatus censetur : nisi forsan ex adverso probetur, omnes notarios una simul et conjunctim rogatos esse ; tunc enim non posset instrumentum tale ab uno eorum duntaxat levari. Alexander consil. 124, n. 4, lib. VII. post Baldum, et Angelum in l. *Si quis ex argentariis.* ff. *de Edend.* ex textu ibidem notantes, quod si plures notarii (nempe omnes insimul, ut intelligit Menochius cit. n. 7.) fuerunt rogati de eodem instrumento, non sit necesse, quod unusquisque scribat totum ; sed sufficiat, quod unus scribat totum, et alter confirmet se subscribendo.

48. *Mortuo priore notario, qui protocollum fecit, potest alius istud in publicam formam redigere, concurrentibus tamen certis conditionibus.* — Resp. II. Quod si notarius ille, qui ad partium petitionem protocollum fecit, ante perfectionem solemnis instrumenti mortuus fuerit ; tunc, accedente judicis auctoritate, potest alius notarius antea requisitus ab iis, quorum interest, mortui notas, sive protocollum in publicam formam redigere ; adeo, ut tale instrumentum inde extractum publicam fidem faciat, ac si a priore notario confectum fuisset. Ita communis : atque habetur expresse decisum in cit. h. c. *Cum P.* seu penult. h. t. ubi Gregorius IX. rescribit l. *Tabellioni*, illis verbis : *Cum P.* « Tabellio morte præventus, quædam si non perfecerit instrumenta, quæ in nota redacta fuerunt ab eodem, ad petitionem eorum, ad quos pertinent, auctoritate ordinarii judicis poteris (tu I. Tabellio) ea fideliter in publicam formam redigere, habitura per hoc perpetuam firmitatem. » Hæc pontifex.

49. *Nimirum, si prior mortuus est naturaliter, aut civiliter.* — Ex quibus verbis Joan. Andreas in cit. c. *Cum P.* n. 8. et Abbas ibid. n. 1. et Barbosa in *Collectan.* n. 2. et seqq. h. t. ; Covarruvias *Pract. Quest.* cap. XXI. n. 3. et alii plures desumunt conditiones requisitas ad hoc, ut unus notarius possit in formam redigere, ac publicare instrumentum, de quo fuit rogatus alius. I. Ut iste « morte præventus fuerit : » quod non tantum de morte naturali, sed etiam civili, puta missione in exilium, imo et de longa infirmitate, seu alio diuturno impedimento procedit. Abbas, Barbosa, ubi supra. Alias enim

unus notarius non potest publicare, seu in publicam formam redigere notas, sive protocollum alterius notarii: ut cit. c. *Cum P.* h. t. et Auth. *de Tabellion.* collat. 4. estque proxime dictum n. 45. et 46.

50. *Fiatque istud ad petitionem eorum, quorum interest.* — II. Ut secundus notarius istud faciat « ad petitionem eorum, ad quos pertinet. » Unde etiam pars adversa, cujus interest, debet citari: ast si pars est incerta, requiritur generalis citatio per proclamationem. Barbosa, loc. cit. n. 3. cum aliis: quamquam simul referat nonnullos casus apud eumdem videndos, in quibus talis citatio non requiritur.

51. *Et accedat auctoritas judicis ordinarii, vel delegati. Illeque secundus sit notarius publica auctoritate creatus.* — III. Auctoritas judicis ordinarii, vel delegati: hæc enim necessaria est, tum ad citationem partis adversæ, tum ob dicenda n. 54. IV. Ut ille secundus, qui supplet vices defuncti, etiam sit tabellio, seu notarius publica auctoritate creatus; uti liquet ex ly « Poteris, » juncta superscriptione cit. c. *Cum P.* h. t.

52. *Et prioris protocollum redigat in formam publicam.* — V. Ut ille secundus notarius notas, seu protocollum prioris notarii, mortui, in « publicam instrumenti formam » redigat. Quale protocollum notarius penes se servare debet, c. *Quoniam contra.* 11. *de Probat.* et Auth. *de Tabellion.* collat. 4. ea addita ratione: « ut habeat, unde sciat negotium; et interrogatus a judice possit, quæ subsecuta sunt, cognoscere et respondere. »

53. *Atque istud præstet fideliter. Notarius protocollum penes se habere debet.* — VI. Ut istud præstet fideliter: hoc est, nihil ad substantiam pertinens addendo, subtrahendo, vel mutando ex iis, quæ in notis, seu protocollo defuncti continentur. Glossa fin. et Abbas in cit. c. *Cum P.* h. t. Quanquam per hoc non negetur, quin alter notarius illa, quæ abbreviate reperit scripta in protocollo defuncti, extendere valeat, secundum interpretationem juris, vel consuetudinis, aut communis intellectus: dummodo nihil addat, subtrahat, vel mutet de pertinentibus ad substantiam actus. Joan. Andreas cit. c. *Cum P.* n. 8. et Abbas ibid. n. 5. h. t. estque dictum paulo superius n. 46.

54. *Judex de præmissis summarie cognoscat.* — VII. Ut de morte, seu diuturno impedimento prioris notarii, simulque de fide et integritate illius, necnon protocolli, seu notarum per ipsum factarum, judex summarie cognoscat: ad quod quippe auctoritas judicis, de qua in c. *Cum P.* h. t. fit mentio, vel maxime requiritur. Covarruvias *Pract.* quæst. cap. XXI, n. 3; Pirhing, h. t., n. 19, allegans alios. Verum occasione præmissorum.

55. *Schedulæ a notario scriptæ, an faciant plenam fidem.* — Objicies contra dicta n. 41. Juxta sæpe cit. c. *Cum P.* 15. h. t. et conclusionem proxime datam, priore mortuo potest alius notarius « ea, quæ in notam redacta fuerunt ab eodem priore notario, » in publicam formam redigere, etc.; ergo non solum protocollum notarii habens solemnitates publici instrumenti, sed etiam schedulæ ab eodem scriptæ, seu notæ in schedula protocollo non inserta, contentæ, facient plenam fidem. Probatur consequentia. Quia transumptum, seu extractum non potest habere majorem fidem, quam ipsum originale; nam procedens a radice infecta et vitiosa, etiam ipsum redditur vitiosum: ergo si instrumentum ex nota, seu schedula mortui notarii extractum plenam fidem facit, pariter ipsamet nota illa, seu schedula plene probabit.

56. *Protocollum, nota, et abbreviatura, idem sunt.* — Ad hanc instantiam respondetur cum Abbate in cit. c. *Cum P.* n. 3. h. t. quod nota seu abbreviatura, de qua ibidem est sermo, idem sit, ac protocollum: hæc enim tria (inquit) nempe « Protocollum, seu nota, sive abbreviatura idem sunt. » Unde nihil sequitur contra hactenus dicta, bene tamen confirmantur eas quæ n. 41, dicta sunt de solemnitatibus in protocollo requisitis, et quidem iisdem, quæ requirantur ad instrumentum: eo quod extractum non possit habere majorem fidem, quam ipsum primum origine.

57. *Et schedulis penes notarium defunctum repertis, quando possit confici publicum instrumentum?* — Quod si omnino contendas, etiam schedulis saltem penes notarium defunctum repertis, quando perfecte exprimunt voluntatem partium, licet careant subscriptione, aut sigillo illius notarii, debere adhiberi fidem, atque inde posse ad petitionem partium confici publicum instrumentum auctoritate judicis interveniente arg. cit. c. *Cum P.* seu cap. penult. h. t. Resp. cum Mascardo *de Probat.* concl. 1250. n. 38. citante Castrensem consil. 111. vers. *Si vero quæritur*, et consil. 306. vers. *Breviter*. vol. I. et nonnullos alios, multis tamen contradicentibus,

id quidem fieri posse, sed tunc solum, quando intervenit specialis commissio judicis, simulque cognitio causæ, et examen testium, super litteris, sive schedulis illis, et publicatio dicti instrumenti; non vero aliter. Et tunc instrumentum ejusmodi recipit vires non ex solis prioribus schedulis notarii defuncti, sed a notario altero transcribente, illudque ad petitionem eorum, quorum interest, authentizante ex commissione judicis, ac prævia causæ cognitione: nam judex in tali casu advertere debebit, quo in loco reperta sit ejusmodi schedula, an sit suspecta, nec ne, et deinde, quod sibi bene visum fuerit arbitratur. Menochius lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 187, n. 26; Mascardus loc. cit. n. 39.

58. *Quid de schedulis notarii adeo abbreviatis ut voluntatem partium perfecte non exprimant?* — Nec his obstant dicta superius cit. n. 40. Quia ibi sermo est de schedulis adeo imperfectis, et abbreviatis, ut voluntatem partium perfecte non exprimant: tales enim, ne quidem auctoritate judicis, possunt in publicam formam redigi, sed oportet negotium de novo coram notario expedire. Verum occasione præmissorum.

59. *Exemplaria, seu transumpta originalium instrumentorum, si fiant auctoritate judicis, ac servatis servandis, eamdem vim probandi cum originalibus habent.* — Quæritur IV. Quam vim probandi habeant exemplaria, seu transumpta originalium instrumentorum? Resp. I. Si talia exemplaria, seu transumpta originalium instrumentorum fiant auctoritate judicis ordinarii, vel delegati, per publicam personam, ac servatis aliis de jure servandis, tunc ipsa eamdem cum originalibus auctoritatem, seu vim probandi obtinebunt. Ita expresse decisum habetur cap. ult. h. t. ibi: « Si instrumenta propter vetustatem, vel propter aliam justam causam exemplari petantur coram ordinario judice vel delegato ab ipso specialiter præsententur: qui si ea diligenter inspecta in nulla sui parte vitiata repererit, per publicam personam illa præcipiat exemplari, eamdem auctoritatem per hoc cum originalibus habitura. » Hæc ibi.

60. *Plures conditiones requiruntur ad solemnem exemplationem; et quæ?* — Dicitur notanter, « auctoritate judicis per publicam personam ac servatis aliis, » etc. Nam ad solemnem traductionem copiæ ex originali instrumento, seu ad transumptum eamdem cum ipso vim probandi obtinens, juxta doctores passim, plures conditiones requiruntur. I. Ut interveniat justa causa: puta, ne propter vetustatem originale pereat, aut propter viarum distantiam, et discrimina amittatur, cap. ult. h. t. et c. *Cum dilecta de Confirmat. utili*, etc. II. Debet exemplatio illa fieri interveniente auctoritate judicis ordinarii, vel delegati, per textus citatos. III. Debet ea fieri ad petitionem partium, vel saltem alterius partis; et quidem per personam publicam, id est, per publicum notarium, cui id judex præcipiat: quod si ejusmodi publica persona haberi non possit, satis esse arbitratur. Glossa fin. in cit. cap. ult. h. t. quod per aliquam aliam personam honestam auctoritate judicis describatur, dummodo sigillum authenticum apponatur. IV. Ad solemnem exemplationem requiritur citatio eorum, quorum interest, c. *Significavit.* 41. *de Testib.* ubi in simili ad receptionem testium requiritur citatio partis adversæ: ac notat Covarruvias *Pract. quæst.* cap. XXI. n. 4.

61. *His non observatis exemplar instrumenti regulariter non probat.* — Resp. II. Præmissis non observatis exemplar, seu transumptum instrumenti, regulariter non probat, non exhibito ipso originali. Ita Covarruvias loc. cit. n. 2; Mascardus *de Probat.* concl. 712, n. 2; Jason Auth. *Si quis in aliquo*, n. 2. c. *de Edend.* cum communi. Patet hoc ex cap. h. t. ibi: « Si scripturam authenticam non videmus, ad exemplaria nihil facere possumus. » Concordat jus civile l. II. ff. *de Fide instrument.* juncta Auth. *Si quis in aliquo* c. *de Edend.* et l. 3. c. *de Diversis. rescript.* cum similibus. Idque statutum est ratione falsitatis vitandæ, quæ alioquin facile committi posset.

62. *Etiamsi a notario publico ex originali fuisset extractum.* — Et hoc adeo verum est, ut etiam exemplar, seu transumptum a notario publico ex originali extractum, spectato juris rigore plene non probet, nisi observentur aliæ solemnitates n. 60. relatæ. Mascardus cit. concl. 712, n. 1. et seqq. allegans alios, pluresque hujus rationes referens. Earum una est: quia notario publico non creditur, nisi de his, quæ coram eo vidente, vel audiente, a partibus gesta sunt. Auth. *de Tabellionibus.* § *Nos autem.* collat. 4. Atqui actus ille, de quo publicum instrumentum debet exemplari, coram tali notario gestus non fuit; ergo. Accedit, quod testis de auditu auditus non probet, ut dictum tit. XX. *De Testibus.* § 11. n. 360. ergo nec probabit

notarius exemplaris instrumentum ab alio confectum et receptum, nisi observentur solemnitates de jure requisitæ. Probatur consequens : tum quia valet argumentum a teste ad notarium, procedentem non servatis solemnitatibus juris : reputatur enim tunc veluti persona privata ; tum quia quandoque potest impugnari ipsum instrumentum originale, ob certos defectus in eo notatos ; tales autem defectus non possent notari in exemplo ejus, si fieri posset privatim, ac propria auctoritate, per quemlibet notarium, et non citatis illis, quorum interest. Tacentur aliæ rationes apud Mascardum, loc. cit. videndæ.

63. *Fortius istud procedit in exemplo exempli.* — Porro data conclusio fortius procedit in exemplo exempli ; ut inquit Jason cit. Auth. *Si quis in aliquo*, n. 2. c. *de Edend.* id probans ex l. III. c. *de Diversis rescript.* Adeo, ut Alexander consil. 138. n. 4, lib. 1. post Baldum in d. l. *Sancimus*, et quosdam alios asserat, exemplum exempli etiam legitime exemplatum fidem non facere, sicut nec testimonium de auditu auditus probat.

64. *An juxta exemplaria solemniter traducta, possit fieri nova exemplatio ?* — Fatendum tamen, quod oppositum hujus teneat Bartolus in Auth. *Si quis in aliquo.* § *Quæro utrum exemplum.* c. *de Edend.* ubi priorem opinionem inquit procedere, quando fit exemplum exempli absque partis alterius præsentia, vel ea contradicente : secus, si exemplatio fiat partibus præsentibus, et interveniente judicis auctoritate, id probans ex l. et II. c. *de Relationib.* Et ratio est, quia parte altera præsente, nec rationabiliter contradicente, de fide et veritate illius exempli dubitari non potest. Hoc ipsum convincit textus cap. ult. h. t. et jam supra allegatus, ibi : « Eamdem auctoritatem per hoc cum originalibus habitura : » et consequenter sicuti juxta originalia, ita et juxta exemplaria solemniter traducta poterit fieri nova exemplatio ; dummodo hæc fiat justa de causa ad petitionem partis, et interveniente auctoritate judicis, citatisque aliis, quorum interest.

65. *Dantur tamen aliqui casus, in quibus probat transumptum absque illis conditionibus. Ut si litteris pontificiis habetur inserta hujusmodi clausula.* — Resp. III. Nihilominus data proxime conclusio fallit in pluribus casibus, in quibus probat transumptum absque conditionibus n. 60. relatis. Et *primo* quidem, quando in litteris pontificiis, ut sæpius fit, habetur inserta hujusmodi clausula : « Quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent ostensæ, vel exhibitæ. » Nam tunc sufficit talia observari, ne clausula hujusmodi sit superflua, sed aliquid operetur.

66. *Vel quando exemplar fuit scriptum manu illiusmet notarii, qui instrumentum originale confecit.* — Fallit *secundo*, quando exemplar fuit sumptum, seu scriptum manu illiusmet notarii, qui instrumentum originale confecit : quia enim talis sufficienter est instructus de toto negotio, utpote coram se gesto : hinc in ipso cessant rationes n. 62. allatæ ; ac proinde exemplum probat indistincte, sicut ipsum originale. Bartolus cit. Auth. *Si quis in aliquo.* § *Quæro utrum exemplum.* circa fin. c. *de Edend.* id probans ex l. *Si quis de argentariis.* § *Prohibet.* ff. eod. Covarrivias *Pract. Quæst.* cap. XXI, num. 2, vers. *Quod si fiat.* Mascardus cit. concl. 712. n. 35, citans alios, qui attestantur de communi. Accedit, quod idem tabellio de eodem actu possit conficere plura instrumenta ; et cum sit auctor ejusdem scripturæ, eadem fides debet adhiberi utrique. Facit huc optimus textus in c. *Dudum.* 20. *de Conversion. conjugat.* ubi tale publicum instrumentum, post amissionem prioris ab eodem notario confectum, et pro legitimo habitum legitur.

67. *Aut ubi contraria consuetudo derogavit cuipiam conditioni.* — Fallit *tertio* ; ubi contraria consuetudo derogavit quoad aliqua constitutioni cap. ult. h. t. relatæ. Nam, ut notat Pirhing h. t. n. 22. in praxi hodie judex non suspicit originale ; sed tabellio, qui instrumentum transcribit, testatur quod ipse illud diligenter inspexerit, nullumque in eo vitium repererit, etc.

68. *Item de consensu partium.* — Fallit *quarto* de consensu partium. Potest enim exemplatio instrumenti originalis fieri absque auctoritate judicis a solo tabellione, si partes ad hoc consenserint : ita tamen, ut ipsis duntaxat, eorumque successoribus præjudicet. Covarruvias cit. cap. XXI. n. 5. vers. *Poterit tamen*, post Bartolum in Auth. *Si quis in aliquo.* c. *de Edend.* communiter receptum.

69. *Exemplar sine dictis conditionibus facit aliquam præsumptionem, ac deperdito originali*

semiplenam probationem. — Fallit *quinto*, quia exemplar sine debitis solemnitatibus ex instrumento originali descriptum, etsi non faciat plenam probationem, adhuc tamen facit aliquam præsumptionem. Mascardus loc. cit., n. 59. et 60. post Geminianum consil. 100, n. 3. Imo, si originale instrumentum probetur fuisse amissum, tunc exemplar ipsius facit semiplenam probationem, adeo, ut possit deferri juramentum in supplementum. Glossa in l. *Sicut iniquum.* v. *facile*, c. *de Fide instrument.*; Jason Auth. *Si quis in aliquo.* n. 6. c. *de Edend.*, Mascardus cit. concl. 712. n. 58. et alii ab his allegati, qui nonnullas alias fallentias adducunt.

§ III.

DE FIDE SIGILLI, ET ALIIS ISTUD CONCERNENTIBUS.

70. *Sigillum, quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit sigillum, quamque vim probandi habeat sigillum authenticum? Resp. I. Sigillum, quod est diminutivum a *signo*, impræsentiarum accipitur pro imagine, qua ceræ impressa litteras obsignamus. Atque in hac acceptione dicuntur litteræ sigillatæ; id est sigillo apposito clausæ, obsignatæ, seu munitæ. Calepinus v. *Sigillum.* Quanquam præter hanc vulgatam significationem, sigillum quandoque parvam statuam, puta, domui affixam significet, l. *Quæsitum.* § *Papinianus.* ff. *de Fundo instruct. legat.*

71. *Dividitur in authenticum et non authenticum.* — Resp. II. Sigillum varie dividitur. Et *primo* quidem in authenticum, et non authenticum. Sigillum authenticum est, quod multorum auctoritate comprobatum est: sive, quod est certæ fidei. Nam, ut observat Spiegelius et Joan. Calvinus in *Lexico juris* v. *Authenticum*, istud vocabulum *Authenticum* pro re certæ fidei ponitur, seu quæ multorum auctoritate comprobata est. Sigillum non authenticum econtra dicitur illud, cujus fides vacillat.

72. *Quatuor detrahunt fidei sigilli: et quæ? Sigilli falsitas arguitur ex eo, quia non congruit in sculpturis dignitati sigillantis.* — Porro quatuor sunt, quæ detrahunt fidei sigilli, et faciunt illud vacillare; ut notat Abbas c. *Inter dilectos.* n. 4. juncto textu ibid. h. t. Prima quando sigillum non congruit in sculpturis dignitati sigillantis: non enim præsumitur sigillum illius, cui adscribitur, si sibi non convenit. Et hinc in cit. c. *Inter dilectos.* § *Sed econtra*, vers. *Testib.* h. t. falsitas sigilli cuipiam instrumento appositi arguitur ex eo, quia in ipso apparebat quædam imago, non cum mitra in capite (quale solebat esse Luitardi episcopi, cujus dicebatur fuisse instrumentum illud) sed cum pileo; nec induta pontificalibus, sed regalibus indumentis; tenens in manu non baculum pastoralem, sed quasi sceptrum regale.

73. *An et qua ratione quis uti possit sigillo alieno?* — Ex quo sequitur, quod si quis habeat sigillum proprium, tunc ipso, et non alieno sigillare debeat: alioquin illud non proderit, cum sibi, suoque statui non conveniat. Si autem nullum sigillum proprium habeat, vel saltem non habeat illud præ manibus, neque facile acquirere possit, tunc potest quidem uti alieno, § *Possunt.* Instit. *de Testament. ordinand.* debet tamen exprimere, se alieno, et non proprio sigillo signasse, et cujus, et quare alieno. Innocentius, quem citat, et sequitur Abbas cap. II. n. 16. h. t. idque rationem proxime dictam.

74. *Sigillum, solitum magistratus et ad talia negotia destinatum debet adhiberi; alioquin redditur suspectum.* — Illud etiam in sigillo, præsertim magistratus, est observandum, ut adhibeatur sigillum solitum, et ad talia negotia expedienda destinatum. Alioquin enim veluti non congruens negotio, et potestati sigillantis, redderetur suspectum, nec censeretur authenticum: nam auctoritas sigilli restringitur ad causam, et ad officium ad quod destinatum est sigillum, c. *Significavit.* 48. juncta Glossa v. *Ad citationes. de Appellat.* Felinus c. *Post cessionem.* n. 17. *de Probation.* Mascardus *de Probat.* concl. 1309. n. 28. Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II, cas. 113, n. 7. allegans plures alios.

75. *Sigillum redditur suspectum, quando litteræ ejus non sunt legibiles.* — *Secundo*, sigillum redditur vacillans, ac detrahitur fidei ejus, quando litteræ sigilli non sunt legibiles; vel leguntur ita paucæ, quod necessario non concludant sigillum esse illius cui adscribitur, sed oritur æquivocatio. Idemque dicendum, si sculpturæ sunt consumptæ, nec aliter potest certificari, cujus sit sigillum, juxta cit. *Inter dilectos.* 6. h. t. Ubi proin Glossa v. *Dimidia.* infert, quod ad hoc, ut sigillum sit authenticum, debeant in eo apparere characteres, et orbita, l. *Ad testium.* § *Signum.* ff. *de Testament.*

76. *Aut patitur enormem fracturam. Vel per glutinum novæ ceræ est chartæ connexum*

arbitrio judicis. — *Tertio*, sigillum redditur suspectum, quando patitur enormem fracturam, ita quod ex residuo non possit clare cognosci, cujus sit: quod ipsum sequitur ex proxime dictis. *Quarto*, quando sub sigillo charta reperitur perforata, et per glutinum novæ ceræ sigillum illud ipsi chartæ connexum; ut est casus cit. c. *Inter dilectos.* ac post Innocentium notat Abbas ibid. n. 4. et Felinus n. 5. h. t. et Menochius lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 113, n. 12. et 13, allegans alios. Qui tamen notant, arbitrio prudentis judicis esse relinquendum, quænam ex his in casibus particularibus sufficiant ad fidem detrahendam sigillo, attenta qualitate læsionis ipsius sigilli, aliisque circumstantiis; prout in simili dici solet de vi probationis testium, l. III. ff. *de Testib.* et can. *Si testes.* 4. q. 3.

77 et 78. *Sigillum publicum quod sæpius confunditur cum authentico, quid?* — Resp. III. Sigillum dividitur ulterius in publicum et privatum. Sigillum publicum dicitur, quod publica auctoritate nititur: puta, quia est episcopi, capituli, principis, civitatis, judicis, vel alterius personæ, magistratum gerentis in iis quæ spectant ad ejus jurisdictionem, seu officium. Et notanter hoc ultimum additur: quia sigillum, v. g. episcopi, appositum in testamento, vel circa alium actum non spectantem ad jurisdictionem ipsius, non censetur publicum. Mascardus d. concl. 1309. n. 48. cum aliis.

Porro hujusmodi sigillum publicum sæpius confunditur cum sigillum authenticum, juxta Glossam cap. II. v. *Sigillum*, h. t. quamvis revera differant, sicut magis et minus commune. Nam omne sigillum publicum, est etiam authenticum; sed non econtra; sicut in simili de instrumento publico, et authentico dici solet, estque jam dictum supra § I. n. 14 et 15. Gonzalez Tellez in c. *Scripta* 2. n. 4. h. t.

79. *Sigillum privatum, quid?* — Sigillum privatum econtra dicitur, quod apponitur a persona privata : ut est sigillum doctoris, aliarumque personarum sigillo utentium. Mascardus cit. concl. 1309. n. 45. cum aliis, Et si negatum fuerit, hujusmodi sigillum esse suum, tunc a producente illud veritas ejus erit probanda : puta, per comparationem aliarum litterarum tale sigillum habentium; vel per testes, qui fuerunt præsentes appositioni illius sigilli, ac hujusmodi : nam generale est, quod affirmanti incumbat onus probandi, l. 2. ff. *de Probat.* cum similibus.

80. *Ratione finis multiplex est divisio sigilli.* — Resp. IV. Ratione finis, ob quem apponitur, multiplex etiam est divisio sigilli. Quoddam enim est « sigillum auctoritatis : » ut sigillum papæ, imperatoris, regis, episcopi, dominorum temporalium, arg. can. *Nobilissimis.* dist. 96. Aliud est « sigillum solemnitatis : » ut sigillum testium in testamentis. Aliud « sigillum testimoniale; » quale solet apponi in litteris testimonialibus, seu pro ferendo testimonio cujuspiam rei datis. Aliud « sigillum ratificativum, » aut positum in signum consensus, quando v. g. agitur de præjudicio sigillantis, et hujusmodi, prout fusius ostendit Mascardus cit. concl. 1309. n. 51. cum aliis.

81. *Sigillum de se nihil probat, nisi concurrant aliæ conditiones.* — Quæritur II. An, et qualem vim probandi habeat sigillum? Resp. I. Sigillum de se nihil probat, nisi concurrant aliæ certæ conditiones. Ita Menochius *de Arbitrar. Judic.* lib. II. cas. 113. n. 1. post Baldum tit. *de Pace Constantiæ.* ℣. *Imperialis.* n. 8. ubi idcirco dixit, commissionem, maxime specialem, ex solo sigillo non probari, cum sigillum sit res inanimata. Idemque tradit Felinus c. *Tertio loco.* in princip. *de Probat.* pluresque alii a Menochio, ubi supra, relati. Accedit ratio, quia sigillum est testis mutus et incertus; est enim ad plure indifferens, nisi aliunde, puta per appositam scripturam, determinetur ad aliquid certum et determinatum probandum.

82. *Harum potissimum sunt tres.* — Resp. II. Conditiones requisitæ ad hoc, ut sigillum probet, fidemque faciat, potissimum sunt tres, quarum prima est, ut litteris exprimatur cujus sit; secunda, ut pateat, a quo appositum fuerit; tertia, ut constet qua de causa appositum fuerit. Ita Menochius cit. lib. II. *de Arbitrar. Judic.*, cas. 113. n. 3. et seqq.; Mascardus *de Probat.* concl. 1309, n. 53, citans alios. Nec in re discordat Baldus cap. II. n. 15, h. t. ubi inquit, quod « in sigillo quatuor requirantur; videlicet actus, aptitudo, voluntas et character. » Nam ly « aptitudo, » et ly « character, » primam conditionem complectunctur; ly « voluntas, » secundam; et ly « actus, » tertiam : prout amplius patebit ex declaratione singularum trium præmissarum conditionum.

83. *Sigillum ut probet, oportet, ut litteris exprimatur cujus sit.* — *Primo* igitur, ut probet sigillum, requiritur, quod « litteris

exprimatur cujus sit. » Unde oportet, quod habeat quamdam impressionem, puta imaginem alicujus sancti, vel principis, vel regis, etc., aut arma sigillantis, arg. l. 1. § *Sin autem socius*. c. *de Communi sermo manumiss*. ibi : « Sigillo impresso : » prout hoc ipsum fieri solet in moneta, l. ult. juncta Glossa v. *Æternales*. c. *de Veteris numismat. potest*. lib. XII. Quinimo, si desit, aut deleta fuerit imago, vel characteres, ita ut non appareat cujus sit sigillum; vacillat fides ejus, atque ipsum redditur non authenticum, c. *Inter dilectos*. 6. h. t. estque paulo superius n. 75. jam dictum. (ADNOTATIO I.)

84. *Sigillans cum re non habente characteres, v. g. cum corrigia, nihil agit.* — Infertur proinde, quod si quis vellet sigillare cum re non habente characteres, seu litteras legibiles, v. g. cum corrigia, vel hujusmodi, nihil ageret, arg. l. *Ad testium*, § *Signum autem*, ff. *de Testament.* ubi dicitur : « Et magis est, ut tantum annulo quis possit signare, dum tamen habeat characteres. » Innocentius in cap. II. vers. *Cum corrigia*, h. t. istud probans ex cit. *Ad testium*. et l. *Argumento*. § *Ornamenta*. ff. *de Auro et argent. legat.*; Abbas eod. cap. II, n. 14. et Baldus ibid. n. 15; Mascardus d. concl. 1309. n. 53. cum aliis. (ADNOTATIO II.)

85. *Sigillum in jure etiam vocatur annulus.* — Solum nota pro intelligentia allegatæ legis ad testium, cum Innocentio et Abbate, ubi supra, et Baldo n. 16. quod illud, quod canonistæ appellant *Sigillum*, jus civile appellet *Annulum*. Unde quod dicitur de sigillo idem est ac annulo; dummodo sit sculptus ad modum sigilli, cum imagine et characteribus, ut dignosci valeat cujus sit : quales annuli hodie multi reperiuntur, ac etiam taliter appellantur can. *In nomine Patris*. dist. 73. (ADNOTATIO III.)

86. *Ut sigillum probet, debet apparere, a quo fuerit appositum.* — *Secundo*, ut probet sigillum, requiritur, quod appareat, a quo ipsum fuerit appositum. Alioquin vero in dubio non præsumitur sigillum voluntate domini esse appositum, si is hoc negaverit : quinimo, ubi constat de protestatione contrariæ voluntatis, sigillum præsumitur furtivum, si voluntas non colligatur aliunde quam ex sigillo : ut est casus in c. *Tertio loco*. 5. *de Probat.*; Menochius cit. cas. 113. n. 3; Mascardus d. concl. 1309. n. 41. et 42. referens talem casum sigilli furtivi. Verumtamen scripturæ non vitiantur ex eo, quod in eis non fuerit specificatum, a quo sigillum est appositum dummodo ex aliis circumstantiis istud possit deprehendi Abbas cit. cap. II. n. 16. h. t. post Innocentium; Mascardus loc. cit. n. 11.

87. *Et qua de causa appositum sit.* — *Tertio* requiritur, ut constet qua de causa sigillum fuerit appositum : unde de hac communiter in instrumentis solet fieri expressa mentio. Idque merito fit : quia sigillum multis de causis potest apponi, ut puta, in signum præstiti a se consensus, vel pro testimonio alteri dato, vel ad solemnitatem testamenti, aut hujusmodi. Unde, nisi harum aliqua exprimeretur ratio, vel de ipsa aliunde sufficienter constaret, sigillum appositum veluti incertum nihil probaret.

88. *An etiam requiratur suscriptio apponentis.* — Additur Ludov. Engel h. t. n. 17. etiam requiri subscriptionem apponentis : quia sigillum sine subscriptione videtur testis mutus; et alioquin, si soli sigillo plena fides, adhibenda foret, facile dolus committi posset. Verum licet optimum sit, ac in praxi frequentissimum præter appositum sigillum sese subscribere; idque quandoque sit necessarium, ut in testamentis : nihilominus subscriptionem non apponentis sigillum non semper requiri, dicetur infra n. 98. et seqq.

89. *Scripturæ, seu instrumenta, quæ habent sigillum authenticum, plene probant.* — Resp. III. Scripturæ, seu instrumenta illa, quæ pro sui confirmatione habent sigillum authenticum, faciunt plenam fidem. Ita textus in cap. II. h. t. ubi dicitur, corruere instrumentum, si testes inscripti decesserint, nisi per manum publicam, seu notariam quempiam fuerit confectum, aut « nisi authenticum sigillum habuerit. » Et notat Glossa ibid. v. *Authentica*. Abbas in *Summario*; Barbosa in *Collectan.* n. 1. et alii, doctores; Mascardus cit. concl. 1309. n. 1. allegans plurimos alios.

90. *Differentia inter sigillum authenticum, publicum, et privatum.* — Est tamen hic notanda differentia inter sigillum authenticum publicum, et privatum. Nam instrumenta publica seu publico sigillo munita, perpetuam habent firmitatem ad damnum et commodum utriusque partis, arg. can. *Si quis de clericis*. 12. q. 2. et c. *Cum pridem*. *de pactis*. et l. *In exercendis*. c. *de Fide instrument*. cum similibus. At vero privata instrumenta, seu sigillo privato munita, valent quidem in præjudicium illorum, qui ea scripserunt, l.

Generaliter. c. *De non numerat. pecun.* et l. *Publia*. § fin. ff. *Depositi* : non vero ad commodum eorum, nisi ab adversario fuerint approbata. cit. l. *Publia*. § fin. juncto Bartolo in *Summario*, ibid. et l. *Instrumenta domestica*. c. *de Probation.*; Glossa in d. cap. II, v. *Authentica*. h. t.; Mascardus cit. concl. 1309, n. 1, 4. et 40. ac seqq. allegans alios.

91. *Sigillum an probet, etiamsi nulla intervenerit subscriptio sigillantis?* — Quæritur III. Utrum probet sigillum, etiamsi nulla intervenerit subscriptio sigillantis? Resp. I. In resolutione hujus quæstionis variant doctores, atque in diversas abeunt sententias, quas majoris claritatis gratia breviter juvabit adducere. Et quidem :

92. *Negativæ sententiæ rationes.* — Negativam sententiam, seu quod absque subscriptione apponentis non probet sigillum, tenet Bartolus in proœm. ff. n. 8. vers. « Item quæro, si est solum sigillum, » etc. pro se allegans l. *ad Testium*. § « Si quis ex testibus. » ff. *de Testament.* ubi dicitur : « Si quis ex testibus nomen suum non adscripserit, verumtamen signaverit, pro eo est, atque vi adhibitus non est. Unde summarium ibid. ex eodem Bartolo desumptum inquit : « Requiritur signatio, et subscriptio : et alterum sine altero non valet. » Eidem sententiæ favet Speculator tit. *de Instrumentorum editione*. § *Instrumentum ergo publicum*. n. 19. vers. « Item quod est signatum. » ubi ad valorem instrumenti tam sigillum quam subscriptionem requirit : et alii, quos pro hac sententia allegat Mascardus d. concl. 1309, n. 6, ac sequitur Engel h. t. n. 18. addita ea ratione , quia sigillum sine subscriptione videtur esse testis mutus qui in judicio productus nihil loquitur : et si soli sigillo plena fides habenda foret, facile aliquis dolus committi valeret.

93. *Fundamenta sententiæ affirmativæ referuntur.* — Oppositam, seu affirmativam sententiam, videlicet probare sigillum, ubi de ipso constat, nec esse necessariam propriam subscriptionem sigillantis, nisi aliud legibus, vel consuetudine constitutum fuerit : tenet Covarruvias, *Pract. Quæst.* cap. XXII. n. 9. circa fin. allegans alios ; Menochius lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 113, n. 6 ; Innocentius in cap. II. in fin. h. t.; Decius c. *Post cessionem*. n. 31, *de Probation.* et alii, quos pro hac sententia refert Mascardus cit. concl. 1309, n. 5. Accedit ratio, quia in cap. II. h. t., ista duo æquiparantur, et alternative sufficere dicuntur ; videlicet, scripta per manum publicam facta, et scripta habentia sigillum authenticum, ibi : « Nisi per manum publicam facta fuerint, ita quod appareant publica ; aut authenticum sigillum habuerint, per quod possint probari. » Atqui « in alternativis sufficit alterum adimpleri, » juxta reg. 70. juris in 6. cum concordantiis. Verum inter hasce extremas sententias videtur media via incedendum ; unde :

94. *In testamentis aliisque casibus magni præjudicii, requiritur subscriptio, nec sufficit sola appositio sigilli* — Resp. II. In testamentis scriptis, sicut et in aliis casibus, ubi agitur de magno præjudicio, aut de jure vel consuetudine specialiter requiritur subscriptio, hæc omnino est facienda, neque sufficit sola appositio sigilli : secus dicendum in aliis negotiis, quæ sunt modici præjudicii, simulque constat sigillum esse cujuspiam, atque ab ipso vel de ejus voluntate fuisse appositum. Ita Covarruvias loc. cit.; Mascardus d. concl. 1309, n. 7. et alii. Neque in re videntur dissentire auctores pro sententia negativa n. 92. allegati : quia ipsi, ac præsertim Bartolus, loquuntur in testamentis scriptis, juxta l. *Ad testium*. § *Si quis ex testibus*. ff. *de Testament.* quam Bartolus pro se allegat, quamque agere de solemnitate testamentorum, patet ex rubrica, totoque contextu. Atqui in testamentis, aliisque causis, in quibus agitur de magno præjudicio, vel ubi reperitur specialis constitutio, aut consuetudo requiri subscriptionem, et sigillationem simul, ultro fatetur præsens conclusio. Siquidem de testamentis illud clare habetur statutum in cit. l. *Ad testium* : de aliis vero causis arduis id ipsum suadet gravitas negotii, majusque periculum ; præsertim si accesserit specialis constitutio, vel consuetudo locorum, cum hæc sola sufficere valeat ad inducendam necessitatem subscriptionis, cap. ult. *de Consuetud.* cum similibus.

95. *Secus dicendum de negotiis modici præjudicii, etc. Ad evitandas disputationes optimum est, etiam addere subscriptionem.* — Secus dicendum de negotiis modici præjudicii, simulque constat de appositione sigilli : quia tunc (secluso speciali locorum statuto, vel consuetudine) cessant rationes proxime allatæ, atque subintrat dispositio cap. II, h. t. Quanquam Menochius cit. cas. 113, n. 6. notanter moneat, quod ad evitandas omnes disputationes optimum sit etiam addere subscriptionem.

96. *Solvitur notabilis objectio. Cur magis credatur sigillo, quam dicto unius testis?* — Objicies autem contra præmissa, afferendo notabilem instantiam. Non creditur dicto unius testis, quantæcumque sit auctoritatis, c. *Cum a nobis*. 28. *de Testib.* et l. *Jurisjurandi*. c. eod. ergo multominus sigillo quantumcumque authentico : cum non major fides adhibenda sit voci mutæ quam vivæ; nec minus induci quis possit ad apponendum falsum sigillum, quam ad falsum testandum. Resp. neg. consequent. et paritatem. Etenim sigillo authentico, de cujus veritate constat, creditur tum auctoritate legis cap. II. h. t. cum similibus, tum ex recepta consuetudine locorum, ubi contraria consuetudo non inolevit. Nam consuetudo non solum est optima legum interpres, c. *Cum dilectus*. 8. *de Consuetud.* sed etiam potest facere, ut credatur talibus litteris sigillatis in quocumque facto, etiam ubi alias non plene crederetur sigillo; prout cum communi doctorum notat Mascardus cit. concl. 1309. n. 34. Horum autem nullum procedit de dicto unius testis. Accedit, quod ob labilitatem linguæ multo plura pericula falsi testimonii subessent, si passim crederetur dicto unius testis, etsi cæteroquin gravis, quam si fides adhibeatur apposito sigillo authentico; tum quia in sigillo facilius falsitas comprehendi potest quam in dicto testis; tum quia conclusio procedit, quando non oritur rationabile dubium de voluntate apponendi sigillum ex parte ejus, cujus est sigillum.

97. *Instrumentum an aliquando probet absque apposito sigillo? Testamenta, privilegia, et hujusmodi, absque sigillo, non habent vim probandi.* — Quæritur IV. Utrum aliquando probet instrumentum absque apposito sigillo? Resp. I. Loquendo de testamentis, privilegiis, et similibus, in quibus sigillum est de solemnitate vel substantia actus, tunc eo deficiente instrumentum non censetur authenticum, nec habet vim probandi. Ita Menochius lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 113, n. 14; Felinus c. *Inter dilectos*. n. 5, h. t. et alii, ex textu illius capituli inferentes, quod ob enormem fracturam sigilli vacillet fides privilegii : quanto magis, si sigillum penitus deficeret, seu nunquam appositum fuisset. Idem esse dicendum de testamentis patet ex l. *Ad testium*. § *Si quis ex testibus*. ff. *de Testament.* cum concordantiis.

98. *Extra hosce casus regulariter sigillum in instrumentis ad substantiam adhuc non adhibetur.* — Resp. II. Extra hosce casus, ac regulariter loquendo, sigillum in instrumentis ad substantiam actus non adhibetur, sed ut is facilius probetur. Ita Innocentius c. *Inter dilectos*. vers. *Sigillum*, h. t. Abbas cap. I. n. 3. vers. *Decimo requiritur*, et c. *Inter dilectos*. n. 3. eod. ubi tamen addit, quod semper apponatur sigillum ad cautelam, quando instrumentum est publicum. Felinus cit. c. *Inter dilectos*. n. 5, h. t.; Menochius d. cas. 113, n. 13. et 14, allegans insuper Hostiensem, et Cardinalem, quos secutus est Zasius, consil. 2. n. 37. lib. I, et concordant dicta superius § I. n. 29. Id ipsum desumitur ex cap. II. h. t. ubi scripta illa censentur authentica, et mortuis etiam testibus probantia, quæ « per manum publicam (id est, per notarium, ut explicat Glossa) facta fuerunt, ita quod appareant publica; » atque istud solum sufficit; nam de sigillo primum subjungitur sub disjunctione : « Aut authenticum sigillum habuerint. » Concordat textus in l. *Contractus venditionum*. c. h. t. ubi ad valorem instrumentorum plus non requiritur, quam quod « subscriptionibus partium confirmata, et si per tabellionem conscribantur, etiam ab ipso completa, et postremo a partibus absoluta sint; » hoc est, subscripta, ut explicat Glossa ibid. v. *Absoluta*.

99. *Sed ad faciliorem ejus probationem. Sigillans scripturam videtur fateri omnia contenta in ea.* — Solet tamen plerumque sigillum apponi, non quod istud regulariter sit necessarium, seu requiratur ad substantiam actus, seu ad faciliorem probationem : nam sigillans scripturam, contenta in ea præsupponit vera, et videtur fateri omnia contenta in ipsa. Alexander consil. 147. n. 6. et 7. lib. II. Card. Tuschus lit. S. concl. 239. n. 1. citans insuper Baldum consil. 175, n. 2, lib. I; Romanum consil. 303. in fin. et alios.

100. *Scriptura etiam privata, plene probat contra sigillantem.* — Infertur proinde, quod scriptura, etiam privata, quæ inducitur contra eum, qui ipsam scripsit, atque subscripsit ad utilitatem alterius partis, v. g. in donatione, etc. neque ab eo facta negatur, contra ipsum plene probet, l. *In donationibus*. c. *de Donationib.* et l. *Publia* § fin. ff. *Depositi*. Idemque dicendum, quando scriptura facit pro utraque parte, et subscribitur a qualibet earum, vel per alium vel alios de ipsarum voluntate; ut fieri potest in contractu locationis, et hujusmodi : tunc enim ea per subscriptionem ambarum partium effici-

tur legitima, et per illam subscriptionem suppletur defectus publicæ personæ ac etiam testium, cit. l. *Contractus venditionum.* c. h. t. et l. *Vice donatricis.* c. *de Donation.* ac notat Joan. Andreas in *Addit. magna ad Speculator.* tit. *de Instrument. edition.* § *Nunc dicendum.* vers. *Tertium supplementum.* et Pax Jordanus vol. 3. lib. XIV. *de Fide instrument.* n. 9.

101. *Consuetudo provinciarum multum operatur quoad hoc, ut credatur alicui scripturæ, vel non.* — Illud quoque notandum et cum Speculatore cit. § *Nunc dicendum.* n. 8; Felino c. *Post cessionem.* n. 8. *de Probat.* et aliis quod consuetudo provinciarum multum operetur quoad hoc, utrum credatur alicui scripturæ, vel non, c. *Cum dilectus.* 9. h. t. juncta Glossa ℣. *Approbata,* ubi inquit, quod consuetudo facit aliquod instrumentum authenticum, quod alias non esset : sicut et consuetudo dat alicui jurisdictionem, quam alias non haberet. Concordat Joan. Andreas in cit. *Addit. magna.* vers. Septimum supplementum, et Pax Jordanus loc. cit. n. 8. ubi inquiunt, quod juxta consuetudinem loci Venetiis statur instrumentis scriptis per sacerdotes : et in multis partibus fidem faciat certum sigillum, certa subscriptio, certa stampa, vel formæ impressio. Stabitur enim (aiunt) consuetudini illius loci, et instrumentis eo loco factis, etiamsi alibi agatur, et scripta illa producantur; ut d. c. *Cum dilectus.* h. t. et l. 1. c. *de Emancipat.* Idem tradit Jason l. *Admonendi.* n. 78. ff. *de Jurejurand.* citans alios. Concordant dicenda inferius § 5. n. 153.

§ IV.

DE FIDE ARCHIVII, ATQUE SCRIPTURARUM IN EO REPERTARUM.

102. *Libri rationum, et cæteræ scripturæ privatæ, concurrentibus certis conditionibus desumptæ ex publico archivio, plene probant.* — Quæritur I. An, et quando scripturæ in publico archivio repertæ, plene probant? Resp. I. Libri rationum, sicut et cæteræ scripturæ privatæ, concurrentibus certis conditionibus desumptæ ex publico archivio, plenam fidem faciunt. Ita Abbas cap. II. n. 6, h. t. Jason Repetit. l. *Admonendi.* n. 97, ff. *de Jurejurand.* Mascardus *de Probat.* concl. 111. n. 9. et concl. 712. n. 60. et 61; Card. Tuschus litt. A. concl. 486, n. 1, et seqq.; Engel h. t. n. 19; Sigism. Scaccia *de Judiciis,* cap. II, n. 756, et 761. ac seqq.; Aymon Cravetta tom. XVII. *Tractatuum,* tract. *De antiquitate temporum.* § *Quarto limitatur* n. 1. Felinus c. *Ad audientiam.* n. 11. et Barbosa ibid., n. 3. *de Præscription.;* Nicolaus Genova (alias, Nicolaus de Passeribus) tract. *de Scriptura privata.* lib. V. et § 1. et 10 ac seqq. et alii passim. Siquidem per archivium publicum datur robur scripturæ cæteroquin non authenticæ, arg. Auth. *Ad hæc de iis.* c. *de Fide instrument.* ibi : « Item ex charta, quæ profertur ex archivio publico, et testimonium publicum habet. » Concordat textus in can. *Pervenit.* 30. quæst. 1. juncto c. *ad audientiam.* 13. *de Præscript.* ubi plene creditur libro sensuali, et aliis, in archivio Sedis apostolicæ repertis. Accedit ratio ibidem relata : quia, cum « Scriniarius juratus sit officium suum fideliter exequi, » ratione juramenti, et publici officii, præsumitur nihil ipsum scripsisse, nec ibidem reposuisse, quam quod verum extiterat; prout argumentatur pontifex in cit. c. *Ad audientiam de præscript.*

103. *Conditiones ad id requisitæ sunt quatuor. I. Ut archivium ejusmodi sit publicum.* — Resp. II. Conditiones requisitæ ad hoc, ut scripturæ ratione archivii plene probent, sunt quatuor. Prima est : ut archivium ejusmodi sit publicum; hoc est, erectum ab eo cui jus archivii compellere dignoscitur, quale solet competere duntaxat prælatis ecclesiasticis majoribus, puta episcopis, horumque superioribus; nec non et principibus, dominisque sæcularibus, qui in suis territoriis exercent jura imperii, et regalium. Archivium quippe est locus publicus, in quo solent reponi scripturæ publicæ, et authenticæ. Abbas c. *Cum causam.* n. 1. vers. *Secundo dicit. de Probat.;* Sigism. Scaccia lib. II. *de Judiciis,* cap. II, n. 757. et alii : de cujus requisitis proxime dicetur n. 213.

104. *Secus dicendum de archivio privato.* — Secus dicendum de archivio privato : quia in hoc solet concurrere interesse eorum, qui habent tale archivium; atque ideo archivium privatum non potest dare fidem scripturæ inde extractæ. Scaccia cit. cap. II. n. 760. Nam quod archivium publicum tribuat scripturæ fidem, et authentizationem, provenit tum ratione loci, publica auctoritate, seu per principem jus imperii, ac regalium habentem, ad hoc deputati; tum ratione juramenti præstiti per officialem illum, sub cujus custodia existit : unde præsumitur de fidelitate

custodiæ, et quod scripturæ ibidem repertæ censeantur fide dignæ, arg. cit. c. *Ad audientiam*, juncta Glossa ℣. *Juratus.* et doctores ibid. *de Præscript.* Talia autem deficiunt in archivio privato.

105. *II. Ut scriptura illa sit posita inter scripturas authenticas.* — Secunda conditio est, quod scriptura illa, de cujus fide agitur in publico illo archivio sit posita inter scripturas authenticas, vel pro authenticis habitas. Abbas cit. c. *Cum causam*, n. 1. vers. *Quandoque agitur.* Genova ubi supra. n. 2; Scaccia n. 762, allegans alios.

106. *III. Ut ex consuetudine fides detur talibus scripturis: et an talis consuetudo sit probanda.* — Tertia est, quod ex consuetudine fides detur talibus scripturis. Nec tamen hinc sequitur, quod producens scripturam ex archivio teneatur probare ejusmodi consuetudinem; sicque non auctoritas archivii, sed consuetudo, tribuat scripturæ illi vim probandi. Resp. enim quod auctoritas archivii sit causa illius consuetudinis, talisque consuetudo sit notoria in judiciis, nisi forsan alicubi vigeret contraria : unde consuetudo illa, veluti notoria, non indiget alia probatione, sed stat præsumptio pro illa; ac proinde in dubio scripturæ repertæ in publico archivio, de consuetudine habentur pro authenticis, nisi probetur contrarium. Scaccia loc. cit. n. 768. et 770.

107. *IV. Ut constet scripturam illam esse archivii, seu repertam in eo.* — Quarta conditio est, quod constet, scripturam illam esse scripturam archivii : seu, quod scriptura illa corroboretur testimonio officialis ipsi archivio assistentis, et attestantis illam scripturam in archivio publico fuisse repertam. Textus est in Auth. *Ad hæc ex iis.* c. h. t. ibi : « Item ex charta, quæ profertur ex archivio publico, et testimonium publicum habet : » ubi Glossa ℣. *Testimonium publicum*, asserit, istud haberi ex ipso, quod confiteatur magistratus, ex archivio eam esse; vel quod talia sint signa in ea, qualia solent fieri manu commentariensis. Hoc ipsum tradit Glossa c. *Ad audientiam.* ℣. *Censualem. de Præscript.;* Scaccia, ubi supra, n. 772. et 773. allegans alios.

108. *Scripturæ privatæ repartæ in archivio publico, fidem faciant duntaxat intra territorium domini sui, vel etiam extra illud? Refertur sententia asserens, eas tantum probare intra territorium illius, qui deputavit archivium.* — Quæritur II. Utrum scripturæ privatæ repertæ in archivio publico, fidem faciant duntaxat intra territorium domini sui, hoc est, illius, cujus auctoritate deputatum est archivium, vel etiam extra illud? Resp. In resolutione hujus quæstionis non nihil variare doctores; prout videre est apud Aymon. Cravettam cit. tom. XVII. *Tractatuum*, tract. *De antiquitat. tempor.* § *Quarto limitatur.* n. 5. ac seqq.; Card. Tuschum litt. A. concl. 486. n. 6. et alios. Et quidem, quod libri, seu scripturæ privatæ ex archivio publico productæ, solum probent intra territorium illius qui deputavit archivium, ac etiam contra subditos suos extra illud existentes, non vero contra alios : tenet Baldus in rubric. c. *de Fide instrument.* n. 44. et 45; Joan. Andreas in *Additione magna ad Speculatorem.* tit. *de Instrument. edit.* § *Nunc dicendum.* ℣. *Quintum supplementum.* et ℣. *Sextum est;* Felinus c. *Ad audientiam.* n. 12. *de Præscript.;* Alexander consil. 138. n. 5. et 6. lib. I; Cravetta loc. cit. n. 5, quamvis postea videatur in oppositam sententiam declinare. Mascardus *de Probat.* concl. 712, n. 63, et concl. 977, n. 52; Pax Jordanus tom. III. tit. *de Fide instrument.* n. 37. citans Rotam decis. 271, n. 7, part. I. noviss.; Scaccia cit. cap. II; n. 796. et 798, allegans plures alios. Rationem dant, qui virtus probandi ex tali libro, sive scriptura ratione loci, seu publici archivii promanans, non extenditur extra territorium; cum extra territorium jus dicenti impune non pareatur, c. *Ut animarum. de Constitut.* in 6. et l. ult. ff. *de Jurisdict. omn. judic.*

109. *Opposita sententia, seu docens, tales scripturas probare ubique locorum, etiam inter non subditos domini archivii, suadetur.* — Oppositum tamen, seu scripturam sumptam ex archivio publico cum testimonio officialis ad hoc deputati, plenam fidem facere, atque hunc effectum operari ubique locorum etiam inter non subditos domini archivii : tenet Franciscus de Aretio c. *Cum causam.* n. 6. et seqq. *de Probat.;* Jason. l. *Si non speciali.* n. 3. c. *de Testament.* ubi ex textu illius legis infert, quod non solum testamentum, sed generaliter scriptura facta in loco secundum privilegium loci (quale etiam est privilegium publici archivii) probet ubique; Genova, ubi supra, d. § n. 18. et 19. citans alios, idque probans ex Auth. *Ad hæc.* c. *de Fide instrument.* et Auth. *de iis qui ingrediuntur ad appelland.* § *Si vero etiam.* collat. 5. Accedunt rationes relatæ per Cravettam loc. cit. n. 6.

et 7. quia videmus, quod ubi aliqua scriptura de jure non solemnis, fit valida ratione statuti, vel consuetudinis, talis consuetudo extendatur extra territorium, et scriptura sic roborata, ubique probet. Bartolus et doctores in L. 1. in 7. quæst. c. *de Summa Trinit.;* Baldus l. *Si non speciali*, per textum ibid. c. *de Testament.* et alii; et concordant dicta § præced. n. 101. et dicenda inferius § 5. n. 153. 154. et 155. Deinde circa fidem scripturæ inspicitur locus ubi facta est, ubicumque postea producatur per l. *Si fundus.* c. *de Eviction.;* Baldus consil. 179. lib. 3; Jason l. *Jus autem civile* n. 33. ff. *de Justit. et Jur.;* Guido papæ quæst. 262. Ita discurrit Cravetta loc. cit. subjungens quædam alia in favorem hujus sententiæ.

110. *Et hæc videtur probabilior, sub certa tamen limitatione.* — Atque hæc posterior sententia videtur probabilior, jurique conformior, loquendo tamen de archivio publico, et dummodo non agatur de commodo eorum, quorum est archivium; prout censet, ac limitat Mascardus d. concl. 712, n. 64. allegans alios.

111. *Solvuntur rationes contrariæ sententiæ. Archivium publicum, unde fidem faciat?* — Nec obstant rationes contrariæ sententiæ, et n. 108. allatæ. Siquidem scripturæ sumptæ ex archivio publico fidem faciunt, non ratione loci unde sumpti (utpote qui est testis mutus, ac de se inidoeus ad dandam talem fidem) sed potius ratione illius, cujus auctoritate archivium publicum est constitutum, ac scripturæ ejusmodi in illud relatæ, et ibidem fideliter custoditæ atque asservatæ. Et quamvis hujus jurisdictio, videlicet principis, cujus est archivium publicum, extra proprium territorium se non extendat: quia tamen circa fidem scripturæ inspicitur locus ubi facta est, hanc semel ex archivio publico acceptam retinet semper scriptura illa, ubicumque producatur.

112. *Et respondetur ad decisionem Rotæ.* — Ad decisionem Rotæ dicitur, eam procedere, quando agitur de commodo eorum, quorum est archivium: quia, ut inquit Pax Jordanus, loc. cit. ea loquitur de archivio civitatis Ravennæ quoad ecclesiasticos ejusdem civitatis. Hic autem casus cum Mascardo jam est exceptus n. 110. cum juri naturali sit consentaneum, ne quis propria annotatione debitorum sibi constituere valeat, præsertim a sua jurisdictione cæteroquin exemptum: ut est clerus respectu fori sæcularis.

113. *Ad constituendum publicum archivium, quæ requirantur?* — Notandum tamen est cum Engel h. t. n. 20. allegante communem, quod ad constituendum publicum archivium tria requirantur. *Primo*, ut sit erectum ab eo, cui jus archivii competere dignoscitur: quale tantummodo competere prælatis ecclesiasticis majoribus, necnon et illis dominis temporalibus, qui in suis territoriis exercent jura imperii et regalium, communis doctorum sententia censet. *Secundo*, et specialiter requiritur, ut tale archivium sit sub custodia cujusdam officialis, quem antiqui commentariensem, moderni cancellarium appellant. Card. Tuschus litt. A. concl. 486. n. 1. et seqq. Felinus c. *Cum causam.* n. 7. *de Probat.;* Scaccia d. lib. II. cap. XI. n. 761; Engel loc. cit. et alii. *Tertio*, ut is in productione scripturæ alicujus testetur, ejusmodi scripturam inter alia instrumenta authentica in tali archivio, seu cancellaria repertam, et asservatam fuisse, conformiter dictis supra n. 105. et 107. (ADNOTATIO IV.)

114. *Archiviis monasteriorum, civitatum et personarum illustrium, etc., atque libris, et scripturis inde depromptis, ex titulo archivii nulla auctoritas competit. Neque ipsis regulariter creditur præsertim quando allegantur ad probanda propria jura.* — Quæritur III. Quid dicendum de archiviis monasteriorum, ac hujusmodi? Resp. I. archiviis monasteriorum, civitatum, et personarum illustrium, quibus nec cancellarius, nec jura regalium suffragantur, atque scripturis, vel libris inde depromptis ex titulo archivii nulla auctoritas competit. Ita Sigism. Scaccia, lib. II. *de Judiciis.* cap. XI. n. 760; Engel h. t., n. 21; Genova *de Scripturis privatis.* lib V. § 1, n. 30, citans Rotam die 3. decemb. 1548. in causa Tarraconensis parochialis, teste Puteo lib. III. decis. 186. et alios; atque asserens, hanc esse receptissimam sententiam. Ratio est, quia talia archivia sunt privata duntaxat, cum eis deficiant conditiones ad archivium publicum requisitæ; ac proin exinde nequit ipsis accrescere major vis, atque auctoritas probandi. Unde consequens est, quod ipsis regulariter non credatur, præsertim quando allegantur ad probanda propria sua jura; sicque in commodum suum, et aliorum præjudicium, l. *Exemplo.* c. *de Probat.* ibi: « Exemplo perniciosum est, ut ei scripturæ credatur, qua unusquisque sibi annotatione propria debitorem constituit: » cum similibus.

115. *Puta, si reperiatur in libro monasterii, rem meam esse eidem traditam; aut in eo sint descriptæ solutiones canonum vel censuum, etc.* — Infertur proinde, quod si reperiatur in libro monasterii rem meam esse eidem traditam, ex hoc solo mihi præjudicium non inferatur: nisi ego consentiam, vel aliæ probationes suppetant. Genova cit. lib. V, cap. I, n. 2. et 9. post Matthæum de Afflictis decis. 864, n. 7. et alios. Item, si in libro monasterii sint descriptæ solutiones canonum, aut censuum, ex hoc solo non sequitur probatio census, aut emphyteusis. Abbas consil. 67. circa med., lib. II; Genova cit. cap. I. n. 3; Cravetta d. tract. *De antiq. tempor.* § *Quid in libro.* n. 2, citans Ancharanum consil. 44 post med.; Joan. de Anania, consil. 84. et Paulum de Castro, consil. 105. lib. I. (ADNOTATIO V.)

116. *Contraria quorumdam sententia refertur.* — Fatendum quidem, quod Romanus consil. 127. circa princ. teneat, quod libris monasteriorum, et similium locorum, talem solutionem continentibus, plena sit adhibenda fides; per textum in l. *Census.* ff. *de Probat.*, etc. *Ad audientiam de Præscript.* Cui sententiæ etiam favent Boerius decis. 105. n. 13. Parisius consil. 7. n. 4; Decius consil. 147. n. 14. pluresque alii, quos pro hæc sententia allegat Genova cit. lib. V. cap. I, n. 6. qui tamen dictam Romani sententiam procedere aiunt concurrentibus aliis conjecturis. Ac Hyppolytus Riminal. consil. 506, n. 19. ubi docet, libris monasteriorum esse credendum, in quibus apparent solutiones factæ per plures ipsorum procuratores, et œconomos jam defunctos: quia non est verisimile, quod mori voluissent in peccato falsitatis.

117. *Quæ rejicitur, seu explicatur.* — Verum duo illa jura, per Romanum allegata, istud non convincunt: nam textus in d. l. *Census.* ff. *de Probat.* intelligitur in publicis instrumentis, receptis manu notarii, quæ habent fidem indubitatam. Cravetta cit. § *Quid in libro*, n. 9, post Felinum, et alios. Textus autem in d. c. *Ad audientiam. de Præscript.* loquitur de publico archivio pontificio, non de privato monasteriorum et similium locorum. Nec multum urgent cæteri auctores, utpote qui vel loquuntur concurrentibus aliis adminiculis, seu conjecturis, ut dictum; vel commode possunt explicari, quod loquantur in factis antiquis, aut in aliis casibus illico afferendis, in quibus datam conclusionem esse limitandam, ultro fatendum Hinc

118. *Dantur certi casus, in quibus libri ex archiviis monasteriorum, civitatum, etc., extracti, plene, vel quasi plene probant. Ut si monasterio, etc., competit jus publici archivii; aut libri illi sint scripti in forma publica.* — Resp. II. Nihilominus data conclusio patitur nonnullas limitationes; danturque certi casus, in quibus libri ex archiviis monasteriorum, civitatum, aut similium locorum extracti, plene, vel quasi plene probant. Et *primo* quidem id contingit, quando monasterio, principi, vel civitati, competunt jura imperii, ac regalium, sicque etiam jus publici archivii: nam tunc procedunt dicta superius n. 102. Idemque dicendum, quando libri illi sunt scripti in forma publica, aut inter scripturas publicas in loco publico ab hoc destinato, et per officiales publicos ad id deputatos custodiuntur: quia tunc etiam plene probant, juxta dicta num. 103. et seqq. et tradit Alexander consil. 187. n. 2. lib. VII. cum aliis pluribus. Sed hi duo casus sunt extra propositum nostrum.

119. *Vel quando libri ejusmodi communiter habentur pro authenticis, et in dubio ad eas recurri consuevit. Aut decreto principis sancitum est, ut eis plena fides adhibeatur.* — *Secundo* limitatur data conclusio, quando libri in archivio monasterii, vel civitatis, etc., asservati, communiter habentur pro authenticis, atque in dubio hactenus ad eos recurri consuevit: nam tunc antiqua consuetudo eisdem tribuit auctoritatem, sicque ipsis plena fides adhibetur. Alexander cit. consil. 187, n. 2. lib. VII; Cravetta loc. cit. n. 6. istud probans ex c. *Cum dilectis.* 9. *de Fide instrument.* juncta Glossa v. *Approbata.* et doctoribus ibid. Genova cit. cap. I, n. 30, istud amplians ad decretum principis quo sancitur, ut talibus libris monasteriorum plena fides adhibeatur: intellige, nisi ex aliis gravibus causis contrarium videatur judici tenendum.

120. *Item in summis parvis: tunc enim datur plena fides libris monasteriorum, civitatum, etc. Istud extenditur ad libros rationum administratoris, et mercatorum.* — *Tertio* limitatur in parvis summis, seu quando agitur de modico præjudicio: tunc enim talibus libris monasteriorum, civitatum, etc., datur plena fides. Cravetta cit. § *Quid in libro.* n. 4, allegans Ancharanum consil. 44, n. 6. atque istud extendens ad libros rationum administratoriis; nam ei creditur in summis parvis,

et verisimilibus cum juramento, si vivit: alias mors supplebit efficaciam juramenti. Mascardus *de Probat*. concl. 977. n. 58. istud a pari dicens de libris mercatorum, quibus standum est in postis minutis. Genova cit. cap. I, n. 20. allegans communem, atque amplius dicetur infra § 7. n. 208. 209. et 214.

121. *Idem dicendum in factis antiquis: unde libri antiqui Ecclesiarum probant pro Ecclesia: præsertim, quando agitur de probandis finibus.* — *Quarto* limitatur in factis antiquis, præsertim hominum memoriam excedentibus: siquidem in antiquis universaliter, propter difficultatem, probationum, leviores probationes acceptantur, c. *Cum causam*. 13. *de Probat*. cum similibus. Unde, quod libri ecclesiarum antiqui, propter eorum antiquitatem, probent pro Ecclesia, textus est in d. c. *Cum causam*. juncta Glossa v. *Per libros antiquos de Probat*. ac notat Speculator tit. *de Probat*. § *Videndum*. n. 12; Abbas consil. 74, n. 1, lib. I; Genova loc. cit. n. 14; Mascardus d. concl. 977. n. 57. allegans alios. Atque istud vel maxime locum habet, quando agitur de probandis finibus, ac territorio: utpote de quibus in cit. c. *Cum causam*. *de Probat*. ex professo agitur.

122. *Idipsum procedit, quando ex libris monasterii constat de solutione decennali uniformi censuum: quia tunc solita solutio census recte probatur.* — Id ipsum procedit, quando ex libris monasterii clare constat de solutione decennali uniformi censuum: quia non est verisimile quod viri religiosi, vel procuratores ipsorum, longo tempore falso et fraudulenter annotassent factam ejusmodi solutionem; ac proinde, nisi aliunde forent suspecti, merito creditur ipsis etiam in præjudicium tertii, sive solventium, Genova cit. lib. V. *de Scriptura privata*. cap. II. n. 11. et seqq., allegans Baldum in l. fin. n. 9. *Sine censu vel reliquis*, etc. Ubi ait, solitam solutionem census recte probari per libros censuales continentes uniformem solutionem; nec ultra aliud inquirendum, si per decennium ita consuetum fuisse, scriptum legatur, nisi contrarium probetur: quia hic non quæritur, an talia bona sint monasterii, vel censualia, sed hoc supposito tantummodo tractatur, quid, et quantum sit præstari solitum.

123. *Quod si agatur de probando dominio, vel possessione, tunc requiritur majus tempus; et quale?* — Quod si vero agatur de probando dominio, vel possessione illius, tunc requiritur majus tempus; videlicet tempus quadraginta annorum, si sermo sit de bonis Ecclesiæ, arg. c. *de quarta*. juncta Glossa ibid. v. *Quadragenaria de Præscript*. et c. *Olim causam*. 20, *de Censib.*; Mascardus *de Probat*. concl. 279. n. 1. et 2, allegans alios. Quamquam in rebus privatorum sufficiant triginta anni, c. *Sanctorum*. juncta Glossa v. *Sincere de Præscript.*. Mascardus loc. cit. n. 3; Jul. Clarus § *de Feudis*. quæst. 19; Genova ubi supra cum aliis, quos citant.

124. *Quando si agatur contra monasterium, tunc contra istud ex libris ejusdem plena fides inducitur.* — *Quinto* limitatur quando agitur contra ipsum monasterium: tunc enim contra istud ex ejusdem libris plena, et indubitata fides inducitur. Abbas consil. 67. n. 2. vers. *Nam ut apparet*. lib. II; Cravetta cit. § *Quid in libro*, n. 6. post Ancharanum consil. 44; Engel h. t. n. 21; Genova cit. cap. I. n. 29. cum aliis. Nam generale est, quod scripturæ, seu instrumenta privata valeant in præjudicium illorum, qui ea scribunt, l. *Generaliter*. c. *De non numerat*. pecun. licet non ad commodum eorum. Glossa cap. II. v. *Authentica*, h. t.

125. *Idem dicendum, quando unus subditus tales libros, vel scripturas monasterii, allegat contra alium subditum ipsius.* — *Sexto* limitatur, quando unus subditus tales libros, seu scripturas monasterii, allegat contra alium subditum ipsius: tunc enim cessat omnis præsumptio fraudis, atque falsitatis, ob parem affectionem domini erga subditos suos, arg. l. *Non solum*. § *De uno*. ff. *de Ritu nuptiar*. sicque inde colligitur efficax probatio. Tacentur nonnullæ aliæ limitationes, apud auctores proxime relatos videndæ, quibus accedant dicenda inferius § 7 *De libris Rationum*, etc. n. 200. et seqq.

126. *Libri parochorum non habentium speciale archivium, quam vim probandi habent? Quos libros parochus teneatur habere?* — Quæritur IV. Quam vim probandi habeant libri parochorum, cæteroquin non habentium speciale archivium? Ubi prænotandum, quod juxta præscriptum concilii Tridentini sess. 24. cap. I. et II. *de Reformat. matrim*. Parochus præcipue teneatur habere duos libros, videlicet baptismalem et matrimonialem. In priori tenetur diligenter inscribere nomina eorum, quos baptizat, simulque illorum, qui baptizatum de sacro fonte suscipiunt, necnon nomen patris et matris ipsius baptizati: ut imposterum tum ætas baptizati, tum

cognatio spiritualis ex baptismo suborta, inde probari valeat. In posteriori autem, sive in libro matrimoniali, tenetur parochus conjugum coram ipso contrahentium, et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describere, quem diligenter apud se custodiat. Præterea debet parochus habere librum, in quo describatur mors sepultorum in sua ecclesia: item librum, in quo continentur annotati redditus, jura et bona ecclesiæ suæ. Quo prænotato:

127. *Libri parochiales de quorumdam baptismo, matrimonio, vel morte attestantes, plene probant.* — Resp. I. Libri parochiales de quorumdam baptismo, matrimonio, vel morte attestantes, et contenta in ipsis ad parochi officium pertinentia, plene probant. Ita Pax Jordanus tom. III. tit. *de Fide instrument.* n. 48. allegans Rotam decis. 321. n. 3. part. I. noviss. ubi resolvitur, sufficienter probari mortem alicujus ex libro parochi, in quo mortui adnotantur: quod a pari dicendum de baptismo, confirmatione, matrimonio, et similibus. Genova cit. lib. V. cap. II. quæst. 1 et 2. Mascardus *de Probat.* concl. 673. n. 1. et seqq. allegans plurimos alios. Ratio est, quia, licet liber parochialis non sit publicus, id est manu publici notarii cum debitis solemnitatibus juris conscriptus, nihilominus auctoritate sac. concilii Tridentini, industria, et fides parochi est electa ad conscribendum talem librum; ergo indubitanter fides tali libro est adhibenda. Alioquin enim frustra a generali concilio fuisset parocho impositum onus registrandi talia in suo libro, nisi fidem apud omnes publice faceret, et plene probaret. Intellige, dummodo aliunde de opposito non constet, aut de errore doceatur: qua ratione etiam instrumentum publicum notarii impugnari posse, infra § 10. num. 293. 294. et 304. dicetur.

128. *Et qualiter probent libri parochiales, in quibus annotantur redditus, jura et bona Ecclesiæ suæ.* — Resp. II. Libri parochiales, in quibus annotantur redditus, jura et bona Ecclesiæ suæ, non aliter probant, ac libri et scripturæ quæ asservantur in archiviis monasteriorum, de quibus proxime dictum est. Ratio disparitatis inter hos, et priores libros est: quia ex libro baptismali, matrimoniali et mortuali, nihil proprii commodi, atque emolumenti provenit parocho; unde tunc cessat ratio sinistræ suspicionis contra ipsum: secus dicendum de libris reddituum, etc. utpote in quibus agitur de proprio commodo parochi. (ADNOTATIO VI.)

§ V.

DE SCRIPTURIS PRIVATIS, EARUMQUE DIVISIONE, AUTHENTIZATIONE, ET PROBATIONE: UBI ET DE COMPARATIONE LITTERARUM.

129. *Scripturæ privatæ, quæ?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit scriptura privata? Resp. I. Scripturæ privatæ dicuntur, quæ a personis privatis fiunt, non autem a notario in forma solemni sunt confectæ, nec alias publicam auctoritatem obtinent: ut dictum § 1. n. 6. et seqq.

130. *Triplex est species earum.* — Resp. II. Triplex est species scripturarum privatarum videlicet apochæ, libri rationum, et epistolæ. Ita Bartolus in Auth. *At si contractus.* § *Ut igitur* c. *de Fide instrument.* Jason in Repet. l. *Admonendi.* n. 87. ff. *de Jurejurand.* Mascardus *de Probationib.* quæst. 6. n. 26. et alii. Nec obstat, quod præter enumeratas etiam dentur antapochæ, syngraphæ, et inventaria privata. Nam ista commode ad unam prædictarum trium specierum reducuntur: ubi patebit ex explicationibus singulorum.

131. *Apocha generatim, quid?* — « Apocha » generatim dicitur scriptura quæ datur a parte parti, ut inquit Bartolus, ubi supra. Et hac ratione complectitur sub se tum apocham specialius dictam, tum antapocham, et syngrapham.

132. *Apocha specialius accepta, quid?* — « Apocha » specialius accepta dicitur scriptura, seu chirographum creditoris, confitentis de recepta, sibique per debitorem rite persoluta pecunia, aut alia re debita. Et hæc alio nomine vocatur *Quietantia* (vulgo *une Quittance*) de qua fit mentio in l. *Plures* c. *de Fide instrument.* ubi Glossa v. *Apochis.*, inquit: « Apocha est de receptis, puta: Confiteor me recepisse tantum, et a creditore fit et datur debitori. »

133. *Antapocha, ejusque utilitas.* — « Antapocha » econtra est de solutis: sive, est scriptura debitoris, in qua is confitetur, se tantum vel tantum solvisse nomine annui, v. g. census, seu pensionis. Glossa loc. cit. Utile siquidem est creditori, tales antapochas recipere, ut paratam habeat probationem juris sui, v. g. recipiendi ab altero tantum pro annuo censu, ne alter vel debitum successu temporis negare, vel præscriptio-

nem prætendere queat, arg. cit. l. *Plures*. c. *de Fide instrument.*

134. *Syngrapha, quid?* — « Syngrapha, » latine *Conscriptio*, dicitur illa scriptura, quæ in alicujus rei fidem fit a pluribus, et utrique parti tradi solet. Anton. Nebrissensis in *Vocabulario juris*. v. *Syngrapha*. Sive, ut loquitur Calepinus, syngraphà est scriptura, seu schedula, quæ fit propria manu contrahentium, ad pactorum fidem. Unde patet, quod reducatur ad apocham generatim acceptam.

135. *Liber rationum, quid?* — « Liber rationum » est scriptura privata, quam quilibet sua sponte de datis, et acceptis, sibi conficit. Sive, ut l. *Si quis ex argentariis*. § *Rationem*. ff. *de Edendo*, dicitur : « Ratio (hoc est, liber rationum, ut explicat Glossa ibidem) est ultro citroque dandi accipiendi, credendi, obligandi, solvendi sui causa negotiatio. » Quod intellige, quando scripturæ hujusmodi reperiuntur in forma rationis, et non in aliqua tantum schedula, vel memoriali annotato : nam istud non meretur nomen *libri*. Et tales libri rationum communiter solent fieri a tutoribus, curatoribus, atque negotiorum alienorum gestoribus, sicut et a mercatoribus, et hujusmodi.

136. *Inventarium et epistola, quid?* — Porro ad librum rationum commode reducitur « Inventarium privatum, » utpote pariter sua sponte de rebus propriis confectum : ad hoc videlicet, ut imposterum sciatur, quantum eo tempore, vel die, quo scribebatur, in bonis suis contentum fuerit, epistola tandem est scriptura privata, quam quis alicui absenti mittit.

137. *Scriptura, sive instrumentum privatum adhuc tripliciter dividitur.* — Resp. III. Scriptura privata, sive instrumentum privatum, adhuc tripliciter dividitur : nam aliquando facis scripturam privatam tibi tantum, aliquando alii tantum, aliquando tibi et alii. Ita Speculator tit. *de Instrumentorum editione*. § *Nunc dicendum*, n. 4. estque in re communis.

138. *Scriptura privata tibi tantum facta, quæ? Hæc regulariter non probat in commodum scribentium.* — « Scriptura privata tibi tantum facta, » censetur illa, in qua quidpiam scriptum, sive annotatum habetur in tuum duntaxat commodum : ut puta, quod Titius tantum, vel tantum tibi debeat. Et hujusmodi scripturæ regulariter non probant in commodum scribentium : prout habetur expressum in l. *Exemplo*. c. *de Probat.* illis verbis : « Exemplo perniciosum est, ut ei scripturæ credatur, qua unusquisque sibi annotatione propria debitorem constituit. Concordat textus in l. ult. c. *de Conveniend. fisci debitorib.* lib. X. ibi : « Iniquissimum esse perspeximus, ut sub propria annotionis manu unusquisque sibi faciat debitorem. » Ratio hujus clara est, quia alioquin aperiretur via plurimis fraudibus, ac injustitiis, si sola propria annotatione posset quis alium sibi debitorem esse convincere ; sic enim posset quilibet perversus plurima in sui favorem, et aliorum præjudicium annotare. Accedit, quod privatæ scripturæ alicujus non plus debeat credi, quam vivæ voci ejusdem : sed si quis viva voce deponeret pro se nihil ei crederetur, l. *Omnibus*. c. *de Testib.* ergo.

139. *Adeo, ut etiam rationes defuncti, ad probationem sibi debitæ quantitatis solæ non sufficiant.* — Et hoc adeo verum est, ut quamvis nemo in extremis constitutus, præsumatur esse immemor suæ salutis : nihilominus « Rationes defuncti, quæ in bonis ejus reperiuntur, ad probationem sibi debitæ quantitatis sola non sufficiant. Ejusdem juris est, etsi in ultima voluntate defunctus certam pecuniæ quantitatem, aut etiam res certas sibi deberi significaverit : » prout is ipsis verbis decisum habetur l. *Rationes*. c. *de Probat.* Quamquam in hac ipsa auctoritate bene sit ponderandum ly, « solæ non sufficiant : » etenim, quod concurrentibus aliis adminiculis scripturæ privatæ etiam probent in commodum scribentis, infra § seqq. n. 186. 187. et seqq. amplius declarabitur.

140. *Scriptura privata alteri tantum facta, quæ? Hæc regulariter plene probat contra scribentem.* — « Scriptura privata alteri tantum facta » dicitur ea, quam fecisti contra te in commodum alterius duntaxat : ut est apocha, in qua confiteris, te debere Titio centum ratione mutui, aut hujusmodi. Et tali scripturæ regulariter statur, pleneque ea probat contra scribentem ; prout liquet ex l. *Publia Mævia* § fin. *Depositi* : atque amplius dicetur infra n. 170. 174. et seqq. afferendo simul quasdam hujus limitationes.

141. *Scriptura privata tibi et alteri facta, quæ?* — « Scriptura privata tibi et alteri facta » intelligitur, in qua agitur de commodo, et damno tam tuo quam alterius : ut est liber rationum, in quo habetur annotata ratio dati, et accepti ; item liber censualis, ac hujusmodi. Et huic interdum creditur,

alias vero non, arg. l. *Si quis ex argentariis*, et l. *Quædam.* § *Nummularios.* ff. *de Edendo* cum similibus; atque ex professo examinabitur infra § 7. per totum.

142. *Scriptura privata alia est authentica, alia non authentica : quæ?* — Resp. IV. Tandem scriptura privata alia est authentica, alia non authentica. « Scriptura privata authentica » vocatur, quæ licet originaliter sit privata, certis tamen modis roboratur, seu authentizatur; adeo, ut ex se plenam fidem faciat in judicio. « Scriptura privata non authentica » econtra est, quæ est destituta omni tali supplemento, seu robore; ac proinde fidem, plenamque probationem non facit. Ita Pax Jordanus tom. III. tit. *de Fide instrument.* n. 5. et 13. atque concordant dicta superius § 1. n. 13. Quod ut adhuc melius intelligantur :

143. *Scripturæ privatæ pluribus modis authentizantur, ita ut plenam fidem faciant.* — Quæritur II. Quibus modis scripturæ privatæ authentizentur, ita ut plenam fidem faciant? Resp. Id pluribus modis accidere : adeo ut Joan. Andreas in *Additione magna ad Speculatorem.* tit. *de Instrument: edition.* § 7. « Nunc dicendum, » septem talia supplementa enumeret; et Pax Jordanus loc. cit. n. 5. et seqq. novem referat modos authentizandi scripturas privatas. Similia habet Jason in l. *Admonendi.* n. 77. et 78. et in Repet. cit. l. *Admonendi.* a n. 91. usque ad n. 109. ff. *de Jurejurand.* et Mascardus *de Probat.* concl. 109. et seqq. et concl. 1301. allegans alios.

144. *Per subscriptionem propriæ manus, ac trium testium viventium.* — *Primo* quidem scriptura privata authentizatur per subscriptionem propriæ manus, ac trium testium adhuc viventium probatæ opinionis. Talis enim solemnitas supplet, et dat vires publici instrumenti, l. *Scripturas.* c. « Qui potiores in pignore, » etc. Ubi Glossa fin. illos pervetustos versiculos refert :

> Cautio privata, jam trino teste notata,
> Hoc jus est nacta, quod cautio publice facta.

145. *Quid, si testes interea sunt mortui?* — Additur notanter, « trium testium adhuc viventium. » Quia scriptura privata cum testium subscriptione, postmodum suborto dubio, plenam fidem non facit mortuis interea testibus; nisi fuerit etiam subscripta per manum publicam, id est, per notarium, aut sigillo authentico munita, juxta textum expressum in cap. II. h. t. Ubi Glossa, Summarium Abbas, Felinus, Barbosa, aliique passim. Concordat Auth. *de Instrument.* cautel. § *Si vero moriantur omnes.* collat. 6. ac notat Pax Jordanus loc. cit. n. 6. et Jason. cit. *Repetit.* l. *Admonend.* n. 109. ff. *de Jurejurand.* allegans alios.

146. *II. Per appositionem sigilli authentici majoris magistratus.* — *Secundo* scriptura, quæ originaliter est privata, authentizatur per appositionem sigilli authentici majoris magistratus; ut puta, episcopi, principis, vel illius, cujus officium est in illo loco, vel curia publicis sigillationibus præesse. Textus, et doctores in cit. cap. II. h. t. Joan. Andreas in d. *Addit. magna ad Speculatorem.* ℣. « Secundum supplementum. » et concordant dicta superius. § 3. n. 77. et 89.

147. *Idem dicendum, quando scriptura cæteroquin privata, cum debitis solemnitatibus est subscripta, et sigillata a publico notario : secus, si eam confecit non ut notarius.* — Atque hoc ipsum procedit, quando ejusmodi scriptura, cæteroquin privata, cum debitis solemnitatibus subscripta, et sigillata fuit a publico notario : quia tunc accipit auctoritatem ab ejusdem manu publica, cit. cap. II. h. t. Secus, si scripturam quampiam confecit, aut subscripsit notarius non ut tabellio seu persona publica, sed ut aliquis alius : quia tunc scriptura illa non acquireret majorem firmitatem quam a subscriptione alicujus privati. Baldus cit. cap. II. n. 5. ℣. *Sed pone*, et Felinus ibid. n. 2, h. t.; Pax Jordanus, ubi supra. n. 6. allegans Rotam decis. 139. n. 4. part. II. noviss.; Mascardus *de Probat.* concl. 1301. n. 9. citans alios.

148. *III. Per subscriptionem partium non negatam.* — *Tertio*, scriptura privata efficitur legitima per subscriptionem ambarum partium, loquendo de contractibus, vel scripturis facientibus pro utraque parte : vel saltem per subscriptionem illius, contra quem facit; uti fit in mutuo, deposito, donatione ac hujusmodi. Stante enim tali subscriptione, et dummodo hæc rationabiliter non negetur, suppletur defectus personæ publicæ notarii, ac testium : nam propria confessio, præsertim litteris comprehensa, est optima probatio. Joan. Andreas, ubi supra, ℣. « Tertium supplementum. » Pax Jordanus loc. cit. n. 9; Abbas cap. II. n. 2. h. t.; Mascardus concl. 109, n. 2. et communis. Quid autem sit agendum, quando pars negat subscriptionem esse suam, vel opponit quamdam exceptionem, v. g. non numeratæ pecuniæ, dicetur infra

n. 157. et 158. et seqq. et n. 182. et seqq.

149. *IV. Per subsequentem judicis examinationem, et approbationem.* — *Quarto*, scriptura privata redditur authentica per subsequentem judicis examinationem, et approbationem : uti fit in ultimis voluntatibus, seu testamentis, quæ licet fuerint scriptæ a persona privata, vel etiam a servo, tamen coram judice aperiuntur, atque examinantur; et si testes jurent, ita verum esse, sicut scriptum est, publicantur : sicque scriptura illa testamenti redditur authentica, fidemque facit, l. *Publicati.* juncta Glossa v. *Publicati.* c. *de Testament.* Joan. Andreas loc. cit. vers. « Et est quartum supplementum. » Pax Jordanus n. 10.; Jason. loc. cit. n. 93. et alii.

150. *V. Per deputationem loci, seu ratione publici archivii.* — *Quinto*, scripturæ privatæ authentizantur per deputationem loci, seu ratione archivii publici : hoc est, quando ipsæ auctoritate publica deputantur, seu registrantur in publico archivio, aut pro publicis scripturis communiter habentur, et ut tales a judicibus servantur : uti sunt libri censuales, libri æstimorum ac statutorum, et hujusmodi : arg. l. *Census.* juncta Glossa un. ff. *de Probat.* et c. *Ad audientiam.* 13. § « Nos igitur. de Præscription. » Joan. Andreas, ubi supra. vers. « Quintum supplementum. » Pax Jordanus loc. cit. n. 11. et alii.

151. *Scriptura privata, in archivio publico fideliter custodita, plene probat; et quando?* — Atque istud ampliatur ad aliam scripturam privatam, v. g. apocham, quando reperta est fideliter custodita in archivio publico; hoc est, in loco, in quo solent reponi publicæ scripturæ. Talis enim scriptura sine aliqua subscriptione partium, et sine testibus, plene probat ratione loci, in quo auctoritative asservata, et reperta est; prout desumitur ex Auth. *Ad hæc.* c. *de Fide instrument.* atque cum aliis notat Jason cit. *Repet.* l. *Admonendi.* n. 97. ff. *de Jurejurand.* et Abbas cap. II. n. 6. h. t. istud intelligens, quando scriptura illa habet in se causam sufficientem; ut c. *Si cautio.* 14. h. t. et l. *Cum de indebito.* c. *de Probat.* Adde etiam, dummodo concurrant conditiones supra § 4. n. 103. et seqq. et n. 113 enumeratæ, ubi plura de hoc.

152. *Ex longi temporis observatione.* — *Sexto*, scriptura, quæ est originaliter privata, redditur authentica ex longi temporis observatione : quando videlicet longis retro temporibus, a singulis ut publica, et authentica servata fuit, arg. l. 1. § fin. ff. *de Aqua pluvia arcend.* ibi : « Vetustatem, vicem legis tenere, » cum similibus. Joan. Andreas loc. cit. ỷ. « Sextum est temporis observatio. »

153. *VII. Scriptura censetur authentica, quæ confecta est secundum morem; et consuetudinem regionis : et ratio hujus.* — *Septimo*, scriptura censetur authentica, quæ confecta est secundum morem, et consuetudinem regionis : habet enim consuetudo vim efficiendi authenticam scripturam, quæ alias non esset talis. Glossa c. *Cum dilectus.* v. *Approbata.* et Felinus ibid. n. 35. et Abbas n. 5. et 6. h. t. citans insuper Innocentium, et Hostiensem; Speculator tit. *de Instrument. edition.* § 7. *Nunc dicendum.* n. 8. Joan. Andreas. ubi supra. ỷ. *Septimum supplementum.* Pax Jordanus cit. t. III. tit. *de Fide instrument.* n. 8. Jason cit. l. *Admonendi.* n. 78. ff. *de Jurejurand.* istud tenens non solum de consuetudine, sed etiam de statuto disponente, ut tali vel tali scripturæ privatæ fides adhibeatur. Idque probatur ex cit. c. *Cum dilectus.* 9. h. t. ubi ob consuetudinem patriæ approbatam instrumentum habetur authenticum, quod alias non esset, uti explicat Glossa. Accedit, quod consuetudo det alicui jurisdictionem, quam alias non haberet, c. *Cum contingat.* 13. *de Foro compet.* junctis concordantiis a Glossa fin. ibid. relatis : unde non mirum, quod longæva consuetudo etiam scripturæ privatæ possit dare robur, et authentizationem. Sic Venetiis statur instrumentis scriptis per sacerdotes : atque in multis aliis partibus facit fidem certum sigillum, certa subscriptio, certa stampa, vel formæ impressio; ut inquit Joan. Andreas loc. cit. et Pax Jordanus d. n. 8.

154. *Stante consuetudine ista, vel statuto loci, datur scripturæ illi fides ubique locorum.* — Porro stante consuetudine, vel statuto loci, ut ejusmodi scripturis privatis ibidem factis fides adhibeatur, datur ipsis fides ubique locorum, etiamsi alibi judicium agitetur illæque scripturæ producantur Joan. Andreas et Pax Jordanus, ubi supra; et fuse Jason cit. n. 78. et seqq. allegans alios, atque istud probans ex illa regula : quia scriptura facta in loco secundum privilegium loci, probat ubique arg. l. *Si non speciali.* c. *de Testament.* et tradit Baldus, et Salycetus ibid. et l. 2. c. « Quemadmodum testamenta aperiantur. »

155. *Statutum existens in curia mercatorum*

ut scripturæ mercatoris adhibeatur fides, debet servari in quolibet foro. — Accedit, quod si existat statutum in curia mercatorum, ut scripturæ Mercatoris adhibeatur fides, tunc illud statutum debeat servari in quolibet foro sæculari, et episcopali, l. 2. § fin. c. *de Constituta* pecun. ubi dicitur : « Iis videlicet quæ negotiatores indefense constiterint, in sua firmitate secundum morem usque adhuc obtinentem durantibus : » ac notat Baldus ibid. quem citat, et sequitur Jason loc. cit. n. 80. quidquid contradicat Glossa fin. in cit. l. 2. c. *de Constit. pecun.* Num quod circa decisoria litis attendantur consuetudines, et statuta litigantium, jam dictum est supra tit. I. *De Judiciis.* § 8. n. 227. 228.

156. *Scriptura privata habens aliquod tale supplementum, dicitur instrumentum publicum. Instrumentum omnino privatum, quod et an aliqua fides eidem adhibenda?* — Addit Joan. Andreas in cit. *Addit magna.* vers. « Septimum supplementum, » quod scriptura privata, sive instrumentum privatum, habens aliquod supplementum ex proxime enumeratis, dicatur etiam « Instrumentum publicum » (quod intellige conformiter dictis supra § 1. n. 14. et 16. sumendo instrumento authentico) « Instrumentum omnino privatum » vero dicatur illud, quod nullum supplementum habet de prædictis. Atque istud quandoque patitur modicum defectum : ut, si est scriptum cum solemnibus instrumenti publici a persona magnæ opinionis et fidei, quæ tamen non est publicus notarius. Quandoque habet magnum defectum : ut, si est scriptum a privata persona ad proprium suum commodum. Est autem secundum qualitatem defectus tali privato instrumento fides habenda, quandoque semiplena, quandoque minor, quandoque nulla, arg. l. *Instrumenta.* et l. *Exemplo.* c. *de Probation.* Ita Joan. Andreas loc. cit. Verum occasione præmissorum :

157. *Scriptura privata, v. g. apocha vel epistola, quando negatur esse illius, contra quem producitur, nihil probat.* — Quæritur III. Quid juris, quando scriptura privata, v. g. apocha, vel epistola, negatur esse illius contra quem producitur; et qualiter oppositum probetur, præsertim per comparationem scripturarum? Quæstio hæc solummodo locum habere potest, quando scriptura privata nullum habet adminiculum ex proxime enumeratis, quo reddatur authentica : alioquin enim plenam fidem faceret, ac proinde nonnisi temere, et per calumniam negaretur; nisi forsan quis illud impugnare valeret, conformiter dicendis infra § 9. et 10. per totum. Quo prænotato :

158. *Scriptura privata, v. g. apocha vel epistola, quando negatur esse illius contra quem producitur, nihil probat.* — Resp. I. Quando is, contra quem scriptura privata producitur negat eam esse suam, vel se ipsi consensisse, si dicatur ab alio scripta suo nomine, certum est, ipsam nihil probare, donec oppositum per producentem ostendatur. Textus est in l. *Instrumenta.* c. *de Probat.* ibi : « Instrumenta domestica, seu privata testatio seu annotatio, si non aliis quoque adminiculis adjuvetur, ad probationem sola non sufficiunt. » Concordat textus in cap. II. h. t. ubi de similibus scripturis privatis dicitur, quod « non videntur alicujus firmitatis robur habere. »

159. *Donec oppositum per producentem ostendatur.* — Restat proinde, quod allegati, seu talem scripturam privatam producenti, incumbat onus probandi. Nam generale est, quod affirmanti incumbat probatio, l. 2. c. *de Probat.* cum similibus : « Cum factum negantis per rerum naturam nulla sit directa probatio, » ut dicitur can. *Accusator.* 6. q. 5. et c. *Quoniam contra.* 11. *de Probat.* et l. *Actor.* c. eod. Ac per hoc patet ad priorem partem propositæ quæstionis : nunc pergendo ad alteram.

160. *Istud potest imprimis probari per appensum sigillum illius.* — Resp. II. Scripturam privatam, puta, apocham, manu cujuspiam scriptam fuisse, vel saltem eam ab alio de ipsius voluntate conscriptam, sive subscriptam esse (quod idem est, ac si propria manu scripsisset, l. *Vice donatricis.* c. *de Donation.*) potest imprimis probari per appensum sigillum illius. Ita Mascardus *de Probat.* concl. 330. n. 10. istud probans ex l. *Si qua per calumniam.* c. *de Episc. et cleric.* Accedit ratio : quia sigillum denotat consensum, et ratihabitionem. arg. l. *Si fidejussor.* § *Pater Seii.* ff. *de Pignorib.* ac tradit idem Mascardus concl. 1301. n. 26. post Romanum consil. 303. et alios. Vel saltem maxime adjuvat alias probationes, v. g. comparationem litterarum, de qua proxime, ut inquit Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 114. n. 21.

161. *Dummodo dolus in appositione sigilli non videatur intervenisse.* — Intellige, dummodo dolus in appositione sigilli non videa-

tur intervenisse : nam eo ostenso, sigillum nihil probaret. Casus est in c. *Tertio loco*, 5. *de Probat.* ubi sigillum capituli furtive appositum cuipiam instrumento, nihil probavit. Item in l. *Distrahente* c. *de Rebus alienis non alienandi.* ubi maritus rem suæ uxoris distraxit, atque instrumentum venditionis sigillo suæ uxoris fraudulenter signavit; sicque uxori non præjudicavit.

162. *Deinde potest illud probari per testes qui interfuerunt scriptioni.*— Resp. III. Deinde scripturam manu, vel de voluntate cujuspiam esse scriptam, potest probari per testes, qui attestantur se fuisse præsentes, quando pars, quæ nunc instrumentum negat, illud scribebat, vel ab alio scribi, sine nomine suo subscribi mandaverat : nam tales testes plene probant. Ita Abbas cap. II. n. 2. vers. « Aut negat. pars. » h. t. Bartolus l. *Admonendi.* n. 26. ff. *de Jurejurand.* et Jason in *Repetit.* cit. l. *Admonendi.* n. 88; Mascardus *de Probat.* concl. 110, n. 1. allegans alios.

163. *Et quod testes ad id requirantur? Quando testes tres fuerunt subscripti, sufficit, quod duo recognoscant scripturam.* — Solum adde, quod ubi testes non deponunt de contractu, sive tenore ipsius, sed solum, quod talem scripturam viderunt confici a convento, seu debitore eam nunc negante; ad istud plene probandum requirantur tres testes honesti, fideque digni, nec pauciores sufficiant. Auth. *de Instrument. cautel.* § *Si quis igitur.* et § *Oportet.* collat. 6. Et hoc ipsum pariter procedere spectato jure canonico, tenet Abbas cit. cap. II. n. 2, vers. *Mihi autem.* et Felinus ibid. n. 4. h. t.; tum quia non reperitur contrarium de jure canonico, statutum : tum quia alioquin de facili posset errari propter similitudinem scripturarum; præsertim, si testes non fuissent subscripti. Nam si tres testes subscripti fuissent, non fore necesse ut omnes tres scripturam recognoscant, sed sufficere quod duo ex tribus eam recognoscant, censet Menochius lib. II. *de Arbitrar judic.* cas. 114. n. 3. id probans ex l. *Comparationes litterarum.* ubi Glossa v. *Subscriptiones;* Baldus, et Salycetus. c. h. t. ; Mascardus cit. concl. 110. n. 3. allegans alios.

164. *Si testes deponant super contractu, seu de contentis in scriptura, tunc sufficiunt duo testes pro ejus probatione.* — Quod si vero testes deponerent de contractu, seu de contentis in illa scriptura ; puta, quia viderunt mutuum contrahi, vel depositum, aut quid simile, de quo dicta scriptura loquitur : tunc utroque jure, tam canonico videlicet quam civili, pro ejus probatione sufficiunt duo testes cæteroquin idonei ; juxta illam vulgatam regulam, quod ad legitimam probationem requirantur, et sufficiant duo testes, de qua fuse tit. XX. *de Testib.* § 8. n. 231. et seqq. dictum est. Abbas, et Felinus, ubi supra Mascardus cit. concl. 110. n. 4. et alii.

165. *Insuper apocham, v. g. seu epistolam manu cujuspiam fuisse conscriptam potest probari per comparationem litterarum.*—Resp. IV. Insuper apocham, v. g. seu epistolam, manu cujuspiam fuisse conscriptam, potest probari per comparationem scripturarum, seu aliarum litterarum ab eodem scriptarum, atque approbatarum : et si tales non extent, tunc negans scripturam sua manu factam cogi potest ad scribendum, ut inde sumi valeat comparatio litterarum. Ita desumitur ex l. *Comparationes litterarum.* c. h. t. ac notat Menochius, cit. cas. 114, n. 11 et 12. allegans alios. Occasione cujus :

166. *Comparatio litterarum, quam vim probandi habeat? Ea est periculosa, et cur? Scriptura ejusdem nominis solet mutari.* — Quæritur IV. Quam vim probandi habeat comparatio litterarum, qualiterque fieri debeat ? Resp. I. Comparatio litterarum est valde periculosa, ac multum in ea relinquendum est arbitrio judicis, qui tunc oculos habeat lynceos, ac omnia rite examinet, adhibitis etiam aliis, si opus fuerit, in arte peritis. Ita Menochius, loc. cit. et ratio est; tum quia multi reperiuntur, qui alterius manum ita fingunt, ut illa ipsa scriptura esse putetur ; prout aliquos se vidisse, refert Marsilius, in Rubric. c. *de Probat.* n. 318. et Zasius lib. II. *Singul. respons.* cap. XXV. Mascardus, *de Probat.* concl. 330. n. 1. allegans alios. Tum quia ejusdem hominis scriptura per vitæ decursum solet mutari : non enim ita quis scribit juvenis et robustus, ac senex, et forte tremens : sæpe etiam languor litterarum dissimilitudinem inducit; quin et calami atque atramenti immutatio , similitudinis litterarum per omnia aufert puritatem ; et habetur in Auth. *de Instrument. cautel.* § 1. collat. 6.

167. *Comparatio litterarum se sola plene non probat. An saltem probet semiplene.* — Resp. II. Comparatio litterarum se sola plene ac simpliciter probare non potest, scripturam manu cujuspiam esse factam ; sed opus est aliis adminiculis, ut puta, confessione ipsius, vel subscriptione testium, aut horum

attestatione, quod eis præsentibus scriptura illa a tali facta fit, aut proprii scribentis sigilli appositione. Ita Glossa in Auth. *At si contractus*. v. *Soli*. et Bartolus ibid. c. h. t. Menochius, cit. cas. 114. per totum, id probans inter alia per rationem n. præced. allatam. Mascardus d. concl. 330. n. 1. et 3. ac seqq. allegans alios. Qui tamen nonnullas hujus dicti limitationes afferunt, atque addunt, comparationem litterarum saltem semiplene probare, juxta Glossam fin. l. *In bonæ fidei*. c. *de Jurejurand*. Bartolum l. *Admonendi*. n. 26. ff. eod. Felinum cap. II. n. 14. h. t. et alios: vel saltem judicis arbitrio esse relinquendum, quantam fidem mereatur ejusmodi litterarum comparatio; prout melius censet Menochius loc. cit. n. 6.

168. *Comparatio litterarum, qua forma, et quo ordine fieri debeat?* — Resp. III. Qua forma, et quo ordine, talis comparatio litterarum fieri debeat, tradit inter alios Menochius cit. cas. 114. n. 26. et seqq. dicens, quod si judex nolit ipsemet facere comparationem (potest enim, si vult, ex suo arbitrio, juxta Baldum l. *Comparationes*. n. c. 17. h. t.) tunc ipse duos, nec pauciores, peritos artis scribendi eligere debeat: qui etiam, antequam ad comparationem litterarum deveniant, jurent quod eam facient non lucri causa, neque inimicitia, vel gratia tenti, juxta textum cit. l. *Comparationes*. § *Omnes*. Et tunc assumant alias scripturas ad faciendam ejusmodi comparationem, quæ sunt omnino certæ, et veræ illius qui asseritur scripsisse hanc contensiosam scripturam: et quod periti isti postea inspiciant singulas litteras, et elementorum verborumque tractus, signa, stylum, atque his similia: et tunc judici, referant, quid egerint, atque judicaverint.

169. *Ea non habet locum, nisi ipsam petens juret, se non habere alias probationes.* — His adde, quod ille, qui petit comparationem litterarum fieri, prius jurare debeat, se non habere alias probationes, præter hanc comparationis litterarum probationem. Ita quippe habetur expressum in Auth. *de Instrument. cautel*. § *Si vero nihil.*, collat. 6. illis verbis: « Et ipse, qui hoc petit fieri, juret, quia non aliam idoneam habens fidem, ad collationem instrumentorum venit, nec quicquam circa eam egit, aut machinatus est, quod possit forte veritatem abscondere. » Ubi Glossa v. *Juret*. id ipsum confirmat ex l. *Comparationes*. § *Omnes autem*. c. h. t. ac notat Menochius d. cas. 114. n. 34. citans insuper Salycetum in d. l. *Comparationes*. vers. *Oppono Sexto*.

§ VI.

DE FIDE SCRIPTURARUM PRIVATARUM, PRÆSERTIM RESPECTU SCRIBENTIS.

170. *Scriptura privata confessata, regulariter probat plene contra scribentem.* — Quæritur I. Utrum, et qualiter scriptura privata confessata probet tum contra scribentem, tum etiam contra tertium? Resp. I. Regula est, quod scriptura privata v. g. apocha confessata, plene probet contra scribentem. Patet hoc ex l. *Publia Mævia*, § fin. ff. *Depositi*. et l. *Vice donatricis*. c. *de Donation*. et l. *Generaliter*. *De non numerat. pecun*. Nam propria confessio, præsertim litteris comprehensa, est optima probatio, nisi forsan aliis documentis, et probationibus quis probare possit erroneum et falsum esse, quod scripserat.

171. *Confessio facta in supplicatione principi porrecta plene probat.* — Hinc Jason in l. *Cum te transegisse*. n. 12. c. *de Transaction*. notanter inquit, quod confessio facta in supplicatione principi porrecta plene probet, etiam parte absente. Idque desumitur ex textu ibid. ubi proin Baldus in *Summario* inquit: « Non est minor probatio per confessionem, quam probatio per publicum instrumentum. » Hoc ipsum, seu quod scriptura privata agnita, seu confessata a parte, eamdem vim habeat, ac si esset a publico notario confecta: tradit Covarruvias lib. II. *Variar. resol*. cap. XI. n. 4. post Bartolum l. *Admonendi*. n. 26. ff. *de Jurejurand*. Alexandrum consil. 191. n. 1. vol. II. et alios, id probans per jura proxime allegata, cum similibus.

172. *Alicubi scriptura privata confessata, v. g. de pecunia mutuo recepta, habet paratam executionem.* — Quinimo certis in locis scriptura privata, puta chirographum confessatum, in quo aliquis fatetur se recepisse mutuam pecuniam, habet paratam executionem: ita videlicet, ut statim per judicem solutio injungatur debitori, neque is audiatur ante solutionem factam, quamvis velit aliquas exceptiones (altioris tamen indaginis, nec in continenti probabiles) contra creditorem proponere. Atque ita in Austria receptum esse asserit Ludov. Engel h. t. n. 26. citans Sutingerum in *Process. judiciar*. observat. 11,

et observat. 104, n. 2. Idemque in Hispaniis per constitutionem Madritianam concessum esse, refert Covarruvias cit. cap. XI. n. 4. quamvis ultro fateatur, spectato jure communi, istud non procedere.

173. *Disparitas inter confessionem extrajudicialem, et scripturam privatam.* — Nec obstat, quod confessio extrajudicialis oretenus facta plene non probet, l. *Certum.* § *Si quis absente.* ubi Bartolus, ff. *de Confessis*, estque uberius dictum tit. XVIII. *de Confessis*, § 2. n. 49. et 54. Resp. enim, disparitatem esse inter eam, et inter scripturam privatam: tum quia scriptura semper loquitur, arg. l. *Ariani. de Hæretic.* et notat Jason cit. l. *Cum te transegisse*, n. 12, c. *de Transact.* post Bartolum in l. *Nuda ratio.* ff. *de Notation.* et alios; adeoque censetur etiam loqui in presentia adversarii, vel judicis, si ipsi exhibetur; tum quia cum majori deliberatione, et cautela solemus aliquid scribere quam loqui, ideoque majorem vim habet confessio instrumentalis, seu per litteras, quam simpliciter et ex abrupto oretenus facta, arg. l. I. c. *de Usuris.* et l. *Sciendum.* ff. *de Verbor. obligat.*

174. *Scriptura privata confessata, non præjudicat tertio.* — Resp. II. Licet scriptura privata recognita, seu confessata, fidem faciat contra scribentem, ut dictum, nihilominus ea non præjudicat tertio: nisi id quantum talis scriptura potest de jure nocere cuipiam tertio a die factæ illius recognitionis. Ita Abbas cap. II, n. 2. et Felinus ibid. n. 12, h. t.; Covarruvias cit. lib. II. *Variar. resolut.* cap. XI. n. 4; Mascardus *de Probat.* concl. 109. n. 4. citans alios, addita illa ratione: quia alioquin foret in potestate creditoris, præjudicare tertio, quod est absurdum. Sic l. *Scripturas.* c. *Qui potiores in pignore*, etc. cavetur, quod scriptura privata cum causa, si de ipsa constet. v. g. per confessionem scribentis, vim habeat probationis contra ipsum: ita tamen, ut si quis jus pignoris, aut hypothecæ ex ea sibi vendicare contenderit, præferatur ille qui publico desuper confecto instrumento munitus est, etiamsi sit posterior; nisi privata scriptura illa a trino teste subscripta fuerit, sicque quasi publice confecta censeatur. Nec immerito ita statutum fuit: quia alioquin posset debitor ad libitum fraudare priores creditores jure pignoris, aut hypothecæ, constituendo per litteras suas, sub dato priore conscriptas; alium anteriorem; prout argumentatur Abbas loc. cit.

175. *Scriptura privata probat tamen contra scribentem, ejusque hæredem. Hæres censetur eadem persona cum defuncto.* — Additur notanter in conclusione, « nisi in quantum talis scriptura potest de jure nocere cuipiam tertio, » etc. Nam imprimis scriptura privata recognita plene probat non solum contra scribentem, sed etiam contra ejus hæredem: atque in hoc sensu potest nocere tertio. Mascardus *de Probat.* concl. 1301. n. 2. citans alios. Nec immerito: nam hæres censetur esse eadem persona cum defuncto, Auth. *de Jurejurando.* § 1. collat. 5.

176. *Scriptura privata probat etiam contra alios successores ac tertios, qui habent causam ab eo scribente. Dummodo recognitio scripturæ suæ facta sit ante cessionem.* — Deinde scriptura privata recognita probat etiam contra alios successores, sive universales, sive particulares, ac tertios, qui habent causam ab eo scribente. Sigism. Scaccia lib. II. *de Judiciis.* cap. XI. n. 80. post Baldum consil. 26. n. 1. lib. IV. et alibi. Cravetta cit. tom. XVII. *Tractatuum.* tract. *de Antiquit. tempor.* § *Viso de verbis annuntiativis.* n. 2. et 15 et 16; Mascardus c. concl. 1301, n. 2. cum aliis. Quamquam Cravetta eod. n. 16. et post ipsum Scaccia loc. cit. dictum illud, quod scriptura privata fidem faciat etiam contra tertium, habentem causam a recognoscente, nonnihil limitent, dum id procedere asserunt, dummodo recognitio illa scripturæ suæ facta sit ante cessionem; secus, si postea. Quia tunc jam urgeret ratio n. 174. allata, ne videlicet possit quis alteri ad libitum inferre præjudicium contra illud lumine naturali notum: « Non debet aliquis alterius odio prægravari, » ut loquitur reg. 22. juris in 6. cum similibus.

177. *Recognitio propriæ scripturæ non trahitur retro ad tempus factæ scripturæ, nisi contra recognoscentem.* — Hinc Covarruvias d. lib. II. *Var. resol.* cap. XI. n. 4. notat, quod hujusmodi recognitio propriæ scripturæ non trahatur retro ad tempus factæ illius scripturæ, nisi contra recognoscentem: non vero contra tertium, habentem medio tempore hypothecam: siquidem iste habebit privilegia prioris, et potioris creditoris; prout notatur in l. *Scripturas.* c. *Qui potiores in pignore*, etc. juncto textu ibid. Atque ob hoc in conclusione notanter etiam additum fuit ly « A die factæ illius recognitionis. »

178. *Scriptura privata in antiquis inducit semiplenam probationem contra tertium.* —

Ulterius scriptura privata cujuspiam, cæteroquin fide digni in antiquis semiplenam inducit probationem contra tertium, contra quem ejusmodi scriptura indicitur : dummodo non negetur, vel saltem aliunde constet quod sit scriptura illius qui dicitur eam scripsisse. Cravetta cit. tract. *de Antiquitat. tempor.* § *Visp de verbis enuntiativis*. n. 2. et 3; Jason l. *Cum aliquis*. n. 5. et 6. c. *de Jure deliberand*. Mascardus cit. concl. 1301. n. 1. allegans alios. Siquidem in antiquis admittuntur leviores probationes propter difficultatem probandi. c. *Cum causam*. 13. *de Probat.* juncta Glossa ibid. cum similibus.

179. *Scriptura privata, an in omni prorsus casu plene probet contra scribentem.* — Quæritur II. Utrum scriptura privata in omni prorsus casu plene probet contra scribentem? Resp. Negative : nam quædam dantur : limitationes hujus regulæ ; adeo, ut etiam impræsentiarum locum habeat illud vulgatum : « Nulla regula sine exceptione. » Idque ostenditur inductione, adducendo tales fallentias, seu limitationes ipsius.

180. *Regula illa fallit in scriptura privata, v. g. cautione, quæ continet debitum, sed non causam debiti.* — Et *primo* quidem regula illa fallit in privata scriptura, puta cautione seu chirographo, quæ continet quidem debitum, sed non exprimit causam debiti: nam si debitor postea negaverit, se revera debere id quod in tali scriptura continetur, allegando quod cautio ejusmodi indebite exposita, seu data fuerit, nulla inde actio, seu obligatio oritur in foro externo, tum ecclesiastico, tum civili : sed oportet, ut actor aliunde probet illud ex tali, vel tali causa vere debitum fuisse quod in cautione, seu scriptura illa privata continetur. Ita communis tum canonistarum, tum legistarum ; atque habetur expressum l. *Cum de indebito*. § fin. ff. *de Probat*. et c. *Si cautio*. 14. h. t. utpote quod cum citata lege concordat ; sicque loquitur : « Si cautio, quam a te indebite proponis expositum, indeterminate loquatur, adversarius tuus tenetur ostendere debitum, quod continetur in ea. »

181. *Secus, si in ea exprimatur causa debiti: quia tunc plene probat.* — Secus dicendum, quando in instrumento, seu scriptura privata, puta, cautione confessata, exprimitur causa debiti, v. g. quod quis debeat Titio centum vi mutui, vel ratione rei emptæ : quia tunc in judicio standum est tali suæ confessioni, et cautio illa plene probat contra scribentem, isque veluti debitor condemnatur, nisi forsan legitime probet indebitum. Textus est in cit. l. *Cum de indebito*. § fin. ff. *de Probat.* et c. *Si cautio*. 14. h. t. in quo posteriori loco, post verba n. præced. relata, ita sequitur : « Sed si causam, propter quam hujusmodi scriptura processerit, expresseris in eadem, confessioni tuæ statur, nisi probaveris te id indebite promisisse. » Hæc ibi. Concordant dicta superius tit. 18. *de Confessis*. § 2. n. 37. et 49. et seqq. ubi hoc ipsum de confessione extrajudiciali, præsente adversario, cum vel sine adjectione causæ facta, plenius declaratur.

182. *Fallit ulterius quando intra biennium per debitorem opponitur exceptio non numeratæ pecuniæ.* — *Secundo* fallit data regula, quando per debitorem opponitur « exceptio non numeratæ pecuniæ. » Nam si quis in apocha, seu chirographo privato fateatur se accepisse pecuniam ab altero sibi mutuatam, quam revera non recepit (prout non raro hujusmodi apochæ solent dari, vel mitti ante receptionem pecuniæ, quam quis petit mutuam), tunc competit ipsi certum juris beneficium, quod appellatur « exceptio non numeratæ pecuniæ. » Hanc quippe exceptionem si debitor scriptus intra biennium a die dati chirographi opposuerit, tunc onus probandi numerationem pecuniæ factam esse, in adversarium transfert. l. *In contractibus*. et tot. cit. c. *De non numerata pecunia*, estque communis doctorum.

183. *Aut exceptio non numeratæ dotis.* — In dote similiter constitutum est, ut marito intra biennium concedatur exceptio non numeratæ dotis, cit. l. *In contractibus*. § fin. c. eod. ibi : « Quæ etiam in exceptione non numeratæ dotis locum habere certum est. »

184. *Creditores etiam, si citius dent quietantiam, quam receperint pecuniam, possunt opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, sed intra triginta dies tantum. Et cur creditoribus minus tempus concedatur ad opponendam dictam exceptionem, quam debitoribus?* —Quod si etiam creditores citius dent apocham seu quietantiam quam receperint solutionem debiti etiam ipsi possunt opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, sed intra triginta dies tantum post dictæ quietantiæ expositionem computandos, cit. l. *In contractibus*. § *Super*. c. eod. Ratio disparitatis, cur his minus tempus, nempe triginta dierum solummodo, debitoribus vero totum biennium a jure concedatur, recte ab Engel h. t.

n. 28. assignatur: quia videlicet debitor, si velit habere pecuniam mutuam, debet ad petitionem creditoris prius dare chirographum, ne alioquin mutuum negetur. Creditor vero non solum non cogitur ad reddendum ante receptam solutionem chirographum, sed etiam debitorem solvere recusantem, potest per media judicialia compellere ad solvendum. Unde magis videbatur succurrendum debitori, qui citius dedit chirographum, quam creditori.

185. *Confessio qualificata, quod scriptura privata fuerit manu sua scripta jocose solum, an prejudicet confitenti. Remissive.* — Posset hoc loco etiam quæri, an confessio qualificata, quod scriptura privata fuerit manu sua scripta jocose solum, sive calami experiundi gratia præjudicet confitenti? Verum de hoc jam dictum est supra tit. 18. *De confessis.* § 5. ubi ex professo actum fuit de confessione qualificata; ac præsertim n. 128. et seqq. ubi talis casus refertur, atque uberius declaratur.

186. *Scripturæ privatæ regulariter non probant in commodum scribentium.* — Quæritur V. An aliquando scripturæ privatæ probant in commodum scribentium, l. *Exemplo.* c. *de Probat.* et l. ult. c. *de Conveniend. Fisci debitorib.* lib. X. ac tradit Glossa communiter recepta in cap. II. v. *Authentica.* h. t. ubi ponit differentiam inter instrumenta publica et privata, quod illa nitantur perpetua firmitate ad damnum et commodum utriusque partis: privata vero valeant quidem in præjudicium scribentium, l. *Publia Mævia.* § fin. ff. *Depositi;* ad commodum vero eorum minime, cit. l. *Exemplo.* et l. *Rationes.* c. *de Probat:* estque jam dictum supra n. 138. et seqq. et n. 170. et alibi.

187. *Fallit hoc, quando scriptura cæteroquin privata est subscripta a partibus, et tribus testibus, qui adhuc vivunt, ipsumque recognoscunt.* — Resp. II. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus scriptura privata plene probat pro scribente, seu in commodum ejus. Ita communis; et patet inductione. Sic imprimis scriptura cæteroquin privata plene probat pro scribente, quando est subscripta a partibus, simulque a tribus testibus: nam si testes adhuc vivant, et recognoscant scripturam, insurgit plena probatio; cap. II. h. t. argumenta a sensu contrario desumpto; ac tradit Abbas ibid. n. 5. Bartolus l. *Scripturas.* § fin. c. *Qui potiores in pignore,* etc. juncto textu ibid. dum tibi talis scriptura, « quasi publice confecta » intelligitur. Pax Jordanus tom. III. tit. *de Fide instrument.* n. 22; Engel h. t. n. 22. et alii.

188. *Et quid, si testes jam fuerunt mortui? Paria sunt totum scribere vel tantum subscribere.* — Quod si vero scriptura illa est subscripta a partibus tantum, tunc mota desuper controversia facit quidem magnam præsumptionem pro scribente, seu pro altera parte subscribente; non tamen plene probat in commodum ejus contra tertium sine augmento testium, arg. cit. l. *Scripturas.* c. *Qui potiores in pignore,* etc. ac notat Bartolus ibid.; Abbas loc. cit. n. 2; Pax Jordanus num. 20.

189. *Et quid, si testes jam fuerunt mortui? Paria sunt, totum scribere, vel tantum subscribere?* — Additur notanter contra tertium. Quia contra alteram partem simul subscribentem, ejusque hæredem, bene probabit scriptura illa; dummodo non negetur subscriptio, sed sit recognita, vel aliter justificata. Mascardus *de Probation.* concl. 1301. n. 2. post Speculatorem, tit. *de Instrument. edition.* § *Nunc dicendum.* n. 7. Bartolum Auth. *At si contractus.* c. h. t. et alios. Nam quod scriptura privata recognita, et confessata, etiam sine aliis adminiculis plene probet contra scribentem (et consequenter in commodum alterius partis, simul ipsam subscribentis) jam supra n. 170. cum communi dictum est. Atqui paria sunt, totum scribere, vel tantum subscribere, l. *Si quis ex argentariis.* § *Cogentur.* juncta Glossa marg. ff. *de Edendo.* et § 1. Instit. *de Emption. et vendit.* ibi: « Instrumenta conscripta vel manu propria contrahentium, vel ab alio quidem scripta, a contrahentibus autem subscripta: » et tradit Pax Jordanus loc. cit. n. 23. post Gabriel. *de Præsumption.* concl. 3.

190. *Scriptura privata plene probat pro scribente, quando aliunde est authentizata.* — Deinde scriptura privata plene probat pro scribente, quando aliunde est authentizata: ut puta, quia est asservata in archivio publico; vel quia est munita sigillo authentico curiæ, seu majoris magistratus; aut quia ex longi temporis observantia censetur authentica, et hujusmodi: prout uberius dictum est supra § 5. n. 146. et seqq.

191. *Scriptura privata plene probat de consensu, seu conventione partium.*—*Tertio,* scriptura privata potest plenam fidem facere de consensu, seu conventione partium. Jason in *Repetit.* l. *Admonend.* n. 101. ff. *de Jure-*

jurand. citans alios. Ratio est, quia, quod scripturæ privatæ non credatur in commodum scribentis, principaliter est introductum favore partium, seu partis adversæ; ergo huic favori possunt partes renuntiare: c. *Si diligenti.* 12. *de Foro compet.* cum similibus: non minus, ac renuntiare possunt juramento testium, c. *Tuis quæstionibus.* 39. juncta Glossa fin. *de Testib.*

192. *Scriptura privata probat quando fuit producta, et contra eam pars adversa nihil opposuit.* — Unde Alexander consil. 185. in fin. lib. VI. et Mascardus *de Probat.* concl. 1301. n. 18. citans Jacob. de Aretio, Hostiensem, Butrium, et alios, notanter infert, quod quælibet scriptura privata probet, habeatque effectum instrumenti, quando fuit producta, et contra eam pars adversa omnino nihil opposuit: quia tunc ab hac censetur scriptura illa approbata, et continere veritatem. Quod tamen procedit duntaxat, quando pars adversa omnino nihil contra ejusmodi scripturam opponit; videlicet nec expresse, puta verbis; nec etiam tacite, seu facto ipso: nam secus foret, si quid opponeret facto ipso, puta, petendo se absolvi a petitis partis, arg. l. *Paulus respondit, non tantum verbis.* ff. *Rem ratam haberi;* ac notat Mascardus d. n. 18. et Cravetta cit. tract. *de Antiquit. tempor.* part. I. § *Viso de verbis.* n. 23. et seqq. allegans alios.

193. *Epistola acceptata, et retenta, absque eo quod quis ei expresse contradicat, probat contra acceptantem pro scribente.* — *Quarto,* Epistola per illum, cui scribitur, accepta, et retenta absque eo, quod ei expresse contradicat, probat contra illum pro scribente: ita ut hoc ipso debitum, vel obligationem in tali epistola expressam fateri censeatur, quod hanc recipiens non contradixerit, cum potuerit. Jason cit. *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 142. ff. *de Jurejurand.* post Bartolum, Baldum pluresque alios. Idem tenet Alexander consil. 78. n. 1. lib. I; Engel h. t.; n. 31. Idque probatur ex Clem. I. *de Procurat.* et l. *Si filiusfamilias absente.* ff. *Ad S. C. Macedonian.* Ubi Summarium sic habet: « Ratione conventionis, qui epistolam recipit, videtur approbare, quod in epistola continetur. » Ubi Glossa v. *Contrariæ voluntatis,* inde notat, aliisque allegatis Juribus firmat, quod « qui non improbat, probat. »

§ VII.

DE LIBRIS RATIONUM, FIDEQUE IPSORUM; NEC NON DE SCULPTURIS ANTIQUIS.

194. *Libri rationum, qui et a quibus confici soleant?* — Quæritur I. Quæ fides debeatur libris rationum? Ubi prænotandum, quod per « Libros rationum » intelligantur illi, quos quis de datis, et acceptis sibi conficit, ut jam dictum supra § 5. n. 135. Et tales libri rationum sunt frequentes, ac usitati, præsertim inter mercatores, tutores, curatores, ac alios rerum alienarum gestores seu administratores. Atque horum aliqui eos conficiunt ratione sui officii; ut olim nummularii, l. *Quædam.* § *Nummularios.* ff. *de Edendo.* item exactor tributorum, ac thesaurarius, l. *Illatæ.* c. *de Fide instrument.* Alii vero libros tales conscribunt ratione suæ administrationis, ut tutores, curatores, aliique rerum alienarum administratores, l. I. § *Officio.* ff. *de Tutel. et rationib. distrahend.* Quidam vero pro sua voluntate et arbitrio, prout res postulat, aut expedire videtur, privatim sibi tales libros rationum conficiunt: ut mercatores, ac hujusmodi. Quo prænotato:

195. *Regulariter non probant plene pro scribente, bene tamen contra ipsum.* — Resp. I. Libri rationum regulariter pro scribente plene non probant, bene tamen contra ipsum, seu in ejus præjudicium. Ita Glossa in Clem. un. § *Cæterum.* v. *Rationum. de Usuris.* et alia Glossa l. *Quædam.* § *Nummularios.* v. *Decernitur.* ff. *de Edend.;* Abbas cap. II. n. 8. et 9. h. t.; Bartolus in l. *Nuda ratio.* n. 7. ff. *de Donation.;* Mascardus *de Probat.* concl. 977. n. 1. allegans alios, cum communi. Siquidem tales scripturæ revera sunt privatæ; sicque urgent jura, et rationes, § præced. n. 170 et 186. allatæ, exemplo quippe perniciosum est quod sub propriæ scripturæ annotatione quis alium sibi debitorem constituere valeat, l. *Exemplo.* c. *de Probat.* cum similibus. Et si libris rationum in favorem scribentium passim foret credendum, de facili præberetur ansa delinquendi. Accedit, quod instrumenta quoque notariorum, haud obstante quod eorum fides de publico approbata sit, non probent in favorem ipsius scribentis, l. *Divus Claudius.* ff. *Ad leg. Cornel. de Falsis.*

196. *Nec probant pro hærede scribentis; etiamsi succedat fiscus, aut Ecclesia.* — Atque istud ampliatur, ut liber rationum privati,

non solum non probet pro scribente, sed nec etiam pro hærede ipsius; quamvis illi succedat fiscus, aut Ecclesia l. *Inter chartular.* c. *de Conveniend. fisci debitorib.* lib. X. Ubi proin Bartolus in Summario sic loquitur: « Scriptura privata non facit fidem pro scribente, vel ejus hærede. etiamsi fiscus sibi successerit. » Nam, ut inquit Imperator ibidem, « Iniquum esse perspeximus, ut sub propria annotationis manu unusquisque sibi faciat creditorem, » cum concordantiis.

197. *Fœneratores, cur cogantur edere libros rationum suarum?* — Nec obstat, quod in Clem. un. § *Cæterum de Usuris*, fœneratores in causis usurarum cogantur edere libros rationum suarum; idque frustra fieret, si libri illi rationum nihil probarent. Resp. enim, istud neutiquam obstare: quia ibidem solummodo compelluntur fœneratores ad exhibendum codices suarum rationum, et quidem sub censuris ecclesiasticis, ut hoc modo possit deprehendi pravitas usuraria ipsorum, quæ ut plurimum solet occulte committi; non autem ut libri illi eidem suffragentur. Unde Glossa ibid. v. *Cæterum*, notanter infert, ac pluribus aliis juribus allegatis firmat, quod illis fœneratorum rationibus stetur contra eos, pro eis non.

198. *Liber rationum probat contra scribentem, etiamsi sit scriptus manu alterius de sua voluntate.* — Ampliatur quoque altera pars datæ conclusionis, ut liber rationum probet contra scribentem, non solum quando est scriptus sua manu, sed etiam quando est scriptus manu alterius de sua voluntate: quia adhuc plene probat contra scribentem, arg. l. *Vice donatricis.* c. *de Donation.* ubi paria esse censentur, per se subscribere, vel alium subscribere vice ipsius; Jason in *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 112. ff. *de Jurejurand.* Mascardus concl. 978. n. 5. citans alios; atque n. 16. et seqq. istud cum aliis intelligens, quando liber ille rationum continet causam debiti, vel saltem adsunt quædam conjecturæ de causa debiti: alias secus.

199. *Et quid, si principalis neget, talem librum rationum manu alterius de sua voluntate esse scriptum?* — Nec juvat, si principalis, v. g. mercator, neget talem librum rationum manu alterius de sua voluntate conscriptum fuisse. Non juvat, inquam: quia cum mercator ille talem librum retineat ut suum eoque utatur tanquam suo, quidquid reperitur in illo scriptum, præsumitur scriptum vel manu sua, vel alio de ejus consensu, nisi contrarium evidenter probetur. Jason cit. n. 112; Mascardus d. concl. 178. n. 9. citans alios. Alexander consil. 245. n. 1. et seqq. lib. VI. asserens, quod libro creditoris etiam privato, in quo continetur solutio debiti, detur plena fides contra ipsum creditorem, l. *Quædam* § *Nummularios*, juncta Glossa ff. *de Edend.*

200. *Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus liber rationum probat pro scribente.* — Resp. II. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus data conclusio, seu regula fallit, atque liber rationum probat pro scribente, aut in commodum suorum hæredum. Ita Jason cit. *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 125. et seqq. ff. *de Jurejurand.*; Mascardus d. concl. 97. n. 3. et seqq. Cravetta *Tractatuum*, tom. 17. tract. *de Antiquit. tempor.* § *Vidimus et abunde.* n. 2. ac seqq.; et alii. Idque probatur inductione.

201. *Istud fieri potest publica lege sic disponente: ut antiquitus probarunt libri argentariorum, et nummulariorum.* — Et *primo* quidem id fieri potest publica lege sic disponente: prout antiquitus libris argentariorum, et nummulariorum, qui publica auctoritate assumebantur, et in susceptione sui officii juramentum de fidelitate præstabant, plena fides adhibebatur; juxta textum expressum l. *Quædam.* § *Nummularios.* ff. *de Edendo*, ibi: « Quia nummularii, sicut argentarii rationes conficiunt: quia et accipiunt pecuniam, et erogant per partes, quarum probatio scriptura, codicibusque eorum maxime comprobatur, » etc. Verum hodie (inquit Glossa ibid. v. *Decurritur.*) eorum scripturæ sunt privatæ, ac proinde ipsis non est credendum pro se, sed contra se. Concordat Mascardus loc. cit. n. 88. et seqq.

202. *Istud fieri potest consuetudine, vel statuto speciali: prout alicubi probant libri mercatorum.* — *Secundo*, consuetudine, vel statuto speciali fieri potest quod libris rationum, v. g. mercatorum, plena fides detur pro scribente, arg. cit. § *Nummularios.* et c. *Cum dilectus.* 8. et cap. ult. *de Consuetud.* cum similibus. Cravetta, ubi supra. n. 1. Jason cit. *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 120. ff. *de Jurejurand.* allegans Paulum de Castro ibid. col. penult. Baldum, et Alexandrum in d. l. *Quædam.* § *Nummularios.* cum aliis. Et addit Jason ibidem, Florentiæ talem esse consuetudinem inter mercatores, quod eorum libris stetur, etiam pro se: quia maxima pœna imponitur eis, si aliquod falsum in libro committerent. Similiter Bononiæ est statutum, quod liber mercatorum plene probet pro mercatore: et

tunc standum est ei, nisi possit probari falsum.

203. *Saltem usque ad certam quantitatem: alias consuetudo illa non esset rationabilis.* — In quibusdam tamen locis taxatur usque ad quam quantitatem sit credendum libris rationum in favorem scribentis, v. g. mercatoris. Nam consuetudo indifferens ac indiscreta, seu quæ disponeret, quod crederetur omni scripturæ mercatoris pro se, etiam in quibuscumque magnis quantitatibus, non esset rationabilis : quia daret ansam delinquendi, ac proinde veluti nutritiva peccati non valeret, can. *Erit autem lex*. dist. 4. et c. *Ex parte de Consuetud.* cum similibus, ac notat Alexander consil. 3. n. 6. lib. II. Jason ubi supra, n. 122. Cravetta cit. § *Vidimus et abunde*. n. 6. et alii.

204. *Quod si alicubi vigeat talis consuetudo, vel statutum, sine aliqua taxatione quantitatis, tunc hæc erit arbitraria judici.* — Quod si igitur detur alicubi talis consuetudo, vel statutum de credendo libris rationum in favorem scribentis sine aliqua taxatione quantitatis, tunc illud ne convincatur esse irrationabile intelligi debebit sub tacita illa clausula : « Accedente consensu judicis, et si ei videbitur : » considerata videlicet qualitate personæ scribentis, quantitate et præjudicio causæ; et sic illud erit arbitrarium judici. Abbas c. *bonæ memoriæ*. il. 2. n. 30. *de Postulat. prælat.* citans Baldum in l. un. c. *de Confessis*. Jason loc. cit. n. 122 et 129.

205. *Debet quoque ejusmodi consuetudo, vel statutum intelligi, nisi mercator sit suspectæ vitæ.* — Insuper stante statuto, vel consuetudine, quod libris mercatorum plena fides detur pro scribente, debet intelligi, ac limitari ejusmodi consuetudo sive statutum; nisi mercator alioquin sit infamis, vel suspectæ vitæ, arg. l. *Si quis ex argentariis.* § *Cogentur*. ff. *de Ædendo;* ac notat Jason loc. cit. n. 123. post Baldum l. *Cunctos populos*. in *Repetit*. vers. « Quintum exemplum. » c. *de Summa Trinit.* et alios : idque suadent dicta num. præced.

206. *Liber rationum defuncti, qui fuit vir bonus, facit pro hærede non solum præsumptionem, sed etiam semiplenam probationem.* — *Tertio*, ac seclusa speciali locorum consuetudine et statuto, liber rationum defuncti, qui fuit vir bonus, bonæque opinionis ac famæ, pro hærede scribentis non solum facit aliquam præsumptionem, ut vult Abbas cap. II. n. 9. h. t. et Bartolus l. *Admonendi*. n. 27. ff. *de Jurejurand.* et alii; sed etiam semiplenam probationem, dummodo liber ille defuncti habeat debitam formam rationum, seu contineat data et accepta; secus, si esset simplex scriptura unius debiti tantum, quia nihil probaret. Jason cit. *Repetit.* l. *Admonendi*. n. 120. post Paulum de Castro ibid. col. ult. ff. *de Jurejurand.* et sequitur Mascardus cit. concl. 977. n. 4. et 6. Sigism. Scaccia lib. II. *de Judiciis*, cap. II. n. 261 ; Genova *Scriptura privata*, lib. IV. tit. I. seu *de Libris rationum*. n. 24. et alii ab his citati. Ratio est, quia non est verisimile, quod vir probus, bonæque famæ, in articulo mortis scriberet librum falsum, aut eum falsa continentem relinqueret.

207. *Non vero plenam, nisi aliis adminiculis adjuvetur.* — Plenam tamen probationem se solo ejusmodi liber rationum defuncti non facit, nisi aliis præsumptionibus et adminiculis adjuvetur, l. *Rationes*. c. *de Probat.* ibi : « Rationes defuncti, quæ in bonis ejus inveniuntur, ad probationem sibi debitæ quantitatis solas sufficere non posse, sæpe rescriptum est. » Secus, si alia adminicula concurrant : nam tunc etiam plene probat; arg. l. *Instrumenta domestica*. c. *de Probat.* et cit. l. *Rationes*, ponderando ly, « solas sufficere non posse. » c. eod. cum similibus. Bartolus in l. *Admonendi*. n. 27. ff. *de Jurejurand.;* Abbas cap. II. n. 9. h. t. Mascardus cit. concl. 977. n. 8. Genova loc. cit. n. 32. et alii.

208. *Libro rationum tutoris, mercatoris, seu alterius administratoris viventis, prævio scribentis juramento statur in parvis ac verisimilibus summis, dummodo ille sit vir legalis.* — *Quarto*, et loquendo de libro rationum tutoris, mercatoris, seu alterius administratoris adhuc viventis, tunc prævio scribentis juramento statur tali libro in parvis ac verisimilibus summis, dummodo cæteroquin tutor, administrator, seu mercator ille sit vir legalis, ac fide dignus. Abbas c. *Bonæ memoriæ*. 4. n. 30. *de Postulat. prælat.* loquens de mercatore; Jason loc. cit. n. 126. agens de tutoribus et curatoribus; Cravetta loc. cit. § *Quid in libro*. n. 4. et 5; Mascardus cit. concl. 977. n. 13 et n. 58. post Ancharanum consil. 44. n. 6. et alios. Accedit ratio, quia officium istorum communiter est approbatum, et tacite videtur eis mandatum, ut conficiant librum suarum rationum; ergo debet eis credi etiam pro se, saltem in parvis ac verisimilibus summis, ne officium scribendi reddatur ipsis damnosum, si libro suarum

rationum duntaxat crederetur contra se, nullatenus autem pro se. Cæterum, quæ summa censeatur modica, necne, et quando ipsa sit censenda verisimilis, judicis arbitrio est relinquendum; qui istud dijudicabit inspecta qualitate rei et personarum, aliarumque circumstantiarum, arg. l. *Sed et si suscepit.* § *Sed et si proponas.* ff. *de Judiciis*, cum similibus.

209. *Secus dicendum in magnis summis : nisi concurrant legitimæ probationes, vel sufficientia adminicula.* — Secus dicendum in magnis summis, atque ad grave præjudicium tertii tendentibus. Tunc enim periculosum, atque exemplo perniciosum foret, credere soli libro rationum in favorem scribentis, l. *Exemplo.* et l. *Rationes.* c. *de Probat.* cum concordantiis : ac proinde requiruntur aliæ legitimæ probationes; puta, per testes, seu apochas rite subscriptas : vel saltem tales præsumptiones et adminicula, quibus sufficienter probetur veritas debiti, seu factarum expensarum in favorem scribentis librum rationum. Occasione cujus:

210. *Adminicula hujusmodi, quibus probari potest veritas libri rationum, sunt plura.* — Quæritur II. Quæ sint adminicula illa, quibus probari potest veritas libri rationum in favorem scribentis? Resp. Hujusmodi adminicula esse plura, quæ referuntur tum ab Aymon. Cravetta cit. tom. 17. *Tractatuum*, tract. *De antiquitat. temp.* § *Vidimus et abunde.* n. 20. ubi post. Guidonem papæ quæst. 441. et Boerium Decis. 105. n. 5. ponit sex talia adminicula : tum a Pace Jordano tom. III. tit. *de Fide instrument.* n. 108. et seqq. referente novem talia requisita : tum præsertim a Nicolao Genova (alias, Nicolao de Passeribus) cit. l. 4. *de Scriptura privata*, tit. *De libris mercatorum*, n. 48. et seqq. ubi refert quindecim adminicula, sive requisita, quibus concurrentibus, vel majori eorum parte, stante statuto vel consuetudine, potest libris mercatorum plena fides adhiberi; et quidem non solum in parvis, sed etiam in magnis summis, seu quantitatibus. Eorum præcipua sunt sequentia:

211. *Ut sit legalitas conscribentis librum rationis.* — I. Legalitas conscribentis librum rationum, v. g. mercatoris : nempe, ut sit homo legalis, fideque dignus, et pro tali communiter habitus. II. Ut liber ille rationum manu propria ipsius fuerit scriptus, l. *Generaliter.* c. *De non numerat. pecun.* quamvis alii sufficere velint, si liber penes ipsum existat, sicque de ejus consensu et voluntate conscriptus præsumatur, nisi contrarium probetur : quia ille videtur scribere, cujus nomine scribitur, l. *Vice donatricis.* c. *de Donationib.* et c. *Qui facit per alium.* 72. *de Reg. jur.* in 6; Farinacius lib. I. consil. 18. n. 16. Genova loc. cit. n. 52 et 54. allegans alios. III. Quod veritatem scribere consueverit, l. *Vel universorum.* ff. *de Pignorat. action.* Alioquin enim « semel malus, » seu falsus in scribendo, « semper præsumitur esse malus, » seu falsus, juxta reg. 8. jur. in 6. Verum istud adminiculum, commode reducitur ad primum.

212. *Quod hic solemniter sit factus in forma libri rationum, et contineat simul data et accepta.* — IV. Adminiculum, ac se tenens ex parte libri rationum est, quod hic solemniter sit factus in forma libri rationum, sicque contineat congruam præfationem, aut inscriptionem : secus, si solum foret simplex scriptura, seu quædam schedula, in qua annotatum reperitur aliquid sibi debitum : talis enim nihil probaret in favorem scribentis. Jason d. *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 120. ff. *de Jurejurand.* Mascardus cit concl. 977. n. 7. Sigism. Scaccia lib. II. *de Judiciis*, cap. II. n. 267. Genova d. lib. IV. tit. *de Libris mercat.* n. 96. et alii. Unde ulterius, et V. *Requiritur*, quod liber ille rationum aliquid contineat contra scribentem : alioquin enim non haberet debitam formam libri rationum, nisi contineret simul data et accepta, sicque aliquid contra scribentem, arg. l. *Quædam.* § *Nummularios.* ff. *de Edendo.* Mascardus cit. n. 7. Genova, ubi supra, n. 69. et alii.

213. *Quod in eo addatur causa, ex qua aliquid datum et expensum fuit, una cum anno, mense et die.* — VI. Requiritur quod in eo addatur causa, ex qua quid acceptum, et ex qua quid expensum fuit, arg. l. *Nuda ratio.* juncta Glossa fin. ff. *de Donation.* Bartolus l. *Instrumenta.* c. *de Probation.* Alexander consil. 179. n. 2. lib. VI. asserens quod liber rationum non probet in ea parte, in qua ratio in ea descripta caret causa, c. *Si cautio. de Fide instrument.* et l. *Cum de indebito.* § fin. ff. *de Probation.* Genova loc. cit. n. 60 et alii. VII. Debet in ipsomet libro rationum esse appositus annus, mensis et dies, prout fieri solet in diariis : quia sine certo die rationes redduntur obscuræ, incertæ, et multis fraudibus expositæ; eo quod falsitas, si quæ intervenisset, omisso certo die non facile deprehendi posset. Abbas cap. II, n. 12. h. t.

Alexander consil. 182, n. 6. lib. II; Cravetta, ubi supra § *Quarto limitatur*. n. 45; Scaccia cit. cap. II. n. 281; Genova loc. cit. n. 76 et alii.

214. *Quod ex verisimilibus conjecturis præsumi possit, verum esse illud, quod quis in libro rationum suarum annotavit. Idque exemplificatur.* — VIII. Requiritur, quod ex verisimilibus conjecturis præsumi possit, verum esse illud quod quis in libro rationum suarum annotavit; ut puta, si aliunde constet mercatorem tradidisse cuipiam merces: quia tunc quantitas, et pretium earum, satis probatur per ejusmodi librum rationum, huicque statur, nisi aliunde contrarium probetur, cum jam constet de substantia debiti. Cravetta, ubi supra, § *Vidimus et abunde*. n. 9. et seqq.; Genova n. 82; Mascardus d. concl. 977, n. 33. allegans alios. Idem dicendum, quando tutor, curator, vel rerum alienarum administrator, in libro rationum scribit expensas alimentorum pupilli, familiæ, aut alicujus fabricæ peractæ: quia enim talia sine expensis fieri non possunt; hinc considerata qualitate personarum temporis, loci, aliarumque circumstantiarum, et quantitate expensarum verisimilium, stabitur libro rationum pro scribente, saltem prævio juramento ejus, quod ipsum tamen multum arbitrio judicis relinquitur. Jason loc. cit. n. 125. citans alios, ac pro se allegans l. *Lex quæ tutores*. c. *de Administrat. tutor*. et Anth. *de Hæredit.* et *Falcid.* § *Si vero absunt*. collat. 1; Cravetta cit. § *Vidimus et abunde*. n. 9; Mascardus d. concl. 977. n. 82. et 95. cum aliis.

215. *Quod liber rationum sit candidus, seu carens cancellationibus, et superinductionibus.* — IX. Quod liber rationum non existat mendosus, sed sit candidus, sive carens cancellationibus, et superinductionibus: alioquin enim redderetur suspectus, dum quod prior scriptura affirmaverat, cancellatio seu superinductio postea negaret, seu immutaret. Farinacius lib. I, consil. 18, n. 4. asserens, quod cancellatio, si fiat non probato errore, et sine prævio consensu eorum quorum interest, a jure sit improbata: arguatque falsitatem, cum prima confessio in scriptis facta, aliter revocari non possit. Decius consil. 447, Menochius lib. I. consil. 23, n. 16 et 17, ubi addit, quod falsi suspicio in una substantiali parte libri, totum vitiet, arg. l. *Si ex falsi*. c. *de Transact.* et l. *Si aliquid*. c. *de Susceptorib.* lib. X. Genova loc. cit. n. 84 et 86.

216. *Adminiculum ejusmodi est etiam juramentum illius qui librum rationum composuit, quod contenta in eo sint vera.* — X. Adminiculum, quod probari potest veritas libri rationum, in favorem scribentis, est juramentum mercatoris, vel alterius qui librum rationum conscripsit, quod contenta in eo sint vera. Cravetta loc. cit. *Quarto limitatur*. n. 47. Alexander consil. 71, n. 9, lib. III, post Bartolum in l. *Theopompus*. ff. *de Dote prælegat*. per illum textum Anton. de Butrio c. *Veniens*. il. 1. *de Testib.;* Genova, ubi supra, n. 89; Menochius consil. 23. n. 14. allegans alios.

217. *Quod juramentum præstatur, quando scribens a principio sui officii non deposuit juramentum.* — Quod intellige, quando scribens librum rationum non deposuit juramentum a principio sui officii. Quia tunc tenetur postea jurare, vera esse quæ continentur in libro: alias secus, nisi ex nova causa emergente, arg. *Hoc sacramentum*. c. *de Jurejurand. propt. calumn.;* Genova loc. cit. n. 91; Scaccia lib. II. *de Judiciis*, cap. LXI, n. 286 et 287. citans alios.

218. *In defunctis, qui olim scripserunt librum rationis, supplet mors efficaciam juramenti. Tantum importat mors, quantum juramentum.* — Insuper notandum, quod istud juramentum duntaxat locum habeat in illis libris rationum, quos a se conscriptos edunt, sive exhibent adhuc viventes. Siquidem loquendo de libris rationum, quos, interim defuncti olim conscripserant, supplebit mors efficaciam juramenti. quia si ille, qui scripsit librum, mortuus est, tantum facit mors, quantum juramentum; ac proinde, ut liber rationum cum juramento fidem faceret pro scribente, propter hujus mortem faciet fidem pro hærede absque alio juramento: quia nempe tantum importat mors, quantum juramentum. Ita Paulus de Castro, consil. 301. incip. *Ad bene examinandum*. dub. 5, lib. I, quem citat, et sequitur Cravetta *de Tract. de antiquit. tempor.* § *Quarto limitatur*. n. 48. post Decium l. 1. in 2. *notab.* ff. *de Edend.* cum aliis; Jason *de Repet.* l. *Admonendi*. n. 128. ff. *de Jurejurand.* et alii.

219. *Ut liber rationum probet pro scribente, requiritur, ut is ad petitionis partis exhibeatur.* — XI. Adminiculum, seu requisitum ad hoc, ut liber rationum pro scribente probet, est, quod liber ille ad petitionem partis exhibeatur ad effectum, ut contra eum opponere possit. Menochius consil. 23. n. 17; Genova

loc. cit. n. 92; Pax Jordanus cit. part. III. tit. *de Fide instrument.* n. 118; Farinacius lib. I. consil. 18. n. 18. et alii. Nam generale est in omnibus administratoribus, quod in redditione rationum teneantur exhibere omnes libros administrationis, l. *Cum servus.* ff. *de Condition. et demonstrat.* et l. *Si statu libera.* § fin. *de Statu liber.*

220. *Et quod in eo solum sint descriptæ res pertinentes ad officium de quo tractatur; non vero aliæ. Item ut liber rationum sit compaginatus, non autem in foliis volitantibus.* — XII. Quod in illo rationum sint solum descriptæ partitæ, sive res pertinentes ad mercaturam, seu officium illud, de quo tractatur, non autem aliæ: quia pro his nulla exinde oriretur probatio. Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 91, n. 22; Mascardus *de Probat.* concl. 977, n. 94; Genova loc. cit., n. 30 et 74, et alii. Item, quod ipsemet liber rationum sit compaginatus, seu juxta consuetudinem loci bene consuetus et compositus, non autem in foliis volitantibus. Baldus consil. 152. lib. III. Farinacius lib. I. *Fragment. Criminal.* v. Administrator, n. 50; Pax Jordanus, loc. cit., n. 115; Genova n. 97 et seqq. et alii.

221. *Per sculpturas, vel litteras antiquas marmoribus incisas, possunt probari facta antiqua.*—Quæritur III. Quid probent sculpturæ, vel litteræ antiquæ lapidibus incisæ? Resp. I. Facta antiqua possunt probari per sculpturas, vel litteras antiquas marmoribus incisas. Ita Glossa can. *Sane profertur.* 24. q. 2. asserens, quod si in aliquo lapide, vel columna inveniatur scriptura, fides ei sit adhibenda. Idem tradit. alia Glossa c. *Cum causam.* v. *Per libros antiquos.* et Abbas ibid. n. 1. Barbosa in *Collectan.* n. 5. *de Probat.* Mascardus concl. 105. n. 10. et alii ab his copiose allegati. Ratio est, quia facta antiqua sunt difficilis probationis; unde in ipsis leviores probationes admittuntur. d. c. *Cum causam.* 13. *de Probat.* estque uberius dictum supra tit. XIX. *de Probationibus.* § 3. n. 66. Accedit, quod sculpturæ, seu litteræ marmoribus incisæ, fiant cum majori deliberatione; et cum publice soleant videri ac legi, ab antiquo non tolerarentur, nisi forent veritati consentaneæ.

222. *Et quidem plene, quando de nullius præjudicio agitur.* — Atque hæc conclusio vel maxime procedit, quando agitur de nullius præjudicio: quia tunc litteris sculptis in marmoribus, de antiquo est danda plena fides. Abbas cit. n. 1. vers. *Dic ergo.* et Additio ibid. allegans Baldum consil. 345. incip. *An patronatus.* Sic accidit, quando dubitatur, an Ecclesia sit consecrata, atque extant sculpturæ lapidibus incisæ de consecratione ipsius attestantes: ac hujusmodi.

223. *Probatio ducta ab armis sculptis vel depictis in monumentis, capellis, etc., attenditur.* — Similiter probatio ducta ab armis sculptis, vel affixis, aut depictis in monumentis, domibus, seu capellis, attenditur, juxta Baldum, consil. 310. lib. V. quem sequitur Barbosa loc. cit., n. 6, allegans Rotam. in *Comen.* habitus. junii 1610. coram Pirovano. et in Toletana habitus. 14. martii 1625. coram Merlino.

224. *Item, si factum est antiquissimum, et agitur de modico præjudicio.* — Procedit insuper data conclusio, si factum est antiquissimum, et agitur de modico præjudicio. Abbas loc. cit. istud probans per textum in cit. c. *Cum causam.* 13. *de Probat.* ubi confines probantur per libros antiquos indistincte: quia, cum agatur (inquit) de modico præjudicio, nec interveniat interesse bursale, non est verisimile quod quis scripserit falsum, aut ejusmodi scriptura, seu sculptura, tanto tempore fuisset tolerata, si non continuisset veritatem.

225. *Lapides, seu columnæ terminorum, probant confinia.* — Hinc lapides, seu columnæ terminorum probant confinia. Menochius consil. 21, n. 40; Card. Tuschus lit. c. consil. 700. n. 3; Mascardus *de Prob.* concl. 400, n. 1, id probans ex l. I. § *Qui in rationibus.* ff. *de leg. Cornel. de Falsis.* Barbosa ubi supra, n. 6. et alii ab his allegati. Qui tamen istud intelligunt, dummodo lapides pro confinibus positi, sint immobiles, et terræ inhærentes instar terminorum; vel saltem habeant alios lapillos terræ adhærentes, qui vocantur *Indices.* Mascardus loc. cit. n. 4. cum aliis.

226. *Inscriptio in antiquis probat jus patronatus.* — Insuper inscriptio in antiquis probat jus patronatus. Bartolus l. *Monumentorum.* c. *de Religios. domib.*; Barbosa loc. cit., n. 7, allegans Rotam in Mutien. Plebis, seu jurispatronatus. 21. februarii, 1655. coram Coccino, et alios.

227. *Ubi agitur de magno præjudicio, tunc sculpturæ, seu litteræ antiquæ marmoribus incisæ, solum probant semeplene, nisi aliis adminiculis adjuventur.* Resp. II. Loquendo tamen de causis, in quibus agitur de magno præju-

dicio, tunc sculpturæ seu litteræ antiquæ marmoribus incisæ, solum probant semiplene, non autem plene; nisi aliis quoque adminiculis adjuventur, aut ab antiquo eisdem fuerit fides adhibita. Ita Abbas cit. c. *Cum causam.* n. 1. *de Probat.;* Mascardus d. concl. 105. n. 6; Cravetta cit. tract. *de Antiquit. temp.* § *Viso de verbis*, n. 1, allegans alios. Idque partim desumitur ex d. c. *Cum causam.* 13. *de Probat.* Partim suadetur ex eo, quia ejusmodi sculpturæ antiquæ, sunt solum scripturæ privatæ; atqui hæ in antiquis tantum semiplene probant, nisi aliis adminiculis adjuventur, aut ab antiquo eis fides adhiberi consueverit. Accedit, quod causæ civiles arduæ, seu magni præjudicii æquiparentur causis criminalibus, prout dictum est supra tit. XX. *de Testibus.* § 3. n. 81. Atqui in causis criminalibus requiruntur probationes apertissimæ, l. *Sciant cuncti.* c. *de Probat.* seu testes absque ulla infamia, vel suspicione, cap. *de Exception.;* ergo.

228. *Quænam adminicula, indicia et præsumptiones tunc sufficiant ad plenam probationem, judicis arbitrio relinquitur.* — Porro, quænam indicia, præsumptiones et adminicula sufficiant ad faciendam per antiquas scripturas, sive sculpturas plenam probationem, judicis arbitrio standum est, prout recte observat Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 115, n. 9; et Mascardus *de Probat.* concl. 1230, n. 5 et 7. et concordant dicta superius tit. XIX. *De Probationibus.* § 3, n. 60. ubi generaliter asseritur quod. quænam probatio hic et nunc sit plena, et concludens, judicis arbitrio relinquatur.

§ VIII.

DE PRODUCTIONE, ATQUE EDITIONE INSTRUMENTORUM.

229. *Productio instrumentorum, quid? Et quando fieri possit?* — Quæritur I. Quid sit productio, atque editio instrumentorum? Resp. I. « Productio instrumentorum » idem est ac exhibitio instrumentorum in judicio facta ad probandam suam intentionem. Atque hæc regulariter debet fieri primum post litem contestatam: potest autem fieri usque ad conclusionem in causa, etiam post publicationem attestationum, c. *Cum dilectus* 9, h. t. Verum de his jam dictum est supra tit XIX. *De probationibus.* § 6. quærendo de tempore quo faciendæ sunt probationes: præsertim n. 142. et seqq. et n. 149. 152. ac seqq. ubi etiam nonnullas limitationes, quæ quoad utramque partem reperiuntur, videre licet.

230. *Quid agendum, si instrumentum arguatur falsitatis?* — Quod si vero instrumentum aliquod, puta privilegium, a parte adversa redarguatur falsitatis; tunc illud pro inspectione faciat judex exhiberi parti adversæ in loco securo, atque congruo, et coram testibus paucis, seu duodecim hominum numerum non excedentibus. Ita habetur c. *Accepimus.* 4. h. t. juncto c. *Inter dilectos.* 6. § *Sed. contra.* eod. ubi ex tali inspectione plures defectus in instrumento leguntur reperti.

231. *Testamenta, a quo, quibusque præsentibus sint aperienda?* — Porro, quemadmodum testamenta aperiantur, inspiciantur et describantur, extat integer titulus lib. VIII. ff. *Quemadmodum testamenta aperiantur.* Solum breviter dicendum, quod apertio tabularum testamenti non quovis modo sit facienda, sed per legitimum judicem, ut fides earum confirmetur, si forsan nonnulli contra legitimos hæredes controversiam imposterum essent moturi. Competens autem judex ille est magistratus, qui tabulas aperiat secundum consuetudinem loci, citatis illis quorum interesse potest, necnon et testibus, ut sua sigilla recognoscant. Si tamen testes abfuerint, non coguntur comparere; sed orto dubio, mitti debent ad ipsos tabulæ testamenti, ut recognoscant, l. *Sed si quis.* ff. *Quemadmodum testament. aper.* Sufficit autem ad aperturam testamenti, si major pars testium signatorum adfuerit l. *Sed si major.* ff. eod. Quinimo etiam nullo eorum præsente, si urgeat necessitas, intervenientibus aliis optimæ opinionis viris poterit testamentum aperiri, et recitari, cit. l. *Sed si quis.* atque amplius declarat Zœsius eod. tit. *Quemadmodum testament.* aper. ff. n. 2. et seqq. Verum de testamentis alibi.

232. *Editio instrumentorum, quid? Edere, quid?* — Resp. II. « Editio instrumentorum » aliud non est quam exhibitio, seu communicatio instrumentorum, facta coram judice parti adversæ. Ita Ant. Nebrissensis in *Vocabulario juris.* v. *Editio instrumentorum*, citans Hostiensem in *Summar.* h. t. § *An instrumentum*, etc. estque in re communis. Nam, ut l. I. § 1. ff. *de Edendo*, dicitur: « Edere, est copiam describendi facere. » Sive « Edere est vel dictare, vel tradere libellum vel co-

dicem proferre; » ut loquitur textus in l. *Si quis ex agentariis.* § *Si initium.* ff. eod. Generatim enim loquendo, et quantum ad propositum, « Edere, idem est, ac extra dare. » Quapropter et partus edi dicitur, cum nascitur, l. *Aretusa.* ff. *de Statu homin.* Et rationes eduntur, cum exhibentur, atque copia describendi fit, l. *Si quis.* § *Edere.* ff *de Edendo.* Nebrissensis loc. cit. v. *Edere.*

233. *Rubrica*, de Edendo, *cur in jure civili sic inscribatur?* — Extat autem in jure civili integer titulus, tum in codice, tum digestis contentus, sub rubrica « de Edendo. » Et dicitur, « de Edendo, » per gerundium, non autem per ablativum « de Editione, » ad instar tituli, *de Pactis:* sive, ut ostendatur, quamdam necessitatem imponi edendi (hoc est exibendi instrumenta, vel rationes, aut demonstrandi actionem, qua quis acturus est) ut vult Glossa ad rubric. ff. *de Edendo:* sive quia jurisconsultus intendit ibi tractare de editione, prout est in fieri; et sic posuit per gerundium, quod significat actum; uti notat Glossa marginalis et Bartolus ibid. Tractat autem jus civile de triplici editione, nempe actionum, instrumentorum, et rationum: sed quia spectato jure canonico non est necesse, edere nomen actionis, quam quis intentare cogitat, c. *Dilecti.* 6. *de Judiciis*, estque jam dictum supra tit. III. *De libelli oblatione.* § 1. n. 20 et 21. Hinc in progressu de sola editione instrumentorum sermo erit: quamquam ea quæ de instrumentis dicentur, servata proportione facile, editioni rationum accommodari possint. Unde:

234. *Instrumenta, quibus aliquis in judicio est usurus, sunt edenda.* — Quæritur II. An, et quomodo instrumenta, quibus aliquis in judicio est usurus, sint edenda? Resp. I. Certum est, si pars litigans, sive actor agendo, sive reus excipiendo, se suamque causam fundet super aliquo privilegio, vel instrumento, ac proinde eodem in judicio usurus sit, quod tentatur illud in judicio edere, seu judici inspiciendum præbere; et quidem in originali, ac citata parte adversa. Patet istud ex c. *Contingit.* 5. h. t. et l. ult. c. *de Edendo.* et l. I. § fin. ff. eod. estque communis.

235. *Et quidem in originali.* — Additur notanter, « et quidem in originali. » Nam exemplaribus non credetur, juxta textum cap. I. h. t. ibi: « Si Scripturam authenticam non videmus, ad exemplaria nihil facere possumus. » Quod intellige, nisi exemplaria fuissent exemplata auctoritate judicis, ac servatis cæteris conditionibus de jure ad id requisitis, juxta dictum superius § 2. n. 59. et seqq.

236. *Originale tamen non tenetur quis relinquere apud acta.* —Notat tamen Abbas in cit. c. *Contingit.* n. 2. h. t. quod utens privilegio, vel instrumento in judicio, non teneatur originale judicio relinquere apud acta; ne eodem imposterum carere cogatur, aut ipsum penitus amittatur: sed satis sit præsentare in judicio, præsente parte, ad fidem ei faciendam, et copiam illius capituli, de quo est quæstio, transcriptam tradere.

237. *Instrumenta regulariter debent edi citata, et præsente parte adversa. Subinde tamen non requiritur citatio partis adversæ.* — Deinde, quamvis regulariter instrumenta debeant edi citata parte adversa, eaque præsente legi, *Contingit.* 5. h. t. sicut et testes ea citata, et si voluerit, præsente producendi sunt, cap. II. *de Testib.* Recte tamen Vallensis h. t., § 3, n. 4, cum aliis advertit, subinde non requiri citationem partis adversæ; veluti, quando instrumentum producitur ad solam instructionem judicis, et in aliis hujusmodi casibus: prout in simili de productione testium jam dictum est supra tit. 20. *de Testibus.* § 13. n. 418. 422. et seqq.

438. *Instrumentum quo quis usurus est in judicio, totum debet legi audiente judice, et parte adversa; si tamen super unico tantum capitulo moveatur quæstio, sufficit istud edere, seu parti ad describendum dare.* — Resp. III. Instrumentum, vel privilegium, quo quis usurus est in judicio, totum quidem præsente judice, et audiente parte adversa legi, seu integraliter recitari debet: si tamen super uno tantum capitulo quæstio mota fuerit, non cogitur quis parti adversæ edere, seu describendum dare totum instrumentum, sed solummodo illud capitulum, de quo agitur. Ita communis: et habetur expresse decisum c. *Contingit.* 5. h. t. ubi pontifex desuper consultus, ita loquitur: « Respondemus, ut quandocumque super exhibendo privilegio, vel indulgentia, seu instrumento fueritis requisiti, præsente judice, aut aliquibus prudentibus viris deputatis ab ipso, audiente parte contraria tantummodo recitetur: ita quod si super uno tantum capitulo quæstio, fuerit, illud solummodo rescribatur, et adversæ parti copia ejus fiat. » Hæc ibi: Concordat c. *Cum personas.* § *Nos volentes de Privileg.* 6.

239. *Ratio prioris partis, quæ?* — Id

ipsum suadet ratio, et naturalis æquitas. Nam ex una parte, quia nonnunquam præcedentia vel subsequentia solent arctare, vel declarare articulum, de quo controvertitur : hinc ut judex merita causæ, valoremque et vim instrumenti plene intelligat, totum instrumentum eidem exhibendum est; atque, ut pars etiam adversa sufficientem ejus notitiam habere queat, integraliter erit prælegendum. Nam, ut in simili l. *Incivile.* ff. *de Legib.* dicitur : « Incivile est, nisi tota lege perspecta, unica aliqua particula ejus proposita judicare, vel respondere. »

240. *Ratio posterioris partis quæ?* — Ex altera vero parte, ne litigia nova suscitarentur, si totum instrumentum, sive copia ejus, parti adversæ ederetur : hinc provide decretum fuit, ut totum quidem instrumentum prælegeretur parti adversæ ad habendam sufficientem totius instrumenti notitiam; non tamen totum eidem ederetur, sed duntaxat pars illa, sive capitulum, super quo quæstio movetur. Quia non tam facile ex simplici lectura oritur nova materia litigandi, sicut ex integro transumpto instrumenti : si enim istud continuo remaneret penes adversarium, diebus ac noctibus per ejus advocatos legeretur, discuteretur, et quoad alia capitula impugnari tentaretur, plurimis exinde novis litibus fulcitatis. Et ita teste experientia olim factum esse refertur cit. c. *Contingit.* 5. h. t. unde Pontifex eo intellecto, atque ad præcludendum viam plurimis litigiis cæteroquin suscitandis, decrevit, ut supra.

241. *Instrumentorum editiones debent fieri sine die : secus in editione rationum.* — Atque hæc ratio tam fortis est, ut jure civili caveatur quod ejusmodi instrumentorum editiones « sine die, et consule, fieri debent : ne quid fraudis excogitetur edito die, et consule; » prout loquitur textus l. I. § *Editiones.* ff. *de Edendo.* Quamquam illico ibidem istud limitetur in libris rationum, illis verbis : « Rationes tamen cum die et consule edi debent : quoniam accepta et data non aliter possunt apparere, nisi dies et consul fuerit editus. » Atque ex his patet disparitas inter libros rationum, et alia instrumenta.

242. *Reus instrumenta, quibus non est usurus, regulariter non tenetur edere actori ad fundandam hujus intentionem ; et cur?* — Quæritur III. An reus sua instrumenta, quibus in judicio non est usurus, teneatur edere actori ad fundandam ejus intentionem? Resp. Regulariter non teneri edere ; prout clare habetur cap. *I. de Probat.* et l. *Qui accusare.* c. *de Edendo.* Ratio est, quia qui cogitat agere in judicio, debet ipsemet paratus venire, atque probationes seu instrumenta, quibus suam intentionem fundare intendit, in promptu habere, l. *Pure.* § fin. ff. *de Doli mali exception.* juncto *Summario*, et doctoribus ibid. Neque enim juris, aut æquitatis ratio permittit ut quis invitus arma quibus impugnetur, adversario suo tradere, eumque contra se adjuvare cogatur, l. *Nimis grave.* c. *de Testibus.* Accedit quod actore non probante, reus sit absolvendus, c. *Cum Ecclesia.* § fin. *de Causa possess.* ibi : « Actore non probante, qui convenitur, et si nihil præstiterit, obtinebit, » cum concordantiis.

243. *Quamvis teneatur respondere ad positiones actoris : et quæ disparitas?* — Nec obstat quod actor faciendo positiones (ad quas reus respondere tenetur, nisi velit pro confesso haberi, cap. ult. *de Confessis.* in-6.) per responsionem, et confessionem rei, possit fundare suam intentionem; et sic quodammodo arma de domo adversarii petere. Resp. enim cum Jo. Andrea cap. I. n. 2. *de Confessis*, in 6. et Abbas cap. *Ex epistolæ* n. 17. *de Probat.* negando paritatem inter instrumenta, et confessionem rei : nam respectu confessionis alterius partis non potest actor venire paratus, cum non sit in sua potestate, quid reus fateatur. Secus dicendum respectu instrumenti, cum potuerit a principio actor sibi præcavere; et si hoc non fecit, sibi imputet : nam jura vigilantibus subveniunt, non negligentibus.

244. *Actor tamen tenetur edere reo instrumenta ad fundandam hujus exceptionem; et cur? Reus excipiendo fit actor, et quomodo?* — Neque ulterius obstat, quod actor teneatur reo edere instrumenta ad fundandam, sive probandam suam exceptionem, text. clar. l. *Non est novum.* et l. ult. c. *de Edendo;* cum tamen reus excipiendo fiat actor, l. 1. ff. *de Exception.* Resp. enim disparitatem esse, quia licet reus excipiendo fiat actor, tamen ipse est actor necessarius, et quasi invitus; cum non sit in ejus potestate an et quando conveniatur. Secus dicendum de actore : nam in potestate actoris est an et quando convenire velit reum; seque aut præmunire sufficientibus probationibus, aut actionem non inchoare. Et hinc non immerito, « Favorabiliores rei potius, quam actores habentur, » juxta textum vulgatum in l. *Favorabiliores.* ff. *de Reg. jur.* cum similibus.

245. *Instrumenta communia tenetur reus edere actori petenti, et si judex ea non faciat edi, licite appellatur; quod commune est, meum est.* — Quæritur IV. An reus instrumenta communia teneatur actori edere; et quæ censeantur communia? Resp. I. Si instrumenta non sunt propria ipsius rei, sed communia, tenetur ea reus edere actori petenti : et si judex parti petenti non faciat edi instrumenta communia, licite ab ipso appellatur; quidquid post appellationem attentatum fuerit, non valet. Ita textus expressus in c. G. *perpetuus*. 12. h. t. ubi Glossa vers. *Communium*. Abbas in *Summario*. Barbosa n. 1. et reliqui canonistæ. Accedit ratio, quia instrumenta communia, sunt quodammodo propria utrique parti : nam quod commune est, meum est, l. *Servi electione*. juncta Glossa vers. *Communis*. ff. *de Legat*. I. saltem quantum ad dispositionem meæ partis, ut explicat Bartolus in *Summario* ibid. Ergo talia communia instrumenta a qualibet parte juste petuntur; et si judex eadem parti petenti negaverit, ipsam gravat injuste, sicque locus est appellationi.

246 et 247. *Instrumenta pluribus modis dicuntur communia : videlicet, ratione proprietatis, ratione materiæ; quæ etiam debent edi.* — Resp. II. Instrumenta pluribus modis dicuntur communia; videlicet, ratione proprietatis, ratione materiæ, et ex natura negotii. Ita Abbas cap. I, n. 6. et 7. *de Probation*. Engel h. t. n. 38. et alii. « Instrumenta communia ratione proprietatis » censentur ea quæ communibus sumptibus confecta sunt, aut utrique parti legata, donata, vel alio consimili modo acquisita; sicque utrique parti quoad proprietatem communia existunt.

« Instrumenta communia ratione materiæ » censentur, quæ sunt communia ob materiam, quam continent : uti sunt testamenta inter hæredes et legatarios. Item instrumenta, seu rationes tutorum, curatorum, procuratorum, utpote quæ fiunt pro cautione plurium, sicque edi debent, l. *Quædam*. § 1. ff. *de Edendo*. Item instrumenta inter ipsos contrahentes super contractibus confecta : nam hæc, si sint in originali, ac penes partem adversam, debent edi, cit. c. *P. perpetuus*. h. t. Secus, si sunt exemplata sumptibus solius partis alterius : nam tunc ratione proprietatis sunt propria ipsius, ac proinde regulariter edi non tenentur.

248. *Solvitur instantia ex cap.* I, *h. t.* — Nec obstat quod Papa cap. I. *de Probation*. negaverit, quod imperator teneatur ad editionem quorumdam pactorum, olim inter Justinianum et prædecessores Tancredi regis emissorum, quæ tamen pacta videntur fuisse communia utrique parti, ratione materiæ. Resp. enim cum Glossa, et doctoribus ibid. dictum pactorum instrumentum fuisse proprium Imperatoris : quia enim fuerat exemplatum, et in chartophylacium repositum sumptibus Justiniani, factum est proprium ipsius, sive suum jure proprietatis, ita ut commune alteri amplius censeri non debuerit : non obstante, quod alterius quoque utilitatem respiceret, quia is sua culpa illud suum quoque facere neglexit. Wagnerek ad cit. cap. I. *de Probat*. Pirhing eod. n. 24.

249. *Instrumenta communia ex natura negotii; quæ?* — « Instrumenta communia ex natura negotii » dicuntur, quæ sunt gesta ab exercente aliquod officium publicum, et tenente librum, in quo scribebat omnia negotia officii : et talia debent edi. Sic judex omnia acta judicii cuilibet interesse habenti debet exhibere ad investigandam veritatis fidem, c. *Quoniam contra*. 11. *de Probation*. et l. 2. c. *de Edendo*. Similiter notarius publicus debet exhibere partibus contrahentibus protocollum; etsi notarius requisitus nolit exhibere protocollum, instante alterutra parte, mandatis pœnalibus ad id compelli potest, l. *Argentarius*. ff. *de Edend*. et Jason ibid. n. 1. et Gailus lib. I. *Practic*. observat. 106. n. 6. Insuper libri mercatorum, in quos ipsi, veluti ex publico et ratione sui officii, data et accepta referre solent, sunt edendi petentibus, ut v. g. videre possint quanti valuerit pannus ad vestem Titio conficiendam apud talem mercatorem emptus, l. *Quædam*. § *Nummularios*. et l. seqq. *de Edend*.

250. *Regula illa*, Reus non tenetur actori sua propria instrumenta edere, *plures patitur limitationes*. — Quæritur V. Utrum, et in quibus casibus regula illa, « Reus non tenetur actori sua propria instrumenta edere, » quasdam patiatur limitationes? Resp. Regulam hanc plures pati limitationes : et quidem præter instrumenta communia, de quidus jam dictum.

251. *Reus tenetur edere sua instrumenta fisci, agenti contra illum.* — Fallit *primo* data regula respectu fisci. Nam reus cogitur edere sua instrumenta fisco agenti contra illum, ad fundandam etiam fisci intentionem : idque ex speciali privilegio concessum fuit fisco, l. II.

ff. *de Jure fisci*. Dummodo hinc excipiantur causæ criminales, præsertim capitales, ut bene ibidem subjungitur.

252. *Privilegium istud extenditur ad ecclesias, hospitalia, aliaque loca pia : item ad causam matrimonialem, causam dotium, alimentorum, legatorum priorum, etc.* — Et hoc fisco concessum extenditur etiam ad ecclesias, hospitalia, atque alia loca pia : quia fiscus, et Ecclesia, in materia favorabili æquiparantur, cum utrobique versetur publica utilitas. Idem quoque communiter a doctoribus extenditur ad causam matrimonialem, utpote ubi multa sunt specialia, cum in ea vertatur periculum animarum. Id ipsum admittunt doctores in causa dotium, alimentorum, legatorum piorum, et in aliis causis favorabilibus; saltem ubi non adest alia copia probandi, nisi per instrumenta a reo exhibita. Speculator tit. *de Instrumentorum editione*. § *Videndum restat*. n. 17. asserens quod magna causa debeat judicem movere ad cogendum aliquem instrumenta sua adversario exhibere, arg. l. *In hac actione*. *Interdum æquitas*. ff. *Ad exhibendum*, cum similibus : ubi Joan. Andreas in *Additione*. vers. « Satis est, » istud exemplificat in causa matrimoniali : « Si enim (inquit) favore fisci cogatur quis edere instrumenta, fortius hoc fieri debet favore matrimonii, in quo multa sunt favorabilia. et subest periculum animarum. » Concordat Abbas cap. I. n. 19. et 20 *de Probation*. præmissa intelligens, quando non adest alia copia probandi : alioquin enim non subesset bona causa violandi regulas juris. Felinus eod. cap. I. n. 10, et seqq. *de Probat.*; Pirhing *de Probat*. n. 26. et alii.

253. *Usurarii, quando conveniuntur ad restituendas usuras, coguntur edere libros rationum suarum.* — Deinde usurarii, quando conveniuntur ad restituendas usuras, coguntur edere instrumenta, libros rationum suarum, et quidem sub censuris ecclesiasticis, Clem. un. § *Cæterum. de Usuris*. Idque merito statutum fuit, tum in odium usurariæ pravitatis : tum ut hac ratione fœneratores convinci possint de usuraria pravitate sua; prout loquitur textus ibidem.

254. *Quando actor habet intentionem suam in jure fundatam, tenetur reus conventus edere privilegium in oppositum.* — Fallit ulterius dicta regula, quando actor habet intentionem suam in jure fundatam : quia tunc tenetur reus conventus edere instrumentum, vel privilegium in oppositum. Sic quando ordinarii locorum citant personas quæ se dicunt ab eorum jurisdictione exemptas, tenentur hæ exhibere suum privilegium, c. *Cum personas*, *de Privileg*. in 6. et l. *Si quis ex aliena*. ff. *de Judiciis*.

255. *Idemque dicendum, quando actor petit instrumentum ad intentionem suam jam fundatam coadjuvandam : idque exemplificatur.* — Insuper ea fallit, quando actor petit instrumentum ad intentionem suam jam fundatam coadjuvandam : quia tunc tenetur id reus edere. Sic quando actor fundavit intentionem suam, seu plene probavit agrum talem a reo sibi fuisse venditum, nunc vero remanet quæstio, quantum ager ille extendatur, tenetur reus ad hoc ostendendum edere sua instrumenta : quia non petuntur principaliter ad impugnandum reum, sed solum ad coadjuvandum intentionem actoris jam fundatam. Abbas loc. cit. n. 15, post Bartolum l. I. c. *de Edendo.*; Pirhing, ubi supra, n. 25, citans Baldum in l. ult. c. *de Edend.* qui istud exemplificat in colono censuali, vel vassallo : talis enim tenetur edere sua instrumenta ad dignoscendum modum suæ obligationis, et qui sint limites fundi censualis, seu feudalis. Tacentur nonnullæ aliæ fallentiæ, apud memoratos auctores videndæ; nam præmissæ sunt principaliores. (ADNOTATIO VII.)

§ IX.

DE IMPUGNATIONE INSTRUMENTORUM, PRÆSERTIM OB DEFECTUM NOTARII.

256. *Instrumenta generatim possunt impugnari juxta omnia quatuor causarum genera.* — Quæritur I. Quibus modis generatim instrumenta impugnari, et reprobari possint? Resp. I. Instrumenta, generatim loquendo, possunt impugnari juxta omnia quatuor causarum genera. Ex parte quidem causæ efficientis, quando est factum ab eo, qui non erat habilis : ut puta, quia non erat notarius publicus, vel fuerat excommunicatus, etc. Ex parte causæ materialis, opponendo videlicet quod sit factum super re illicita, vel a jure non permissa. Ex parte causæ formalis, quando non sunt observatæ solemnitates a jure requisitæ : v. g. si fuerit omissa indictio, annus, testes, subscriptio, vel quid aliud ad ejus substantiam requisitum, de quibus supra § 1. n. 17. et seqq. Ex parte causæ finalis, si opinatur instrumentum, vel privilegium esse ob, vel subreptitie obtentum, narrando falsa,

vel tacendo vera de jure exprimenda; de quorum postremo jam ex professo dictum est lib. I. tit. III.ᵒ *de Rescriptis*. § 7. et seqq. ubi etiam plura habentur « de erroribus et rasura rescriptorum, » quæ servata proportione huc applicari poterunt.

257. *Impugnaturus instrumentum, ante omnia diligenter, perlegat totum ejus tenorem.* — Resp. II. Impugnaturus quodpiam instrumentum, vel quamcumque scripturam, ante omnia diligenter videat, et perlegat totum ejus tenorem : alias enim nec redargui possunt, nec valet resciri quid redargui in eisdem debeat. Textus est in c. *Accepimus*. 4. h. t. ibi : « Cum privilegia non inspecta non valeant argui falsitatis : » junctis concordantiis per Glossam ibid. vers. « Non valeant, » allegatis.

258. *Beneque perpendat, quis, v. g. contraxit, etc., rite ponderando omnes circumstantias.* — Resp. III. Perlegens instrumentum, bene perpendat, quis v. g. contraxerit, vel stipulatus sit; quid, et cui, et quantum, et an sit talis, qui hoc potuerit; atque omnes alias hujusmodi conditiones, seu circumstantias rite ponderet; Speculator tit. *de Instrumentorum editione* § *Instrumentum ergo publicum*. n. 1. et alii. De quibus tamen, cum in propriis locis agi consueverit, atque hactenus plura jam dicta fuerint, eisdem pro nunc suppositis, specialiores quædam quæstiones circa causam efficientem instrumentorum, seu circa personam notarii, impræsentiarum occurunt resolvendæ. Unde :

259. *Instrumentum a notario confectum an valeat extra territorium ejus, a quo constitutus fuit?* — Quæritur II. Utrum instrumentum publicum confectum a notario valeat extra territorium ejus, a quo constitutus fuit? Ubi præsupponendum conformiter dictis, § 1. n. 27. quod inter alia ad validitatem publici instrumenti requiratur ut notarius illud conficiens, legitime sit creatus; id est, ab habente potestatem constitutus fuerit publicus notarius.

260. *Notarius conficiens instrumentum publicum debet legitime esse creatus.* — Porro hujusmodi potestatem creandi publicos notarios, cumprimis habet Papa, imperator, rex, et alius princeps superiorem non recognoscens, sicut et civitates exercentes jura principis. Abbas c. *Cum P.* n. 7 et 8. h. t. asserens, de hoc non esse dubium. Speculator tit. *de Instrumentorum editione*. § *Restat videre*. n. 22. id probans ex cit. c. *Cum P.* h. t. et c. *Per venerabilem*. « Qui filii sint legitim. » Deinde dicta potestas competit illis, quibus a supremo principe concessum est speciale privilegium creandi notarios : vel qui per immemorialem consuetudinem tale jus legitime præscripserunt, arg. l. ult. c. *de Emancipat.* et c. *Cum dilectus*. 9. h. t. et c. *Accedentibus*. 12. § fin. *de Excessib. prælat.* ac notat Speculator, et Abbas ubi supra; Pirhing h. t. n. 8, citans alios. Quin etiam episcopi possunt creare notarios pro sua diœcesi. Card. Tuschus litt. E. concl. 290. n. 1, post Oldradum, consil. 75. et litt. N. consil. 70, n. 5. et 6. Abbas c. *Cum P.* n. 8. h. t.; Belletus *Disquisit. cleric.* p. 1. tit. I. § 29, n. 10. et alii ab is citati. (ADNOTATIO VIII.) Quo prænotato :

261. *Instrumentum publicum confectum a notario intra territorium constituentis, valet etiam extra territorium ejus.* — Resp. I. Instrumentum publicum confectum a notario intra territorium constituentis, valet, facitque fidem etiam extra territorium ejus; adeoque ex hoc capite non recte impugnatur. Ita Abbas cit. c. *Cum P.* n. 9, h. t. et Felinus ibid. n. 16. citans Rotam in *Formis*, decis. 291. incip. *Instrumenta confecta*, et plurimos alios. Ac sequitur Pirhing eod. n. 10 citans alios. Ratio est, quia circa valorem instrumenti inspicitur locus ubi instrumentum scriptum est, arg. l. 1. c. *de Emancipat.* ac notat Abbas loc. cit. istud amplians, etiamsi notarius intra territorium constituentis, fecisset instrumentum rogatus ab extraneis : quia tale instrumentum jam acceperat fidem publicam in loco constituentis talem notarium, et quidem a jure communi; atqui vis probandi semel acquisita, non tollitur mutatione loci; ergo. Concordant dicta superius § 5. n. 153. et 154. ubi pluribus ostenditur quod instrumentum factum secundum consuetudinem loci, probet ubique etiam quoad extraneos.

262. *Notarius a Papa, vel imperatore creatus, quæ instrumenta spectato jure communi conficere possit?* — Resp. II. Spectato jure communi notarius creatus a Papa potest quidem instrumenta conficere in terris Ecclesiæ subjectis, ac etiam alibi quoad causas ecclesiasticas, non tamen in terris imperii, respectu causarum profanarum : sicut et notarius creatus ab imperatore nequit extra terras imperii, vel super causis ecclesiasticis instrumenta conficere. Ita Abbas cit. c. *Cum P.* n. 9. et Felinus ibid. n. 17. h. t. Joan.

Andrees c. *Sicut te.* n. 3. et Abbas ibid. n. 12. *Ne Clerici vel monachi*, etc.; Speculator cit. § *Restat videre*, n. 27. et seqq.; Pirbing. h. t., n. 11, quamvis oppositum esse de jure verius, censeat card. Tuschus litt. N. concl. 72, n. 1 et 3. allegans alios. Ratio conclusionis est, quia, ut argumentatur Joan. Andreas cit., n. 3, duo operantur, quod credatur publico instrumento, nempe præstatio juramenti per notarium facta, c. *Ad audientiam.* 13. § *Nos igitur de Præscript.* et auctoritas judicialis, a qua notarius talem recipit potestatem, « Aut. de Tabellionibus. » § 1, collat. 4. Atqui hoc posterius deficit in notario, qui conficit instrumentum extra territorium constituentis. Accedit, quod notarius non exerceat jurisdictionem, quæ possit prorogari extra territorium de consensu partium : habet enim duntaxat officium in republica; unde et « servus publicus » appellatur, l. II. ff. *Rem pupilli salvam fore.* et cap. II. *de Usuris.* in 6. juncta Glossa ibid. vers. *Servo publico.* Atqui hujusmodi officium non extenditur extra territorium constituentis, arg. l. *Præf.* ff. *de Offic. Præsid.* cum similibus. Tandem dictum testis, auctoritate judicis laici in causa ecclesiastica recepti, fidem non facit in foro Ecclesiæ, c. *At si clerici.* 4. *de Judiciis*, ergo nec probat instrumentum super causa ecclesiastica factum per notarium laicum : valet enim argumentum a teste ad notarium, et econtra, juxta dicenda n. 266.

263. *De consuetudine, si notarius imperialis conficiat instrumentum in terris Ecclesiæ, probat; et econtra.* — Additur notanter in conclusione, « spectato jure communi. » Nam, quod secus accidere possit de consuetudine, et per tacitum consensum supremorum principum, ultro faciendum est. Et hoc modo videtur intelligendus card. Tuschus cit. concl. 72. et Mascardus *de Probat.* concl. 928. n. 19. cum pluribus aliis asserentes, quod si notarius imperialis conficiat instrumentum in terris Ecclesiæ, probet, et econtra; uti censuit Rota decis. 5. alias 291. *de Fide instrument. in novis* : quia (subjungit Mascardus n. 21.) ita tenuit inveterata consuetudo; et communis observantia.

264. *Clericus in sacris est prohibitum, officium notariatus exercere in causis profanis; non tamen redditur instrumentum invalidum, si secus attentetur.* — Nec obstat, quod clericis in sacris ordinibus constitutis, sub pœna privationis beneficii prohibitum sit, officium notariatus exercere in causis temporalibus, seu profanis, c. *Sicut te.* 8. § *Ne clerici vel monachi, etc.* Resp. enim cum Joan. Andrea ibid. n. 1. et aliis, istud essè quidem illicitum dictis clericis, non tamen reddi instrumentum invalidum, si secus attentetur : quia istud ibidem non statuitur, neque ejusmodi instrumentum a clerico factum declaratur invalidum, sed sola pœna privationis beneficii clerico imponitur; unde aliam invenire non debemus. « Nam interpretatione legum pœnæ sunt molliendæ potius quam exasperandæ, » ut dicitur l. *Interpretatione.* ff. *de Reg. jur.* cum concordantiis. Simulque multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem : c. *Ad apostolicam.* 16. *de Regularib.*

265. *Instrumenta confecta per notarium putativum, an valeant? Error communis jus tribuit, et quando.* — Quæritur III. An instrumenta confecta per notarium putativum, qui in veritate non est notarius, tamen communi opinione reputatur talis, sint valida? Ratio dubitandi, et affirmativam tenendi, est, quia « error communis jus tribuit : » prout habet vulgatum axioma, atque desumitur ex l. *Barbarius.* ff. *de Offic. prætor.* ubi acta judicialia servi fugitivi, qui nesciebatur talis esse, atque in prætorem electus fuerat, propter communem errorem, atque publicam utilitatem valere censentur. Accedit, quia talis notarius est in quasi possessione officii notariatus : simulque nihil est, quod imputari possit parti ab ipso confectionem instrumenti postulanti, cum iste publice habeatur pro notario.

266. *Bonum est argumentum a teste ad notarium publicum, et econtra.* — Confirmatur : quia bonum est argumentum a teste ad tabellionem, seu notarium publicum, et econtra arg. l. *Domitius Labeo.* ff. *de Testament.* juncta Glossa fin. ibid. computante tabellionem in numero testium : et l. *Hac consultissima.* § fin. c. *de Testament.* ac notant doctores ibid. ut Jason d. l. *Barbarius.* n. 46. ff. *de Offic. prætor.* Atqui testis, qui revera est inhabilis, communi tamen opinione reputatur habilis, si adhibeatur in testamento, sufficit ad hujus validitatem, l. I. c. *de Testament.* et § *Sed cum aliquis.* Instit. eod. ubi servus communi opinione reputatus liber, potest in testamento esse testis; ergo idem dicendum de eo, qui communi opinione reputabatur tabellio, sicque confecit instrumentum. Verum his non obstantibus, affirmativa sententia nequit indistincte admitti, sed

oportet congruam adhibere distinctionem; unde :

267. *Si notarius ille putativus habet titulum coloratum sui officii, valent instrumenta ab eo confecta.* — Resp. I. Aut notarius ille putativus, et conficiens instrumenta, habet titulum coloratum sui officii (quia nimirum fuit constitutus a superiore, sed propter occultum defectum non potuit tale officium habere, vel istud denuo perdidit) et valent instrumenta ab eo confecta. Aut non habet titulum coloratum, eo quod nunquam fuerit creatus notarius per habentem potestatem, sed ipsemet sese ingesserit huic officio, et non valent ejusmodi instrumenta. Speculator eod. tit. *de Instrumentorum editione.* § *Restat. videre.* n. 32; Bartolus in d. l. *Barbarius.* § *Et per hoc puto,* ff. *de Offic. prætor.;* Abbas c. *Sicut te.* n. 21. *Ne clerici vel monachi, etc.;* Pirhing h. t. n. 13. Zœsius tit. *de Fide instrument.* ff. n. 4; Jason d. l. *Barbarius,* n. 48, ff. *de Offic. prætor.,* citans alios, atque hanc sententiam appellans veram et communem, et intrepide tenendam. Concordant dicta superius tit. I. *de Judiciis.* § 8, n. 169 et seqq. ubi in simili resolvitur quæstio illa : « Utrum valeant gesta per judicem putativum? »

268. *Et hujus ratio.* — Prima pars patet ex cit. l. *Barbarius.* ff. *de Offic. prætor.* quæ expresse loquitur de casu, in quo præcessit electio alicujus in prætorem, qui a parte rei quidem fuerit inhabilis (erat enim servus fugitivus) communi tamen hominum opinione reputabatur liber, atque ad exercendum illud officium habilis; sicque ob publicam reipublicæ utilitatem, et ne innoxii, qui coram ipso bona fide egerunt, damnum patiantur, sustinentur acta ipsius, ipso jure communi sic disponente : idem ergo dicendum de notario, habente titulum coloratum officii sui, ob paritatem rationis. Hoc ipsum suadent rationes dubitandi n. 265 et 266 relatæ, junctis eorum solutionibus, in quantum pugnant contra alteram partem conclusionis, proxime afferendis.

269. *Secus, si non habeat titulum coloratum, sed ipsemet se ingessit officio notoriatus.* — Secunda pars probatur ex eo, quia potestas creandi notarium est reservata supremo principi, in signum suæ supremæ potestatis, arg. c. *Cum. P.* h. t. et Auth. *de Tabellionibus.* collat. 4. Unde nemo est tabellio, nisi creetur a superiore. Bartolus, ubi supra : ideoque error privatorum istam potestatem eidem præbere non potest, l. *Privatorum.* c. *de Jurisdiction. omn. judic.* Nec urget textus in d. l. *Barbarius.* ff. *de Offic. prætor.* Nam ibi præcessit deputatio Barbarii servi in prætorem facta ab eo, qui poterat cum ipso dispensare, ut loquitur textus; sicque habuit titulum saltem coloratum, ac proinde merito ob communem utilitatem sustinentur acta illius. Secus accidit in hoc casu, ubi quis nullum omnino habet titulum coloratum notariatus; sed semetipsum huic officio ingessit, nulla præcedente auctoritate superioris, vel titulo saltem colorato. Concordant dicta superius cit. tit. I, § 8, n. 199. et 200.

270. *Confirmatur hoc ipsum exemplis.* — Confirmatur : quia similiter in aliis casibus gesta ab eo, qui nullum habuit titulum, non valent : ut cap. I. *de Reg. jur.* in 6. etc. *Ex frequentibus. de Institut.* ubi occupatio beneficiorum sine institutione canonica non valet, non obstante consuetudine contraria, seu errore communi. Similiter non valent gesta ab eo, qui communi opinione reputatur tutor, cum non sit, l. II. ff. *De eo, qui pro tutore,* etc. Accedit textus apertus in l. *Actuarios.* juncta Glossa fin. c. *de Numerariis. Actuariis*, etc. l. XII, ubi irrita censentur gesta ab actuario, et ipse faciens punitur, si non fuerit secundum consuetudinem antequam ordinatus.

271. *Solvuntur rationes dubitandi. Explicatur textus in l.* Barbarius, *ff.* de Offic. prætor. — Nec obstant rationes dubitandi n. 265. in contrarium allatæ. Non quidem textus in cit. l. *Barbarius.* ff. *de Offic. prætor.* quia ibi intervenit titulus coloratus : ac electio Barbarii servi in prætorem ut proxime dictum; secus in nostro casu, ubi supponitur, titulum coloratum abesse in notario, cum se ipsum officio tali ingesserit.

272. *Error communis nihil operatur, quando error est substantialis.* — Neque obstat communis error : quia quando actus peccat in sui forma, sive quando error est substantialis, tunc error communis nihil operatur. Sic autem fit in proposito, quia notariatus est officium publicum, nec potest exerceri, nisi quis privilegium habeat a supremo principe, aut cui is specialiter commiserit; cum sit de reservatis in signum supremæ potestatis. Porro possessio notariatus nihil etiam juvat, cum sit mere naturalis : simulque, qui sine creatione, ac superioris auctoritate se immiscet officio notariatus, potius censetur temerarius et violentus occupator, non autem possessor. Unde nec locum habere potest

præscriptio, quantocumque tempore possessio illa continuetur : « quia possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit, » juxta reg. 2. juris in 6.

273. *Datur disparitas aliqua inter testem, et notarium publicum.* — Ad confirmationem negatur paris inter notarium et testem, quantum ad propositum. Quia, ut quis sit testis, non requiritur auctoritas, seu specialis deputatio principis ; sed generaliter omnes illi, quibus testimonium non reperitur interdictum, possunt esse testes. l. I. ff. *de Testib.* Secus dicendum in notario publico : unde patet magna disparitas, haud obstante, quod in aliis valeat argumentum a notario ad testem, et econtra.

274. *Valent instrumenta confecta per notarium qui ingressus est in quasi possessionem notariatus, sciente et patiente superiore, habente potestatem creandi notarios.* — Resp. II. Patitur nihilominus data conclusio quamdam limitationem, si videlicet quis ingressus fuisset in quasi possessionem notariatus sciente, et patiente superiore, habente potestatem creandi notarios, et fungeretur tali officio ; nam tunc instrumenta per eum confecta, valerent. Ita Jason cit. l. *Barbarius.* n. 52. *de Offic. prætor.* post Anton. in cap. I. *de Fide instrument.* Ratio est, quia postquam superior scivit, et tacuit, censetur tacite talem notarium confirmasse ; unde constituitur is in quasi pessessione officii notariatus, sicque valent gesta per ipsum : prout in simili de habente possessionem jurispatronatus, decernitur c. *Consultationibus.* 29. *de Jurepatronat.*

275. *Instrumenta confecta per notarium de crimine falsi condemnatum valent, si fuerint facta ante ejus condemnationem.*—Quæritur IX. An valeant instrumenta confecta per notarium, qui antea quidem legitime creatus, sed postmodum condemnatus fuit de falso in suo officio commisso? Resp. I. Valent instrumenta a tali notario ante ejus condemnationem facta quamvis hæc postea sequatur : sed instrumenta ab eo confecta post suam condemnationem, non valent. Ita Innocentius in c. *Fraternitatis. de Hæretic.* et Abbas ibid. n. 3 ; Bartolus in l. *Barbarius.* § *Quid de Notario.* ff. *de Offic. prætor.* ; Speculator tit. *de Instrumentorum editione.* § *Restat videre.* n. 35. et Joan. Andreas in *Addit.* ibid. vers. l. fin. Pirhing h. t. n. 13. et alii. Prima pars sequitur ex dictis n. 268. quia ex quo talis notarius toleratur in officio, gesta ratione publici offici propter publicam utilitatem non retractantur, licet postea sequatur depositio ipsius arg. l. *Barbarius.* ff. *de Offic. prætor.* et can. *Infamis personas,* 3. q. 7. § *Verum tamen.* Accedit quod sententia contra notarium lata, non debeat aliis nocere, l. *Lucius Titius.* in fin. *De iis, qui notantur infam.* cum similibus.

276. *Sed instrumenta ab eo confecta post suam condemnationem, non valent.* — Altera vero pars desumitur ex cit. c. *Fraternitatis.* 4. *de Hæretic.* Quia, ex quo damnatus est auctor falsitatis, opera ejus, veluti falsarii, nequeunt amplius facere fidem : nam qualis est auctor, talia præsumuntur opera ejus. Textus et Glossa in casu cit. c. *Fraternitatis.* Concordat reg. 8. juris in 6. « Semel malus, semper præsumitur esse malus, » saltem in eodem genere delicti, ut explicat Glossa ibid. Accedit, quod notarius de crimine falsi convictus, et condemnatus, hoc ipse removeatur a publico officio notariatus : unde locum habet, quod statuitur. l. *Si aliquid* c. *de Susceptorib.* lib. X. ubi Bartolus in *Summario* breviter sic ait : « Non potest qui exercere officium, in quo semel deliquit. »

277. *Instrumenta si habeant plura capitula, et in uno horum sit admixta falsitas circa substantialia negotii, ob quam postea notarius damnatur, probabilius reprobatur in totum.* — Resp. II. Instrumentum ante condemnationem notarii confectum, si habeat plura capitula, et in uno capitulo sit admixta falsitas circa substantialia negotii, ob quam postea notarius ille damnatur, et deponitur, probabilius reprobatur in totum. Ita Abbas cit. c. *Fraternitatis.* n. 4. post Innocentium, ibid. *de Hæretic.* Bartolus l. *Si ex falsis.* § *Adverte tamen.* c. *de Transaction.* istud intelligens, quando falsitas provenit ex persona notarii, qui sua malitia, vel dolo, commisit falsum in uno ex substantialibus. Eamdemque sententiam plures alii tenent apud Menochium *de Præsumptionibus.* lib. V. *Præsumpt.* 22. n. 3. cui etiam multum favet Speculator tit. *de Instrumentorum editione.* § *Instrumentum ergo.* n. 10. et 11. quamvis in contrarium alleget Tancredum, et quosdam alios, qui volunt, quod tunc reprobentur sola capitula connexa cum falso, non vero separata : quam contrariam sententiam etiam sequitur Menochius cit. præsumpt. 22. n. 32 ; Fachineus l. IX. *Controvers. juris.* cap. LXXIX. et probabilem censet Pirhing h. t. n. 32.

278. *Idque multipliciter probatur.* — Ratio

conclusionis est quia fides instrumenti publici pendet a fide et probitate notarii; ut inquit Menochius loc. cit. n. 4. allegans Glossam l. *Si quis ex argentariis.* § 1. ff. *De edendo.* Ergo, si falsitas instrumenti circa substantialia negotii procedit ex vitio notarii ob id condemnati, hoc ipso totum testimonium ipsius utpote falsarii reprobatur: nam fides notarii est quid individuum, atque ex ea pendet fides instrumentorum. Confirmatur, quia si testis aliquam falsitatem circa substantialia adjiciat suo testimonio, dictum ejus reprobatur in totum, utpote perjuri, can. *Pura.* 3. q. 9. ac notat Glossa c. *In nostra.* vers. *Adversa. de Testib.* Farinacius, *de Testib.* q. 67. numer. 178. allegans plurimos alios. Ergo a pari idem est dicendum de instrumento notarii: nam etiam hic est aliquis testis, l. *Domitius.* ff. *de Testament.* valetque argumentum a teste ad notarium, juxta dicta paulo superius n. 266. Concordant ea, quæ in simili dicta sunt l. I. tit. III. *De Rescriptis.* § 8. n. 173. et seqq. ubi ex professo, atque solutis contrariis, fusius ostensum est, quod subreptio, contingens in una parte rescripti diversas partes habentis, probabilius vitiet in totum, ergo ob paritatem rationis, idem dicendum est in proposito.

279. *Falsitas circa substantialia negotii, quæ? Summa, seu quantitas, pars est stipulationis, sicque est quid substantiale.* — Additur notanter in conclusione, « admixta falsitas circa substantialia negotii. » Qualis contigeret, si notarius falso scripsisset, contractum fuisse celebratum circa unam rem, v. g. equum, qui fuit factus circa aliam rem, v. g. vaccam; num error, seu falsitas circa substantiam rei, procul dubio est substantialis. Idemque fieret, si notarius scripsisset, Titium debere Caio viginti, cum scribendum fuisset decem: quia « summa, id est, quantitas, pars est stipulationis, » seu instrumenti, in quo continetur stipulatio; ac proinde est quid substantiale, l. I. § *Editiones,* juncta Glossa vers. *Summa.* ff. *de Edendo.* Unde commissa per notarium tali falsitate, merito corruit totum instrumentum.

280. *Falsitas circa accidentalia non vitiat instrumentum.* — Secus dicendum, quando falsitas contingit circa aliquod extrinsecum, et non substantiale: ut quia scripsit, contrahentes esse talis nationis, seu consanguineos, affines, aut quid aliud, quod non facit ad negotium. Etsi enim istud sit falsum, non tamen ideo vitiatur totum instrumentum: quia nihil facit ad contractum venditionis, permutationis, etc. undecumque sint contrahentes, vel an consanguinei existant, necne, arg. c. *Cum deputati,* 16. *de judiciis.* Innocentius, et Joan. Andreas c. *Fraternitatis.* n. 1 et Abbas ibid. n. 4. *de Hæretic.* aliique passim.

281. *Si testis deposuit falsum circa accidentalia duntaxat, valet ejus testimonium quod cætera.* — Simile quid contingit in testibus. Licet enim, si testis deponit falsum in substantialibus quod unam partem, dictum ejus reprobetur in totum: quia reperitur perjurus, can. *Pura.* 3. q. 9. et can. *Si testes.* 4. q. 3. § *Qui falso,* cum similibus. Secus tamen est dicendum, quando deposuit falsum circa accidentalia duntaxat, seu circa circumstantias neutiquam facientes ad substantiam negotii, de quo agitur: adhuc enim valet ejus testimonium quoad cætera, cum nihil sit quod impediat fidem ipsius. Joan. Andreas, et Abbas, ubi supra. Farinacius *de Testibus,* quæst. 67. n. 179, allegans plurimos alios; atque subjungens, ita solere tenere Rotam.

§ X.

DE REPROBATIONE INSTRUMENTORUM PER TESTES.

282. *Probatio per testes, an sit validior probatione per instrumenta? Ponuntur rationes negativam tenendi.* — Quæritur I. Utrum probatio per testes validior sit probatione per instrumenta, atque hanc elidere valeat? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, desumitur ex l. *In exercendis.* c. *de Fide instrument.* ubi dicitur: « In exercendis litibus eamdem vim obtinent tam fides instrumentorum, quam depositiones testium: » Ubi proinde summarium sic habet, «Tantum valet instrumentum ad probandum, quantum depositiones testium, et econtra. » Accedit, quod instrumentum majori cum præmeditatione fiat, ac depositio testium: unde et facilior, certiorque est probatio per scripturam, quam per testes; eo præsertim, quod horum memoria sit labilis, ac subinde etiam mutabilis, l. *Hac consultissima.* § *At cum humana.* c. *de Testament.* Atque idcirco plures dantur casus, in quibus scriptura requiritur, et testes non sufficiunt; horum enim triginta quatuor enumerat Glossa in cap. I. *vers. In scriptis. de Censib.* in 6. Verum his non obstantibus:

283. *Probatio per testes, simpliciter lo-*

quendo, est validior, digniorque probatione per instrumenta. — Resp. I. Probatio per testes, simpliciter loquendo, est validior digniorque probatione per instrumenta. Ita Abbas in rubric. *de Testib.* et Baldus ibid. Felinus rubric. *de Fide instrument.* n. 1; Mascardus *de Probat.* Quæst. Prooem. 6. n. 2. et seqq. allegans communem, contra Accursium in rubric. ff. *de Fide instrument.* et nonnullos alios. Probatur imprimis istud ex ordine titulorum juris canonici : nam in isto, sicut et in jure civili lib. IV. *Codicis* quamvis secus fiat lib. XXII. *Digestorum :* prius agitur *de Testibus*, quam « de Fide instrumentorum : » atqui aliquid esse dignius altero, recte desumitur ex ordine titulorum prout tradit Cardinalis in rubric. *de Statu monachor.* Bartolus in l. I. ff. *de Confirmat. tutor.;* Mascardus loc. cit., n. 7, allegans alios. Nec mirum: quia etiam ex ordine verborum est argumentandum; adeo, ut primo nominatus censeatur cæteris dignior, arg. can. *Inter verba.* 11. q. 3. juncta Glossa ibid. vers. *Præmisit.* ac notat Fagnanus c. *Bonæ memoriæ.* n. 70. *de Postulat. prælat.* citans alios.

284. *Idque varie probatur. Primo nominatus censetur cæteris dignior.* — Id ipsum probatur rationibus, quarum novem assignat Baldus, et Felinus, ubi supra. Quia, ut aliæ taceantur, dignior atque æstimabilior est vox viva, quam mortua; ut Auth. *de Instrument. cautel.* § *Si quis igitur.* collat. 6. ubi dicitur, quod quis caute depositurus non confidat soli accipientis scripturæ (hæc enim potest negari) sed advocet etiam testes. Unde non debet quis testificari per schedulam, sed viva voce, c. *Tua. de Cohabitat. cleric.* cum similibus. Quia « alia est auctoritas præsentium testium, alia testimoniorum, quæ recitari solent; » prout habetur. l. III. ff. *de Testib.* et can. *Si testes.* 4. q. 3. § *Alia est auctoritas.* Siquidem anima organo vocis exprimit suam voluntatem, atque intentionem, et voces sunt signa passionum animi; cum nemo existimandus sit dixisse quod mente non censerat, l. *Labeo.* § fin. ff. *de suppellect legat.* Hinc acuitas vivæ vocis fortius, atque efficacius, movet animum auditoris : ac plurimum in excutienda veritate vox ipsa aliquid dicentis affert, l. *De minore.* § *Tormenta.* ff. *de Quæstionib.*

285. *Probatio per testes est vera, et naturalis, probatio per instrumenta est extraordinaria, et artificialis.* — Accedit, quod probatio per testes sit vera et naturalis, jurique divino consona, juxta illud Salvatoris *Matth.* XVIII, 16. *In ore duorum aut trium testium, stat omne verbum.* Econtra probatio per instrumentum est extraordinaria et artificialis; estque quodammodo quid prodigiosum, ut credatur pelli animalis mortui cunctis tacentibus; prout post Innocentium c. *Cum P.* et c. *Cum Joannes.* h. t. loquitur Abbas c. *Tertio loco.* 5. *de Probat.* et Felinus ad rubric. *de Fide instrument.* n. 1. et Mascardus loc. cit. n. 3, allegans alios. Unde ulterius, et conformiter datæ conclusioni.

286. *Fides instrumentorum potest reprobari, atque elidi depositione testium.* — Resp. II. Probatio per instrumenta, seu fides instrumentorum potest reprobari, atque elidi depositione testium, legitime opponentium aliquid contra valorem, aut veritatem instrumenti. Ita communis; et patet ex c. *Tertio loco.* 5. *de Probat.* et c. *Cum Joannes.* 10. § *Porro. de Fide instrument.*, ubi referuntur tales casus, in quibus instrumentum per testes fuit reprobatum; ac notant Glossa, et doctores passim. Nam generale est, quod ex contrariis probationibus fortior, seu efficacior, prævalere debeat, l. *Ob carmen.* § fin. ff. *de Testib.* ac vincat, quod potentius est, l. *Generaliter.* ff. *de Fidejussorib.* cum similibus; estque jam dictum supra tit. XIX. *de Probationibus*, § 4. n. 76. et seqq.

287. *Instrumentum inducit notarium, et facit rem manifestam, etc. Quale?* — Nec obstat, quod instrumentum inducat notarium. Abbas c. *Cum olim.* n. 9. et 10. *de Censib.* juncta Glossa fin. ibid.; Bartolus in l. I. § *Venio ad quæstionem.* n. 8. et Jason ibid. n. 10. ff. *de Novi operis nuntiat.* Sigism. Scaccia lib. II. *de Judiciis.* cap. VII. n. 152; Menochius *de Recuperand possess.* remed. 1. n. 224. Et faciat rem manifestam, sitque probatio probata. Baldus l. *Quoties.* in fin. c. *de Judiciis ;* Jason, Menochius, ubi supra, et alii. Resp. enim, istud procedere loquendo de instrumento confessato, seu contra quod a parte adversa nihil opponitur: secus dicendum, quando opponitur aliquid rationabile contra validitatem instrumenti. Menochius loc. cit. n. 22. asserens, instrumentum ita demum rem claram facere, cum nihil illi objicitur : nam si opponatur, et in controversiam vocetur, res clara esse desinit; ut probat Bartolus in l. *Si causa cognita.* n. 4, et ibi Alexander n. 9. c. *de Transaction.;* Cravetta, consil. 299. n. 8; Decius, consil. 351, n. 9. et sequitur Scaccia cit. cap. VII, n. 156.

288. *Eamdem vim obtinent tam fides instrumentorum, quam depositiones testium; et quomodo?* — Neque obstant rationes dubitandi n. 282. in contrarium allatæ. Nam imprimis textus ex l. *In exercendis*, c. h. t. relatus, vult duntaxat, quod eadem sit instrumenti, ac testium vis quoad probationis effectum, si nihil ipsis opponatur : quia tunc æquiparantur, paremque habent vim probandi; cum tam testes, quam instrumenta, plenam faciant probationem. Abbas c. *Tertio loco*. n. 5. *de Probat*. et c. *Cum Joannes*. n. 5. h. t.; Pirhing h. t., n. 73, vers. *Quare*. Secus dicendum, quando testes contradicunt instrumento, illudque reprobant veluti falsum, seu invalidum: quia tunc non obtinent eamdem vim, sed cæteris paribus prævalent testes. Glossa n. cit. l. *In exercendis*; Abbas d. c. *Cum Joannes*. n. 5. h. t.; Mascardus *de Probat*. quæst. 6. procem. n. 22. et alii.

289. *Testes plenam fidem faciunt in criminalibus : instrumenta vero directe non probant crimen. Verbum* Litis, *non criminalem, sed civilem causam designat.* — Tacetur, quod testes plenam fidem faciant etiam in criminalibus, l. *Sciant cuncti*. c. *de Probat*. cum similibus; instrumenta vero directe non probent crimen : unde in criminalibus testes personaliter debent apud judices comparere, Auth. *Apud eloquentissimum*. c. h. t. ac fuse ostendit Joan. Andreas reg. « Semel malus.» n. 4. et seqq. *de reg. Jur*. in 6. Atque ideo vel ex hoc capite major est vis testium, quam instrumentorum, quoad effectum videlicet probandi in criminalibus. Quod ipsum indicat textus ex cit. l. *In exercendis litibus*, etc., relatus; nam verbum litis, non criminalem, sed civilem causam designat, l. *Litis nomen*. ff. *de Verb. signif.*

290. *Instrumenti valor stat eo usque, donec aliquid probabile contra illud afferatur.* — Ad alteram rationem n. 282. in contrarium allatam dicitur, ipsam habere locum, quando contra veritatem, seu valorem instrumenti, nihil rationabile opponitur : alias secus. Nam valor, ac prærogativa instrumenti stat quidem eo usque donec aliquid probabile, et rationi consentaneum contra illud fuerit allatum; secus, si per testes probetur ejus falsitas, aut alius defectus substantialis. Quia etiam in instrumentis posse committi falsitatem, patet ex cit. c. *Tertio loco. de Probat*. Ut taceantur alii defectus substantiales, qui in instrumentis possunt intervenire, illudque invalidum reddere, conformiter hactenus dictis.

291. *Ubi requiritur scriptura ad substantiam actus, testes non sufficiunt.* — Ad tertiam dicitur, illud esse speciale in casibus illis, in quibus jure sic disponente requiritur scriptura ad substantiam actus, sive contractus, sicque testes non sufficiunt : ut l. *Contractus venditionum*. c. h. t. cum aliis casibus, per Glossam cit. cap. I. v. *In scriptis de Censib*. in 6. relatis. Secus dicendum in cæteris casibus, seu ubi scriptura necessario non debet intervenire. Verum occasione præmissorum.

292. *Per testes instrumentarios qualiter possit instrumentum impugnari? Testes instrumentarii, et extranei, qui?* — Quæritur II. An, et qualiter per testes instrumentarios possit instrumentum impugnari ac reprobari? Et additur notanter, « per testes instrumentarios : » plures enim impræsentiarum possunt casus distingui. Vel enim testes illi, qui instrumentum impugnant, sunt instrumentarii, hoc est, descripti in instrumento, seu inscripti (puta, si in instrumento dicatur, contractum aliquem fuisse celebratum præsentibus Titio, Caio et Andrea testibus) aut etiam ipsi subscripti : uti fit in testamentis. Vel non sunt instrumentarii, sed impugnatur instrumentum a, « testibus extraneis ; » hoc est, non descriptis, aut subscriptis in instrumento. Atque de utroque testium genere possunt plures casus formari, de quibus in progressu, incipiendo a testibus instrumentariis, de extraneis autem agendo in sequenti quæstione. Unde :

293. *Quando testes instrumentarii adhuc vivunt, omnesque adversantur instrumento, censetur istud omnino falsum.* — Resp. I. Quando testes instrumentarii, seu instrumento inscripti aut subscripti, adhuc vivunt, simulque omnes adversantur instrumento, dicentes, se non interfuisse confectioni illius, aut non esse ita actum, prout in ipso continetur : tunc ejusmodi instrumentum non solum redditur suspectum, sed omnino censetur reprobum et falsum, nisi testes illi falsitatis convincantur. Ita Innocentius c. *Cum Joannes*. et ibi Joan. Andreas n. 7. et Abbas n. 14, h. t.; Bartolus l. *In exercendis*. n. 3. et 7. c. h. t.; Pirhing, n. 71 ; Menochius *de Arbitrar. Judic.* lib. II. cas. 105, n. 9, allegans alios. Idque patet ex cit. c. *Cum Joannes*. 10. h. t. ubi instrumentum publicum, in quo continebatur, venditionem cujusdam domus puram extitisse, reprobatur per quatuor testes, qui jurati deposuerunt se interfuisse contractui illi, dictæque domus venditionem extitisse

conditionatam. Concordat c. *Tertio loco*. 5. *de Probation.* ubi simile instrumentum reprobatur, veluti falso confectum nomine Universitatis, quæ tamen antea semper contradixerat, ubi probatur per testes juratos, nec contra hoc pars adversa quidpiam opponere valebat. Accedit ratio, quia testes adhibentur instrumento; ut per eos compleatur fides instrumenti. Auth. *de Instrument. cautel. et fide*. § *Sed et si instrumenta*. et § *Si vero*. collat. 6. Atqui istud non fit, quando omnes testes contradicunt instrumento; prout argumentatur Bartolus, et Menochius, ubi supra; ergo.

294. *Idemque dicendum, quando major pars testium inscriptorum contradicit instrumento.* — Et quod hic dictum est de contradictione omnium testium instrumento inscriptorum, procedit pariter, si longe major pars ipsorum instrumento contradicat : prout desumitur ex c. *Tam litteris*. 33. § fin. *de Testib.* ubi reprobatur instrumentum nomine majoris partis capituli confectum, cum constiterit per legitimas attestationes, longe majorem partem capituli non fuisse consciam ejusdem. Accedit, quia fides instrumenti vacillat ob contradictionem unius testis instrumentarii, l. I. § *Si quis se neget*. ff. *Quemadmodum testament. aperiant*. ubi si unus testium in testamento descriptorum negaverit suum esse sigillum, redditur testamentum suspectum : ergo magis, si omnes, aut saltem longe major pars contradicat.

295. *Solvitur instantia. Absentia testium qualiter probari possit?* — Dices. Singuli testes qui negant confectioni instrumenti se fuisse præsentes, sunt in suo testimonio singulares : ergo per eos nihil probatur contra valorem instrumenti; cum tales singulares non probent, c. *Licet causam*. 9. § *Quamquam. de Probat.* et c. *Cum dilectus*. 32. *de Election.* cum similibus. Resp. Quidquid sit de antecedenti : nam singulorum absentia potest probari; vel per alios, qui forte tunc aderant ac viderant, istos tempore facti instrumenti non interfuisse; vel saltem indirecte, probando videlicet, quod eodem die alibi extiterint. Verum, quidquid si de antecedenti, negatur consequentia : nam dictum illud, quod testes singulares non probent, præcipue locum habet in singularitate obstativa, et diversificativa; secus in adminiculativa, prout ex professo dictum est supra tit. XX. *de Testibus*. § 97. n. 291, 294, 297. et seqq. Atqui in proposito vel nulla intervenit singularitas, puta, si aliunde constet de horum singulorum absentia : vel ea est duntaxat adminiculativa, cum testes ejusmodi concordent in dicto suo, quod nempe instrumentum sit falsum, utpote in quo ipsi fuerunt falso inscripti, c. *Quanto*. « De his quæ fiunt a prælat. » Alioquin certe libera cuipiam malitiose notario daretur facultas conficiendi falsa instrumenta, testesque pro libito inscribendi, si isti veluti testes singulares contradicere non possent.

296. *Quod si duo v. g. testes inscripti contradicunt instrumento, tunc aut remanet legitimus numerus testium stantium pro instrumento; et valet.* — Resp. II. Quod si duo v. g. testes inscripti contradicant instrumento, asserentes, se non interfuisse eidem, vel saltem non ita actum fuisse, prout in ipso continetur : tunc aut remanet legitimus numerus testium stantium pro instrumento, et valet instrumentum; aut non remanet legitimus testium numerus (hoc est necessarius, aut sufficiens ad probationem, seu valorem instrumenti) tunc instrumentum redditur suspectum, vel etiam falsum, nisi per alios idoneos testes ejus veritas probetur. Ita Glossa in l. I. vers. *Suspecta fiunt*. ff. *Quemadmodum testament. aperiant*, ex textu ibidem inferens, quod vox unius testis, negantis v. g. sigillum suum testamento appositum, inducat suspicionem : si tamen præter hoc adsint alia sufficientia sigilla : sufficiat, arg. l. III. c. *Si ex falso instrument*. Idem docet Joan. Andreas c. *Cum Joannes*. n. 8. et Abbas ibid. n. 14. et Felinus n. 50. h. t.; Covarruvias lib. II. *Variar. resolut.* cap. XIII. n. 11, concl. 2; Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 105, nr. 27. allegans plures alios; quamvis auctores hac in re varie loqui, et sentire ultro fateatur Abbas loc. cit., n. 13, 14; Mascardus *de Probation.* concl. 921. n. 9; Pirhing h. t., n. 71, cæteroquin etiam tenens datam conclusionem.

297. *Hujusque ratio.* — Ratio prioris partis est, quia, ubi adhuc superest numerus legitimus, ac necessarius testium pro validitate instrumenti deponentium, hoc ipso instrumentum illud est firmatum sufficienti testium numero, simulque publica notarii auctoritate; ergo non est, cur reprobetur contradictione quorumdam testium supervacaneorum, utpote qui non ex necessitate, sed ex superabundanti duntaxat adhibiti fuerunt. Probatur consequentia, tum quia instrumentum ejusmodi jam est firmatum

sufficienti auctoritate, qualis nimirum de jure requiritur; tum quia alioquin utile vitiaretur per inutile seu per supervacaneos testes, contra reg. 37. juris in 6.

298. *Magis creditur duobus affirmantibus, quam mille negantibus; et cur?* — Confirmatur. Quia testes stantes pro valore instrumenti, deponunt affirmative: alii vero, qui negant se interfuisse, aut contenta in instrumento vera esse, deponunt negative. Atqui magis credendum est de duobus affirmantibus, quam mille negantibus; prout loquitur Joan. Andreas cit. n. 8. vers. *Quod si non omnes*, etc. addita ea ratione, quia possibile est, quod ubi etiam multi præsentes sunt, duo tantum ad id quod agitur, sint attenti, aliis non advertentibus, vel non curantibus; atque ideo aptius et naturalius est testimonium affirmantium quam negantium veritatem. Hinc (ut exemplificat Covarruvias, ubi supra, concl. 2.) si instrumento inscripti fuerunt quinque testes, cum duo tantum fuissent necessarii, et illud duorum testium viva voce comprobetur, non poterit reliquorum trium contrario testimonio reprobari, auctore Baldo consil. 228. l. II. cum accedit Aymon consil. 56. n. 9. Ita Covarruvias.

299. *Aut non remanet legitimus numerus testium; et non valet instrumentum.* — Altera vero pars datæ conclusionis, nempe non valere instrumentum, si non remaneat legitimus numerus testium, desumitur ex cit. l. I. § fin. ff. *Quemadmodum testamenta aperiant.* ubi testamentum ad vocem unius ex septem testibus, ad illud spectato jure civili necessario requisitis, ac negantis suum esse sigillum, redditur suspectum. Unde Bartolus ibid. in *Summario*, sic loquitur: « Unus ex testibus necessariis adscriptis in testamento contradicens, fidem testamenti facit vacillare. » Accedit ratio, quia, si unus ex testibus necessariis contradicat instrumento, remanet instrumentum sine debita solemnitate; ergo hoc ipso plene non probat, nisi aliunde adjuvetur, prout argumentatur Felinus cit. c. *Cum Joannes.* n. 50. h. t. istud firmans ex l. *Jubemus.* c. *de Probation.*

300. *Si aliqui testium non absolute negent, sed dicant se non amplius recordari, etc., sustinetur instrumentum.* — Resp. III. Quod si aliqui testium non absolute negent instrumentum, vel contenta in eo, sed solummodo dicant, se non amplius recordari, an interfuerint, vel quid tunc actum fuerit, tunc instrumentum sustinetur. Joan. Andreas d. c. *Cum Joannes.* n. 8. vers. « Sin autem testes » et Abbas ibid. n. 14, h. t.; Menochius cit. cas. 105. n. 31, allegans alios. Ratio est, quia, cum probatio instrumenti publica manu confecti, de se sit plena ob auctoritatem testimonii publici notarii, non debet fides ejus vacillare per depositionem incertam, et dubiam talium testium. Dubitatio enim, vel suspicio non est tantæ virtutis ut omnino debilitet instrumentum: quinimo in dubio facienda est benigna interpretatio, ut res potius valeat, quam pereat, c. *Abbate.* 25. *de verb. signif.* junctis concordantiis a Glossa ibid. v. « Valere possit potius, » relatis.

301. *Valet quoque testimonium testium, qui recordantur celebrati, v. g. contractus, non tamen anni, mensis, aut diei, quo is factus est.* — Hoc ipsum, et quidem a fortiori, est dicendum, quando testes bene recordantur celebrati v. g. contractus, non tamen anni, mensis aut diei quo is factus est: quia nihilominus valet testimonium eorum, uti est casus in cit. c. *Cum Joannes.* juncta Glossa v. *Recordari.* h. t. Nisi forsan ageretur de ipsomet tempore probando; ut c. *Ex tenore.* 35. *de Testib.*

302. *Valet instrumentum publicum, etsi testes inscripti interea fuerint mortui. Et quid, si negetur esse genuinum talis notarii instrumentum?* — Idem dicendum, quando testes instrumento publico inscripti, interea temporis fuerunt mortui quia nihilominus instrumentum valet, cap. II. h. t. argumento a sensu contrario desumpto. Nisi forsan alia ratione illud impugnetur, ut puta negando quod sit genuinum talis notarii instrumentum: in quo casu, deficientibus aliis probationibus, ad comparationem litterarum deveniendum esse, præstito prius per petentem juramento, quod non malignitatis causa ipsam petat, textus est, in Auth. *de instrument. cautel. et fide.* § *Si vero moriantur.* collat. 6.

303. *Aut testis asserat, se non ita dixisse, sicut notarius scripserat. Remissive.* — Quid autem juris sit, quando testis asserit, se non ita dixisse, sicut notarius scripserat, jam dictum est supra tit. XX. *de Testibus.* § 8. n. 275. Ubi nonnulla alia de auctoritate testimonii notarii publici dicta reperiuntur.

305. *Potest instrumentum reprobari etiam per testes extraneos.* — Quæritur III. An, et quot testes extranei, seu instrumento non inscripti, sufficiant ad istud impugnandum? Resp. I. Certum est, posse instrumentum

reprobari etiam per testes idonei, atque omni exceptione majores; simulque probent totam substantiam negotii: seu quod istud pro tali determinato tempore, ipsisque præsentibus aliter fuerit gestum, quam est scriptum in instrumento; vel saltem probent, quod testes illi, quos instrumentum dicit fuisse præsentes, non fuerint illo tempore præsentes. Ita Abbas c. *Cum Joannes*, n. 13; et Felinus ibid. n. 35. et seqq. h. t.; Covarruvias, l. II. *Variar. resolut.* cap. XIII. n. 11, concl. 1.; Menochius l. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 105, n. 33, et seqq.; Mascardus *de Probat.* concl. 921, n. 1. et seqq. et alii ab istis copiose citati. Idque desumitur ex c. *Tertio loco.* juncta Glossa fin. *de Probat.*, ubi talis casus refertur. Concordat textus in l. *Optimam quæstionem.* c. *de Contrahend. stipulat.* et l. *Cum precibus.* c. *de Probation.* in quo ultimo loco summarium sic habet: « statur instrumento, donec probetur contrarium. »

305. *Dummodo ipsi sint testes idonei, atque omni exceptione majores.* — Additur notanter primo in data conclusione, « dummodo ipsi sint testes idonei, atque omni exceptione majores. » Nam testes extranei, atque instrumentum reprobaturi, debent esse omni exceptione majores, per textum in cit. l. *Optimam quæstionem.* c. *de Contrahend. stipulat.* ibi: « Vel saltem per testes undique idoneos, et omni exceptione majores ostenderit, » etc. Ad idem facit textus in § *Item verborum. Institut. de Inutilib. stipulat.* et Glossa ibid. v. *Idoneos;* Abbas cit. n. 13. vers. « Ergo concordando. » Felinus n 44; Menochius n. 33; Mascardus, n. 5, et alii. Quia enim magna stat præsumptio pro publico instrumento, hinc ad elidendam istam juris præsumptionem, validiores, imo apertissimæ requiruntur probationes, l. ult. ff. *De eo quod metus causa*, etc. juncta Glossa v. *Præsumption.*, cum similibus.

306. *Modicus enim defectus repellit tales testes.* — Unde quod modicus etiam defectus repellat tales testes, utpote non amplius exceptione majores, censet Baldus c. *Cum Joannes.* n. 8, h. t. Atque hoc ipsum de levissima etiam exceptione, quæ opponitur testibus reprobatoriis instrumenti, intelligit Alexander consil. 43, n. 24, l. IV. et sequitur Mascardus loc. cit. n. 6. et 7. subinferens, quod testes ejusmodi non debeant esse inferioris conditionis quam notarius.

307. *Secus dicendum de testibus instrumentariis, nisi nova causa istos repellendi superveniat.* — Verumtamen istud est intelligendum duntaxat de testibus extraneis, seu instrumento, quod reprobant, non inscriptis. Loquendo enim de testibus instrumentariis, ac postea instrumento contradicentibus; nihil infert, an sint omni exceptione majores, necne; eo quod testes instrumento adhibiti, hoc ipso censeantur a partibus approbati. Unde hi postea repelli nequeunt, nisi ex superveniente nova causa ipsorum persona reprobari valeat, l. *Si quis testib.* c. *de Testib.* quæ est canonizata in can. *Si testes.* 4. q. 3. § *Si quis testibus.* Menochius cit. cas. 105. n. 6. post Cravettam consil. 56. n. 9. et 10. et Socinum juniorem consil. 189. n. 52. l. II.

308. 309 et 310. *Instrumentum potest sic per testes reprobari dupliciter, nempe vel directe, et quid ad hoc requiratur? Vel indirecte; et quomodo istud fiat? Probata falsitate instrumenti circa unum punctum substantiale, tollitur fides ejus in totum.* — Additur ulterius in data n. 304, conclusione, « simulque probent totam substantiam negotii, » etc., vel « saltem probent, » etc., quia instrumentum notarii potest reprobari per testes dupliciter; nimirum directe, et indirecte seu per quoddam medium; uti loquitur Abbas cit. c. *Cum Joannes*, n. 14, h. t. Et quidem « instrumentum reprobatur per testes directe, » quando hi expresse deponunt, seu probant per alios contestes, negotium non ita actum fuisse, ut in illo instrumento scriptum est. Casus est in d. c. *Cum Joannes*, h. t.

Porro, ut testes possint hoc modo, seu directe instrumentum reprobare, necesse est quod interfuerint toti negotio justo, illudque plene norint una cum anno, mense, die ac loco, quo gestum esse habetur in instrumento: alias enim nihil probarent contra veritatem instrumenti, arg. cit. l. *Optimam quæstionem.* § fin. c. *de Contrahend. stipulat.* Oportet siquidem, ut testes reprobantes instrumentum optime concordent: alioquin quippe adhuc staret, et illæsa remaneret præsumptio, pro instrumento militans ex fide jurati notarii publici. Alexander consil. 93, n. 12, l. V. Menochius d. l. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 105, n. 34, allegans alios. Atqui testes illi nihil concluderent, si non deponerent de illo eodemmet tempore, et loco, quo in instrumento legitur negotium fuisse gestum: quia alio tempore vel loco bene potuisset actus ille fuisse celebratus, de quo loquitur instrumentum, quamvis ipsi tunc non interfuissent; ergo. Menochius cit. n. 34. Mas-

cardus d. concl. 921. n. 3. et 4. citans plures alios.

Tunc autem « Instrumentum reprobatur per testes indirecte, » seu per quoddam medium, quando vel testes instrumentarii (de quibus jam antea) vel alii testes extranei liquido, ac manifeste probant, sive per legitimas scripturas, sive per alios idoneos testes, quod personæ principales, aut una ipsarum, vel testes instrumento inscripti, toto die celebrati contractus, quem continet instrumentum, non fuerint in illo loco, sed in alio, quam asserit idem instrumentum; ut l. *Optimam quæstionem*. c. *de Contrahend. stipulat.* et § *Item verborum*. Instit. *de Inutilib. stipulat.* Probata enim falsitate instrumenti circa unum punctum substantiale (puta circa locum, seu diem celebrati contractus, aut testes necessario requisitos, etc.) tollitur præsumptio juris de auctoritate fidelitateque notarii illud conficientis, et per consequens etiam tollitur fides instrumenti in totum, atque contentorum in eo, arg. can. *Si ad scripturas*, dist. 9. et can. *Pura*. 9. q. 3., etc. *Quanto*. § *Absentium*. « de his, quæ fiunt a prælatis, » etc. ac notat. Joan. Andreas cit. c. *Cum Joannes*. n. 8. in fin. et Abbas ibid. n. 13. et 14, h. t. Concordant dicta superius § 9. n. 279. et 280.

311. *Quot testes, præsertim extranei sufficiant ad reprobandum instrumentum notarii, variant doctores.* — Resp. II. Quot testes præsertim extranei, sufficiant ad reprobandum instrumentum notarii, variant quidem doctores; probabilius tamen est, sufficere duos testes omni exceptione majores, ac deponentes, ut supra: nisi instrumentum illud per testes inscriptos, aut alios, viva voce coadjuvetur. Ita Innocentius, et post ipsum Abbas cit. c. *Cum Joannes*. n. 13, vers. « Septima est. » et Joan. Andreas ibid. n. 20. vers. « Si vero non dubitatur. » et Felinus n. 35. et 43. h. t. Speculator tit. *de Instrumentorum editione*. § *Restat videre*. n. 15; Covarruvias l. II. *Variar. resolut.* cap. XIII, n. 11, concl. 1; Pirhing h. t. n. 72. Mascardus d. concl. 921. n. 9. citans alios.

312. *Refertur opinio Glossæ quinque vel saltem quatuor testes requirentis.* — Prior pars liquet ex eo, quia solus Abbas cit. n. 13. enumerat septem diversas circa hoc doctorum sententias. Harum præcipua, est opinio Glossæ c. *Cum Joannes*. v. *Quodlibet instrumentum*. h. t. et c. *Tertio loco*. v. *Testium de Probat.* quæ vult, quod ad reprobandum instrumentum notarii requirantur quinque, vel saltem quatuor testes idonei. Rationem dat, quia auctoritas publici notarii videtur æquivalere duobus testibus, c. *Quoniam contra de Probat.* et ipsum instrumentum valet duos testes; quia fides instrumentorum eamdem obtinet vim probandi, ac depositiones testium. l. *In exercendis*, c. h. t. Ergo, ut testes prævaleant instrumento, debent esse quinque, aut ad minus quatuor meliores. Ita Glossa loc. cit. Reliquæ opiniones poterunt apud Abbatem, ubi supra, videri.

313. *Probabilius est, sufficere duos testes omni exceptione majores.* — Altera pars, seu quod probabilius sit, sufficere duos testes omni exceptione majores, etc., probatur ex eo: quia instrumentum non habet fidem, nisi ab officio et auctoritate notarii: atqui testimonium duorum testium omni exceptione majorum, ac viva voce deponentium, merito præfertur auctoritati unius solius notarii, juxta illud Salvatoris *Matth.*, XVIII, 16. dicentis: *In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum:* ac refertur c. *Licet universis*. 23. *de Testib.* Accedit, quod probatio per testes viva voce, ac de proprio sensu deponentes, sit vera et naturalis; ergo merito præfertur mutæ, ac mortuæ voci notarii, juxta amplius dicta superius n. 285.

314. *Solvuntur contraria. Præsumptio, quæ stat pro instrumento publico notarii, tollitur per contrariam depositionem testium.* — Nec obstat primo, quod pro instrumento publico notarii, stet præsumptio ratione publici officii. Resp. enim, hanc præsumptionem tolli per contrariam depositionem duorum testium omni exceptione majorum, ut inquit Joan. Andreas cit. n. 20. Nam etiam in notariis quandoque reperiri falsitatem, liquet ex cit. c. *Tertio loc. de Probat.* et c. *Cum Joannes*. h. t. cum similibus.

315. *Instrumentum æquivalet duobus testibus; et quomodo?*—Nec obstat secunda ratio Glossæ n. 312. relata: negatur enim consequentia. Quia, ut observat Joan. Andreas cit. c. *Cum Joannes*. n. 20, h. t. in antecedenti bis reassumitur idem: nam instrumentum, prout æquivalet duobus testibus, includit instrumentum, utpote mediante quo loquitur, ac veluti publica persona fert testimonium. Et sic patet, quod in antecedenti idem bis, licet sub aliis terminis, reassumatur: unde neganda est consequentia.

316. *Testes instrumento inscripti, quando probent?* — Neque ulterius obstat, quod ins-

trumento soleant duo saltem testes inscribi, coram quibus negotium, de quo tractat, dicitur fuisse gestum. Resp. enim istud non urgere loquendo de testibus per notarium duntaxat inscriptis, sed propria eorum manu subscriptis: nam facile foret notario, qui falsum cogitat instrumentum conficere, etiam testes falsos inscribere: unde impugnato per alios omni exceptione majores testes instrumento, sola testium inscriptorum nomina parum probant. Secus est dicendum, quando testes illi propria etiam manu subscripsissent instrumento una cum notario (quod tamen non est moris, ut inquit Abbas d. c. *Cum Joannes*. n. 5, h. t.) item quando testes illi adhuc vivunt, et viva voce coadjuvant instrumentum, attestando pro ejus valore. Verum de hoc casu non loquitur altera pars datæ n. 311, conclusionis, sed tertia; istum casum expresse excipiens, ob illico dicenda: unde:

317. *Non tamen sufficiunt duo testes ad reprobandum instrumentum, quando istud per alios testes viva voce coadjuvatur.* — Tertia tandem pars conclusionis, seu quod non sufficiant duo testes ad reprobandum instrumentum, quando istud per alios testes viva voce coadjuvatur, ex eo suadetur. Quia, ubi instrumentum publicum coadjuvatur per alios testes una cum notario subscriptos, quorum subscriptio a parte adversa recognoscitur; vel saltem, ubi instrumentum per testes viva voce in ejus favorem deponentes corroboratur: tunc sicut crescit numerus testium una cum publico notario pro valore instrumenti stantium, ita e contrario plures semper debent esse testes reprobatorii illius; alioquin hi nihil probarent contra illud. Joan. Andreas cit. n. 20. Menochius l. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 105, n. 45. allegans alios. Nam productis hinc inde testibus debent prævalere illi, qui sunt numero plures, et aptiora negotio, veroque similiora deponunt, c. *Licet causam*. 9. § *Ex præmissis. de Testib.* et l. XIII. ff. eod. cum similibus.

318. *Judicis ab arbitrio multum committitur, an instrumento, vel magis testibus contra illud deponentibus fides sit habenda.* — Solum adde, quod in eo casu, quo una pars allegat pro se instrumentum, altera vero producit testes illud reprobantes, seu directe contra contenta in illo deponentes, multum judicis arbitrio committi debeat, an instrumento, vel magis duobus aut tribus testibus, contra illud deponentibus fides sit habenda. Abbas, ubi supra, n. 13. vers. « Ego concordando. » Menochius loc. cit., n. 42; Pirhing h. t. n. 73; Mascardus d. concl. 921, n. 10, allegans alios: et concordant dicta superius tit. XIX. *de Probationibus*, § 3, n. 60, ubi inter alia dicitur, probationes omnes esse judici arbitrarias.

319. *Cessante omni suspicione ex parte notarii et instrumenti, magis instrumento credi debet quam testibus contra illud deponentibus.* — Addunt doctores, præsertim proxime citati, quod in isto casu, si omnis cesset suspicio ex parte notarii, et instrumenti; tunc magis instrumento quam testibus contra illud deponentibus, credi debeat, arg. l. *Optimam quæstionem*. c. *de Contrahend. stipulat.* Præsertim, si instrumentum sit antiquum: quia tunc memoria testium est laudabilis, l. *Si arbiter*. ff. *de Probat.* Quale periculum non urget ex parte instrumenti, etiam antiquissimi.

320. *Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus contra instrumentum non admittuntur testes; et qui?* — Resp. III. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus contra instrumentum non admittuntur testes. Ita Glossa fin. c. *Tertio loco. de Probat.* et alii; idque probatur inductione. Sic quippe contra inventarium publice confectum, et factam in eo tutoris confessionem, non admittitur probatio in contrarium, l. ult. § 1. c. *Arbitrium tutelæ*. Deinde contra instrumentum publice confectum, et a tribus testibus consignatum, quo mulier confitetur, se fidejussisse pro alio, non gratis, sed accepta pecunia, non admittitur probatio, sed cogitur mulier illa carere beneficio S. C. Vellejani. l. *Antiquæ jurisdictionis*. c. Ad S. C. Vellejan. Alius talis casus refertur in Auth. *Ut liceat matri et aviæ*. § *Ad hoc autem*. collat. 8. de quo ibi.

§ XI.

DE CONTRARIETATE, ET AMISSIONE INSTRUMENTORUM: UBI ET DE EXTRAVAGANTI DUBIA.

321 et 322. *Instrumenta inter se contraria, et ab eadem parte producta, nihil probant, sed fidem sibi ad invicem derogant. Sive sint publica, sive privata.* — Quæritur I. Quid juris, quando producuntur instrumenta inter se contraria? Resp. I. Si ab eadem parte instrumenta inter se contraria in judicio contra suum adversarium producuntur, nihil probant, sed fidem sibi ad invicem derogant;

sibique talis imputet, cum in ejus fuerit potestate, alterutrum, quod voluerat, non proferre. Ita textus expressus in c. *Imputari.* 13. h. t. et l. *Scripturæ.* c. eod.

Atque istud procedit, sive dein ab eadem parte producantur scripturæ contrariæ publicæ, aut privatæ; sive tales, quarum una est publica, et altera privata : quia eas producendo videtur quis omnia in eis contenta confiteri, ac proinde veluti sibi ipsi contrarius non auditur, neque aliquid probat Abbas cit. c. *Imputari.* n. 4. h. t.

323. *Solvitur instantia. Disparitas inter testes, et instrumenta quoad hoc.* — Dices : Si quis producat in judicio testes, qui postmodum contraria inter se deponunt, standum est dignioribus, aut verisimiliora deponentibus; c. *In nostra.* 32. *de Testib.* Ergo idem dicendum de instrumentis : quia pari passu ambulant, l. *In exercendis.* c. *de Fide instrument.* Resp. neg. consequent. cum sua probatione : etsi enim instrumenta, et testes, quoad vim probandi æquiparentur : secus tamen fit in proposito. Ratio disparitatis, ac diversæ dispositionis juris est, quia non est in potestate producentis testes, de iisdem deliberare cum nesciat, quid dicturi sint. Econtra producens instrumenta, potest deliberare, an sint contraria necne, simulque alterum, quod maluerit, relinquere : quod si hoc non fecerit, sibi imputet; nam « vigilantibus, non negligentibus jura subveniant, » ut bene notat, et probat Glossa fin. cit. c. *Imputari.* h. t.

324. *Quando instrumenta contraria producuntur a diversis partibus, standum est digniori.* — Resp. II. Si vero instrumenta contraria, et quæ nulla ratione concordari possunt, a diversis partibus producantur, tunc standum est digniori scripturæ, v. g. publicæ, aut quæ magis caret falsi suspicione, arg. l. *Scripturas.* c. *Qui potiores in pignore, etc.* Ita Glossa fin. cit. c. *Imputari.* et Abbas ibid. n. 3. h. t. et alii. Idque desumitur ex l. *Scripturas.* c. *Qui potiores in pignore, etc.* juncto cit. c. *In nostra.* 32. *de Testib.* cum concordantiis.

325. *Si tamen aliqua ratione concordari possint, necesse est, ut inter se concordentur.* — Additur tamen, « et quæ nulla ratione concordari possunt. » Nam si instrumenta hinc inde producta, videantur quidem prima fronte contraria, sed re penitus inspecta possint aliqua ratione concordari, necesse est, ut ita inter se concordentur; tum quia, quantum fieri potest, jura juribus sunt concordanda, c. *Cum expediat.* 29. *de Election.* in 6; tum quia hoc ipsum est observandum in testibus, juxta Glossam communiter receptam, cit. c. *In nostra.* ỿ. *Adversa.* h. t. estque amplius dictum supra tit. XX. *de Testibus.* § 10. n. 321. Atqui testibus æquiparantur instrumenta; ergo.

326. *Quod si instrumenta hinc inde producta omnino sint æqualia, absolvendus est reus; præterquam in causa liberali.* Resp. III. Quod si instrumenta illa, seu scripturæ contrariæ hinc inde productæ omnino sint æquales, et paris auctoritatis, tunc reus est absolvendus : præterquam in causa liberali. Textus est in c. *Ex litteris.* 2. *de Probat.* Nam « promptiora sunt jura ad absolvendum, quam condemnandum, præterquam in causa liberali; » prout loquitur pontifex ibid. Unde regula est, quod actore non probante reus absolvitur, c. *Cum Ecclesia.* § fin. *de Causa possess.* cum similibus. Concordant ea, quæ generatim de prævalentia probationum inter se dicta fuerunt superius tit. XIX. *de Probationibus.* § 4, n. 80, 82 et 83, et tit. XII. *de Causa possessionis et proprietatis,* § 7, n. 239 et seqq.

327. *Instrumentum ob factam in parte substantiali rasuram potest reprobari : secus, si rasura est in parte non substantiali.* — Quæritur II. An instrumentum ob factam in eo rasuram possit reprobari? Resp. I. Si rasura, vel litterarum deletio sit facta in parte aliqua substantiali, instrumentum redditur suspectum de falsitate, ac proinde reprobari potest : secus, si ea sit facta in parte non substantiali, seu in loco non suspecto. Ita doctores communiter; estque uberius dictum l. I. tit. III, *de Rescriptis,* § 9, n. 224, et seqq.

328. Prima pars conclusionis desumitur ex c. *Inter dilectos.* h. t. et clarius ex c. *Cum venerabilis. de Religion. domib.* ubi instrumentum declaratur « invalidum, utpote de jure suspectum, propter superlinearem scripturam, et rasuram loco suspecto factam, ubi videlicet annotatio temporis recensetur. » Altera vero pars patet ex c. *Ex litteris.* h. t. ubi deciditur, propter abrasionem in narratione facti litteras non posse judicari falsas, nec haberi suspectas. Concordat cap. ult. *de Crimin. fals.* ubi propter paucarum litterarum rasuram in loco non suspecto, instrumentum non censetur falsum.

329. *Pars substantialis instrumenti, quæ?* — Porro « Pars substantialis instrumenti »

censetur ea ex qua potissimum vis instrumenti, ac mota desuper quæstio pendet, maximeque rei veritas deprehendi potest : uti est indictio, tempus datæ, sive annus Domini, et dies mensis; item nomen actoris vel rei, nomen loci, in quo factum est instrumentum, ac narratio juris, et hujusmodi. Pirhing h. t. n. 60. junctis dictis supra cit. tit. III. *de Rescriptis*. n. 226.

330. *Ob rasuram manu ejusdem notarii factam, aut de qua ipsemet attestatur, etc., non vitiatur instrumentum.* — Limita tamen primam partem datæ conclusionis una cum Glossa fin. in c. *Cum venerabilis. de Religios. domib.* et aliis doctoribus, nisi hujusmodi rasura cognoscatur esse facta manu ejusdem notarii, vel de qua tanquam a se facta notarius ipse attestatur : aut nisi ex antecedentibus, et consequentibus appareat, ita esse legendum, sicuti rasura inducat : quia tunc neque poterit esse suspicio falsitatis, neque vitiabitur instrumentum. Idemque dicendum, quando rasura non est in loco substantiali, juxta alteram partem datæ conclusionis : quod quia generaliter determinari nequit, hinc recte notat Menochius lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 187, n. 41. Judicis arbitrio esse relinquendum, quando rasura, vel interlineatura falsitatem arguat, necne. Accedunt dicta superius cit. tit. III. *de Rescriptis.* n. 226. et seqq. ubi plura de hoc, quæ proinde non videntur superflue repetenda.

331. *Amissio instrumenti originalis potest tripliciter fieri.* — Quæritur III. Quid juris, quando instrumentum fuit amissum? Ubi prænotandum, quod amissio instrumenti originalis possit tripliciter contingere. *Primo,* casu fortuito, v. g. incendio, naufragio, deprædatione hostium, aut hujusmodi. *Secundo,* ex proprio facto producentis : ut qui creditor chirographum reddidit debitori spe obtinendæ solutionis, aut illud ex incuria dilaceravit. *Tertio,* ex facto adversarii, instrumentum, v. g. dilacerantis, aut surripientis. Quo prænotato, atque ordinate inter præmissos modos amittendi instrumentum distinguendo.

332. *Amissio instrumenti non nocet, si possit fieri probatio negotii, v. g. debiti, per testes, vel alios modos.* — Resp. I. Amissio instrumenti non nocet, si possit fieri probatio ipsius negotii, v. g. debiti, per testes, vel alios legitimos modos. Ita textus, et Summarium in l. I. c. *de Fide instrument.* Ubi imperator cuipiam creditori rescribit, illis verbis : « Debitores tuos quibuscumque rationibus debere tibi pecuniam si probaveris, ad solutionem compellet aditus præses provinciæ : nec oberit tibi amissio instrumentorum, si modo manifestis rationibus eos debitores esse apparuerit. » Accedit ratio, quia non ad unam speciem probationis quis alligatus est, ut inquit Glossa ibid. ℣. *Quibuscumque,* istud inter alia probans ex l. III. § *Ejusdem.* ff. *de Testib.*

333. *Quando instrumentum dicitur omissum casu fortuito, oportet, ut illud allegans probet casum fortuitum, simulque tenorem instrumenti.* — Resp. II. Quando instrumentum dicitur fuisse amissum casu fortuito, puta, incendio, oportet, ut illud allegans probet hujusmodi casum fortuitum, simulque tenorem instrumenti. Ita habetur l. *Sicut iniquum.* c. h. t. ubi Salycetus in *Summario,* brevius sic loquitur : « Si creditor dicat, se perdidisse casu instrumentum debiti, non debent propterea qui dicuntur debitores, ad solutionem urgeri; nisi creditor probet casum, et tenorem instrumenti. » Idipsum amplius declarat Mascardus *de Probat.* concl. 910, n. 1 et 9. allegans plures alios.

334 *et* 335. *Tenor instrumenti amissi potest probari per testes dupliciter; et quomodo?* — Porro tenor instrumenti amissi potest probari per testes dupliciter. *Primo,* quando deponunt de eo quod est contentum in instrumento : ut quia fuerunt præsentes contractui celebrato, de quo postea publicum instrumentum, nunc casu fortuito amissum, per notarium fuit confectum. Et in hoc casu sufficiunt testes cæteroquin boni, seu idonei, licet non sint valde perditi, aut scientes legere, et scripturam notarii intelligere : testantur enim de proprio sensu, seu prout actus, quem tenor instrumenti exprimit, ipsis præsentibus est celebratus Mascardus cit. concl. 910. n. 7.

Secundo, potest tenor instrumenti probari per testes, qui licet tempore contractus celebrati non fuerint præsentes, postea tamen instrumentum desuper factum viderunt, ejusdemque tenorem legerunt. Atque ut tales testes rite probent tenorem instrumenti deperditi, necesse est, ut non solum sint viri boni, sed etiam valde periti, qui potuerunt defectus instrumenti, et litteris notarii cognoscere : simulque oportet, ut ipsi inter alia testentur, se ita legisse in dicto instrumento, et quod instrumentum illud non fuerit vitiosum : alioquin enim facile posset fraus committi. Abbas c. *Albericus,* n. 4. *de Testib.*

Alexander consil. 196, n. 11, lib. II. Bartolus l. *Sicut iniquum.* n. 2. c. *de Fide instrument.* Mascardus cit. concl. 910. n. 6 et 10. et seqq. allegans alios.

336. *Si instrumentum proprio facto deperditum fuit, hoc ipsum tenetur allegans v. g. creditor, probare. Creditores, qui citius dant quietantiam, quam receperint solutionem debiti, possunt opponere exceptionem non factæ solutionis, sed intra triginta dies tantum.* — Resp. III. Quod si instrumentum proprio facto deperditum fuit (puta, quia creditor chirographum reddidit debitori suo, aut istud dilaceravit spe optinendæ solutionis) tunc hoc ipsum tenetur allegans, v. g. creditor probare : alioquin pro debitore stat præsumptio liberationis, nisi contrarium probetur, l. *Si chirographum.* ff. *de Probat.*; Pirhing h. t. n. 80. Solum adde, quod creditores, qui citius dant quietantiam, quam receperint solutionem debiti, possint opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, seu non factæ solutionis, sed intra triginta dies tantum, l. *In contractibus.* § *Super cæteris.* c. h. t. estque jam dictum supra § 6. n. 184.

337. *Si tandem instrumentum facto adversarii, v. g. illud dilacerantis, periit, oportet ut istud legitime probetur; et tunc per solum juramentum spoliati probatur tenor instrumenti.* — Resp. IV. Si tandem instrumentum facto adversarii periit, puta, quia illud dilaceravit, vel abstulit, tunc oportet, ut de hoc facto adversarii constet, aut istud legitime probetur : facta autem tali probatione, postmodum per solum juramentum spoliati probantur contenta, seu tenor instrumenti, valorque rerum in eo contentarum. Ita desumitur ex l. *Si de Possessione,* juncta Glossa marginali, c. *de Probat.* et notat Abbas c. *Accepimus.* n. 4, h. t.; Mascardus concl. 911, n. 3 et 4; Engel h. t. n. 54. allegans communem. Ratio est, quia probata tali fraude, seu violentia, præsumitur contra adversarium, qui instrumentum dilaceravit, seu subtraxit. Unde in simili, probata violentia per testes, res amissæ earumque valor probatur per juramentum spoliati, cap. ult. *De iis, quæ vi metusve causa,* etc.

338. *Intelligendo istud in causis privatis; secus, ubi agitur de præjudicio v. g. ecclesiæ inde lædendæ.* — Intellige datam conclusionem in causis privatis, seu quando agitur de præjudicio juris cujuspiam privati instrumentum dilacerantis. Secus enim est dicendum, ubi agitur de præjudicio v. g. Ecclesiæ, ex tali dilaceratione lædendæ; prout notat Abbas cit. c. *Accepimus.* n. 4, h. t. et Pirhing eod. n. 8. Siquidem *delictum personæ,* puta, rectoris, vel procuratoris Ecclesiæ, instrumentum alterius dilacerantis, « non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare, » juxta reg. 76. jur. in 6. Ac proinde Ecclesia erit admittenda, si alio modo, v. g. per testes, ostendere velit falsitatem instrumenti, per suum rectorem vel procuratorem parti adversæ subtracti, aut dilacerati; nec sufficiet solum juramentum partis adversæ in præjudicium Ecclesiæ.

339. *Quid agendum, quando allegatur extravagans constitutio Papæ, de qua dubitatur, an sit authentica.* — Quæritur IV. Quid agendum, quando allegatur extravagans constitutio Papæ, de qua dubitatur, an sit authentica? Resp. quæstionem hanc resolvi in c. *Pastoralis.* 8. h. t. ubi pontifex distinguendum censet. Quia aut decretalis illa, de qua judex merito dubitat, est consona juri communi, aut dissona. Si prius, tunc, judex debet judicare secundum eam : « Cum non tam ipsius, quam juris communis auctoritate procedere videatur; » prout argumentatur pontifex. Si posterius, tunc est consulendus superior, seu Papa veluti conditor ipsius, ut in textu : nam ejus est interpretari legem, seu dubia circa hujus validitatem suborta resolvere, cujus est condere, l. ult. c. *de Legib.*

340. *Vel rescriptum Papæ, quod videtur prava suggestione obtentum?* — Simile quid habetur c. *Si quando.* 5. *de Rescript.* ubi is, ad quem rescriptum Papæ dirigitur, debet illi parere, aut causam rationabilem assignare, quare parere non possit. Verba ejus sunt multum notabilia, et sic sonant : « Qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur (inquit pontifex) diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas; aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas : quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum. » Hæc ibi.

TITULUS XXIII.

De Præsumptionibus.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Viso de testibus et instrumentis, procedit

compilator juris canonici ad aliud probationis genus, nempe ad præsumptiones: nam et hæ sunt quoddam probationis genus, dum quandoque plene probant, ut violentæ: quandoque semiplenam probationem faciunt: quandoque alias præsumptiones coadjuvant, uti patebit ex dicendis.

§ I.

QUID, ET QUOTUPLEX SIT PRÆSUMPTIO?

2. *Præsumere quandoque accipitur in malam partem.* — Quæritur I. Quid si præsumptio? Resp. I. Præsumptio, quantum vim nominis attinet, idem est ac *ante* et *sumptio,* hoc est, *Antesumptio;* quia videlicet ante legitimas probationes aliquid sumit pro vero. Menochius lib. I. *de Præsumptionib.* quæst. 7. n. 4. post Simancam lib. *Catholicar. institut.* tit. L. *de Præsumpt.* n. 4. et alii. Quamvis autem *præsumere* quandoque accipiatur in malam partem, seu pro temere audere, seu tentare aliquid contra jus; sumitur in c. *Sed nec clerici vel monachi,* etc. ibi: « Nec clericorum quisquam exercere præsumat, » cum similibus. Nibilominus in proposito; *Præsumere* idem est, ac ex verisimilibus argumentis, et conjecturis, aliquid existimare, ac *Præsumptio* dicitur existimatio; quæ ex verisimilibus resultat. Quod ut melius intelligatur.

3. *Ejus definitio ponitur, ac declaratur.* — Resp. III. Præsumptio est rationabilis conjectura (vel probatio) rei dubiæ, collecta ex argumentis et indiciis, quæ per rerum circumstantias frequenter eveniunt. Ita in re communis: quamvis plures aliæ ejus definitiones afferri soleant, uti videri est apud Mascardum *de Probation.* quæst. procem. 10, n. 8 et seqq. quarum potentissima est illa, quam inter alios sequitur Farinacius lib. I. *Praxis criminal.* quæst. 36. n. 72, et Pirhing h. t., n. 1, dicens; « Præsumptio est conjectura in rebus dubiis collecta ex argumentis, seu indiciis, per circumstantias frequenter evenientibus. »

4. *Qualiter differat a conjectura?* — Dicitur *primo,* « conjectura. » Quæ particula stat loco generis; quamvis non differat a præsumptione, nisi penes magis et minus: nam præsumptio importat magis determinatum assensum, seu judicium; conjectura vero potius suspicionem. Pirhing h. t. n. 3. Et additur, « rationabilis: » ad excludendam conjecturam, et præsumptionem temerariam.

5. *Conjectura, quid? Sumitur quandoque pro præsumptione.* — Quia vero nonnulli volunt, conjecturam idem esse quod indicium: in quo sensu Menochius *de Præsumpt.* lib. I. quæst. 7. n. 28. et Mascardus, *de Probation.* quæst. procem. 14. n. 3. cum aliis asserunt, quod conjectura sit latentis rei indicium: sicque ly, « conjectura, » in data definitione non posset stare loco generis, cum præsumptio sit effectus indiciorum. Plures etiam tenent, quod conjectura et præsumptio idem sint, atque unum pro altero in jure accipiatur; ut l. un. juncta Glossa ℣. *Conjectura.* ff. *Si tabulæ testament. extab.* ac notat Farinacius lib. I. *Praxis Criminal.* quæst. 36. n. 273. et Mascardus cit. quæst. 14, n. 2, allegans alios: in qua acceptione rursus ly, « conjectura, » male poneretur loco generis, quia idem definiretur per idem.

6, *Præsumptiones quandoque plene probant, quandoque semiplene, etc. An sint vera probatio.* — Hinc in data præsumptionis definitione sub disjunctione additur, « vel probatio. » Quæ particula extra controversiam potest stare loco generis: nam in proposito agitur de præsumptionibus, prout ipsæ præter testes et instrumenta, solent in judiciis deservire loco probationum. Siquidem præsumptiones quandoqne plene probant; ut violentæ; quandoque semiplenam probationem faciunt: quandoque alias præsumptiones, seu conjecturas adjuvant; prout loquitur Abbas ad rubric. h. t. atque amplius ex dicendis patebit. Quinimo præsumptio dicitur esse vera probatio in materia, in qua probationes præsumptive duntaxat fieri possunt; puta, in filiatione, ac hujusmodi: ut post Decium in rubric. *de Probat.* n. 17 et 166. fatetur ipsemet Mascardus quæst. 10. procemial. n. 16. haud obstante, quod n. 14. asseruerit, præsumptionem in genere sumptam esse minus, quam simplicem probationem.

7 et 8. *Præsumptio cedit veritati. Est effectus indiciorum. Præsumptio alia est probabilis, alia violenta, alia temeraria.* — Dicitur deinde in data n. 3. præsumptionis definitione, « rei dubiæ, seu controversæ. » Quia præsumptio locum habet solummodo in dubiis: alioquin, si constet de re ipsa, præsumptio cedit veritati, l. *Imperatores.* ff. *de Probation.*

Dicitur ulterius, « ex argumentis, seu indiciis, per rerum circumstantias plerumque evenientibus desumpta, » tum quia præsumptio est effectus indiciorum; et quo graviora vel leviora sunt indicia, eo præsumptio est major vel minor: ipsa enim variatur,

debilitatur, fortificatur plus minus, prout suadent indicia, ex quibus resultat. Unde fit, quod quædam præsumptio sit probabilis, alia violenta, quædam vero temeraria : qualis est illa quæ absque ullis indiciis, vel saltem non sufficientibus concipitur; ac proinde est rejicienda et repellenda, neutiquam vero admittenda. can. *Oves*. 6. q. 1. cum concordantiis a Glossa fin. ibid. adductis. Verum quia præsumptio in ordine ad indicia explicatur, operæ pretium est etiam de his mentionem facere; unde :

9. *Indicium proprie acceptum, quid?* — Quæritur II. Quid et quotuplex sit indicium? Resp. I. Indicium proprie acceptum, est notabile signum maleficii, vel alterius rei deserviens ad veritatem cognoscendam. Ita Joan. Andreas in *Addit. ad Speculator*. tit. *de Probation*. § ult. n. 19. ỳ. *Sciant*. Abbas c. *Tertio loco*. n. 7. *de Probat*. Sannig h. t., cap. I. n. 2. et alii. Idque desumitur ex c. *Præterea*. 27. *de Testib*. et c. *Tuæ nos*, 19. § *Mane itaque de homicid*. cum similibus. Et dicitur « indicium, » hoc est, argumentum, quia rem indicat; prout loquitur Glossa in l. *Indicia certa*. c. *de Rei vindicat*. Quale indicium solet insurgere ex aliqua singulari circumstantia. Nebrissensis in *Vocabulario juris*. ỳ. *Indicium* : unde et in data definitione appellatur « notabile signum. »

10. *Indicium sumitur quandoque pro plena probatione, ac pro præsumptione juris, et violenta. Proprie tamen acceptum, est quid minus semiplena probatione.* — Additur vero. « indicium proprie dictum. « Quia indicium, sic dictum generatim ab indicando, habet nonnullas alias acceptiones : et quandoque sumitur pro plena probatione; ut l. ult. c. *de Probation*. ibi : « Vel indiciis ad probationem indubitatis, et luce clarioribus : » juncto textu in d. l. *Indicia certa*. c. *de Rei vendicat*. Quandoque pro præsumptione juris, aut pro præsumptione violenta, qualis sufficit ad ferendam sententiam, arg. l. *Solent*. ff. *de Præscriptis verbis*. ac notat Joan. Andreas, et Abbas, ubi supra. Indicium tamen proprie acceptum, et prout impræsentiarum definitur, est quid minus semiplena probatione. Glossa in l. *Cum probatio*. ỳ. *Deficit*. ff. *de Probation*. Bartolus l. *Excusantur*. § *Ad declarationem*. ff. l. II. ff. *de Excusation. tutor*. Mascardus quæst. 15. proœm. n. 4.

11. *Indiciorum multiplex est divisio.* — Resp. II. Indiciorum multiplex est divisio : aliud enim est indicium plenum, vel semiplenum : aliud proximum, vel remotum : aliud leve, grave, vel gravissimum. Ita Menochius lib. I. *de Præsumptionib*. quæst. 7, n. 14, post Baldum in l. *Ea quidem*. n. 8. c. *de Accusation*.; Farinacius l. I. *Praxis divisio criminal*. quæst. 36. n. 35. et seqq.; Pirhing h. t. n. 2; Mascardus, cit. quæst. 15, n. 8 et 9. et alii. Idque declaratur inductione : siquidem.

12. *Indicium plenum, seu indubitatum ac certum; quid?* — « Indicium plenum, seu (ut loquuntur) indubitatum, » est illud, quod est sufficiens ad movendum animum judicis ad plenum assensum : hoc est, quod ita arctat animum judicis, ut omnino credat, et plus investigare non curet. Et tale indicium, sive sit unum, sive conjunctum cum aliis, etiam « indicium certum » appellatur, cit. l. *Indicia certa*. c. *de Rei vendicat*. Quale fuit illud, quod habuit Salomon in muliere rogante, ne infans divideretur, eo quod commota fuissent viscera ejus, veluti veræ matris, c. *Afferte* 2. h. t. Tale etiam indicium foret homicidii ab eo perpetrati, qui egressus fuit e loco commissi homicidii totus pallidus, et gladium habens sanguinolentum. Abbas c. *Tertio loco*. n. 8. *de Probation*. ponens nonnulla alia exempla indicii indubitati.

13. *Indicium semiplenum, seu dubitatum, quid?* — « Indicium semiplenum, » seu « dubitatum » vero, est signum fortiter movens animum judicis ad aliquid credendum, vel discredendum, sed cum aliquali dubio. Et de hoc procedit Glossa in d. l. *Cum Probatio*. ỳ. *Deficit*. ff. *de Probation*. dicens, quod « indicia sint minus quam semiplena probatio : » de quibus nunc potissimum sermo est.

14. *Indicium proximum, et remotum, quid?* — « Indicium proximum » dicitur, quod immediate tangit ipsum negotium, vel maleficium, de quo quæritur. « Indicium remotum » vero est, quod immediate non respicit veritatem delicti, seu negotii controversi, sed circumstantias ejus. Farinacius cit. quæst. 36. n, 45. et seqq. allegans alios.

15. *Indicium leve, grave, et gravissimum, quid?* — « Indicium leve » censetur illud, quod non multum urget : unde suspicionem tantummodo gignit. Layman lib. III. *Theolog. moral*. tract. VI. cap. v. n. 2; Pirhing h. t., n. 2. Sive, ut loquitur Farinacius, loc. cit. n. 54. Indicium leve est, quod frequenter et facile contingit abesse a tali negotio, ac reperiri in alio. « Indicium grave » contra est, quod frequenter contingit adesse, seu in tali

negotio, aut maleficio intervenire : unde consurgit præsumptio, seu opinio non levis, etsi necdum omnino certa, de commisso v. g. « Indicium gravissimum » censetur, quod frequentissime solet adesse : ac proin parit assensum moraliter certum.

16. *Alia horum indiciorum explicatio, juxta Jul. Clarum.* — Alio modo hanc indiciorum divisionem explicat Jul. Clarus lib. V. *Pract. criminal.* § fin. quæst. 20. n. 1. et 2. dum « Indicia levia » appellat ea quæ sufficiunt ad capturam, ut reo tollatur facultas fugiendi; ac etiam ad inquirendum, id est, assumendas ex officio informationes contra aliquem de delicto : non tamen sufficiunt ad transmittendam ipsi inquisitionem, vel citationem. « Indicia gravia » vero nominat, quæ sufficiunt ad transmittendam reo absenti inquisitionem, eumque super delicto examinandum, atque ad ipsum torquendum. « Indicia gravissima » tandem vocat ea, quæ sufficiunt etiam ad condemnandum, arg. l. *Sciant cuncti.* c. *de Probat.* Verum hæc Clari descriptio indiciorum procedit in solis causis criminalibus, ut patet : simulque respicit potius effectum indiciorum quam illorum substantiam; unde merito retinetur prior.

17. *Quæ indicia sint levia, vel gravia, judicis arbitrio relinquitur.* — Porro quænam indicia in casibus particularibus sint levia, vel gravia, adeoque sufficientia ad capturam, vel inquisitionem, aut torturam, prudentis judicis arbitrio est relinquendum. Farinacius cit. lib. I. quæst. 1. n. 45; Menochius lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 270, n. 4. citans alios; estque jam dictum supra tit. XVIII. *De Confessis.* § 4, n. 112, et § 6, n. 139 et seqq. enumerando quædam legitima indicia in specie. Quamquam ejusmodi arbitrium debeat esse regulatum; id est, debeat regi secundum jura, et æquitatem, non autem pro mera judicis voluntate assumi. Mascardus cit. quæst. 15. n. 16, estque in simili dictum supra tit. XIX. *de Probationibus*, § 3, n. 60. Nunc redeundo ad præsumptiones.

18. *Præsumptio est multiplex.* — Quæritur III. Quotuplex sit præsumptio? Resp. I. Præsumptio est multiplex; uti notat Glossa c. *Is qui fidem.* ℣. *Contra præsumptionem de Sponsalib.* et alia Glossa in l. ult. ℣. *Præsumptioni.* ff. *De eo quod metus causa*, etc. cum communi. Idque probatur inductione. Imprimis enim præsumptio alia est juris, alia hominis.

19. *Præsumptio juris quæ?* — « Præsumptio juris » (seu canonis, aut legis) dicitur illa, quæ in jure habetur expressa : hoc est, quæ a lege nominatim fit, aut ab ea approbatur. Sperellus decis. 174. *Fori Ecclesiast.* n. 50. Menochius lib. I. *de Præsumpt.* quæst. 5. n. 6. Sive, « præsumptio juris, » dicitur quando jus ipsum super incerto præsumit quidpiam ex conjecturis; atque ex tali præsumptione aliquid decernit. Abbas c. *Quanto.* n. 2. h. t.; Mascardus quæst. procem. 10. n. 31. et alii. Exemplum hujus extat in cap. ult. *de Restitut. spoliat.* in 6. ubi decimæ præsumuntur spectare ad ecclesiam parochialem, nisi aliud ostendatur. Item l. *Sive possidetis.* c. *de Probation.* ubi dominium patris præsumitur continuatum in filium hæredem; non in eum, qui contendit rem sibi fuisse donatam a patre, nisi istud probaverit. Alia hujusmodi exempla passim occurrunt in utroque jure.

20. *Præsumptio hominis, quæ?* — « Præsumptio hominis » econtra dicitur, quæ nullo jure scripta reperitur, sed juxta rerum, circumstantiarumque exigentiam, et varietatem prudentis hominis, puta judicis, arbitrio concipitur. Sive, ut inquit Abbas cit. c. *Quanto.* n. 3. h. t. Præsumptio hominis est, quando judex ex aliquibus conjecturis quidpiam pro vel contra aliquem, seu in aliqua causa præsumit : ubi jus specifice aliquid non præsumit. Quia enim judex debet animi sui motum informare ex argumentis, et testimoniis, quæ rei aptiora esse compererit, l. III. ff. *de Testib.* et can. *Si testes.* 4. q. 3. cum concordantiis : ad hoc autem non semper possit habere veram scientiam facti per sensum aliquem corporeum, nisi forsan factum sit notorium permanens; hinc oportet, ut quandoque animi sui motum informet ex præsumptionibus, quæ causentur ex variis conjecturis, indiciis, aut etiam dictis testium. Et hæc dicitur « Præsumptio hominis. »

21. *Cur non omnis præsumptio legitima, sit præsumptio juris?* — Dices. Omnis præsumptio legitima, et non temeraria, fit lege approbante; ergo nulla datur præsumptio hominis duntaxat. Resp. neg. consequent. Quia ad præsumptionem juris requiritur, ut specialiter sit aliqua lege, seu canone expressa, prout fit in allatis n. præced. exemplis : unde non sufficit, quod tantum terminis generalibus sit permissa.

22. *Præsumptio naturæ, quid?* — Addit Glossa in cit. c. *Is qui fidem de Sponsalib.* et l. ult. ff. *De eo, quod metus causa*, etc. præ-

sumptionem naturæ, et præsumptionem facti. Et quidem « Præsumptio naturæ » dicitur illa, quæ resultat ex illis, quæ nobis naturaliter insunt : ut amor filiorum, qui præsumitur erga parentes, et econtra, cum nobis sit insitus a natura. Unde in dubio non præsumitur mater, quæ non diligit filium, c. *Afferte*. 2. h. t. prout exemplificat Mascardus *de Probat.* concl. 1226. n. 4. Similiter juxta Glossam loc. cit. si parens exhæredavit filium præsumitur contra eum, quod injuste exhæredaverit; et hoc propter naturam : nisi ab eo, vel ejus hæredibus, justa causa exhæredationis probetur, l. *Omnimodo*. c. *de Inoffic. Testament.*

23. *Præsumptio facti, quid? et quotuplex.* — « Præsumptio facti » dicitur, quando præsumitur ex subsequentibus factis circa præterita, vel præteritis circa futura. Siquidem « Præsumptio facti » alia est præcedentis circa futura : ut si semel calumniatus es contra me, et iterum velis me accusare, præsumitur quod rursus velis calumniari, l. *Si cui*. § *Iisdem*. ff. *de Accusation*. et can. *Si accusatorum*. 3. q. 10. et c. *Semel malus*. 8. *de Reg. Jur.* in 6 cum similibus. Unde vulgati illi versiculi :

Rumor de veteri faciet ventura timeri.
Cras poterunt fieri turpia, sicut heri.

Alia « Præsumptio facti » est subsequentis circa præterita, quando nimirum ex facto subsequenti præsumitur circa præteritum : cum aliqui accusati fuerunt de adulterio, quod depellebant prætextu consanguinitatis, si postea in matrimonium se conjunxerint, præsumitur facinus præteritum, de quo antea fuerunt accusati, l. *Si qui adulterii*. c. *Ad leg. Jul. de Adulteriis*, cum similibus.

24. *Præsumptio juris subdividitur; et alia est.* — Resp. II. Præsumptio juris subdividitur in præsumptionem juris tantum, et in præsumptionem juris et de jure. Ita Abbas c. *Quanto*. n. 3. h. t. et communis aliorum. Ratio est, quia quandoque jus præsumit aliquid ex conjecturis in tantum, quod super illa præsumptione quid certum statuat, illudque veluti verissimum haberi velit : et hæc appellatur « Præsumptio juris et de jure. » Aliquando autem jus aliquid præsumit, sed super sua præsumptione non ita firmat pedes, ut super illa certum quid statuat : et hæc simpliciter vocatur « Præsumptio juris. » Itaque :

25. *Præsumptio juris tantum.* — « Præsumptio juris » tantum est illa, cui jus tamdiu innititur, donec contrarium probetur. Sic de jure quilibet præsumitur bonus, nisi probetur malus; ut c. *Mandata*. et cap. ult. h. t. Et econtra, « semel malus semper præsumitur esse malus » (intellige, in eodem genere delicti, et nisi de emendatione appareat) juxta reg. 8. juris in 6. Similiter vicinus hac juris præsumptione præsumitur scire ea, quæ sunt facta in vicinia, c. *Quosdam*. et seqq. h. t. ubi plura alia hujusmodi exempla habentur.

26: *Præsumptio juris et de jure, quæ?* — « Præsumptio juris et de jure » illa dicitur, propter quam lex aliquid certum statuit. Abbas c. *Inter alia*. n. 6. et 7. *de Immunitat. Eccles.* Sive « præsumptio juris et de jure » est ea, cui jus adeo fortiter innititur, ut eam plene pro veritate habendam decernat. Unde hæc tantum operatur in foro judiciali, quantum veritas. Abbas c. *Is qui fidem*, n. 2. *de Sponsalib.* Neque recipit probationem in contrarium, c. *Is qui fidem. de Sponsalib.* ut amplius dicetur infra n. 52. Et merito hæc dicitur esse « Præsumptio juris, » utpote cum sit a lege introducta : simul « et de jure, » quia super hac præsumptione lex firmum sancivit jus, eam pro veritate haberi voluit. Exemplum habetur cit. c. *Is qui fidem. de Sponsalib.* de matrimonio taliter præsumpto. Item Clem. *Litteris de probat.* ubi contra litteras summi pontificis, de facto proprio attestantis, non admittitur probatio in oppositum. Talis etiam præsumptio juris, et de jure, est contra tutorem, quod res in inventario ab eodem descriptæ vere fuerint in bonis defuncti, l. ult. c. *Arbitrium tutelæ*. Omittuntur alia hujusmodi exempla, quæ Glossa fin. cit. c. *Is qui fidem*. ✝. *Contra præsumptionem de Sponsalib.* adducit.

27. *Præsumptio juris quomodo differat a fictione juris? Remissive.* — Cæterum, qua ratione præsumptio juris differat a fictione juris, quidque sit fictio juris, fusius, atque ex professo dictum fuit lib. 1. tit. II. *De Constitutionibus*. § 8. n. 176. et 181. ac seqq.

28. *Præsumptio hominis est triplex.* — Resp. III. Præsumptio hominis est triplex : videlicet violenta, probabilis, et levis seu temeraria. Ita communis. Ratio est, quia præsumptio est collecta ex indiciis, uti liquet ex ejus definitione n. 3. allata : atqui hujusmodi indicia quandoque sunt gravia, vel etiam violenta; quandoque levia, vel etiam nullius momenti; ergo. Itaque :

29. *Violenta.* — « Præsumptio violenta, »

seu vehemens sic dicitur, quia in applicando animum violentat, seu vehementer trahit mentem judicis ad credendum; et ideo hæc quandoque sufficit ad condemnationem; ut c. *Afferte*. 2. h. t.

30. *Probabilis, et temeraria, quæ?* — « Præsumptio probabilis » est, quæ ex aliquibus verisimilibus indiciis oritur : et hæc quandoque purgationem canonicam indicit, ut c. *Si quis de gradu. de Purgat.* canon. cum concordantiis : quandoque alios habet effectus, de quibus n. 34. et 36. et seqq. Tandem « Præsumptio temeraria » censetur ea, quæ vel ex causis, levibus, ac proinde insufficientibus, vel ex factis æque in bonam et malam partem referibilibus concipitur : et hæc est rejicienda can. *Oves*. 6. q. 1. atque illico amplius dicetur.

§ II.

DE EFFECTU PRÆSUMPTIONUM SEU QUALITER PROBENT.

31. *Præsumptio hominis quam vim probandi habeat? Levis seu temeraria nihil probat, sed est repellenda.* — Quæritur I. Quam vim probandi habeat præsumptio hominis? Resp. I. Præsumptio levis, seu temeraria, nihil omnino probat; quin potius est penitus repellenda. Ita Glossa marginalis can. *Oves*. 6. q. 1. Vallensis h. t. § 4. n. 1. et communis. Et merito : quia præsumptio levis, utpote ex insufficientibus causis temere concepta, importat suspicionem temerariam : atqui « omnis suspicio potius repellenda est, quam approbanda, vel recipienda, » ut loquitur textus cit. can. *Oves*. 6. q. 1. In nullo potest enim prudenter movere animum judicis : unde et can. *Primo semper*. 2. q. 1. Judicibus præcipitur : « Nullum suspicionis arbitrio judicetis. » Et c. *Inquisitioni*. 44. § fin. *de Sentent. excomm.* dicitur, conscientiam levis et temerariæ credulitas esse explodendam.

32. *Probabilis, seu rationabilis, relinquitur arbitrio judicis; ac tantum probat quantum ei videbitur. Præsumptio facit gradum probationis juxta quod indicia stringunt.* — Resp. II. Præsumptio hominis, quæ videlicet jure expressa non habetur, et cæteroquin probabilis seu rationabilis existit, prudenti judicis arbitrio relinquitur; ac tantum probat, quantum secundum subjectam materiam, et spectata indiciorum gravitate, judici videbitur. Ita Abbas c. *Is qui fidem*. 30. n. 6. *de Sponsalib.* ubi inter alia dicit : quod de his non possit dari certa regula, sed juxta quod indicia stringunt, præsumptio faciat gradum probationis : atque amplius tradit idem Abbas. c. *Quanto*. n. 3, h. t.; Bartolus l. *De ætate*. n. 8, vers. « Ad cujus evidentiam. » ff. *de Minorib.*; Menochius l. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 117, n. 2; Mascardus *de Probat.* concl. 1227, n. 1. et alii. Ratio est, quia ubi judex non potest perduci ad veram scientiam facti per aliquem sensum corporeum, debet is animi sui, motum informare ex argumentis et testimoniis, quæ rei aptiora, et vero proximiora esse compererit, l. III. ff. *de Testib.* et can. *Si testes*. 4. q. 3. § 1. et c. *Causam quæ*. 14. *de Sentent. et re judicat.* junctis concordantiis ac Glossa hic ✝. *Speciem*, allegatis. Atqui hoc ipsum non est aliud, quam relinquere arbitrio judicis, quantum in casibus specificis probent singula argumenta, seu conjecturæ , sicque quantum gradum probationis præsumptio inde resultans, efficiat. Accedit. quod generatim, quænam probatio hic et nunc sit plena et concludens, nec ne judicis arbitrio relinquatur, juxta dicta tit. XIX. *de Probationibus*. § 3 n. 60. Atque, ut ibidem n. 63. et seqq. subjungitur, plures dentur casus in quibus non requiritur plena probatio, sed sufficit semiplena, vel alia ex conjecturis deprompta. Unde consequens est, quod judex, ut arbitrium suum sit regulatum, teneatur attendere ad subjectam materiam, de qua controvertitur, et gravitatem indiciorum.

33. *Idque declaratur inductione.* — Hoc ipsum declaratur inductione. Nam tacendo nunc præsumptionem temerariam, qualis foret, si quis ex eo duntaxat, quod viderit v. g. Titium cum muliere loquentem, vellet præsumere adulterium, estque penitus rejicienda, juxta proxime dicta. Quandoque dantur conjecturæ aliqualiter urgentes, quæ sufficiunt ad causandam suspicionem, et præsumptionem probabilem : ut si Titius ille cum quapiam puella sæpius fuit visus in secreto loqui, et confabulari, arg. can. *Clericus solus*. dist. 81. Aliquando possunt esse conjecturæ, atque indicia magis urgentia, quæ proinde causant præsumptionem magis vehementem : aliquando etiam possunt ipsa esse urgentissima, ita ut generent præsumptionem violentam. Atqui nequit certa regula generalis dari, quænam indicia in singulis casibus specificis sufficiant ad generandam

hanc, vel illam præsumptionem; ergo non nisi prudenti judicis arbitrio oportet istud relinquere determinandum. Verum ponendo regulas quasdam generaliores, ad regulandum, seu rite informandum arbitrium judicis accommodas.

34. *Præsumptio hominis, cæteroquin probabilis, se sola probat tantum semiplene.* — Resp. III. Præsumptio hominis, quæ cæteroquin est rationabilis seu probabilis, se sola probat tantum semiplene: si vero adjuvetur publica fama, vel aliis adminiculis, potest etiam facere plenam probationem. Ita Glossa fin. c. *Insinuatum de Simonia.* Abbas cit. c. *Quanto.* n. 3. h. t. Baldus ad rubric. h. t. n. 2. asserens, quod præsumptio juris faciat plenam probationem, cui standum est, nisi contrarium probetur; præsumptio hominis autem solum semiplene probet, nisi coadjuvetur aliis videlicet adminiculis. Menochius l. I. *de Præsumptionib.* quæst. 94. n. 3. et 4. asserens, sententiam ferri non debere contra aliquem ex præsumptione hominis probabili; secus, ex violenta. Vallensis h. t., § 4, n. 1 et 2. Sannig eod. cap. II, n. 4. et alii. Prior pars desumitur ex c. *Inquisitioni.* 44. § fin. *de Sentent. excomm.* et c. *Tertio loco.* 13. h. t. ubi habita tali præsumptione probabili, defertur partibus juramentum suppletorium; istud enim deferri non potuisset, si præsumptio illa semiplene non probasset, arg. l. *In bonæ fidei.* c. *de Rebus credit.* neque potuisset exigi, si dicta præsumptio plene probasset, cap. II. *de Probation.* Accedit ratio, quia indicia, quibus innititur præsumptio hominis, atque ex variis hominum moribus, et opinionibus oriuntur, sunt quidem verisimilia; unde et sufficiunt ad torturam, juxta Bartolum l. I. a princip. ff. *de Quæst.* et alios: quia tamen adhuc sunt debilia, et fallere possunt, sicque non urgent ad indubitate credendum, et concludendam veritatem facti; hinc præsumptio inde concepta censetur duntaxat probabilis et verisimilis, ac proinde nequit plene probare, sed semiplene tantum, juxta prudens judicis arbitrium.

35. *Si vero adjuvetur publica fama, vel aliis adminiculis, potest etiam facere plenam probationem.* — Altera pars colligitur ex c. *Tertio loco.* 13. juncta Glossa, et doctoribus ibid. h. t., ubi præsumptio, alias probabilis tantum, de commissa copula carnali sponsi cum nepte sponsæ concepta ex eo, quod fuerint a testibus insimul visi per plana et nemora, vias et invia plus circumvagari, plene probavit accedente fama viciniæ, et propria partium confessione jurata: haud obstante, quod contra valorem matrimonii, atque ad obtinendam sententiam divortii deposuerint; quam etiam obtinuerunt. Concordat textus in c. *Illud quoque.* 11. h. t. juncto Summario, ubi dicitur, per cohabitationem diutinam, et famam de matrimonio, aliaque adminicula, probari matrimonium. Accedit, quod plura indicia de se insufficientia, conjungantur ad eumdem effectum probationis; simulque duæ probationes semiplenæ, faciant unam probationem plenam, juxta uberius dicta supra tit. XVIII. *De Confessis.* § 6. n. 142. et tit. XIX. *de Probationibus.* § 4. n. 198. et seqq. (ADNOTATIO IX.)

36. *Præsumptio hominis potest illum, qui contrarium asserit, gravare onere probationis, si judici videatur.* — Resp. IV. Insuper præsumptio hominis, si judici videatur, potest illum, qui asserit contrarium gravare onere probationis. Ita Bartolus in l. *De ætate.* n. 8. ff. *de Minorib.;* Mascardus cit. concl. 1227, n. 3, allegans alios; idque exemplificans in Actore, qui pro fundamento suæ intentionis allegat ætatem majorem: nam si judex ex aspectu corporis arbitrabitur quod revera actor habeat ætatem majorem, poterit absque alia actoris probatione gravare reum, ut probet contrarium, sicque onus probandi in ipsum transferre. Siquidem ætas hominis, cæteroquin est difficilis probationis, inter alia potest probari ex aspectu: qualis tamen probatio multum relinquitur arbitrio judicis. Menochius l. II. *de Arbitrar. judic.* cas 117. n. 1. et alii.

37. *Violenta præsumptio hominis transfert onus probandi in adversarium.* — Resp. V. Violenta præsumptio hominis pro aliquo, transfert onus probandi contrarium in adversarium non probato, facit plenam probationem; adeo, ut ad condemnationem sufficiat, saltem in causis civilibus non nimium arduis. Primam partem probat textus in c. *Veniens.* et Abbas ibid. n. 3. *de Presbyt. non baptizat.* et c. *Ut nostrum.* § *Porro.* « Ut ecclesiastica beneficia, » etc., ubi ob hujusmodi violentam præsumptionem refunditur onus probandi in adversarium.

38. *Contra præsumptionem violentam admittitur probatio in contrarium.* — Ex quo consequens est, quod contra præsumptionem violentam admittatur probatio in contrarium. Glossa fin. cit. c. *Veniens.* et Abbas cit. n. 3. *de Presbyt. non baptizat.* Qui tamen

addit, quod probatio talis debeat esse evidentissima: siquidem, ut loquitur textus ibid. violenta præsumptio « pro certitudine est habenda: donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probetur. » Nec immerito: quia efficacior probatio requiritur ab eo, qui probare vult illud, quod non est verisimile, c. *Qui verisimile*. 10. h. t.

39. *Ea sufficit ad sententiam, saltem in causis civilibus non nimium arduis.* — Altera pars traditur de Abbate in c. *Quanto*. 3. h. t. ubi ait, quod violenta præsumptio dicatur illa, quæ sufficit ad sententiam: quia quasi violenter tradit judicem ad credendum. Sic in c. *Afferte*. h. t. refertur, quod Salomon, regum sapientissimus, ex violenta quadam præsumptione tulerit sententiam inter duas fœminas, de filio vivente coram eo litigantes. Ubi proinde Summarium, Joan. Andreas, Felinus, aliique doctores passim, sic loquuntur: « Ex violenta præsumptione fertur diffinitiva. » Quænam autem in specie sit censenda præsumptio violenta, non nisi judicis arbitrio determinari potest, juxta dicta n. 32. Additur etiam in conclusione: « adeo ut ad condemnationem sufficiat, saltem in causis civilibus non nimium arduis, ob dicenda inferius n. 61. et 62. et seqq.

40. *Præsumptio naturæ transfert onus probandi in adversarium. Prima facie præsumitur quis idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur.* — Resp. VI. Præsumptio naturæ seu resultans ex iis, quæ nobis naturaliter insunt, tantam obtinet vim in materia probationum, ut transferat onus probandi in adversarium; hoc est, in eum, qui asserit aliquid contrarium præsumptioni naturali. Ita Glossa fin. cap. ult. h. t. juncto textu ibid. asserente, quod quis « prima facie præsumitur idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur. »

41. *Et quomodo istud sit intelligendum? Idoneitas, seu qualitas, alia est homini instrinseca, alia instrinseca; et de qua procedat præsumptio naturæ?* — Hoc tamen intelligendum est de idoneitate intrinseca, cum qua homo nascitur, non de extrinseca; prout notat Abbas ibid. n. 7. estque uberius dictum supra l. I. tit. XII. *De Scrutinio in ordine faciendo*, n. 10. Nam ut inquit Glossa c. *Si forte*. ℣. *Scientiæ. de Election.* in 6. et communis doctorum, quædam qualitas est homini intrinseca, cum qua videlicet homo nascitur; nempe quod aliquis sit castus, pacificus, sobrius, etc. Et hanc quis præsumitur habere, donec contrarium probetur, cit. cap. ult. h. t. et cap. un. *de Scrutinio in ord. facienа.* cum similibus: unde consequens est, quod loquendo de hac qualitate, seu idoneitate intrinseca, præsumptio naturæ transferat onus probandi in adversarium, qui eam inesse negat. Quædam vero qualitas est homini extrinseca; ut litteratura, seu quod aliquis sit vir doctus, bonus musicus, etc. Et talis debet probare, neque de hac procedit præsumptio naturæ.

42. *Nemo præsumitur malus: nisi probetur malus.* — Eamdem conclusionem, seu quod præsumptio naturæ transferat onus probandi in adversarium, tradit Mascardus concl. 1226. *de Probat.* n. 6. et seqq. allegans alios: quæ præter jam dicta, probatur etiam ex l. *Omni modo.* juncta Glossa ℣. *Non licebit.* c. *Inofficios. testament.* et l. II. ubi Glossa ℣. *Probationibus.* c. *Qui testamenta facere*, etc. et cap. un. *de Scrutinio in ordin. faciend.*, ubi dicitur quod quis « illum, quem indignum esse non novit, dignum debeat æstimare. » Unde illud vulgatum: « Nemo præsumitur malus, nisi probetur malus; » prout desumitur ex c. *Mandata*. 6. h. t. et can. *In cunctis*. 11. q. 3. cum similibus. Quia enim contra præsumptionem naturæ est, aliquem dicere malum, istud asserenti incumbit onus probandi.

43. *Præsumptio naturæ non transfert onus probandi in adversarium, quando id quod naturaliter inest constat postea esse mutatum.* — Limitatur tamen data conclusio, et præsumptio naturæ non transfert onus probandi in adversarium, quando id, quod naturaliter inest, constat postea esse mutatum. Quia, si est superinducta nova qualitas, quam naturalis, ea semper præsumitur inesse, donec doceatur sublata, c. *Semel malus*. 8. *de Reg. jur.* in 6; Felinus cap. ult. n. 15. h. t; Mascardus cit. concl. 1226. n. 16. et alii.

44. *Idem dicendum quando agitur de præjudicio tertii, nisi aliter probetur actoris intentio.* — Limitatur etiam, quando agitur de præjudicio tertii. Quia præsumptio naturæ non valet ad jus tertii perimendum, nisi aliter probetur actoris intentio. Divus Thomas 2. 2. q. 70. art. 3. ad. 2. asserens, de quolibet præsumendum esse bonum, nisi appareat contrarium; dummodo non vergat in periculum alterius: quia tunc est adhibenda cautela, ut non de facili unicuique credatur, secundum illud. I *Joan.* IV, 1. *Nolite credere omni spiritui*. Glossa in can. *Si quis præpropera*. dist. 50. ℣. *Videri*, dicens, cuipiam imputari, quod nimis est credulus. Mascardus

cit. concl. 1226. n. 20. et 21. cum aliis. Unde, si talis præsumptio vergat in præjudicium tertii, non transfert onus probandi in adversarium; cum lex ex parte actoris ultra talem præsumptionem, aliud probationis genus requirat Sic quippe jura decreverunt, ut unius, etiam judicis, verbo non credatur in præjudicium alterius, nisi aliorum testium adminiculo fulciatur, c. *Cum a nobis*. 28. *de Testib.* cum similibus: haud obstante, quod fit præsumptio naturalis, quempiam esse veracem, nec mentiri. donec probetur oppositum. Glossa fin. in c. *Sicut nobis*. 39. *de Sentent. excommun.*

45. *Præsumptio juris, quos operetur effectus in materia probationum? Ubi hæc stat pro aliquo, tunc ipse relevatur ab onere probandi. Qui habet præsumptionem juris pro se, dicitur habere intentionem suam fundatam.* — Quæritur II. Præsumptio juris quos operetur effectus in materia probationum? Resp. I. Præsumptio juris, ubi stat pro aliquo, tunc ipse relevatur ab onere probandi, atque istud transfertur in adversarium ejus. Ita Speculator tit. *de Præsumptionibus*. § *Species*. n. 3. et 4; Sperellus decis. 27. *Fori Ecclesiast.* num. 68; Bartolus l. *In illa*. in fin. ff. *de Verbor. obligat.;* Mascardus *de Probat.* quæst. 10. *Proœm.* n. 37. et concl. 1228. n. 2. citans plurimos alios. Ratio est, quia, qui habet præsumptionem juris pro se, dicitur habere intentionem suam fundatam, l. *Generaliter*. § *Si petitum*. ff. *de Fidecommissar. libertat.* Lex etenim parificat hos casus, quod quis probet; vel, quod habeat pro se juris præsumptionem. Sperellus decis. 174. *Fori Ecclesiastic.* n. 52. post Alciatum *de Præsumption.* p. 3. n. 4. et alios.

46. *Præsumptio juris habetur pro veritate, donec contrarium probetur.* — Resp. II. Insuper præsumptio juris habetur pro veritate, eique statur, donec contrarium probetur. Textus est in cap. ult. *de Restitut. spoliat.* in 6. et c. *Quia verisimile*. h. t. et l. *Cum de indebito*. ff. *de Probat.* cum similibus; Sperellus decis. 174. *Fori Ecclesiast.* n. 57; Menochius *de Præsumption.* l. I. quæst 36. n. 3. Jason. l. *Licet Imperator*. n. 13. ff. *de Legat.* I; Mascardus cit. concl. 1228. n. 38. asserens, quod præsumptionis juris effectus sit, ut ex eo alter, contra quem stat talis præsumptio juris, condemnetur, nisi ab ipso probetur contrarium per quamdam legitimam speciem probationis. Siquidem præsumptio juris, est probatio liquidissima in causa cæteroquin obscura, seu donec contrarium probetur, l. *Licet Imperator*. ff. *de Legat.* I.

47. *Præsumptio juxta quosdam non est probatio : bene tamen probationis relevatio.* — Nec obstat, quod præsumptio juris proprie non dicatur probatio, arg. l. *Lucius Titius*, ubi Bartolus, et Dynus ff. *de Condition. et demonstrat.* ac notat Zoesius h. t. n. 4. addita ratione. « Puta (inquit) probatio vera percipitur sensu corporeo, v. g. quod testes viderint hominem occidi, audierint, interfuerint, etc. hoc enim præsumptioni non convenit. Non obstat, inquam : quia licet præsumptio juxta quosdam doctores proprie non sit probatio, est tamen probationis relevatio, dum transfert onus probandi in alium. Mascardus quæst. 10. procem. n. 37; Zoesius, et alii.

48. *Præsumptio juris est liquidissima probatio, nisi contraria probatione elidatur.* — Quinimo istiusmodi præsumptio juris dicitur liquidissima probatio, nisi contraria probatione elidatur. Glossa fin. l. *Si tutor petitus*. ff. *de Pericul. tutor.* Jason l. *Licet Imperator*. n. 8. ff. *de Legat. I;* Sperellus cit. decis. 174. n. 52; Mascardus d. quæst. 10. n. 40. et concl. 1228. n. 37; Menochius lib. I. *de Præsumption.* quæst. 81. n. 4; Vallensis h. t. § 4. n. 4; Sannig eod. cap. II, n. 8. et alii. Siquidem legum præsumptiones procedunt ex certis, ac legitimis indiciis : neque aptantur, nisi super verisimilibus, quæ plerumque fieri solent; sicque fieri præsumuntur, nisi de contrario doceatur.

49. *Ubi requiruntur probationes liquidissimæ, sufficiunt præsumptiones juris contraria probatione non elisæ.* — Et hinc, ubi ad victoriam consequendam requiruntur probationes liquidissimæ (ut puta, si statutum aliquod hujusmodi probationes requirat) sufficit probare per præsumptiones a jure inductas, et contraria probatione non eligas; eo quod hæ sint probationes liquidissimæ. Felinus ad rubric. *de Probat.* n. 2, post Baldum in d. l. *Si tutor petitus.;* Mascardus ead. quæst. 10. n. 41.

50. *Idem dicendum, ubi lex requirit probationem per instrumenta. Præsumptio juris æquiparetur instrumento.*— Quin etiam hujusmodi præsumptio juris, quando contraria probatione non eliditur, sufficit ad probandum, ubi lex requirit probationem per instrumentum : ut l. *Quicumque*. juncta l. I. c. *de Apochis publicis*, lib. X. Ex quo loco infert Alexander consil. 126. n. 7. lib. VI, quod præsumptio juris æquiparetur scripturæ;

Mascardus loc. cit. n. 42. allegans insuper Baldum l. I. c. *de Fideicommiss.* pluresque alios.

51. *Contra præsumptionem hominis, et contra præsumptionem juris tantum, admittitur probatio in contrarium.* — Quæritur III. An contra præsumptionem, præsertim quæ est juris et de jure, admittatur probatio in contrarium? Resp. I. Certum est, quod contra præsumptionem juris tantum admittatur probatio in contrarium. Ita Glossa fin. c. *Is qui fidem.* 30. *de Sponsalib.* et communis. Idque patet tum ex cap. I. ac seqq. *de Purgat.* canon. et l. ult. ff. *De eo quod metus causa*, etc., ubi contra præsumptionem hominis probatio recipitur. Tum ex c. *Proposuisti.* 4. *de Probat.* et cap. ult. *de Restitut. spoliat.* in 6. et l. *Si chirographum.* ff. *de Probat.* et alibi, ubi contra præsumptionem juris tantum admittitur probatio in contrarium. Et de hoc non est difficultas, bene tamen de præsumtione juris et de jure; unde :

52. *Hæc tamen contra præsumptionem juris et de jure regulariter non admittitur.* — Resp. II. Contra præsumptionem juris et de jure, regulariter non admittitur probatio in contrarium. Ita textus expressus cit. c. *Is qui fidem.* 30. *de Sponsalib.* ibi : « Contra præsumptionem hujusmodi non est probatio admittenda. » Siquidem super eam lex firmum sancivit jus, eamque pro veritate habet; uti loquitur Mascardus cit. quæst. proœm. n. 48. Et idem operatur ista præsumptio in casu vero. Abbas in d. c. *Is qui fidem.* n. 2. et 4. et Fagnanus ibid. n. 3. et 5. *de Sponsalib.* Qui tamen bene subjungunt, hoc esse intelligendum in foro contentioso, et judiciali duntaxat; non autem quoad Deum, est in foro animæ : in hoc quippe non habet locum præsumptio, sed ipsa veritas; estque amplius dictum lib. I. tit. II. *De Constitutionibus.* § 7, n. 163 et seqq.

53. *Fallit hoc in pluribus casibus.* — Resp. III. Nihilominus allata regula fallit in nonnullis casibus. Ita Felinus c. *Quanto.* n. 3. et 4, h. t.; Mascardus loc. cit., n. 51 et seqq.; Vallensis h. t., § 4; Pirhing. h. t., n. 9 et seqq. aliique communiter complures tales casus referentes.

54. *Contra præsumptionem juris et de jure, admittitur propria confessio.* — Sic imprimis contra præsumptionem juris et de jure admittitur propria confessio ejus, pro quo stat talis præsumptio : sive, in cujus favorem jus præsumit. Abbas c. *Cum contingat.* n. 10. *de Offic. delegat.;* Jason l. *Cum te transegisse.* n. 7. c. *de Transact.* Felinus loc. cit. n. 3; Mascardus cit. n. 51. et alii. Ratio est, quia is, in cujus favorem jus præsumit, confitendo contrarium tollit præsumptionem juris, quatenus erat in sui favorem : siquidem præsumptio cedit veritati l. *Imperatores.* ff. *de Probat.* Atqui confessio propria detegit veritatem; cum nemo censeatur contra se temere confiteri, simulque propria confessio sit optima probatio; ergo.

55. *Probatio per confessionem partis, admittitur etiam contra sententium.* — Et hac de causa probatio per confessionem partis admittitur etiam contra sententiam, quæ transivit in rem judicatam, licet habeat pro se præsumptionem juris et de jure : adeo, ut sententia illa, utpote ex propria confessione partis injusta, sit rescindenda. Felinus c. *Quoniam contra.* n. 25. et 26. *de Probat.;* Jason in *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 46. ff. *de Jurejurand.* atque communi docet Mascardus cit. quæst. 10, n. 53; id tamen intelligens de confessione in judicio facta : nam extrajudicialis plene non probat, juxta dicta tit. XVIII. *De Confessis.* § 2. n. 54 et seqq.

56. *Contra præsumptionem juris et de jure, admittitur probation indirecte.* — Deinde contra præsumptionem juris et de jure admittitur probatio indirecte : quia cum lex ad hanc præsumptionem requirat certas qualites et circumstantias, semper admittitur probatio, quod non simus in tali casu, vel quod deficiat aliqua ex qualitatibus requisitis. Sic contra matrimonium, quod in cit. *Is qui fidem. de Sponsalib.* præsumitur celebratum, admittitur indirecte probatio, per quam ostenditur prius fuisse renuntiatum sponsalibus; vel intercessisse impedimentum dirimens, ratione cujus nequivit sequi matrimonium. Glossa in Clem. 1. ℣. *Fecisse de Probat.;* Felinus cit. c. *Quanto.* n. 4, h. t.; Vallensis h. t., § 4, n. 9; Menochius lib. l. *de Præsumptionib.* quæst. 71. n. 1. citans plurimos alios.

57. *Ac probatio per evidentiam facti, seu per notorium. Probatio per evidentiam facti nunquam censetur exclusa.* — *Tertio*, contra præsumptionem juris et de jure, admittitur probatio per evidentiam facti, seu per notorium. Quia probatio, quæ est per evidentiam facti, nunquam censetur exclusa, quando enim constat certo et evidenter de veritate, cessat dubium, circa quod versatur præsumptio; unde necesse est, ut præsumptio cedat veritati, cit. l. *Imperatores.* ff. *de Probat.;* Val-

lensis loc. cit., n. 10; Felinus, ubi supra, n. 4, fall. 5; Pirhing h. t., n. 11; Menochius d. lib. c. *de Præsumpt.* quæst. 67. n. 1. et alii.

58. *Si contra præsumptionem juris et de jure admittatur probatio parte non opponente, cessat præsumptio.* — *Quarto*, si contra præsumptionem juris et de jure admissa fuerit probatio parte non opponente, cessat, atque tollitur ita præsumptio : quia adversarius, qui nihil opposuit, videtur tacite consensisse, suoque juri renuntiasse, loquendo de casu, in quo renuntiare potuit. Abbas, c. *Cum contingat.* n. 10. *de Offic. delegat.*; Jason in *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 45. ff. *de Jurejurand.*; Felinus cit. c. *Quanto.* n. 4, fall. 3, h. t., allegans plures alios.

59. *Adversus eam admittitur probatio per testimonium quinque testium. Idem dicendum de tribus testibus multum legalibus.* — Huc accedit quod tradit Menochius cit. lib. I. *de Præsumpt.* quæst. 63. n. 1. videlicet, adversus præsumptionem juris et de jure admitti probationem in contrarium per testimonium quinque testium, arg. l. *Testium.* c. *de Testib.* ubi quinque testes sufficiunt loco scripturæ : per scripturam vero admittitur probatio contra præsumptionem juris et de jure, l. *Generaliter.* c. *De non numerat. pecun.* Imo Menochius eod. lib. I. *de Præsumption.* quæst. 64. n. 1. et 2. allegans alios, censet, hoc ipsum procedere de duobus, vel tribus testibus summæ fidei, sive multum legalibus et probis. Consentit Vallensis h. t. § 4. n. 8. et Pirhing n. 11. eod.

§ III.

DE SUFFICIENTIA PRÆSUMPTIONUM AD FERENDAM SENTENTIAM.

60. *Certum est, posse ferri sententiam conformiter præsumptioni juris, nisi contraria probatione elidatur.* — Quæritur I. Utrum tam ex præsumptione juris, quam hominis, possit ferri sententia? Resp. I. Certum est, posse conformiter præsumptioni juris ferri sententiam, nisi contraria probatione elidatur. Ita Menochius *de Præsumpt.* lib. I. quæst. 94. n. 1. et 2. asserens, hoc esse certum et clarum. Idque patet ex c. *Nullus.* et c. *Quosdam.* 7. et seqq. h. t. et cap. ult. *de Restitut.* in 6. cum similibus. Nam quod per præsumptionem juris constat, satis patere dicitur, inquit Abbas c. *Ad nostram.* n. 6. *de Emption. et Vendit.* istud probans ex. l. *Licet Imperator.* ff. *de Legat.* 1. et Sperellus decis. 27. *Fori Ecclesiast.* n. 63. et aliis. Quinimo præsumptio juris habetur pro veritate, estque probatio liquidissima, nisi contrarium probari valeat, juxta dicta n. 46.

61. *Etsi præsumptiones hominis regulariter plenam fidem non faciant, possunt tamen adeo vehementes existere ut sufficiant ad ferendam sententiam.* — Resp. II. Etsi præsumptiones hominis regulariter plenam fidem non faciant, sicque juxta eas sententia ferri nequeat, aliis adminiculis adjuventur, uti dictum est supra n. 34. et seqq. possunt nihilominus præsumptiones hominis adeo vehementes, seu violentæ existere, ut sufficiant ad ferendam sententiam diffinitam, saltem in causis civilibus non nimium arduis. Ita Menochius lib. I. *de Præsumption.* quæst. 94, n. 3 et 4; Mascardus, *de Probat.* concl. 1227, n. 6. et seqq. cum communi doctorum. Idque patet ex c. *Afferte.* 2, h. t. ubi Salomon ex hujusmodi violenta præsumptione legitur tulisse sententiam inter duas meretrices, de filio vivente coram eo litigantes. Unde citatum capitulum sic summatur : « Ex violenta præsumptione fertur diffinitiva; et est casus notabilis. » Similiter c. *Litteris* 12. et c. *Tertio loco.* 13. h. t. per violentam præsumptionem probatur copula carnalis, quando videlicet solus cum sola, nudus cum nuda in eodem lecto jacens, repertus fuit : adeo, ut ex tam violenta præsumptione possit sententia divortii promulgari, ut ibidem subjungitur. Insuper l. *Quæro.* § fin. ff. *de Ædilitio edicto*, si alia indicia non deficiant, decernitur, ferendam esse sententiam ob confessionem servi fugitivi. Concordant dicta superius § præced. n. 32 et seqq.

62. *Saltem in causis civilibus non mimium arduis.* — Additur notanter in conclusionem, « saltem in causis civilibus non nimium arduis. » Utrum enim ea procedat etiam in causis criminalibus (quibus æquiparantur causæ civiles arduæ magnique momenti, juxta dicta superius tit. XX. *de Testibus.* § 3. n. 81.) multum variant doctores. Et alii quidem affirmant, alii negant : nonnulli vero media via incedentes, volunt condemnari quidem posse reum ex præsumptionibus violentis, sed ad pœnam mitiorem duntaxat, seu extraordinariam : uti videre est apud Fachineum lib. I. *Controvers jur.* cap. XXIX; Menochium cit. lib. I. *de Præsumpt.* quæst. 97. n. 19. et seqq. Engel h. t. n. 3. et alios. Pro cujus resolutione :

63. *Secus in criminalibus criminaliter motis.* — Quæritur II. Utrum etiam in causis criminalibus possit ex præsumptionibus, ferri sententia? Resp. I. Ex solis præsumptionibus, etiam vehementibus, nemo in causa criminali criminaliter mota condemnandus est. Ita Fachineus cit. lib. I. *Controvers. jur.* cap. XXIX; Mascardus *de Probat.* concl. 1228, n. 73. et seqq. cum aliis docens, quod nemo possit ex quibuscumque urgentissimis præsumptionibus, et conjecturis condemnari de maleficio pœna aliqua corporali : quia, ut quis condemnetur, et puniatur de maleficio criminaliter, debent præsumptiones esse violentæ, et sic a lege approbatæ, vel inductæ; non autem verisimiles, et probabiles, prout sunt hominis præsumptiones, quæ non adeo indubitatæ sunt, quia quandoque sollicitam dubitationem semper recipiant. Ita Mascardus citans plures alios. Eamdem conclusionem novissime tenet Engel h. t. n. 4. et Pirhing eod. n. 49. id tamen limitans, nisi conjecturæ, seu præsumptiones sint valde violentæ, et urgentissimæ : sive, ut loquitur Engel n. 5. nisi indicia sint indubitata, et luce clariora, seu talia, quæ evidentiam rei inducunt; prout fit, si marito per annum absente uxor gravida reperiatur.

64. *Et hujus ratio.* — Ratio conclusionis taliter declarata est, quia in causis criminalibus criminaliter motis, ut possit reus condemnari, requiruntur probationes luce clariores, l. ult. c. *de Probat.* ibi : « Instructa apertissimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis, et luce clarioribus expedita. » Alioquin enim præstat nocentem dimittere, quam innocentem damnare, l. *Absentem.* ff. *de Pœnis.* Deinde idipsum clare desumitur ex c. *Litteras vestras.* 14. h. t. ubi pontifex « propter solam suspicionem, quamvis vehementem, noluit aliquem de tam gravi crimine (hæresis videlicet) condemnari, » de quo tamen fuerat præsumptio vehemens, juxta Summarium, et doctores ibid.

65, 66 et 67. *Solvuntur contraria.* — Objicies contra hanc conclusionem, afferendo fundamentum oppositæ sententiæ. In relata l. ult. c. *de Probat.* expresse dicitur, etiam indicia sufficere posse ad condemnationem in causa criminali; ergo. Resp. Textum allegatum loqui solummodo « de indiciis indubitatis, et luce clarioribus : » quale foret, si marito per annum absente uxor gravida reperiatur; talia enim indicia indubitata, luceque clariora, in data conclusione expresse excipiuntur : secus dicendum de solis præsumptionibus, quantumvis vehementibus.

Instabis. in c. *Afferte.* 2. et c. *Litteris.* 12. et c. *Tertio loco.* 13. h. t. habentur solæ præsumptiones, et tamen ex illis lata est sententia; ergo nulla solutio. Resp. neg. consequent. Quia c. *Afferte.* loquitur de causis civilibus, in quibus posse ferri sententiam ex præsumptione violenta, ultro conceditur : secus dicendum in causis criminalibus criminaliter motis, præsertim ubi agitur ad pœnam sanguinis. Intellige, nisi forsan præsumptiones forent urgentissimæ, seu ortæ ex indiciis indubitatis, et luce clarioribus; prout jam exemplificatum est in adulterio, dum uxor reperitur gravida absente viro per annum, aut hujusmodi : tunc enim potest infligi pœna ordinaria quantumcumque maxima, cit. l. ult. c. *de Probat.* ac notat Abbas c. *Afferte.* n. 6. h. t.

Ad c. *Litteris.* et c. *Tertio loco.* h. t. ubi per violentam præsumptionem probatur delictum carnis, adeo ut in priori loco fuerit lata sententia divortii quoad thorum inter conjuges, in secundo autem declarata fuerit nullitas matrimonii, seu sponsalium de præsenti contractorum : respondet Engel h. t. n. 5. ibi intervenisse indicia indubitata peccati carnis : talia enim, quæ ibidem recensentur, sufficientem constituunt probationem, maxime in delictis carnalibus, nonnisi in secreto consummari solitis, ac proinde difficulter probandis. Quinimo indicia in cit. c. *Tertio loco.* h. t. relata, saltem conjunctim accepta, evidentiam facti induxerunt; eo quod accesserit jurata, et judicialis confessio utriusque partis de peccato carnis ante matrimonium cum nepte sponsæ perpetrato : simulque illud « non diceretur occultum, sed quasi prædicaretur a pluribus manifestum, » prout subjungit textus. Unde non mirum, quod secuta fuerit sententia super nullitate matrimonii contracti.

68. *Confessio conjugum, qui fatentur quod affinitas præcesserit matrimonium non sufficit ad eorum separationem, et quando?* — Nec obstat, quod alioquin confessio conjugum, qui fatentur, quod affinitas præcesserit matrimonium, non sufficiat ad eorum separationem, ne forsan colludant contra matrimonium, c. *Super eo.* 5. « De eo, qui cognovit consanguin. » Resp. enim, quod hæc præsumptio collusionis cessaverit in cit. c. *Tertio loco.* h. t. cum ibi « juvenis nollet ab ea, quam desponsaverat, separari; » ut loquitur

textus, et amplius declarat Glossa ℣. *Nollet ab ea.* et Abbas ibid. n. 1 et 4. Hinc enim patet, quod non pravo animo colludendi contra matrimonium, sed ob religionem juramenti dictam confessionem fecerint.

69. *Causa illa in qua agitur de peccato carnis ad obtinendum divortium, non est criminalis, sed quasi mixta inter civilem et criminalem.* — Accedit, quod in citatis capitulis non sit sermo de causis proprie criminalibus, seu criminaliter motis, de quibus loquitur nostra conclusio. Siquidem ibi non agebatur de peccato carnis ad pœnam publicam, seu legitimam inferendam : sed in ordine ad obtinendum divortium quoad thorum, vel dissolutionem matrimonii nulliter contracti, uti liquet ex textu. Atqui hujusmodi causa non est proprie criminalis, haud obstante, quod in ea quis accusetur de crimine carnali ; sed est quasi mixta inter civilem et criminalem ; prout habetur c. *Tuæ fraternitati.* 5. *de Procuratorib.* ubi de tali casu sic legitur : « Quoniam hujusmodi accusatio (de adulterio) etsi de crimine fiat, non est tamen criminalis, sed quasi mixta inter civilem et criminalem. »

70. *Reus ob solas vehementes præsumptiones in causis criminalibus non est condemnandus.* — Remanet proinde, quod si solæ vehementes conjecturæ, seu præsumptiones urgeant, in causis criminalibus criminaliter motis reus non sit condemnandus : sed vel is ad extorquendam confessionem subjiciatur torturæ, spectato præsertim jure civili : vel ipsi indicatur purgatio canonica, juxta sacros canones, tot. tit. *de Purgat. canon.* (ADNOTATIO X.)

71. *An tali reo pœna extraordinaria possit injungi?* — An autem tali reo pœna extraordinaria possit injugi, spectandæ erunt aliæ circumstantiæ, arg. c. *Litteras vestras.* 14. h. t. ubi cuipiam de hæresi graviter suspecto pœna extraordinaria fuit injuncta : non quidem propter ipsummet crimen hæresis, quia de tam gravi crimine non fuit convictus, neque condemnatus : sed propter indicia hæresis, quæ fuerunt de se mala, et scandalosa ; sicque ex se jam promeruerunt aliquam pœnam, saltem arbitrariam.

72. *Dicere, quod quis majore vel minore pœna sit afficiendus, eo quod delictum magis vel minus fuerit probatum, est inconveniens.* — Dicere autem, quod quis majore vel minore pœna sit afficiendus, eo quod delictum magis vel minus fuerit probatum, nimis est inconveniens ; prout observat Franciscus Sarmientus *Select. Interpretat.* lib. I, cap. I, quem sequitur Engel h. t. n. 6. Quia major vel minor probatio non auget, neque minuit malitiam delinquentis : et si ob gravia indicia reus fuerit torturæ subjectus, negaverit tamen se deliquisse, jam censentur purgatæ præsumptiones, et indicia ; sicque reus erit absolvendus.

73. *Potest tamen propter ipsa indicia, quæ de se mala sunt, pœna extraordinaria imponi.* Quod si forsan ejusmodi indicia de se forent mala, et digna cujusdam pœnæ extraordinariæ : tunc locum habere poterit sententiam Innocentii in c. *Quia verisimile.* n. 5, h. t. ; Felini c. *Afferte.* n. 6. et seqq. eod. ; Menochii lib. I. *de Præsumptionibus.* quæst. 97. n. 23. et 25. ac seqq. et aliorum volentium, quod si sententia diffinitiva fertur, et aliquis condemnatur ex præsumptionibus violentis, judex multum debeat temperare sententiam, ita ut non condemnet, nisi raro, et ad modicam pœnam. Talis quippe pœna potest infligi propter indicia gravia, et rite probata, ubi hæc de se mala sunt, et digna alicujus pœnæ extraordinariæ.

74. *Quæ sit obligatio legum in præsumptione fundatarum. Remissive.* — Quæritur III. Quæ sit obligatio legum in præsumptione fundatarum ? Resp. De hoc ex professo, ac fusius, dictum esse superius lib. I. tit. II. *De Constitutionibus.* § 7, n. 162. usque ad n. 175. quo proinde benevolus lector remittitur.

§ IV.

DE CONJUNCTIONE, AC PRÆVALENTIA PRÆSUMPTIONUM, UBI ET DE NONNULLIS HARUM IN SPECIE.

75. *In causis civilibus plures præsumptiones possunt conjungi ad faciendam plenam probationem.* — Quæritur I. Utrum plures præsumptiones conjungantur ad faciendam unam plenam ? Resp. I. In causis civilibus plures præsumptiones possunt conjungi ; duæque earum faciunt plenam probationem, dummodo seorsim inducant saltem semiplenam probationem. Ita Glossa in c. *Cum causam.* ℣. *Testes.* et ℣. *Adminicula. de Probation.* et alia Glossa in c. *Illud quoque.* ℣. *Fama loci.* juncto textu ibid. h. t. et l. *Instrumenta.* c. *de Probat.* Abbas c. *A nobis.* n. 2. *Qui matrimonium accus. poss.* ubi ait, quod variæ præsumptiones conjungi possint ad sententiam proferendam. Bartolus l. *Excusantur.* § *Viso quid.* ff. *de Excusation. tutor.* ; Jason in *Repet.* l.

Admonendi. n. 253. et seqq. ff. *de Jurejurand.;* Mascardus *de Probat.* concl. 1230. n. 1 et 18. ac seqq. et concl. 1228. n. 85. dicens, quod in civilibus plura indicia et præsumptiones plenam inducant probationem, non tamen in criminalibus : atque addit, hanc esse communem doctorum sententiam, quorum plurimos citat. Idque præter canones proxime citatos, probatur ex l. *Quæro.* § fin. ff. *de Ædilitio edicto.* et l. *Excusantur.* § *Ætat.* ff. *de Excusation. tutor.*, ubi tales probationes in civilibus recipiuntur. Concordant dicta superius tit. XIX. *De Probationibus*, § 4. n. 98. et seqq. ibi quippe fusius ostensum fuit, quod ex duabus probationibus semiplenis constituatur una plena. Unde illud vulgatum : « Quæ non prosunt singula multa juvant. »

76. *Dummodo seorsim inducat semiplenam probationem ; alias secus. Si plura indicia insimul constituant semiplenam probationem, potest deferri juramentum suppletorium.* — Additur tamen, « dummodo seorsim inducant saltem semiplenam probationem. » Si enim duæ tales præsumptionem singillatim minus probarent quam semiplene, hoc ipso non possent efficere plenam probationem etiam conjunctim, et simul sumptæ. Mascardus cit. concl. 1230, n. 18. cum aliis. Quamquam per hoc non negetur, quod unum indicium etiam a remotis juvet aliud, et una præsumptio corroboret aliam. Joan. Andreas in *Addit. ad Speculatorem. de Præsumption.* § *Species.* ỿ. *De tertia præsumptione*, et alii. Unde si plura indicia insimul constituant semiplenam probationem, potest deferri etiam juramentum suppletorium : secus, si minus probent, quam semiplene. Abbas cap. ult. § *Sane.* n. 8. *de Jurejurand.*

77. *In causis tamen criminalibus non sufficiunt plures præsumptiones ad faciendam plenam probationem.* — Resp. II. Loquendo tamen de causis criminalibus, ubi agitur de pœna capitali, non sufficiunt plures præsumptiones ad faciendam unam plenam probationem. Ita Bartolus cit. l. *Excusantur.* ff. *de Excusation. tutor.;* Speculator tit. *de Præsumptionib.* § *Species.* n. 7 ; Mascardus quæst. 10. proœm. n. 78. et cit. concl. 1228, n. 85, allegans communem. Ratio est, quia in istis requiruntur probationes indubitatæ, ac luce meridiana clariores, l. ult. c. *de Probation.* et can. *Sciant.* 2. q. 8. cum similibus : atqui tales indubitatæ probationes non sunt illæ, quæ desumuntur ex conjecturis etiam pluribus, utpote quæ semper sollicitam quamdam dubitationem recipiunt ; ergo.

78. *Præsumptio una an, et quando prævaleat alteri? Præsumptio fortior, juxta arbitrium judicis, tollit aliam minus fortem.* — Quæritur II. An, et quando una præsumptio prævaleat alteri, hancque tollat? Resp. I. Præsumptio illa, quæ est fortior altera juxta prudens arbitrium judicis, prævalet, ac tollit aliam minus fortem. Ita Glossa fin. in c. *Accedens.* et Abbas ibid. n. 4, *de Crimine falsi ;* Alexander, consil. 124, n. 11, lib. VI ; Everardus, loco 11. *A Verisimili.* n. 13 et 14 ; Menochius, consil. 409, n. 67, lib. V ; Card. Tuschus, litt. P. concl. 613, n. 1. et seqq. ; Sperellus decis. 5. *Fori Ecclesiast.* n. 96 ; Mascardus *de Probat.* concl. 1231, n. 1. et seqq., citans alios. Idque desumitur ex cit. c. *Accedens. de Crimin. falsi.* et c. *Cum inter R.* 16. juncta Glossa ỿ. *Episcopus munus. de Election.* et l. *Cum de indebito.* ff. *de Probat.* et l. *Divus.* ff. *de Restitut. in integr.* ubi reperitur, quod præsumptio una fuerit sublata per aliam. Concordant dicta superius tit. XIX. *De Probationibus* § 4. n. 76. ubi generaliter notatur, et probatur, quod ex probationibus fortior prævaleat, et plenior absorbeat minus plenam : idem ergo dicendum de præsumptionibus, veluti specie quadam probationum aut sic.

79. *Declaratur istud exemplis.* — Declaratur etiam præsens conclusio inductione. Sic ignorantia facti alieni præsumitur, ubi scientia non probatur, juxta reg. 47. jur. in 6. et doctores communiter : tamen hæc ipsa præsumptio ibi eliditur ex alia præsumptione, quæ oritur ratione vicinitatis, cohabitationis, ac hujusmodi, c. *Quanto.* 8. h. t. Similiter furti præsumptio adversus nautas, caupones, et hujusmodi, penes quos aliquid est deperditum, tollitur ab alia præsumptione, quæ provenit ex bona fama ipsorum. Mascardus cit. concl. 1231, n. 3, post Socinum, consil. 65, n. 20, volum. I ; Decium, consil. 96 ; Cravettam, consil. 40. et alios. Ulterius præsumptio de his, quæ raro eveniunt, tollitur per præsumptionem aliam de illis, quæ ut plurimum contingunt. arg. l. *Nam ad ea.* ff. *de Legib.* et notat Mascardus loc. cit., n. 42, allegans alios. Quamquam hæc omnia prudenti judicis arbitrio quoad casus particulares sint discutienda, et spectatis omnibus circumstantiis regulanda. Quod ut clarius pateat, ponuntur quædam regulæ generales ; unde :

80. *Præsumptiones in genere, tolluntur per præsumptiones in specie.* — Resp. II. Præsumptiones in genere, tolluntur per præsumptiones in specie: nam « generi per speciem derogatur, » juxta reg. 34. jur. in 6. cum concordantiis. Sic quamvis nemo præsumatur suum jactare, l. *Cum de indebito.* ff. *de Probat.* si tamen creditor reddat debitori chirographum, præsumitur id factum animo remittendi debitum, l. *Labeo ait.* ff. *de Pactis;* idemque dicendum, si chirographum reperiatur cancellatum, nisi probetur contrarium, l. *Si chirographum.* ff. *de Probat.* Prior etenim præsumptio, seu quod nemo præsumatur jactare suum, est generalis, posterior autem specialis: atqui præsumptiones speciales vincunt alias generales. Bartolus d. l. *Cum de indebito.* ff. *de Probat.;* Alexander consil. 150. n. 17. vol. V. post. Baldum in l. *Sive possidetis.* c. *de Probation.;* Sperellus decis. 136. *Fori Ecclesiast.* n. 45; Card. Tuschus litt. P. concl. 613. n. 10; Mascardus, cit. concl. 1231, n. 6. et 8. allegans alios.

81. *Præsumptio naturæ prævalet contrariis præsumptionibus.* — Resp. III. Præsumptio naturæ, seu quæ est secundum ordinem naturæ, fortior est contrariis præsumptionibus, istisque prævalet. Mascardus, cit. concl. 1231, n. 17, et alii. Siquidem naturalia sunt nobiliora, et priora his, quæ arte fiunt: simulque præsumptio naturæ transfert onus probandi in adversarium, juxta dicta paulo superius n. 40. 42. et seqq. Unde etiam testibus, pro præsumptione naturæ deponentibus, magis est credendum, quam contrarium asserentibus. Baldus c. *In nostra.* n. 1. *de Testib.* istud exemplificans in casu, quo duo testes dicunt quod pater occiderit filium dolo malo, alii duo econtra asserunt, quod ex improviso: isti duo credibilius dicunt, ideoque probant, quia rerum natura est cum ipsis. Ita Baldus. Concordant Ancharanus, consil. 253. n. 3. et Mascardus, concl. 1226. n. 7, allegans alios.

82. *Præsumptio honestior est recipienda, habita potissimum ratione personæ et dignitatis. Magis credendum est testibus deponentibus de bonitate, quam aliter asserentibus.* — Infertur proinde, quod præsumptio honestior, recipienda sit veluti fortior, habita potissimum ratione personæ, et dignitatis. Bellamera, consil. 31. n. 10. Sicut etiam in dubio magis credendum est testibus deponentibus de bonitate, quam aliter asserentibus. Felinus, cap. ult. n. 11, h. t. quia videlicet testes deponentes de bonitate, dicuntur deponere ea quæ magis amica et consentanea sunt naturæ. Mascardus, loc. cit., n. 9, post Cravettam, consil. 6. n. 63.

83. *Ex pluribus præsumptionibus amplectenda est ea, quæ est exclusiva delicti.* — Infertur ulterius, quod concurrentibus pluribus præsumptionibus cæteroquin paribus, amplectenda sit ea, quæ est exclusiva delicti; atque hæc, veluti honestior, magisque consentanea naturæ rationali, præponatur aliis præsumptionibus inclusivis delicti, ut pœna evitetur. Abbas consil. 68, n. 3. volum. I. Sperellus decis. 108. *Fori ecclesiast.* n. 53, id probans ex l. *Merito.* ff. *Pro socio;* Farinacius lib. III. *Praxis criminal.* quæst. 85, n. 19; Menochius *de Præsumptionib.* l. V. præsumpt. 2. n. 22. Mascardus, concl. 1231, n. 30. et seqq., citans alios. Accedit ratio, quia dubia in meliorem partem sunt interpretanda, cap. II. *de Reg. jur.* Simulque nemo præsumitur malus, nisi probetur malus. can. *In cunctis.* 11. q. 3. et cap. ult. *de Scrutinio in ordin. faciend.* cum concordantiis: atqui non censetur delictum esse probatum, quando præsumptiones hinc inde militant; ergo.

84. *Solvitur instantia ex cap.* I, *h. t.* — Nec obstat cap. I. h. t. ubi non creditur illi, qui « fraudulenter nocet amico suo, et cum fuerit deprehensus, dicit: Ludens feci. » Resp. enim, hinc solum sequi, quod omne maleficium præsumatur factum malo animo, nisi probetur contrarium; prout infra n. 95. amplius dicetur. Talis autem sufficiens probatio nequit esse sola assertio illius, qui fraudulenter amico suo grave nocumentum intulit, si deprehensus in facto velit se excusare, et dicere: « Ludens feci. » Quis enim est testis idoneus in propria causa, præsertim, ubi patens est malitia facti sui? Aut quis ludos appellet, ex quibus gravia proximo damna oriuntur? Quinimo « ludus quoque noxius in culpa est; » uti habetur l. *Nam ludus.* ff. *Ad leg. Aquil.* Hinc tamen non sequitur, quin in dubio, et quando non constat de dilecto, seu illato alteri maleficio prævalere debeant præsumptiones exclusivæ delicti aliis, quæ includunt delictum.

85. *Præsumptio benignior, et partui favorabilior, est præferenda aliis. Filius præsumitur legitimus, etiamsi probetur uxorem tempore conceptionis filii fuisse adulteram.* — Rursus infertur, quod præsumptio benignior, et partui seu proli favorabilior, sit capienda, atque

aliis præferenda, arg. c. *Estote. de Reg. jur.* Sperellus, decis. 174. *Fori Ecclesiast.* n. 7; Mascardus *de Probat.* concl. 1231, n. 27. asserens, præsumptiones, quæ possunt filiis (ut puta, stantes pro eorum legitimitate) præ omnibus esse recipiendas. Adeo, ut etiamsi probetur, uxorem tempore conceptionis filii fuisse adulteram, nihilominus filius præsumatur esse mariti sui, adeoque legitimus; per textum in l. *Miles.* § *Defuncto.* ff. *Ad leg. Jul. de Adulter.* ac notat Abbas c. *Per tuas.* n. 1. *de Probat.;* Menochius *de Arbitrar. judic.* cas. 89, n. 20. et *de Præsumpt.* l. VI. præs. 53, num. 2. Mascardus *de Probat.* concl. 789, n. 6. allegans plures alios. Nec immerito; nam est honorabilius, naturæque conformius, quod filius præsumatur ex legitimo matrimonio natus, quam quod dicatur vulgo conceptus.

86. *Præsumitur pro viris litteratis, providis et honestis, quod in suis negotiis rite processerint, donec contrarium probetur.* — Atque ob hanc ipsam rationem præsumitur pro viris litteratis, providis et honestis, quod in suis negotiis rite processerint, donec oppositum probetur, c. *In nostra.* et Abbas ibid. n. 3, *de Procurat.* et c. *Cum in juventute.* 15. h. t. et c. *Cum dilectus.* 9. *de Fide instrument.*

87. *Sicut et pro publico notario.* — Insuper stat præsumptio pro publico notario, quod fideliter officium suum exercuerit, donec contrarium concludenter probetur, c. *Ad audientiam.* 13. *de Præscript.* Ubi Glossa ỷ. *Juratus*, et doctores; Sperellus decis. 27. n. 11. et alii.

88. *Ac judice judicialiter procedente.* — Idemque dicendum de judice procedente judicialiter, aut etiam extrajudicialiter in iis, quæ extrajudicialiter ex officio præstare potest: quia præsumitur quod juste processerit. Secus si processerit extrajudicialiter in actu, qui solet judicialiter exerceri: quia tunc non præsumitur pro judice, veluti procedente non servato juris ordine; ut c. *Conquerente.* 7. *de Restitut. spoliat.* ubi Glossa fin.; Abbas, n. 2 et 15. et alii.

89. *Præsumptio verisimilior vincit minus verisimilem.* — Resp. IV. Præsumptio verisimilior vincit minus verisimilem, arg. c. *Per tuas.* 10. *de Probat.;* Alexander consil. 132, n. 29, lib. V; Mascardus, cit. concl. 1231, num. 14 et 15. allegans alios. Nam quod alienum a verisimili, est quædam falsitatis imago, Baldus lib. I. c. *de Servis fugit.;* Everardus, loco 11. *A verisimili.* num. 11. Sperellus, decis. 28. *Fori Ecclesiastic.* n. 65. citans Rotam in Gerunden. Anniversar. 9 junii 1586. coram Gypsio. Unde quod fieri non consuevit, non præsumitur factum. arg. l. *In obscuris.* ff. *de Reg. jur.;* Sperellus, loc. cit., n. 66. Quin etiam efficacior probatio requiritur ab eo, qui probare vult illud, quod non est verisimile, c. *Quia verisimile.* 10. h. t. juncto Summario et doctoribus, ibid.

90. *Præsumptiones pro validitate actus, præferuntur contrariis præsumptionibus.*—Resp. V. Præsumptiones pro validitate actus, præferuntur contrariis præsumptionibus. Ita Decius c. *Quoniam abbas.* n. 16. *de Offic. delegat.* quem citat, et sequitur Alexander Stiaticus in repetit. extravag. *Ambitiosæ. de Rebus Eccles. non alien.;* Mascardus d. concl. 1231. post Cephallos consil. 10, n. 14, l. I. ubi inquit, quod ex duabus contrariis præsumptionibus illa prævalet, quæ facit valere actum; prout in simili, ubi ambigua est oratio, verba ita intelligenda sunt, ut res de qua agitur, valere possit potius quam perire, c. *Abbate.* 25. *de Verb. signif.* et l. *Quoties.* ff. *de Rebus dubiis*, cum concordantiis. Unde præsumptio illa, qua dicimus, actum ita fuisse gestum, ut omnino valeat, non autem ut pereat, est admodum potens, l. III. ff. *de Testament. milit.* et forte cæteris validior, prout loquitur Menochius, *de Præsumptionib.* l. VI. præsumpt. 4. n. 1.

91. *Præsumptio illa, quæ facit, valere actum, est regina aliarum præsumptionum.* — Quinimo præsumptio illa, quæ facit valere actum, est regina aliarum præsumptionum. Mascardus, loc. cit., n. 25, allegans alios. Ac proinde præsumitur pro validitate actus, donec probetur invalidus, l. *Si post divisionem*, juncta Glossa ỷ. *Non posse.* c. *de Juris et facti ignorant.;* Sperellus decis. 38. *Fori Ecclesiast.* n. 61; Menochius d. præsumpt. 4, n. 2 et seqq. citans alios, et fusius istud exemplificans, additis postea nonnullis limitationibus.

92. *Præsumptio juris prævalet præsumptioni hominis.* — Resp. VI. Præsumptio juris prævalet præsumptioni hominis, hancque tollit, nisi contrarium illius probetur. Ita Baldus ad rubric. *de Præsumpt.* n. 2. asserens, quod præsumptio legis faciat plenam probationem, cui est standum, nisi contrarium probetur: præsumptio hominis econtra semiplenam probationem faciat, cui non est standum, nisi coadjuvetur. Mascardus

cit. concl. 1231, n. 39. et 40, et concordant dicta superius § præced. n. 48. ubi dictum, quod præsumptio juris sit probatio liquidissima, donec contrarium probetur.

93. *Præsumptiones vel maxime tolluntur per probationem in contrarium.* — Resp. VII. Præsumptiones vel maxime tolluntur per probationem in contrarium. Ita Abbas c. *Ex parte.* n. 21. *de Confessis*, et alii. Idque patet ex c. *Deposuisti.* 4. *de Probat.* ubi præsumptio ex juramento viri deprompta, eliditur per testimonium septem mulierum de opposito deponentium. Accedit textus in l. II. c. *Ad leg. Cornel. de Sicariis*, et l. *Si non convitii.* c. *de Injuriis*, ubi contra præsumptionem, quæ contra aliquem oritur, quod malo animo quempiam occiderit, vel verba injuriosa animo injuriandi protulerit, expresse admittitur probatio in contrarium; et consequenter per hanc tollitur ejusmodi præsumptio.

94. *Præsumptiones hinc inde militantes, ac penitus æquales, invicem se collidunt.* — Resp. VIII. Præsumptiones hinc inde militantes, ac penitus æquales, seu quarum una pensatis omnibus non præponderat alteri, invicem se collidunt. Ita Abbas c. *Mulieri.* n. 3. et c. *Accedens.* n. 3, *de Crimine falsi;* Everardus loco 11. *A simili.* n. 13; Mascardus, cit. conclus. 1231, n. 9 et 10, allegans alios, atque inde concludens, quod data paritate præsumptionum reus obtinere debeat. Concordant dicta superius tit. XIX. *de Probationibus.* § 4. n. 80. 82. et 83. ac seqq. ubi hoc ipsum de probationibus omnino æqualibus generatim declaratum fuit: excipiendo tamen hinc causas favorabiles, utpote in quibus stante æqualitate probationum secus est dicendum, prout ibidem fusius ostenditur.

95. *Omne maleficium præsumitur factum malo animo, nisi probetur contrarium.* — Quæritur III. Quid censendum de nonnullis præsumptionibus in specie, hoc titulo relatis? Resp. I. Omne maleficium præsumitur factum animo malo, nisi probetur contrarium. Ita textus in cap. I. juncta Glossa fin. h. t. ubi non creditur illi, qui « fraudulenter nocet animo suo, et cum fuerit deprehensus, dicit: « Ludens feci. » Unde Innocentius, Hostiensis, et Abbas cit. cap. I, n. 3. h. t. notandum inquiunt, quod malum seu damnum, semper præsumatur factum malo animo, nisi contrarium probetur, vel prævaleat contraria præsumptio. Concordat textus in l. I. c. *Ad leg. Cornel. de Sicariis,* ubi qui occidit hominem, tenetur probare, se non animo occidendi id fecisse, sed v. g. casualiter; alias non evadit pœnas homicidarum. Et l. *Si non convicii.* c. *de Injuriis*, ubi verba de sui natura injuriosa, præsumuntur animo injuriandi prolata, nisi contrarium probetur: « nam humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant, » ut dicitur can. *Humanæ aures.* 22. q. 5. His accedant dicta superius n. 84.

96. *Præsumptio contraria potest tollere præsumptionem fraudis.* — Additur notanter, « nisi probetur contrarium. » Quia ubi constat de maleficio, seu damno alteri illato, hoc ipso quod prima facie istud præsumatur malo animo factum, onus probandi contrarium incumbit illi qui asserit se non malo animo id fecisse : ut puta probando quod dederit operam rei licitæ, et casualiter inde damnum proximo evenerit: vel allegando præsumptiones fortiores, quæ prævaleant prædictæ præsumptioni de malo animo. Nam, quod contraria præsumptio possit tollere præsumptionem fraudis, patet ex l. *Item obstetrix.* § fin. et l. *Item Mela.* § 1. ff. *Ad leg. Aquiliam;* et notat Innocentius, et Abbas, ubi supra. Concordant dicta paulo superius n. 82. et 83.

97. *Ex præteritis præsumitur circa futura. Ex bona conservatione in adolescentia, præsumitur puer bonus futurus in ætate virili; et quomodo? Nihil incertius, quam vita adolescentium.* — Resp. II. Ex præteritis præsumitur circa futura. Textus est in c. *Mandata.* 6. et c. *Scribam eis.* 9, h. t. ubi summarium, Glossa, et doctores communiter. Hinc ex bona conversatione in adolescentia, præsumitur puer bonus futurus in ætate virili, ac senectute, c. *Ex studiis.* 3. h. t. ubi in hunc finem allegatur illud *Proverb.* XX, 11. *Ex studiis suis intelligitur puer.* Quanquam hæc fit mera præsumptio, dum ex bona conversatione adolescentis, veluti ex idoneis argumentis, bonam de ipso concipimus opinionem in futurum, quo usque aliquid appareat in contrarium, juxta illud *Proverb.* XXII, 6, *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Nam pro certo istud non possumus scire, juxta illud Salomonis *Proverb.* XXX, 19. ubi post tria sibi difficilia (nempe post viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, et viam navis in mari) quartum penitus se ignorare profitetur, videlicet *viam viri in adolescentia sua.* Glossa fin. cit. cap. *Ex studiis.* h. t. Unde can. *Omnis ætas.* 12. quæst. 1. legitur :

« Nihil incertius, quam vita adolescentium. »

98. *Non præsumitur incontinens in senectute, qui in juventute vixit continens.* — Deinde ex eo, quod ex præteritis præsumatur circa futura, non præsumitur incontinens in senectute, qui in juventute vixit continens, donec probetur contrarium. Textus est in c. *Cum in juventute.* 15. h. t. ubi Glossa et doctores communiter. Similiter ex vita hactenus pie, et in exacta observantia cœlestium mandatorum transacta, præsumere licet de subsequenti bona conversatione alicujus, cit. c. *Mandata.* 6. h. t. Quod intellige conformiter proxime dictis de præsumptione rationabili, donec probetur contrarium, non de certitudine. (ADNOTATIO XI.)

99. *Ex præteritis præsumitur in futurum, etiam in malam partem.* — Insuper, atque in malam partem, ex præteritis præsumitur in futurum, juxta c. *Scribam eis.* 9. h. t. ubi illud S. Hieronymi super Oseæ, cap. VIII. refertur : « Ex prius datis, et neglectis apparet, quod has negligant. » Hinc Abbas ibid. circa princip. istud exemplificando inquit, esse notandum; quod diu negligens in præterito, præsumitur quod erit negligens in futuro : et qui negligenter studuit in jure canonico, præsumitur quod negligenter studebit in jure civili. Atque ideo prælatus non tenetur assidue monere perversum, seu negligentem, ex quo vehementer præsumere potest se nihil profecturum : unde expedit quandoque tacere, ne mittat margaritas ante porcos, can. *Quando ergo.* 11. q. 3.

100. Semel malus, semper præsumitur esse malus, *et quomodo? Emendatio criminosi præsumitur, si is per triennium at improbe factis abstinuit.* — Concordat reg. 8. jur. in 6. « Semel malus, semper præsumitur esse malus : » intellige, « in eodem genere delicti, » ut explicat Glossa ibid. in casu : et nisi de emendatione appareat, can. *Ferrum.* dist. 50. Atque hæc emendatio inter alia comprobatur, seu præsumitur ex eo, si criminosus per lapsum triennii ab improbe factis abstinuit, et in bonis honestisque actibus se exercuit, Auth. *de Monachis.* § *Sancimus ergo.* collat. 1. estque jam dictum supra tit. XX. *De Testibus.* § 2, n. 56 et 57.

101. *Ex præteritis præsumitur tripliciter; nempe circa præteritum, circa præsens, et circa futurum.* — His adde, quod ex præteritis non solum præsumatur circa futura, sed etiam aliis modis, ac generatim tripliciter; ut notat Glossa in cit. c. *Scribam eis.* ỳ. *Ex prius datis.* et Abbas ibid. n. 1, h. t. Quandoque enim ex præteritis præsumitur circa præteritum : ut est exemplum can. *Quia sunt culpæ.* dist. 28. ubi ex eo, quod mulier quædam non fuerit virgo, atque post ordinationem Titii in diaconum non assumpserit habitum religiosum, colligitur, quod non fuerit uxor illius Titii. Quandoque vero ex præteritis præsumitur circa præsens : uti fit, quando quæritur de fama alicujus; quia tunc præsumitur quis bonus, vel malus pro præsenti, secundum vitam suam de præterito, nisi probetur mutatus, arg. can. *Quicumque.* et can. *Monachus vero,* dist. 77. Quandoque ex præteritis præsumitur circa futura : ut cit. c. *Scribam eis.* et c. *Ex studiis.* et c. *Mandata.* h. t. cum similibus.

102. *Eodem modo ex præsenti potest elici præsumptio tripliciter.* — Quin etiam ex præsenti potest elici præsumptio, et quidem tripliciter. Quandoque enim ex præsenti præsumitur circa præsens : ut can. *Qui crimen.* 6. quæst. 1. ubi criminosus de præsenti, si accuset alterum, præsumitur non bono zelo accusare, atque idcirco repelletur. Quandoque ex præsenti præsumitur in futurum : ut can. *Si quis diaconus,* dist. 50. cum similibus. Quandoque etiam ex præsenti præsumitur in præteritum : ut can. *Cum per bellicam.* 34, q. 2. Glossa, et Abbas cit. c. *Scribam eis,* h. t. et alii.

103. *Præsumitur contra eum, qui subterfugit judicium : et præsumitur pro illo, qui se offert judicio.* — Resp. III. Præsumitur contra eum, qui subterfugit judicium, et præsumitur pro illo, qui se offert judicio. Textus est in c. *Nullus* 4, h. t. ubi doctores communiter. Accedit ratio, quia in judicio debet unicuique reddi, quod suum est, l. *Justitia.* ff. *de Justit. et jur.* Ideoque « nullus dubitat (ut loquitur pontifex in citato textu) quod ita judicium nocens subterfugiat (diffidendo videlicet de justitia suæ causæ, seu ne condemnetur) quemadmodum ut absolvatur, qui est innocens, quærit : » quia nimirum confidit de justitia suæ causæ, sicque se absolvendum sperat, ac desiderat. Concordat can. *Decernimus.* 3, quæst. 9; ubi dicitur : « Manifestum est (præsumptive, ut explicat Glossa) confiteri eum de crimine, qui indulto, et toties delegato judicio, purgandi se occasione non utitur. »

104. *Fuga post patratum scelus, facit præsumptionem contra fugientem.* — Hinc fit, quod fuga cujuspiam post patratum scelus,

ferme semper contra fugientem faciat magnam suspicionem, seu præsumptionem : ut l. *Raptores.* § *Sin autem post commissum.* ff. *de Episcop. et Cleric.* et l. *Impuberibus.* § *Præterea.* ff. *de Suspect. tutor.* ubi Glossa ℣. *Sententia sua.* Bartolus l. *Quis sit fugitivus.* § *Sicuti.* ff. *de Ædilitio edicto.* Jason in *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 167. ff. *de Jurejurand.* Farinacius lib. I. *Praxis criminal.* quæst. 48. n. 1. et seqq.; Mascardus *de Probat.* concl. 820, n. 1. et seqq. allegans plurimos alios : quamvis n. 10. cum communi aliorum notet, quod licet fuga magnam suspicionem, seu præsumptionem causet, non tamen faciat semiplenam probationem.

105. *Nisi apparet alia rationabilis causa discedendi.* — Additur tamen, « ferme semper contra fugientem facit præsumptionem, » etc. Fallit enim hoc, et fuga nullam facit præsumptionem contra fugientem, quando apparet alia causa rationabilis discedendi : quia in dubio, quod benignius est, præferri debet; sicque fuga, seu discessio illa, in meliorem partem accipi; c. *Odia.* 15. *de Reg. jur.* in 6. et l. *Merito.* ff. *Pro socio*, cum similibus; Jason, ubi supra, n. 169. pluribus modis istud exemplificans; Mascardus cit. concl. 820, n. 11 ; Farinacius d. quæst. 38, n. 44 et 56, Pirhing h. t. n. 31. et alii, apud quos plura circa materiam de fuga.

106. *Qui ex duobus illatis, seu sibi objectis, unum duntaxat negat, alterum affirmare præsumitur ; et quando?* — Resp. IV. Qui ex duobus illatis, seu sibi objectis unum duntaxat negat, alterum affirmare, seu tacite confiteri præsumitur. Ita textus, Summarium, et doctores in c. *Nonne bene.* 5, h. t. ubi sanctus Gregorius homil. 18. in *Joan.* asserit, quod Christus Dominus *Joan.* VIII. cui duo illata fuerunt, « unum negavit, alterum tacendo consensit. »

107. *Qui tacet, consentire videtur : et quando?* — Accedit ratio, quia, « qui tacet consentire videtur, » juxta reg. 43. jur. in 6. quæ regula procedi præcipue in facto concupiscibili, et honorabili, secundum Glossam in c. *Is, qui tacet.* eod in 6. quale factum honorabile, juxta verum sensum fuerat, quod Christus sit Samaritanus, quod interpretatur *Custos*, ut explicat sanctus Gregorius loc. cit. Alias vero diligenter considerandæ sunt circumstantiæ, quæ tales esse possunt, ut isthæc præsumptio locum non habeat : nam, ut alia taceantur, si per meam prohibitionem prohibere non possum illud, quod fit, tunc taciturnitas mihi non obest, nec censeor consentire, l. *Sæpe.* ff. *de Re judicat.* ac notat Glossa cit. c. *Nonne bene*, ℣. *Tacendo.* h. t.

108. *Vicinus præsumitur scire ea, quæ sunt gesta in vicinia : et qualiter istud sit intelligendum?* — Resp. V. Vicinus præsumitur scire ea, quæ sunt gesta in vicinia. Ita textus, Summarium. Glossa et doctores in c. *Quosdam.* 7. h. t. Quamquam hoc esse intelligendum de factis illis, quæ sunt communiter nota in loco illo; adeo, ut tunc non facile sit admittendus, volens probare ignorantiam per proprium juramentum, recte notet Abbas cit. c. *Quosdam.* n. 3. h. t. et Menochius *de Præsumpt.* lib. VI, præsumpt. 24, n. 10. allegans alios. Secus, quando factum vicini non est communiter notum in loco : quia tunc creditur ipsi suam ignorantiam alleganti, juxta reg. 47. jur. in 6. « Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur. » Dummodo quis ex officio suo non tenebatur investigare : quia in isto præsumeretur scientia. arg. c. *Innotuit.* 20. *de Election.* ac notat Abbas cit. n. 3.

109. *Factum præsumitur notum in vicino loco, quod est notum in remoto.* — Huc accedit alia præsumptio, de qua fit mentio c. *Quanto.* 8. h. t. videlicet, quod præsumitur factum notum in vicino loco, quod est notum in remoto. Quia tamen concurrentibus certis circumstantiis hæc ipsa præsumptio potest fallere, hinc contra eam admittitur probatio in contrarium : licet enim sit præsumptio juris, non tamen est præsumptio juris et de jure. Glossa cit. c. *Quanto.* ℣. *Non potuit.* et Abbas ibid. n. 1. h. t. et alii.

110. *Præsumptiones juris civilis plures. Remissive.* — Possent hoc loco etiam adduci quædam præsumptiones juris civilis, quarum plures refert Guido papæ *Tractatuum*, tom. 4. tract. *de Præsumptionibus;* ac præsertim Andreas Alciatus eod. tom. 4. tract. *de Præsumptionibus*, ubi universim sub tribus distinctis regulis centum triginta quatuor ejusmodi præsumptiones allegat, fuseque explicat. Verum ne videamur falcem mittere in messem alienam, harum explicatio convenientius relinquitur juris civilis interpretibus : poterit etiam, si placuerit, videri Jacobus Menochius in suo præclarissimo tomo *de Præsumptionibus*, ubi de his per integros sex libros eruditissime discurrit.

TITULUS XXIV.

De Jurejurando.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Quia in defectum aliarum probationum sæpe sæpius recurritur ad juramentum; non immerito nunc agitur de jurejurando : nam maximum remedium expediendarum litium est juramentum, l. I. ff. *Jurejurand.* ut amplius patebit ex dicendis. Agitur autem in præsenti titulo non tantum de juramento judiciali, quod est species quædam probationis, sed etiam de aliis juramentum concernentibus : quarum tamen plura, præsertim forum conscientiæ respicientia, commodius ad theologiam moralem remittuntur.

§ I.

DE NATURA, ET DIVISIONE JURAMENTI; ET QUALITER SIT LICITUM?

2. *Jurare, quid? Juramenti nomine, quid intelligatur? Apellatur etiam jusjurandum et sacramentum. Et cur?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit juramentum? Resp. I. Jurare, est aliquid teste Deo dicere. Juramentum vero est vox jurantis, seu actus ille, quo juratur teste Deo. Ita Glossa in *Summa,* caus. 22. q. 1. Abbas ad rubric. h. t., n. 1. et alii. Igitur *Juramenti* nomine in proposito intelligitur actus religionis, quo quis Deum in testem adhibet ad confirmationem eorum, quæ affirmat, vel promittit : eaque ratione profitetur divinam veritatem esse indefectibilem. Atque istud in rubrica præsentis tituli appellatur « Jusjurandum, id est, jus quod est jurandum : » quia videlicet juramentum est jure faciendum, concurrentibus tribus ejus comitibus, veritate, judicio et justitia; prout requiritur *Jerem.* IV, 2. ac infra n. 24. amplius declarabitur. Dicitur etiam in jure non raro « sacramentum, » quasi per « sacra astringamentum, » uti explicat Abbas loc. cit. eo quod juramentum fiat per res sacras, nempe invocando Deum in testem, vel etiam tangendo sanctum Evangelium, aut alias res sacras : vel appellatus « sacramentum » large, quasi « rei sacræ signum,» prout notat idem Abbas cap. II. not. 2. *de Probation.*

3. *Juramentum, quid? Ejus finis immediatus, est confirmatio rei dubiæ.* — Resp. II. Juramentum recte definitur, dicendo : « Juramentum » est invocatio divini numinis in testimonium alicujus rei. Ita divus Augustinus *de Serm. Dom. in monte.* cap. XVII. Quæ definitio in re non differt ab ea, quam tradit Hostiensis in *Summa.* h. t., § 1. n. 1. et Abbas ad rubric. h. t., n. 1, dicendo : Juramentum est assertio, vel negatio de aliquo honesto, licito, et possibili, sacræ rei attestatione firma. Ratio est, quia finis immediatus usus juramenti, est confirmatio rei dubiæ, seu controversæ per obtestationem alicujus majoris, nempe Dei; juxta illud *Hebr.* VI, 13. *Homines enim per majorem sui jurant : et omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem, et juramentum.*

4. *Dividitur varie præcipue in assertorium et promissorium.* — Resp. III. Juramentum varie dividitur : prout notat Glossa ad rubric. ff. *de Jurejurand.* Inter alias tamen ejus divisiones præcipua est illa, qua juramentum dividitur in assertorium, et promissorium. Ita Scotus in 3. dist. 39. quæst. un. Hostiensis in *Summa.* h. t., n. 3; Pirhing eod., n. 12, et alii. Ratio est, quia aut juramentum fit ad fidem veritatis narratæ astruendam illi qui audit : aut fit ad promissionem firmandam, qua alteri vel sponte vel ejus impulsu quidpiam promittimus. Atqui prius juramentum est assertorium, posterius promissorium; ergo. Itaque :

5. *Juramentum assertorium et promissorium, quid?* — « Juramentum assertorium » est, quo simpliciter sine aliqua promissione per obtestationem Dei aliquid affirmamus, vel negamus. « Juramentum promissorium » vero dicitur, quod ad confirmationem promissionis, seu contractus, aut pacti alicujus corroborationem adjicitur.

6. *Ad juramentum promissorium duplex requiritur veritas.* — Atque ad hoc juramentum promissorium duplex requiritur veritas : una intentionis, seu veritas dicti, qua jurans verum existimat esse id, de quo jurat. Et altera executionis, seu veritas facti, qua quis in animo habet servare illud, quod promittit, suoque tempore servat. Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 89. art. 7; Sanchez, lib. III. in *Decalog.* cap. IV. n. 2; Engel h. t., n. 6, atque egomet ipse jam dixi in *Theolog. moral.* tract. VI dist. 2, n. 4; et n. 17 ac seqq. plura de obligatione juramenti promissorii subjungendo.

7. *Utrumque varie subdividitur.* — Resp. IV. Juramentum tum assertorium, tum promissorium, ulterius dividitur in simplex, et solemne : item in juramentum per simplicem Dei contestationem, et per execrationem : et in juramentum extrajudiciale, et judiciale. Ita communis ; ac probatur inductione, seu declarando terminos. Siquidem :

8. *Juramentum simplex et solemne, quid?* — « Juramentum simplex » dicitur omne illud, quod solemne non est. « Juramentum solemne » vero, quod per certam verborum formulam, vel corporalem alicujus rei, v. g. sancti Evangelii attactum, perficitur coram legitimo superiore, ut majorem auctoritatem, æstimationemque habeat : quale potissimum solet fieri in judiciis, in professione fidei, in homagiis, ac juramento fidelitatis, et hujusmodi.

9. *Juramentum per execrationem et per simplicem Dei contestationem.* — « Juramentum per execrationem (quod speciali nomine juramentum execratorium » appellatur) est illud, quo jurans sibi ipsi, vel alicui alteri sibi caro, mali quidpiam a Deo falsitatis vindice imprecatur, nisi verum sit, quod asserit aut promittit. « Juramentum per simplicem Dei contestationem » econtra censetur omne illud, quod fit absque tali execratione.

10. *Juramentum extrajudiciale et judiciale, quid?* — « Juramentum extrajudiciale » dicitur, quod fit extra judicium. « Juramentum judiciale » vero, quod præstatur in judicio. Atque istud rursus varie subdividitur, prout illico amplius dicetur : quamvis quodlibet horum commode reduci valeat ad juramentum assertorium, vel promissorium, veluti præcipuam divisionem juramenti ut sic. Proinde.

11. *Juramentum judiciale varie dividitur.* — Quæritur II. Qua ratione dividatur juramentum judiciale. Resp. I. Juramentum judiciale, prout respicit partes litigantes, dividitur in juramentum calumniæ, juramentum malitiæ, et juramentum de veritate dicenda. Ita in re communis ; et patet ex dictis supra tit. VII. *De Juramento calumniæ.* § 1. n. 2. 6. et 9. ubi de isto triplici juramento ex professo agitur. Siquidem :

12. *Juramentum calumniæ, quid?* — « Juramentum calumniæ » dicitur, quod præstatur tam ab actore, quam reo, ab initio post litem contestatam super tota causa : quo videlicet jurant, se bona fide, et sine animo calumniandi agere, et respondere velle ; id est, quo jurant se credere, quod bonam ac justam causam litigandi habeant, quodque interrogati velint veritatem dicere, nolintque ullam dilationem non necessariam petere, et hujusmodi, de quibus Glossa cap. I. *de Jurament. calumn.* ℣. *Calumniæ juramentum.*

13. *Juramentum malitiæ, quid?* — « Juramentum malitiæ, » de quo fit sermo cap. II. *de Jurament. calumn.* in 6. vocatur illud, quod non super tota causa, sed super singularibus quibusdam articulis, sive ante, sive post litem contestatam præstandum venit, quoties articulus ille videtur judici de malitia suspectus : sive quoties præsumptio est contra aliquem, quod quid malitiose proponat. Unde patet hujus juramenti differentia a juramento calumniæ : nam, ut taceantur aliæ differentiæ, de quibus jam dictum supra cit. tit. VII. n. 8. Juramentum calumniæ (nisi tacite remittatur) est præstandum circa initium post litem contestatam, simulque super tota causa : secus est in juramento malitiæ ; quamvis tam hoc, quam illud, soleat esse juramentum de credulitate.

14. *Juramentum de veritate dicenda, quid?* — « Juramentum de veritate dicenda » illud appellatur, quod fit super scientia, seu veritate, quam quis scit, dicenda. Unde juramentum hoc, stricte loquendo, cadit super scientiam, et non mere super credulitatem nostram ; prout cit. tit. VII. n. 9. et seqq. uberius declaratur.

15. *Juramentum decisorium litis, quid, et quotuplex?* — Resp. II. Juramentum judiciale, prout respicit decisionem causarum, dividitur in juramentum decisorium litis, et in juramentum in litem : quorum utrumque rursus subdividitur. Ita communis : et patet inductione. Siquidem « Juramentum decisorium litis » dicitur illud, per quod deciditur lis principalis. Atque istud subdividitur in voluntarium, judiciale (intellige, de juramento judiciali specifice sumpto) et necessarium, prout amplius declarabitur infra, § 5. n. 132. et seqq.

16. *Juramentum in litem, quid? Juramentum istud est æstimatorium.* — « Juramentum in litem » econtra dicitur, per quod deciditur æstimatio rei. Unde juramentum istud est æstimatorium, prout notat Jason ad rubric. tit. ff. *De in litem jurando.* n. 1. ubi de hoc juramento habetur integer titulus, *De in litem jurando*, inscriptus. Tale juramentum in litem est illud, quod probata violentia sibi illata, solet damnum passis judex deferre super rebus amissis, earumque valore ; prout ha-

betur cap. ult. *De iis, quæ vi metusve causa*, etc. et l. *Si quando*. c. *Unde vi*. Quo utroque in loco statuitur, ut si quis legitime probaverit, violentiam sibi factam, nec tamen singula ablata liquido probare valeat, eo quod difficile sit probare, singula utensilia, et alia minuta ab hoc sibi ablata fuisse : tunc judex inspecta personarum, et negotii qualitate, debeat damnum illatum taxare, et postea damnum passo juramentum super rebus amissis, earumque valore deferre, quod videlicet tantum et non minus sibi ablatum fuerit; stabiturque ejus juramento usque ad quantitatem taxatam : prout etiam lib. I. tit. XL. *De iis, quæ vi metusve causa*, etc. n. 13. ac seqq. jam dictum fuit. Et hujusmodi juramentum appellatur « Juramentum in litem. »

17. *Estque triplex. Juramentum in litem de veritate, quid?* — Porro juramentum in litem est triplex, prout observat Jason loc. cit. n. 2. et Pirhing h. t. n. 18. Primum dicitur « Juramentum in litem de veritate : » seu quod defertur spoliato, aut damnum passo super vera æstimatione, seu valore rei per vim, aut dolum alterius amissæ ; ut cit. l. *Si quando*. c. *Unde vi*. et cap. ult. *De iis quæ vi metusve causa*, etc. estque proxime dictum.

18. *Juramentum in litem de affectione, quid?* — Secundum appellatur « Juramentum in litem de affectione : » seu ubi damnum passus vi, aut dolo alterius, permittitur jurare non tantum de vero pretio rei sibi dolo ablatæ, vel destructæ ; sed etiam quantum res illa valebat juxta suam affectionem. Exemplum sit : Tu mihi dolo abstulisti, aut destruxisti librum valentem decem, sed quia ille mihi percharus fuit ob annotationes magno labore meo in ipso factas, ipsum non dedissem pro viginti, tunc judex in odium dolosi, aut contumaciter restituere recusantis, prævia sua taxatione, ut supra (ne alias in immensum jurare liceat) potest mihi injuste spoliato deferre juramentum, quo juxta privatam etiam meam affectionem, atque utilitatem, possim librum illum æstimare, et jurare, quod ipsum non dedissem pro 20. l. *Videamus*, § *Deferre*, juncta Glossa ℣. *Ex magna causa*. ff. *De in litem jurando*.

19. *Juramentum in litem de interesse, quid?* — Tertium dicitur « Juramentum in litem de interesse : » seu quod præstatur ratione interesse singularis extra rem. Exemplum sit : Deposui penes te pecuniam, quam post lapsum temporis, aut sententiam judicis debuisses mihi restituere ; sed quia ipsam dolose non restituisti, passus sum grave damnum, v. g. perdidi pignora mea sub usuris, aut crescente interim pretio frumenti gravem læsionem incurri : isto casu debet judex propter dolum, seu contumaciam non solventis, deferre mihi juramentum in litem ; non quidem de veritate, quia constat de quantitate pecuniæ apud te depositæ, neque de affectione, quia in nummis non cadit singularis affectio. l. *Nummis*. ff. *De in litem jurand.* sed de meo interesse singulari extra rem ; hoc est, ut ego jurem in litem secundum æstimationem damni, quod passus sum per hoc, quod pecuniam debito tempore dolose non restituisti, cit. l. *Nummis*. § *Nisi forte*. et Jason, ubi supra, n. 4.

20. *Juramentum in litem defertur solum ratione doli, non ratione culpæ. Culpa, et dolus, apud jurisperitos, quid? Culpa lata æquiparatur dolo.* — Additur tamen « dolose, » etc. Quia juramentum in litem, quo creditur actori quantum in litem juraverit, defertur solum ratione doli (puta, quia reus vi abstulit, aut contumax est in restituendo, vel hujusmodi) non item ratione culpæ, l. II. et l. *In actionibus*. ff. *De in rem jurand.* Nam culpa apud jurisperitos idem est, ac omissio alicujus diligentiæ, unde sequitur quodpiam damnum proximo : et hæc postea subdividitur in latam, levem, et levissimam. Dolus autem dicitur omnis calliditas, fallacia, et machinatio, ad circumveniendum, fallendum, et decipiendum alterum adhibita, l. I. ff. *de Dolo malo*. Quamquam culpa lata, seu quæ est omissio ejus diligentiæ et circumspectionis, quam passim homines ejusdem conditionis adhibere solent, in jure dolo æquiparetur, l. I. ff. *Si mensor falsum*, etc. etsi proprie dolus non sit.

21. *Juramentum judiciale aliud est testium, aliud judicis, advocatorum, tutoris, etc.* — Resp. III. Juramentum judiciale sub diversis aliis respectibus adhuc varie dividitur. Ita Glossa ad rubric. ff. *de Jurejurand.* et patet inductione. Nam aliud est juramentum testium ; et hoc est de veritate dicenda, l. *Jurejurando*. c. *de Testib.* et alibi. Aliud est juramentum judicis, et advocatorum, de rite præstando officio suo. l. *Rem non novam*. c. *de Judiciis*. Aliud est juramentum tutoris, qui est creditor, vel debitor pupilli, Auth. *Ut ii, qui obligatas*, et c. collat. 6. Aliud purgationis canonicæ, c. *Quoties de Purgation. canon.* Tacentur alia hujusmodi juramenta, utpote

quæ superfluum foret hoc loco recensere.

22. *Juramentum an sit licitum, præsertim sacerdotibus, ac religiosis? Juramentum debite factum est licitum, et actus religionis.* — Quæritur III. An juramentum sit licitum, præsertim sacerdotibus, ac religiosis? Resp. I. Juramentum debite factum, ex se malum non est, sed potius actus virtutis religionis. Ita divus Thomas 2. quæst. 89. art. 4. asserens, juramentum esse actum religionis, sive latriæ; et communis tum theologorum, tum canonistarum. Idque patet ex illo *Deuteronom.* VI, 13. ubi præcipitur : *Dominum Deum tuum timebis, ac per nomen illius jurabis.* Et *Psalm.* LXII, 12. *Laudabuntur omnes qui jurant in eo*, cum similibus. Accedit ratio, quia hoc ipso, quod homo per Deum jurat, profitetur Deum esse potiorem, utpote cujus veritas est indefectibilis; sicque Deo ut veracissimo exhibet quamdam reverentiam : atqui exhibere Deo reverentiam, est actus religionis, seu latriæ; ergo.

23. *Non tamen est de genere eorum, quæ per se bona sunt, et frequentanda. Consuetudo incaute jurandi, est periculosa.* — Additur notanter, « juramentum debite factum. » Quia juramentum non est de genere eorum, quæ per se bona sunt, ut frequentanda; uti est oratio, eleemosyna, et hujusmodi : sed quæ bona sunt duntaxat supposita vera necessitate, sed causa rationabili; prout explicat divus Augustinus lib. I. *de Verbis Domini in monte.* Unde consuetudo incaute jurandi multum est periculosa, graviter perstringitur in sacra Scriptura : ut *Ecclesiastici* XXIII, 9. *Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa.* Et iterum ibidem, 12 : *Vir multum jurans, implebitur iniquitate*, cum similibus. Itaque :

24. *Ad juramentum, ut sit licitum, tres requiruntur comites, nempe veritas, judicium et justitia; idque declaratur.* — Resp. II. Ad juramentum, ut sit licitum, et opus bonum, actusque religionis, tres requiruntur conditiones, tanquam comites ipsius, nempe veritas, judicium, et justitia; juxta illud *Jerem.* IV, 2. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, judicio, et justitia.* Et quidem *Veritas* in eo consistit, ut veracissimi numinis testimonium non adducatur in attestationem falsi, seu mendacii : alioquin foret perjurium, et gravissimum peccatum mortale. *Justitia* consistit in hoc, quod æquissimi numinis testimonium non adducatur in confirmationem rei iniquæ, et peccato obnoxiæ. *Judicium* vero, seu judicii discretio consistit in eo, ut cum prudenti intellectus consideratione, ac pia et reverenti voluntatis affectione, non sine necessitate, aut magna utilitate juretur : prout jam dixi in *Theolog. moral.* cit. tract. VI. dist. 2. quæst. 2, n. 12, ac seqq. ubi plura huc attinentia videri possunt.

25. *His concurrentibus licite juratur, etiam per sacerdotes, ac religiosos.* — Resp. III. Ex causa necessitatis, seu concurrentibus hisce tribus juramenti comitibus, licite etiam per sacerdotes, et religiosos juratur. Ita communis omnium : atque habetur expresse decisum c. *Etsi Christus.* 26, h. t. ubi etiam pontifex solvit contraria, ob quæ nonnulli religiosi, veluti vitæ perfectioris æmulatores, timuerunt deponere juramentum judiciale in causis suæ Ecclesiæ. Accedit ratio, quia, ut proxime dictum est, juramentum debite factum, seu quod habet tres comites suos, nempe veritatem, judicium et justitiam, est licitum, et actus religionis, atque in sacra Scriptura commendatur, ergo non est ratio, cur clericis, atque religiosis censeatur esse illicitum. Quinimo non esse credendum testi, etiam religioso, qui sine juramento deponit, habetur c. *Nuper nobis.* 51. *de Testib.* Similiter clerici in causa Ecclesiæ suæ, imo et in propriis suis causis præstant juramentum calumniæ; ut cap. I. et c. *Cæterum. de Jurament. calumn.* Sicut et episcopus, si per se ipsum eligit litigare, idem juramentum præstare debet, sed propositis tantum, non vero tactis Evangeliis, cap. ult. § 1. eod.

26. *Sine justa causa jurare etiam verum, ad minus est peccatum veniale.* — Additur notanter in conclusione, « ex causa necessitatis, » etc. Nam hac cessante, sed sine justa causa jurare etiam verum, ad minus est peccatum veniale : quia non caret irreverentia quadam, Deum imprudenter adducere in testimonium rei, licet cæteroquin veræ; pugnatque istud contra alteram conditionem ad juramentum requisitam, quæ est judicium.

27. *Sacerdotes in levi causa non sunt compellendi ad jurandum. Possunt tamen jurare in casu necessitatis, sicut et religiosi.* — Unde et sacerdotes in levi causa non sunt ad jurandum compellendi per judicem; sed « vice juramenti, per sanctam consecrationem interrogentur : quia sacerdotes (idemque dicendum de regularibus, utpote specialius ad perfectionem evangelicam aspirantibus) ex levi causa jurare non debent; » prout loquitur textus in can. *Si quis presbyter.* 2. quæst. 5.

allegato illo Salvatoris *Matth.* v, 34. *Nolite omnino jurare*, *Sit autem sermo vester*, *Est*, *est: Non*, *non*. Verumtamen in casu necessitatis, seu magnæ utilitatis (ut puta, ad sui purgationem, vel probandam alterius innocentiam, aut tuenda sua, vel Ecclesiæ suæ jura, quæ alioquin ex defectu probationum graviter lædi possent, ac hujusmodi) bene possunt jurare etiam sacerdotes, ac religiosi.

28. *Christus*, Matth., v, 34, *prohibuit jurare per creaturas. Si tamen juretur per creaturas, servandum est juramentum.* — Dices : Christus Dominus *Matth.* v, 34 et seqq. dixit nobis, *Non jurare omnino*, *neque per cœlum*, *quia thronus Dei est*, *neque per terram*, etc. *Sit autem sermo vester*, *Est*, *est: Non*, *non: quod autem his abundantius est*, *a malo est:* ergo nunquam licitum est jurare. Resp. negand. consequent. Quia, ut optime declarat pontifex cit. c. *Etsi Christus*, h. t. prædictis verbis Christus Dominus non prohibuit juramentum per Creatorem (nam et angelus legitur jurasse per viventem in sæcula sæculorum, *Apocal.* x, 6. et Apostolus quoque jurabat per Deum, cum *Rom.* I. 9. diceret: *Testis est mihi Deus:*) sed quia juramentum est actus religionis, et latriæ, ut dictum n. 22. prohibuit jurare per creaturas, puta, per cœlum, per terram, ac hujusmodi : « Ne per hujusmodi juramentum transferretur ad creaturam honorificentia creatoris : » prout loquitur textus, et amplius probat Glossa ibid. ℣. *Creaturam*. Quamvis autem (subdit pontifex) non sit jurandum per creaturam, si tamen juretur per creaturam, servandum est juramentum, dummodo sit licitum, quod juratur : quia teste veritate, qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, et in eo, qui sedet super illum.

29. *Explicatur dictum Salvatoris*, Matth., v, 35. — Nec obstat illud, quod Salvator, ubi supra, subjunxit : *Sit autem sermo vester: Est*, *est: Non*, *non*, etc. Nam contra est: quia ipsemet Christus Dominus legitur in Evangelio plus dixisse, quam ista verba, dum *Lucæ*, IV, 24 et 25. post illa verba, *Amen dico vobis*, *quia nemo propheta acceptus est in patria sua*, illico subjunxit : *In veritate dico vobis*, *multæ viduæ erant in diebus Heliæ in Israel*, etc. Unde patet illis verbis non probiberi juramentum absolute, ac veluti per se malum, cum sit confirmatio veritatis ; et si debite fiat, videlicet in veritate, judicio atque justitia, a Deo sit commendatum, *Jerem.* IV, 2. et alibi. Quamvis prohibeatur frequens, et incauta juratio, utpote ex qua sæpe contingit perjurium, una cum aliis delictis, juxta illud *Ecclesiastici*, XXIII, 12. jam allegatum : *Vir multum jurans*, *replebitur iniquitate.*

30. *Juramentum est a malo : et quomodo?* — Neque ulterius urgent illa verba Salvatoris immediate subjuncta : *Quod autem his abundantius est*, *a malo est*. Nam Salvator non dixit, *malum ;* sed dixit : *a malo*. Quia, quod amplius est, id quidem a malo est, videlicet ab incredulitate audientium (nam si isti crederent, opus non foret pluribus verbis, multo minus juramento) non tamen est malum, si debite fiat. Quinimo, licet juramentum sit a malo, juxta allegata verba Salvatoris, nihilominus est a malo, non tam culpæ, quam pœnæ ; nec exibentium, sed exigentium juramentum : nam horum incredulitas magis est pœna quam culpa, ut inquit pontifex in cit. c. *Etsi Christus*, h. t. Siquidem in statu naturæ læsæ, et exercente hominum malitia, simplici assertioni, vel negationi, vix creditur : imo locum habet illud *Ecclesiastici*, XIX, 4. *Qui cito credit*, *levis est corde.*

31. Jacob, v, 12, *non prohibetur juramentum simpliciter*, *sed voluntas jurandi incaute*, *et sine causa.* — Urgebis. In Epistola canonica S. Jacobi apostoli, v, 12, dicitur : *Ante omnia autem*, *fratres mei*, *nolite jurare*, etc. ergo nunquam licitum est juramentum, ponderando ly, *ante omnia nolite*. Resp. negand. consequent. Quia, uti declarat ly, *Nolite*, atque interpretatur Pontifex in cit. c. *Etsi Christus*. § *Jacobus*. h. t. hisce verbis non simpliciter prohibetur juramentum, sed voluntas jurandi, videlicet incaute, et sine legitima causa. Siquidem ad juramentum non debet quemquam spontanea voluntas inducere, sed necessitas trahere importuna : et tunc potest quis sine culpa jurare id, quod cæteroquin est justum, ac verum.

§ II.

DE INTERPRETATIONE JURAMENTI ET CONDITIONIBUS EIDEM TACITE INEXISTENTIBUS.

32. *Juramentum est stricti juris*, *stricteque interpretandum.* — Quæritur I. Quomodo juramentum sit interpretandum. Resp. I. Juramentum est stricti juris, stricteque interpretandum propter periculum animarum, atque ad evitandum perjurium. Ita Abbas c. *Clericus*. n. 2. h. t.; Suarez l. II. *de Jurament.* cap. XXXII. n. 7; Pirhing h. t. n. 102. cum

communi. Idque desumitur ex c. *Cum clerici.* 19. *de Verb. signif.* ubi juramentum a quopiam editum, stricte per Papam interpretatur. Accedit ratio, quia ubi de inducenda obligatione agitur, stricta debet fieri interpretatio, juxta c. *Odia restringi.* 15. *de Reg. jur.* in 6. cum similibus. Unde si quædam reperiatur obscuritas, juramentum interpretatur pro favore jurantis; atque illud, quod palam verbis expressum non est, censetur omissum, l. *Quidquid astringendæ.* ff. *de Verb. obligat.* ibi: « Quidquid astringendæ obligationis causa dictum est, id, nisi palam verbis exprimatur omissum esse, intelligendum est: aut certe secundum promissorem interpretandum. »

33. *In foro animæ juramentum interpretatur secundum intentionem jurantis. Etsi de hac non constet, interpretatur stricte.* — Atque istud vel maxime procedit pro foro externo: nam in foro animæ juramentum interpretatur secundum intentionem jurantis, juxta illud I *Regum* XVI, 7. *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Unde D. Gregorius, relatus can. *Humanæ aures.* 22. q. 5. sic loquitur: « Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant: divina vero judicia, talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur. » Quod si tamen de ipsa jurantis intentione non constet, tunc etiam in foro animæ, ac pœnitentiali, juramentum stricte est interpretandum, ob dicta n. præced.

34. *Solvitur instantia. Favor juramenti, et reverentia ipsi debita, in quo consistat?* — Neque obstat favor juramenti, atque reverentia eidem debita. Siquidem favor juramenti, ac reverentia ipsi debita, principaliter consistit in eo, quod sit verum, justum atque rationabile; sicque habet tres comites suos, veritatem nimirum, judicium atque justitiam, juxta *Jerem.* IV, 2. Non autem, ut ad plura extendatur, atque in dubio amplietur: quinimo, quo benignior fuerit interpretatio juramenti, eo facilius observabitur, magisque evitabitur ipsius violatio, seu perjurium.

35. *Juramentum præstitum circa materiam juris, interpretatur secundum dispositionem juris communis. Idque varie exemplificatur. Non obstante juramento de rebus Ecclesiæ non alienandis, potest epicopus novam Ecclesiam ædificare si populus ea indigeat.*— Resp. II. Quando juramentum est præstitum circa materiam juris (hoc est circa illa, de quibus jus ipsum quid disponit) tunc illud est interpretandum secundum dispositionem juris communis, neque ultra extendendum. Ita Glossa in cap. I. ℣. *Declaramus.* h. t. n. 6; Innocentius c. *Per tuas litteras.* circa med. *de Arbitriis,* Abbas c. *Tua nos.* n. 4. *de Eccles. ædificand.;* Layman lib. IV. *Theolog. moral.* trac. III, cap. IX, n. 2; Pirhing h. t. n. 107. et alii. Idque desumitur ex cit. c. *Tuæ nos.* 6. *Eccles. ædificand.* ubi non obstante juramento de rebus ecclesiæ non alienandis, potest episcopus novam ecclesiam ædificare, si populus ea indigeat: quia hoc ipsum est de jure communi, c. *Ad audientiam.* 3. eod. sicque juramentum illud episcopi est interpretandum juxta jus commune, ac proinde casus iste in juramento illo censetur tacite exceptus.

36. *Jurans in omni causa servare ordinem judiciarium, non tenetur hunc servare in notariis. Juramentum generale debet ita intelligi, si fieri potest ut non obviet juri.* — Concordat c. *Ad nostram.* 21. h. t. ubi jurans, quod in omni causa debeat observare ordinem judiciarium, non tenetur vi juramenti ipsum servare in manifestis ac notoriis: siquidem spectato jure communi manifesta accusatione non indigeat, can. *Manifesta.* 2. q. 1. etc. *Evidentia. de Accusation.* ac proinde etiam illud juramentum, utpote interpretandum secundum jus commune, casum hunc de manifestis non comprehendit. Accedit ratio ibidem allata: quia sic jurans « non habebat in mente, ut propterea veniret contra canonicas sanctiones: alioquin non juramentum, sed perjurium potius extitisset: nec esset aliqua ratione servandum. » Hæc pontifex pro interpretatione dicti juramenti. Ubi proinde Summarium ex Abbate desumptum, sic loquitur: « Juramentum generale debet ita intelligi, si fieri potest, ut non obviet juri; alias tanquam temerarium non obligat contra juris observantiam. »

37. *Qui jurato promisit judicio sisti, potest, ex concessa causa, illud deserere.* — Huc etiam facit textus in l. ult. ff. *Qui satisdare cogantur,* ibi: « Qui jurato promisit judicio sisti, non videtur pejerasse, si ex concessa causa hoc deseruerit. » Atque ratio horum generalis est: quia in quolibet juramento promissorio tacite subintelligitur, atque ipso jure inest conditio illa, « Salvo jure, et auctoritate superioris » (puta, supremi legislatoris), c. *Venientes.* 19. h. t. atque amplius n. 53. dicetur. Unde consequens est, quod juramentum conformiter menti legislatoris, per jus commune mani-

festatæ, interpretari debeat, ne alias veluti temerarium rejici debeat.

38. *Clericus qui juravit perpetuam residentiam potest in casibus a jure permissis abesse.* — Eadem conclusio amplius declaratur exemplis, atque casibus specialibus. Sic imprimis clericus, qui juravit perpetuam residentiam, potest in casibus a jure permissis abesse, v. g. pro servitio suæ ecclesiæ, c. *Ex prate.* 13. *de Cleric. non resident.* Vel ex causa infirmitatis, seu justæ et rationabilis corporalis necessitatis, cap. un. eod. in 6. cum similibus.

39. *Qui juravit parere juri, vel mandatis Ecclesiæ, potest ob injustum gravamem licite appellare.* — Deinde, qui juravit parere juri, vel mandatis Ecclesiæ, potest hoc juramento non obstante, si se injuste gravatum viderit, licite appellare, sicuti jure communi concessum est. Glossa communiter recepta in c. *Prout.* ℣. *Cautionem. de Dolo et contumac.* et Abbas ibid. n. 11. illud extendens ad eum casum, quo quis juravit coram judice respondere : adhuc enim (inquit) ex supervenienti causa poterit ipsum recusare ; ut c. *Insinuante.* 25. *de Offic. delegat.*

40. *Et qui juravit consilium, vel secretum alterius nulli revelare, tenetur solummodo celare consilium ipsius honestum : non vero malum, et reipublicæ perniciosum.* — Ulterius, qui juravit consilium, sive secretum alterius nulli revelare, vi hujus juramenti solummodo tenetur celare consilium ipsius honestum : secus dicendum de consilio malo, ac reipublicæ pernicioso. Glossa in c. *Ego N.* 4. ℣. *Nulli pandam.* et Abbas ibid. n. 7. h. t. Qui tamen notanter addit, quod tunc ejusmodi consilium, seu secretum malum, non possit revelari omnibus (foret enim manifesta detractio, occultum crimen alterius sine legitima causa manifestare) sed illis duntaxat, quibus potest prodesse, et non obesse : puta, quia possunt sibi, aut reipublicæ præcavere a gravioribus malis.

41. *Juramentum de servando secreto, v. g. capituli, concilii, etc., qualiter sit intelligendum, atque obliget?* — Insuper juramentum de servando secreto (hoc est, de non revelandis illis, quæ in capitulo, concilio, etc. tractantur) est intelligendum juxta materiam subjectam, seu quatenus materia subjecta secretum postulat. Ita nimirum, ut si res magni momenti existat, et valde intersit eam non evulgari, ipsius evulgatio perjurium, atque peccatum mortale inducat propter violatum juramentum : si autem fuerit res levis, solum veniale peccatum inducat. Sanchez lib III. in *Decalog.* cap. XIV. n. 5. Layman lib. IV. *Theolog. moral.* cap. IX. n. 2. citans alios.

42. *Juramentum promissorium in materia levi violatum, continet duntaxat peccatum veniale.* — Nec immerito ; nam quod juramentum promissorium in materia levi violatum, contineat peccatum duntaxat veniale, sicut et violatio voti in materia levi, tenet Navarrus cap. XII. *Manual.* n. 11. Angelus ℣. *Juramentum.* 5. n. 41. Suarez tom. II. *de Relig.* lib. III. *de Jurament.* cap. XVI, n. 9. et seqq. Sanchez lib. III. in *Decalog.* cap. IV. n. 23. citans alios ; atque ego ipse jam dixi in *Theol. moral.* tract. VI. dist. 2. n. 32. ea addita ratione ; tum quia inter alias conditiones, quæ juramento promissorio tacite insunt, una est : « Nisi is, in cujus gratiam juratur, id remittat, » juxta dicenda n. 54. atqui nullus censetur rationabiliter velle obligare alterum sub gravi culpa ad præstandam rem levem, quam sibi promisit sub juramento ; tum quia levitas materiæ etiam a mortali culpa excusat in voto, et aliis hujusmodi materiis.

43. *Juramentum episcoporum, canonicorum, et aliorum ad dignitates, vel officia promotorum, item juramentum capitulorum, collegiorum, universitatum, etc., jurantium servare propria statuta, qualiter interpretandum. Statuta hæc, sicut et juramenta ipsis apposita, interpretantur secundum jus commune ; atque obligant juxta subjectam materiam mortaliter, vel venialiter.* — Et conformiter præmissis debet intelligi, atque interpretari juramentum episcoporum, c. *Ego N.* 4. h. t. relatum, item juramentum canonicorum, et aliorum in sua promotione ad certas dignitates, vel officia, speciale juramentum capitulorum, collegiorum, universitatum, aliarumque communitatum, jurantium servare propria statuta. Hæc enim, sicut et juramenta ipsis apposita, sunt interpretanda secundum jus commune ; ac proinde sunt intelligenda, ut obligent juxta subjectam materiam, vel mortaliter, vel venialiter, vel etiam ad subeundam solam pœnam. Prout in simili habetur Clem. 1. § *Item quia. de Verb. signif.* ubi pontifex exposituris ea, quæ in regula Fratrum Minorum sunt æquipollentia præceptis, istud desumendum censuit « ex vi verbi, vel saltem ratione materiæ de qua agitur, seu ex utraque. » Concordat c. *Exiit qui seminat.* § *In primis quia.* Vers. *Et dato. de Verb. signif.* ubi dicitur, quod absolute promittentes sanctum Evangelium observare, teneantur « ad

observantiam Evangelii sic, sicut tradita reperitur a Christo; videlicet, quod præcepta ut præcepta, et consilia ut consilia a promittentibus observentur. » Idem ergo dicendum de statutis juratis.

44. *Juramentum an sit interpretandum secundum intentionem jurantis, vel illud recipientis? Bona fide generaliter præstitum interpretatur secundum intentionem jurantis, nec extenditur ad incognita.* — Quæritur II. An juramentum sit interpretandum secundum intentionem jurantis, vel illud recipientis? Resp. I. Juramentum bona fide generaliter præstitum, est interpretandum secundum intentionem jurantis; non vero extendendum ad incognita, seu ad talia de quibus jurans in specie non cogitavit, et si in mentem venissent, verisimiliter excepisset. Ita Glossa c. *Veniens.* 16. ỳ. *Præscivisset.* et Abbas ibid. n. 4; Joan. Andreas n. 9; Barbosa in collectan. n. 4. cum aliis h. t.; divus Thomas 2. 2. quæst. 98, art. 2. ad 3. istud exemplificans in eo, qui juravit facere voluntatem alterius : quia (inquit) in tali juramento intelligenda est debita conditio : « Si scilicet id, quod ei mandatur, licitum sit et honestum et portabile sive moderatum. » Layman cit. lib. IV. *Theol. moral.* tract. III. cap. IX. n. 3. Pirhing h. t. n. 109. et alii.

45. *Juramentum generaliter prolatum debet civili modo intelligi.* — Ratio est, quia « in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus, » juxta reg. 81. jur. in 6. Ergo idem dicendum de promissione, etiam jurata; nam juramentum generaliter prolatum debet civili modo intelligi, l. *Si cui simplici.* ff. *de Servitutib.* sicque non est extendendum ad casus non cogitatos, nimiumque graves, seu importabiles, l. *Quamquam.* juncta Glossa ỳ. *Cogitasset.* ff. *de Ritu nuptiar.* Glossa et Abbas cit. c. *Veniens* h. t. Idem probatur exemplis.

46. *Idque exemplificatur.* — Sic in c. *Veniens.* 16. h. t. cum Atticus post offensam alteri illatam crederet se non commisisse tale quid, propter quod ei aliquod grave deberet imponi : sicque ad suggestionem aliorum bona fide jurasset, quod in satisfactionem injuriarum vellet obedire mandatis : Mævius autem illi sub juramenti debito præcepisset, ut nunquam intraret curiam ducis, cujus tamen idem Atticus fuerat consiliarius, ejusque servitiis juramento adstrictus. Re ad Papam delata declaratur juramentum Attici non esse servandum, eo quod repugnet alteri juramento prius per Atticum duci facto; et quia Atticus « nequaquam taliter jurasset, si mandatum illud sibi contrarium præscivisset; » prout loquitur ibidem textus in narratione facti.

47. Similiter, qui juravit stare mandatis alterius, si alter ipsi præcipiat, ut in pœnam illatæ offensæ filios et filias exhæredet, et a se propriam removeat uxorem, non tenetur servare tale juramentum, utpote ad incogitata se extendens, simulque præcipiens aliquid illicitum, c. *Quintavallis.* 23. h. t. juncta Glossa, et doctoribus ibid. Accedit ratio : quia in quolibet juramento promissorio tacite, atque ipso jure continentur quædam conditiones; videlicet, « Si potero; salvo jure superioris : Si res in eodem statu permanserint, » etc.; si igitur una harum conditionum deficiat, prout fit in casibus proxime relatis, aliisque similibus, ubi juramentum generale extenditur ad incogitata, seu nimis gravia, et de jure vel facto impossibilia observatu : tunc hoc ipso cessat obligatio juramenti promissorii in casu ejusmodi.

48. *Si jurans fuit in dolo, tunc juramentum ejus interpretatur, atque obligat juxta intentionem recipientis.*—Resp. II. Quod si vero jurans fuit in dolo, præstando v. g. juramentum sub verbis callidis, seu amphibologicis ad decipiendum eum cui jurat, tunc juramentum est interpretandum, atque obligat juxta intentionem recipientis : hoc est, juxta sanum intellectum illius cui juramentum præstatur. Ita sanctus Thomas 2. 2, q. 89, art. 7. ad 4; Navarrus, cap. XII. *Manual.* n. 13; Angelus ỳ. *Juramentum.* 4. n. 1; Covarruvias in c. *Quamvis. de Pactis.* in 6. part. I, § 5, n. 1. et 2; Sanchez lib. III. in *Decalog.* cap. X. n. 4, et n. 12. 13. et 14, citans alios. Conclusio hæc desumitur ex can. *Quacumque.* 22. q. 5. ubi ex sancto Isidoro sic refertur : « Quacumque arte verborum quisque juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. » Quem textum procedere de juramento doloso, notat Archidiaconus ibid. n. 1. istud probans ex ly, « arte; » id est, fraude, calliditate seu versutia : ac sanctus Thomas, et alii, ubi supra istud confirmantes ex eo quod ibidem subditur : « Dupliciter autem reus fit, quia et Dei nomen in vanum assumit, et proximum dolo capit : » sicque patet, ibidem sermonem esse de juramento doloso, seu ad alterum dolo capiendum præstito.

49. *Fraus et dolus, aliqui patrocinari non*

debent. — Accedit ratio, tum quia « fraus et dolus alicui patrocinari non debent, » uti dicitur c. *Sedes* 15. et c. *Ex tenore.* 16. *de Rescript.*; tum quia « non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, » prout habetur l. *Non debet.* ff. *de Reg. jur.* prout fieret, si juramentum dolosum interpretaretur juxta mentem proferentis, et non juxta intentionem sanumque intellectum recipientis, cui juratur. Quinimo si secus contingeret, tunc dolose jurans, teneretur ex virtute justitiæ pro foro conscientiæ, etiam ante aliam sententiam judicis, ad refundendum omne damnum alteri, quem suo doloso juramento decepit, atque damnificavit. Concordant dicenda inferius § seqq. n. 70.

50. *In juramento assertorio nulla conditio subintelligitur.* — Quæritur III. Quænam conditiones tacite inesse censeantur juramento promissorio? Et additur notanter; « promissorio : » siquidem in juramento assertorio, utpote in quo præcise aliquid asseritur, vel negatur esse verum, nulla conditio subintelligitur : cum fiat de re præsenti, vel præterita, adeoque sit de simplici veritate, quæ consistit in hoc quod jurans bona fide arbitretur esse verum id quod sub jurejurando affirmat. At vero in juramento promissorio, utpote quo aliquid promittimus, duplex debet intervenire veritas : una intentionis, seu veritas dicti, et altera executionis, seu veritas facti : ut videlicet illud, quod sub juramento promittimus, non solum ab initio intendamus adimplere; sed postmodum etiam, cessante justa causa excusante, opere compleamus, ne perjurium incurramus, ut jam dictum supra n. 6. Hoc prænotato :

51. *In juramento tamen promissorio, quamvis absolute facto, quædam tacite subintelliguntur conditiones.* — Resp. I. In omni juramento promissorio, quamvis absolute facto, quædam tacitæ subintelliguntur conditiones. Ita desumitur ex c. *Quemadmodum.* 25. § 1. h. t. ibi : « Non obstante hujusmodi juramento, quoniam in eo talis erat subintelligenda conditio : » ac notat Glossa ℣. *Conditio.* et Abbas ibid. § *Illud autem.* n. 8; Layman lib. IV. *Theol. moral.* tract. III. cap. IX. n. 4; Sylvester ℣. *Juramentum.* 3. q. 1; Pirhing h. t. n. 119. et et alii. Idque amplius patebit ex dicendis; unde :

52. *Nempe I. Si potero; vel, si Deo placuerit. Ad impossibile nemo tenetur; et hoc qualiter intelligendum?* — Resp. II. Inter ejusmodi conditiones, quæ videlicet juramento promissorio tacite, ac ipso jure insunt, Prima est : « Si potero. » quia ad impossibile nemo tenetur, juxta reg. 6. juris in 6. Atque istud procedit de quolibet impossibili, sive sit impossibile « de jure, » (quia nimirum honeste, et secundum bonos mores fieri non potest) sive sit impossibile « de facto, » quia videlicet naturaliter fieri non potest, vel saltem nonnisi difficillime; prout hanc « impotentiam facti » explicat Layman c. *Sciscitatus.* n. 1. *de Rescript.* et Gobath tract. XI. *Theolog. experiment.* n. 496. post Peckium in reg. 6. jur. in 6. Huc referri potest illa conditio : « Si Deo placuerit; si potero licite : » quia juramentum non est vinculum iniquitatis, c. *Quanto* 18, h. t. et cap. I. eod. in 6. cum similibus : nam quæ sunt illicita, sive displicent, Domino Deo, censentur de jure impossibilia.

53. *II. Salvo jure, et auctoritate superioris.* — Secunda est. « Salvo jure, et auctoritate superioris. » Atque hæc conditio desumitur ex c. *Venientes.* 19. h. t. ibi : « Cum prædictum juramentum vos excusare non possit, in quo debet intelligi jus superioris exceptum. » Concordat. c. *Ea te.* 22. h. t. ubi illicitum, nec servandum censetur juramentum, quod salvo apostolicæ Sedis honore servari nequit. Unde in simili c. *Non est.* 5. *de Voto.* dicitur : « Non est voti dicendus transgressor, qui quod vovit, auctoritate Sedis apostolicæ distulit adimplere : » quia nimirum, si justa causa subsit, potest in votis Papa dispensare; prout notat Glossa ibid. ℣. *Auctoritate.*

54. *III. Si non is sponte remiserit, in cujus favorem juratum est. Invito beneficio non tribuitur.* — Tertia, et in juramento promissorio tacite subintellecta conditio est : « Si non is sponte remiserit in cujus favorem juratum est; » tum quia « invito beneficium non tribuitur, » juxta textum in l. *Invito.* ff. *de Reg. jur.* Requiritur enim ejus acceptatio, l. *Absenti.* ff. *de Donation.*; tum quia quilibet suo juri renuntiare potest, c. *Si diligenti. de Foro compet.* ac proinde potest rem, vi juramenti sibi debitam, alteri remittere, et condonare.

55. *Juramentum in favorem hominis factum Deus non acceptat, nisi in ordine ad hominem.* — Nec obstat religio juramenti, atque reverentia per ejus observantiam Deo exhibenda. Resp. enim, istud neutiquam obstare præmissæ conditioni : siquidem juramentum in favorem hominis factum Deus non aliter acceptat, nisi in ordine ad hominem, in cujus utilitatem cedit; alioquin enim juramentum

homini factum, posset ipsi ob varios respectus, seu circumstantias, quandoque præjudicare : unde si homini est satisfactum, etiam Deo, ac debitæ ipsius reverentiæ satisfactum esse censetur. Navarrus cap. xxv. *Manualis*. n. 25. loquens in casu quo quis juravit matrimonium inire cum aliqua paupere ob amorem Dei. Sanchez lib. III. in *Decalog*. cap. xx. n. 7. et lib. I. *de Matrim*. disp. 52. n. 8. et 9; Pirhing h. t. n. 123; Layman cit. lib. IV, tract. III. cap. ix, n. 5. asserens hoc esse certum, quando persona illa, cui juratum est beneficium, v. g. matrimonium, istud positive respuit tanquam sibi non acceptum : quod si vero beneficium non respuat, sed duntaxat nolit jurantem ad id obligari, tunc cum pluribus aliis censet, juramentum non relaxari; quamvis etiam nonnulli probabiliter teneant oppositum, ob rationem proxime dictam.

56. *Juramentum dandi certam eleemosynam pauperibus in genere, an possit a paupere aliquo remitti?* — Excipe hinc casum, quo quis juravit dare, v. g. certam eleemosynam pauperibus in genere, nulli autem eorum in specie : tunc enim nullus pauper posset ejusmodi juramentum remittere, utpote non sibi directe ac principaliter factum, sed Deo, et pauperibus in genere, atque vage. Sanchez cit. cap. xx, n. 8. Quod si tamen tali voto adstrictus, eleemosynam illam sine pacto reddendi cuipiam pauperi largiretur, qui mox sponte sua, vel etiam rogatus, eam largienti redderet, satisfactum esset juramento. Quia cum eleemosyna semel absolute data sit pauperi, juramentum fuit expletum; pauper vero, utpote ejus dominus effectus, libere poterat eam reddere largienti. Sanchez loc. cit., n. 8; Layman cit. n. 5. et alii.

57. *IV. Si res in eodem statu permanserint.* — Quarta conditio in juramento promissorio imbibita, seu eidem tacite inexistens, est : « Si res in eodem statu permanserint; » hoc est, non fuerint notabiliter mutatæ. Et hæc conditio desumitur ex c. *Brevi*. 17. et c. *Quemadmodum*. 25. h. t. juncta Glossa hic, ỷ. *Conditio*. et doctoribus passim. Concordat textus in l. *Cum quis*. § 1. ff. *de Solution*. ibi : « Tacite enim hæc conventio inesse stipulationi videtur, si in eadem causa maneat. » Accedit ratio, quia verisimile non est, quod jurantis intentio fuerit, sese obligare ad rem admodum difficilem, vel etiam indecentem; qualis contingere solet, ubi notabilis mutatio supervenit; ergo juramentum ejus ita est interpretandum ut ad casum adeo improvisum, et incogitatum se non extendat, conformiter juribus nunc allegatis, et dictis supra n. 44. et seqq.

58. *V. Si et altera pars fidem servaverit.* — Quinta conditio, sed pacto vel contractui reciproco etiam jurato specialis, ac suapte natura inexistens, hæc est : « Si et altera pars fidem servaverit; » id est, pacto, seu promissis suis steterit. Textus est in c. *Pervenit*. 3. ibi : « Nec tu ei, etiamsi promissum tuum juramento firmasses, aliquatenus teneris, si constet eum conditioni minime paruisse. » Concordat c. *Sicut*, 29. § fin. h. t. Atque illud vulgatum axioma : « Frangenti fidem, fides frangatur eidem. » Nam, ut habet reg. 57. juris in 6. « Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat, » cum similibus.

59. *Conditiones illæ, quæ tacite seu de jure insunt, non faciunt actum conditionatum : bene tamen conditiones extrinsecæ.* — Objicies contra præmissa. Si prædictæ conditiones in quodlibet juramento promissorio subintelliguntur; ergo omne tale juramentnm erit conditionale. Resp. negand. consequent. Quia, ut notat Glossa c. *Quemadmodum*. ỷ. *Conditio*. h. t. et doctores communiter, quamvis conditio extrinseca, qua v. g. quidpiam sub juramento promittitur, si navis ex India advenerit, vel hujusmodi, reddat contractum, vel juramentum conditionale : secus tamen est dicendum de illis conditionibus, quæ suapte natura, sive ex necessitate legis insunt. Nam generaliter conditiones illæ, quæ tacite, seu de jure insunt, non faciunt actum conditionatum; ut. l. *Conditiones*. ff. *de Condition. et demonst.* ibi : « Conditiones, quæ tacite inesse videntur, non faciunt legata conditionalia. » Quinimo, licet ejusmodi conditio expresse apponatur, adhuc non reddit actum conditionatum, l. III. ff. *de Legat. I.* ubi Summarium habet : « Expressio conditionis per modum, per quem ex necessitate inest, nihil operatur : » sive, ut loquitur textus, « non facit legatum conditionale. »

60. *Juramentum servandi statuta edita, non extenditur ad statuta imposterum edenda?* — Quæritur IV. Utrum juramentum servandi statuta, extendatur ad statuta imposterum edenda? Resp. I. Juramentum servandi statuta edita alicujus ecclesiæ, capituli vel communitatis, non extenditur ad statuta imposterum edenda. Ita textus in c. *Clericus*. 35. seu cap. penult. h. t. ubi Glossa ỷ. *Quod pro-*

misit. Abbas in *Summario;* Barbosa in *Collectan.* n. 1. et doctores communiter. Ratio est, tum quia juramentum est stricte interpretandum : unde qui juravit servare statuta jam edita, vi hujus juramenti nequit intelligi quod voluerit se obligare ad servanda ea quæ imposterum erunt edenda.

61. *Etiamsi quis promittat, vi juramenti antea præstiti eadem servare.* — Atque istud ampliatur, etiamsi quis promittat, se velle vi juramenti antea præstiti servare illa statuta postmodum edita. Quia, nisi de novo juraverit, promissio illa retinet vim simplicis promissionis, ac proinde, licet quis transgredi non debeat, quod promisit; non tamen ad illud obligatur ex debito præstiti juramenti, adeo ut perjurus censeri possit, si promissum non exequatur. Textus est in cit. penult. h. t. qui sic sonat : Clericus, qui juravit se statuta in ecclesia sua edita servaturum, promittens per idem juramentum (non tamen jurando de novo, ut explicat Glossa ibid. ỷ. *Per idem.* et Abbas in *Summario*) statutum, quod postmodum subsecutum est fideliter observare : Licet transgredi non debeat, quod promisit (quia omne promissum cadit in debitum) non tenetur ad illius observantiam ex debito præstiti juramenti. » Accedit ratio : quia obligatio prioris juramenti non potest ultra fines sui objecti extendi per simplicem promissionem, et nisi de novo quis juraverit : atqui objectum prioris juramenti, fuerunt statuta jam tunc edita, quæ clericus ille servare juraverat; ergo.

62. *Juramentum etiam absolute præstitum servandi statuta, non extenditur ad futura, nisi exprimatur?* — Resp. II. Juramentum etiam absolute præstitum servandi statuta alicujus ecclesiæ, seu communitatis, non extenditur ad futura, nisi expresse in aliqua parte juramenti fiat mentio de futuris. Ita Baldus cit. c. *Clericus.* seu penult. n. 2. et Barbosa ibid. n. 7, h. t.; Angelus ỷ. *Juramentum.* 5, n. 35; Sanchez lib. VIII. in *Decalog.* cap. XIV. n. 1; Pirhing h. t., n. 105, pluresque alii ab his citati; contra Joan. Andream in d. c. *Clericus.* n. 1. et 2, et Abbatem ibid. n. 2. et quosdam alios, qui volunt juramentum simpliciter præstitum de servandis statutis, extendi etiam ad servanda imposterum edenda; saltem, si non multum sunt præjudicialia, prout limitat Abbas loc. cit.

63. *Et ratio hujus.* — Ratio conclusionis est, quæ supra : quia videlicet juramentum est strictæ interpretationis; ac proinde censetur præstitum super observandis statutis tempore ipsius juramenti existentibus, non autem primum futuris, nisi expresse secus exprimatur. Accedit quod futura sint incerta, variosque et difficiles quandoque exitus habere soleant : unde fatuum foret, illico talia statuta primum fienda, et adhuc ignota, se servaturum jurare. Ac proinde non est verisimile, quod intentio simpliciter jurantis observantiam statutorum talis Ecclesiæ, vel communitatis, ad futura, et postea primum edenda sese extenderit; nisi forsan id exprimatur, prout solet exprimi in juramento fidelitatis.

64. *Limitatur istud, quando posterius statutum venit ad declarationem prioris duntaxat.* — Intellige tamen datam conclusionem cum Baldo, Sanchez et aliis, ubi supra, dummodo posterius illud statutum non veniat ad veteris declarationem duntaxat. Quia tunc reipsa non foret novum statutum, sed idem cum veteri; eo quod declaratio legis retrotrahatur ad tempus conditæ legis, atque a principio jam infuerit ipsi legi, Auth. *De raptis mulieribus.* § fin. collat. 9. et notat Glossa c. *Sicut nobis.* ỷ. *Respondemus. de Verb. signif.* in 6.

65. *Solvuntur contraria. Hypotheca rerum suarum, etiam ad futuras res producitur.* — Objicies contra secundam conclusionem. Juramentum simpliciter, ac indeterminate factum servandi statuta, vi verborum extendit se etiam ad edenda, seu imposterum facienda; ergo. Antecedens probatur; tum quia locutio indefinita æquipollet universali, Glossa in procem. *Decretal.* ỷ. *In judiciis:* tum quia l. ult. c. *Quæres pignor. oblig. poss.* si debitor « res suas hypotheca supponat, non adjecto, tam præsentes quam futuras; » nihilominus hypotheca « etiam ad futuras res producitur, » ut loquitur textus : idem ergo dicendum de juramento simpliciter facto servandi statuta. Tum tandem : quia in cit. c. *Clericus.* seu penult. h. t. expresse fit mentio de clerico, qui juravit servare « statuta in Ecclesia sua edita; » ergo secus videretur dicendum, si jurasset simpliciter servare statuta suæ Ecclesiæ. Hæc sunt præcipua fundamenta doctorum contrariam sententiam tenentium. Resp. tamen neg. antecéd.

66. *Indefinita locutio æquipollet universali, et quando?* — Ad primam ejus probationem dicitur, quod indefinita locutio æquipolleat universali, quando subest eadem ratio omnium sub indefinita comprehensorum : alias

secus; prout latius fuit declaratum supra lib. I. tit. II. *De Constitutionibus*, § 16. n. 400. et seqq. Quod autem non sit eadem ratio statutorum jam editorum, et postea edendorum, patet ex dictis in conclusione.

67. *Disparitas inter hypothecam, et juramentum.* — Ad alteram probationem negatur consequentia, et paritas inter juramentum et hypothecam. Illud enim, quod dicitur de hypotheca seu pignore, est favorabile (pignus enim datur et gratia creditoris, ut ei fiat assecuratio rei creditæ, et gratia debitoris, ut ei sub assecuratione pignoris facilius quidpiam mutuo concedatur) unde non mirum, quod extendatur ad futura. Secus dicendum de juramento, utpote quod est stricte interpretandum; atque, ut impræsentiarum extendatur, foret odiosum et periculosum, ut dictum. Ad tertium respondetur, conclusionem nostram non tam fundari in cit. c. *Clericus*, h. t. (revera enim istud parum probaret, ob rationem allegatam, quidquid nonnulli inde inferri velint) quam in aliis rationibus, de quibus in conclusione. (ADNOTATIO XII.)

68. *Juramentum a judice delatum reo, et juramentum testium, qualiter sit interpretandum? Remissive.* — Posset hoc loco etiam quæri de sensu, atque interpretatione juramenti, quod a judice defertur reo ad aperiendam veritatem, præsertim ubi is interrogat de occultis criminibus, aut ex præsumptione falsa. Verum de hoc satis patet ex dictis tit. XVIII. *de Confessis*. § 7. per totum. De juramento etiam testium abunde dictum fuit tit. XX. *De testibus et attestationibus*. § 14. per totum : unde hoc loco eadem repetere, supervacaneum foret.

§ III.

DE OBLIGATIONE JURAMENTI PROMISSORII.

69. *Omne juramentum promissorium debite factum, parit obligationem observandi illud ex virtute religionis.* — Quæritur I. Quæ generatim sit obligatio juramenti promissorii? Resp. I. Certum est, quod omne juramentum promissorium debite factum circa materiam honestam, et cedentem ad honorem Dei, vel bonum tertii, pariat obligationem observandi illud ex virtute religionis. Ita communis, et patet ex c. *Si vero*. 8. h. t. ubi Pontifex respondet, « quod non est tutum, quemlibet contra juramentum suum venire, nisi sit tale quod servatum vergat in interitum salutis æternæ. » Concordat c. *Cum contingat*. 28. eod. et c. Quamvis pactum. 2. *de Pactis*. in 6. cum similibus : ex quibus dicitur illa generalis regula : « Omne juramentum est servandum, si sine salutis dispendio servari potest; de quo plura inferius concl. seq. n. 73. 74. et 75. Accedit ratio, quia juramenta debite facta, simulque honesta, involvunt reverentiam divini numinis, cujus summam atque indefectibilem veritatem jurans profitetur, atque in testem vocat; ergo hoc ipso ex motivo religionis obligant ad sui observantiam, ne Dei veracissimi testimonium in confirmationem falsitatis, et mendacii adducatur, contra illud *Exod.* xx, 7, et lumine naturali notum : *Non assumes nomen Domini Dei in vanum.*

70. *Si desit intentio jurandi, peccat quis dupliciter; atque obligatur ad servandum illud tum ratione scandali vitandi, tum ex justitia.* — Additur notanter, « juramentum promissorium debite factum, » etc. Nam, ut nunc taceantur alia, de quibus in progressu, si desit intentio jurandi, conveniunt doctores, juramentum in foro conscientiæ non obligare ex virtute religionis, ac vi ipsius juramenti (revera enim tale non fuit, ex defectu intentionis) quamvis non solum talis graviter, imo dupliciter peccet, dum et Dei nomen assumit in vanum, et proximum decipit ita ei dolose jurando, can. *Quacumque arte*. 22. q. 5. Sed etiam obligetur ad servandum juramentum illud; tum ratione scandali exterioris vitandi, quod alias ex transgressione illius subsequeretur; tum ex justitia, ne ex suo doloso juramento grave damnum, atque injustitia proximo inferatur : alioquin vero tenebitur ad resarciendum omne damnum, suo doloso juramento causatum. Atque in hoc sensu procedit illud, quod cit. can. *Quacumque arte*. 22. quæst. 5. ex sancto Isidoro refertur illis verbis. « Quacumque arte verborum quisque juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit? » Quia nimirum dolose jurans proximo, tenetur juxta intentionem recipientis servare suum juramentum tum ratione scandali præcavendi, tum ex virtute justitiæ, ne grave damnum proximo inferat; licet non ex virtute religionis, saltem spectato foro conscientiæ. Sanchez lib. III. in *Decalog.* cap. x. n. 4. et 13 et 14. cum aliis; et concordant dicta superius n. 48. et 49.

71. *In foro externo cogitur quis illud obser-*

vare etiam ex virtute religionis; alias reputaretur perjurus. Ecclesia non judicat de occultis. — Notanter tamen hic dicitur, « saltem spectato foro conscientiæ. » Siquidem in foro externo cogeretur talis servare juramentum juxta verum sensum verborum, atque intentionem accipientis: et si dolose jurans illud non servare, censeretur agere non solum contra justitiam ratione damni injuste dati, sed etiam contra virtutem religionis, sicque reputaretur perjurus. Nam Ecclesia non judicat de occultis, can. *Erubescant.* dist. 32. juncta Glossa ℣. *Secretorum;* ac proinde censeret, juramentum fuisse veraciter, et debita cum intentione prolatum: siquidem « humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant: divina vero judicia, talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur, » ut loquitur S. Gregorius, relatus can. *Humanæ aures.* 22. q. 5.

72. *Allegans propriam turpitudinem, non auditur; et quomodo?* — Neque enim prodesset, si ficte jurans postea ultro confiteretur defectum suæ internæ intentionis, quem tempore præstiti exterius juramenti interius habuit. Nam allegans propriam turpitudinem, non auditur: saltem non ad suum commodum, bene tamen ad suum præjudicium, l. *Transactione.* juncta Glossa et Bartolo ibid. c. *de Transactionib.*

73. *Juramentum de re inhonesta, seu illicita, non obligat. Juramentum non est vinculum iniquitatis.* —Resp. II. Juramentum de re inhonesta, turpi seu illicita præstitum, nullam inducit obligationem. Ita communis omnium tum theologorum, tum canonistarum, atque juristarum. Siquidem « in malis promissis fidem non expedit observari, » juxta reg. 69. jur. in 6. juncto cap. ult. *de Pactis.* Simulque juramentum non fuit institutum, ut esset vinculum iniquitatis, c. *Quanto.* 18. h. t. et can. *Inter cætera.* 22, q. 4, cum similibus. Unde reg. 58. jur. in 6. indistincte loquitur: « Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. » Hinc can. *Unusquisque* 22, q. 4. gravissime cum sancto Ambrosio lib. III. *de Officiis*, cap. XII. perstringitur factum Herodis regis, « qui saltatrici præmium turpiter promisit, crudeliter solvit. Turpe, quod regnum pro saltatione promittitur: crudele, quod mors prophetæ pro jurisjurandi religione donatur. Quanto tolerabilius tali fuisset perjurium juramento, si tamen perjurium possit dici, quod ebrius inter vina juraverat: quod ejuratus inter saltantium choros promiserat. Infertur disco prophetæ caput, et hoc æstimatum est fidei esse, quod amentiæ fuit. » Hæc ibi. Quibus plura similia habentur can. *Si publicis.* et can. *Est etiam.* ac seqq. ead. caus. 22. q. 4.

74. *Juramentum de re inhonesta, seu illicita censetur illud, quod servari non potest absque peccato mortali, vel veniali.* —Porro juramentum de re inhonesta, turpi seu illicita, non solum censetur illud, quod absque peccato mortali servari non potest, sicque verissime vergit « in interitum salutis æternæ, » ut loquitur textus c. *Si vero.* 8. h. t. Sed etiam, quod servari nequit absque peccato veniali: quia etiam istud, utpote continens offensam boni infiniti, « vergit in dispendium salutis æternæ; » imo et successive disponit ad lapsum in graviora, juxta illud *Ecclesiastici*, XIX, 1. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Proinde juramentum de faciendo peccato veniali, veluti « vergens in æternæ salutis dispendium, » non obligat, c. *Cum contingat.* 28. h. t. et c. *Quamvis pactum. de Pactis* in 6. ac notat Glossa in can. *Si aliquid.* 22. q. 4. ℣. *Pejorem:* ea addita ratione, quia jurans se peccaturum venialiter, si tale juramentum adimpleret, adjiceret peccatum peccato. Joan. Andreas c. *Quamvis.* n. 3. *de Pactis* in 6; Sanchez lib. III. in *Decalog.* cap. IV. n. 29; Fachineus lib. III. *Controvers. jur.* cap. LXXII. vers. *Respondeo*, et alii.

75. *Etiam juramentum temerarium, seu quod observatum vergeret in pejorem partem, observari non debet. Idque declaratur exemplo David regis.* — Ampliatur hæc conclusio ad juramentum temerarium, seu incautius factum, videlicet observatum vergeret in pejorem partem, sicque ad sui observantiam non obligat: ut can. *Si aliquid.* 22. q. 4. ubi istud declaratur exemplo David regis, qui cum per Dominum jurasset occidere Nabal, virum stultum et impium, atque omnia ad ipsum pertinentia demoliri, ob injuriam sibi, servisque suis illatam. I *Reg.* XXV per totum, nihilominus ad primam intercessionem Abigail fœminæ prudentis remisit minas, revocavit ensem in vaginam, neque aliquid culpæ se tali perjurio contraxisse doluit, cit. can. *Si aliquid.* Unde sanctus Augustinus, relatus can. *Juravit.* ea. caus. 22. q. 4. inquit: « Juravit David temere, sed non implevit jurationem majori pietate. » Atque conformiter dictis possunt innumeri casus, tam pro foro conscientiæ, quam externo resolvi.

76. *Juramentum soli DEO factum de opere*

minus perfecto, aut prorsus indifferente, non obligat. — Quæritur II. Quando obliget juramentum Deo, vel homini factum? Resp. I. Juramentum soli Deo factum de opere minus perfecto, et cujus oppositum est melius, sicut et juramentum Deo factum de re prorsus indifferente, non obligat. Ita sanctus Thomas 2. 2, q. 89, art. 7; Sanchez cit. lib. III. in *Decalog.* cap. IX. n. 11; Layman lib. IV. *Theol. moral.* tract. III. cap. VI, n. 5. et alii communiter. Idque desumitur ex c. *Pervenit.* 3. h. t. ubi dicitur: « Non enim propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud commutat. » Ubi Abbas n. 2. per ly « promissum, » intelligit promissum juratum; ut sensus sit, « quod non dicitur transgredi juramentum, qui in melius illud commutat: » alias enim textus ille non faceret ad hunc titulum. Accedit ratio, quia juramentum soli Deo factum, induit naturam voti: atqui votum de re impeditiva majoris boni, non obligat, sed licite eligitur illud majus bonum, c. *Scripturæ.* 4. *de Voto;* ergo. Idemque dicendum, si juretur res prorsus indifferens, ita ut hic et nunc, pensatis omnibus circumstantiis, talis remaneat: quia Deus juramentum de præstando aliquo vano et otioso, ut est res indifferens, non acceptat; neque ad illud obligare intendit, cum nihil honoris inde sibi accrescat.

77. *Nihilominus ut juramentum homini factum obliget, sufficit, quod possit servari absque dispendio salutis æternæ. Differentia inter juramentum Deo, et homini factum.* — Resp. II. Nihilominus ad hoc, ut juramentum promissorium homini factum obliget, sufficit, quod res promissa possit servari absque dispendio salutis æternæ; hoc est, sine peccato mortali, vel veniali. Ita Abbas c. *Cum contingat.* n. 6 et 7, h. t.; Sanchez loc. cit., n. 19; Layman n. 6; Angelus ℣. *Juramentum.* n. 5. et alii. Idque desumitur ex c. *Cum contingat.* 28. juncta Glossa ℣. *Debent.* et doctoribus ibid. h. t. et c. *Quamvis pactum.* 2. *de Pactis,* in 6. ubi tanquam regula generalis statuitur, quod juramentum homini præstitum necessario sit servandum, quando potest servari absque dispendio salutis æternæ (hoc est, sine peccato mortali, vel veniali) simulque non redundat in alterius detrimentum. Accedit ratio, quia juramentum promissorium de re non illicita eatenus obligat ad sui impletionem, quatenus is, cui est præstitum, illud acceptat, vultque impleri. Atqui Deus juramentum non acceptat, quando est impeditivum majoris boni, vel factum de re penitus indifferenti; bene tamen illud acceptare solet homo, dummodo cedat in suam utilitatem, simulque absque peccato fieri possit: nam in juramento homini facto spectatur, quid illi sit gratius; in juramento autem facto Deo, quid melius; ergo. Atque per hoc patet disparitas inter hanc, et priorem conclusionem, atque inter juramentum Deo, et homini factum.

78. *Debitores, qui juraverunt solvere usuras, tenentur ad earum solutionem; quamvis solutas repetere possint.* — Hinc, licet debitores, qui se obligaverunt ad solvendas usuras, cogi non debeant ad earum solutionem; eo quod nulla fuerit ipsarum obligatio, tum de jure divino, tum canonico, Clem. un. *de Usuris,* cum similibus. Si tamen de ipsarum usurarum solutione juraverint, cogendi sunt domino reddere juramentum, dictasque usuras solvere; quamvis solutas judicialiter repetere possint. Textus est in c. *Debitores.* 6. h. t. ubi Glossa, et doctores communiter. Ratio est, quia solvere usuras, peccatum non est, sed licite potest quis alteri dare suum; ergo cum tale juramentum possit servari absque dispendio salutis æternæ, servandum est, haud obstante, quod alter recipiendo usuras peccet: nam sua culpa id accidit, cum posset, ac deberet gratis mutuare, juxta illud Dominicum *Lucæ,* VI, 36. *Benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes.*

79. *Pactum legis commissoriæ in pignoribus, si accesserit juramentum, debet a debitore servari.* — Similiter, quamvis pactum legis commissoriæ in pignoribus non valeat, et veluti usurarium omnimodis reprobetur, l. ult. c. *de Pactis pignor.* et alibi: si tamen accesserit juramentum, quo debitor creditori juravit, ut si intra certum tempus debitum non solverit, neque pignus redemerit, ipsum super pignore nolit amplius molestare, tenetur debitor stare suo juramento; arg. c. *Significante.* juncta Glossa ℣. *Si est ita,* et doctoribus *de Pignorib.* Ratio est, quia tale juramentum de non amplius molestando creditorem, potest licite, et absque dispendio salutis æternæ per debitorem observari; quamvis creditor non possit licite retinere excessum pignoris, veluti usurarium. Huc etiam faciunt alii casus, de quibus infra n. 94. et seqq.

80. *Juramentum factum homini, non potest eo non consentiente commutari in opus melius: bene tamen juramenrum factum Deo.* — Et con-

formiter datæ conclusioni infertur, quod juramentum factum homini ita obliget, ut in aliud melius opus commutari non possit, nisi is, cui juratum est, consentiat, seu juramentum illud remittat : ut puta : Jurasti Caio dare viginti florenos, si postea velis Deo offerre calicem valentem quinquaginta, aut tantumdem dare pauperibus, non potes Caio negare suos viginti florenos, hosque applicare pro conficiendo calice, aut dare pauperibus, quamvis istud de se foret melius, Deoque gratius. Econtra, si jurasses in Dei cultum expendere viginti florenos, propria auctoritate posses istos applicare pro conficiendo sacro calice valente quinquaginta, aut tandumdem in pauperes expendere : nam istud de se est melius, Deoque acceptius. Disparitas est, quia in promissione facta homini, aut juramento in ejus favorem præstito spectatur, quid illi gratius sit; in promissione autem facta Deo, quid melius. Layman cit. cap. VI. n. 6. et alii, atque jam dixi in *Theol. moral.* tract. VI, dist. 2, n. 26.

81. *Juramentum generali servandi statuta, capitulationes, vel consuetudines alicujus Ecclesiæ, seu communitatis, obligat solum ad servanda licita, etc.* — Quæritur III. Utrum, et qualiter obliget juramentum servandi statuta, capitulationes, aut consuetudines alicujus Ecclesiæ, vel communitatis, quando in eis aliqua continentur, quæ sunt illicita, vel vergunt in præjudicium Ecclesiæ seu dignitatis, ad quam jurans assumitur? Resp. I. Juramentum generale servandi statuta, et capitulationes, vel consuetudines alicujus Ecclesiæ, seu communitatis, obligat solum ad servanda licita, possibilia, et libertati Ecclesiasticæ non præjudicialia. Ita communis; estque expresse decisum cap. I, h. t., in 6. declarando quod juramenta illa, quæ a potestatibus, rectoribus, et officialibus laicis, in principio officii sui præstari solent, et nonnunquam quædam illicita, atque immunitati ecclesiasticæ præjudicialia continent, quoad sola licita observari debeant : cum quoad alia sine divinæ majestatis offensa servari nequeant, et juramentum non sit vinculum iniquitatis. Quia vero « utile non debet per inutile vitiari, » juxta reg. 37. jur. in 6. hinc juramenta ejusmodi obligant saltem quoad puncta licita.

82. *Juramentum contra utilitatem ecclesiasticam, ab episcopo ante suam electionem præstitum, non tenet.* — Concordat c. *Sicut nostris.* 27, h. t., ubi juramentum contra utilitatem ecclesiasticam, ab episcopo ante suam electionem præstitum, non tenet. Nam cum canonici vacante Ecclesia Tudertina sub juramento statuissent, ut quicumque ex ipsis fieret episcopus, servaret quædam « in damnum juris episcopalis cedentia; » et postmodum episcopus electus, qui et ipse capitula illa adhuc canonicus juraverat, Papam consuluisset, num tali juramento constringeretur, respondit Papa ejusmodi juramentum non tenere, et omnia in statum debitum reducenda esse: « Quia (inquit) non juramenta, sed perjuria potius dicenda sunt, quæ contra utilitatem ecclesiasticam attentantur. »

83. *Neque obligat juramentum regis in præjudicium regni sui.* — Simile quid habetur decisum in c. *Intellecto.* 23. h. t. de rege, qui juraverat non revocare quasdam alienationes, quas fecerat in præjudicium regni sui. Nam hoc intellecto respondet pontifex, quod, cum rex « teneatur, et in sua coronatione juraverit, jura regni sui, et honorem coronæ illibata servare, illicitum fuerit de non revocandis alienationibus hujusmodi juramentum; et propterea penitus non servandum. » Atque idem a pari dicendum est de similibus.

84. *Juramentum servandi statuta, capitulationes, etc., quando in ipsis continentur quædam illicita, damnosa, vel libertati ecclesiasticæ obviantia, est illicitum, ac nullatenus servandum.* — Resp. II. Juramentum servandi statuta, capitulationes, vel consuetudines locorum, quando in ipsis continentur quædam illicita, impossibilia, damnosa, vel libertati ecclesiasticæ obviantia, est illicitum, ac nullatenus præstandum. Textus est in cit. cap. I. h. t. in 6. continenti constitutionem Innocentii III. quæ postea fuit confirmata per Gregorium XIII. in sua constitutione 93. *Inter Apostolicas.* et (loquendo de illicitis capitulationibus, quas occurrente vacatione ecclesiarum, seu monasteriorum, interdum fieri contingit) per Pium V in sua constitutione 64. « Durum nimis; » quæ una cum priori refertur tom. II. *Bullarii Romani*: ubi non solum juramenta hujusmodi penitus reprobantur, non obstante quacunque consuetudine, quæ potius corruptela est censenda; sed insuper exigentes illa censuris ecclesiasticis, atque excommunationi summo pontifici reservatæ subjiciuntur; prout latius in eisdem constitutionibus apostolicis continetur. (ADNOTATIO XIII.)

85. *Constitutio nova Innocenti XII, de capi-*

tulationibus, quas occurente vocatione ecclesiarum, vel monasteriorum fieri contingit. — Quinimo novissimis temporibus Innocentius Papa XII, in sua constitutione, quæ incipit, *Ecclesiæ catholicæ*, die 22 septembris, 1695. emanata, ad tollendum abusum illicitarum capitulationum, quas occurente vacatione ecclesiarum seu monasteriorum, ab iis ad quos electio personarum illis præficiendarum spectat, interdum fieri contingit : non solum innovavit memoratas constitutiones Nicolai III. Pii V. et Gregorii XIII. cum additione pœnarum, et prohibitione dictarum illicitarum capitulationum sub eisdem pœnis, ac censuris etiam ipso facto incurrendis, et summo pontifici reservatis : sed etiam præcepit, capitulationes quascumque, et statuta, « quæ electione, seu postulatione hujusmodi secuta quomodolibet iniri, condi, seu fieri contigerit, ad nos, seu eumdum Romanum pontificem pro tempore existentem, quamprimum deferri, atque ita nostro, et Sedis apostolicæ judicio subjici præcipimus ; suspensa interim eorum omnium, et singulorum executione, donec, et quousque ab eadem Sede, sine cujus auctoritate nihil omnino in similibus pacisci fas est, apostolicæ confirmationis robur in totum, vel in partem receperit. » Hactenus Pontifex, subjungens postea amplissimas clausulas derogatorias quorumcumque contrariorum, atque decernens, litteras hujusmodi Romæ, ut moris est, « publicatas, et affixas, omnes et singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, et afficere, ac si unicuique eorum nominatim, ac personaliter intimatæ fuissent, » etc., prout loquitur eadem constitutio.

86. *Jurans scienter servare statuta, capitulationes, vel pacta illicita, censetur largo modo perjurus.* — Resp. III. Insuper, qui scienter jurat statuta, capitulationes, consuetudines, vel alia pacta illicita servare, censetur largo modo perjurus. Ita Glossa cap. I. ℣. *Declaramus.* et ibi Francus n. 4. et 7. h. t. in 6. Abbas c. *Sicut nostris.* n. 1. h. t. ubi ex verbis illius capituli asserentis, quod « non juramenta, sed perjuria potius sunt dicenda, quæ contra utilitatem ecclesiasticam attentantur, » notandum inquit, quod illicitum juramentum largo modo potest dici « perjurium, » id est, indiscretum et illicitum juramentum : non enim capitur hic perjurium pro transgressione juramenti liciti. Pirhing h. t. n. 104. et alii. Idque desumitur ex cit. c. *Sicut nostris.* 27. h. t. ubi juramenta illicita dicuntur « perjurias potius : » sicque ea præstans, « quasi perjurus. » Concordat can. *Animadvertendum.* 22. q. 2. ubi jusjurandum, quod non habet tres comites, veritatem, judicium atque justitiam, « nequaquam juramentum, sed perjurium » appellatur. Quod intellige largo modo : nam « Perjurium » proprie dicitur juramentum, cui deest veritas : sive, ut inquit sanctus Thomas 2. 2, q. 98, art. I. Perjurium est mendacium juramento firmatum. Atque idcirco proprie ille dicitur perjurus, qui aliud jurat, quam habet in mente; vel qui non adimplet id quod sub juramento promisit, cum etiam hic deficiat veritas, nempe veritas facti.

87. *Et quid, si quis generaliter jurasset talia servare, ignorans ea continere quid illicitum?* — Additur tamen in data conclusione, « qui scienter, » etc. Nam si quis generaliter jurasset servare statuta, et consuetudines alicujus communitatis, atque ita in mente habuisset, ignorans ea esse illicita, vel quid illicitum continere, tunc non peccavit jurando, ratione suæ bonæ fidei; sicque non censetur quasi perjurus : nihilominus cognita rei veritate prohibetur servare statuta illicita, non obstante suo juramento generaliter, ac bona fide facto, etsi obligetur ad servanda licita. Textus, et Glossa in cit. c. I, h. t., in 6. ubi istud exemplificatur in statutis locorum, quæ alicubi clausa porrigi consueverant promovendis ad potestarias, rectorias, et officia, ut prius se ea servaturos jurarent. Concordant dicta paulo superius n. 84.

88. *Juramentum factum contra leges civiles, quæ obligant ad culpam non tenet.* — Quæritur IV. An juramentum contra leges civiles, earumque prohibitionem factum obliget? Resp. I. Quoties lex civilis obligat ad culpam, tunc juramentum de præstando actu per ipsam prohibito non obligat, estque nullius roboris. Ita communis; et patet ex dictis n. 73. et 74. Siquidem juramentum non est vinculum iniquitatis : unde nec est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum, juxta reg. 58. jur. in 6. cum concordantiis.

89. *Quando lex civilis censeatur obligare ad culpam, etiam pro foro conscientiæ.* — Cæterum, quandonam lex civilis obliget ad culpam, etiam pro foro conscientiæ (posse enim sic obligare, fatentur omnes doctores, conformiter quarto præcepto *Decalogi*) nequit una regula generali determinari, cum dentur leges etiam mere pœnales, aliquæ autem duntaxat favorem contineant, quo nemo co-

gitur frui invitus. Unde quando obligent sub culpa, tum ex verbis legis, tum ex subjecta materia, aliisque circumstantiis, ac præsertim ex recepta et antiqua consuetudine, utpote quæ est optima legum interpres, prudenti judicio erit determinandum; de quo plura superius lib. I. tit. II. *De Constitutionibus*. § 7, n. 152, ac seqq. et § 9, n. 204. et seqq. Quinimo plurimæ leges civiles sub certis pœnis taxatis præcipiunt, aut prohibent ea, quæ jam jure naturali, aut divino præcepta, vel prohibita fuerunt : ut, veram fidem catholicam profiteri, Deum colere, proximum non lædere, alienum restituere, a furto, latrociniis, adulteriis, aliisque criminibus abstinere, et hujusmodi. Et talium legum violationem inducere culpam, extra controversiam est : unde nec valet juramentum de præstando actum in contrarium.

90. *Si lex civilis principaliter fundetur super bono publico, tunc juramentum de præstando actu per eam prohibito non obligat.* — Resp. II. Si lex civilis principaliter fundetur super bono publico, tunc juramentum de præstando actu per illam prohibitio non obligat. Ita Abbas c. *Cum contingat*. 28. n. 5. et Baldus ibid. n. 5. h. t.; Card. Tuschus l. I. concl. 500. n. 20. post Calderinum, consil. 185, alias 9. *de Jurejurand.;* Sanchez lib. III. in *Decalog*. cap. IX. n. 34, citans alios. Ratio est, quia pactis, et juramentis privatorum, juri publico renuntiari non potest, c. *Si diligenti* 12. *de Foro compet.* et c. *Contingit interdum*. 36. *de Sentent. excommun.* et l. *Jus publicum*. ff. *de Pactis*. Siquidem nemo renuntiari potest ei, quod pro se non est introductum; prout dictat ipsum lumen naturale. Quinimo juramentum, quod principaliter militat contra bonum commune, si servetur, vergit in dispendium salutis æternæ, hoc ipso quod sit contra jus alterius, sive communitatis; etenim :

91. *Regula est, quod juramentum vergens in præjudicium tertii, non obliget.* — Regula generalis est, quod juramentum vergens in præjudicium tertii, non obliget, c. *Quamvis pactum*. 2. *de Pactis* in 6. ibi. « Nec redundet in alterius detrimentum. » Concordat textus in c. *Cum contingat*. 28. § fin. h. t. ubi familia habentur. Et ratio est, quia juramentum, quod redundat in detrimentum tertii, saltem principaliter includit injustitiam; ideoque non obligat, ne sit vinculum iniquitatis. Glossa fin. c. *Quamvis pactum. de pactis*. in 6. Layman lib. IV. *Theolog. moral.* tract. III. cap. VI. n. 9; Sanchez d. cap. IX. n. 38. allegans alios.

92. *Dummodo tendat directe ac principaliter in detrimentum tertii : alias secus. Idque exemplificatur.* — Additur tamen, « saltem principaliter. » Quia regula hæc debet intelligi, quando juramentum tendit directe ac principaliter in detrimentum tertii : ut si mater sub juramento velit alienare, vel pignori obligare bona, quæ ex alicujus dispositione pertinent ad filiam, debentque huic illæsa relinqui. Secus, si juramentum illud indirecte duntaxat, ac secundario possit nocere tertio, atque in ejus redundare detrimentum : sic enim valet pactum juramento firmatum a filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta, nullum habeat ad bona paterna regressum; haud obstante, quod illud secundario, et in consequentiam præjudicet prolibus ex filia illa nascituris, d. c. *Quamvis pactum*. juncta Glossa fin. et margin. ibid. *de Pactis*. in 6; Sanchez cit. cap. IX, n. 39. et alii.

93. *Quando lex civilis principaliter fundatur super favore privati, tunc juramentum in contrarium præstitum valet, et obligat jurantem.* — Resp. III. Quando lex civilis principaliter fundatur super favore privati, licet secundario et in consequentiam respiciat etiam publicam utilitatem, tunc juramentum in contrarium præstitum valet, atque obligat jurantem. Ita Glossa fin. c. *Quamvis pactum*. et Francus ibid. n. 12. *de Pactis* in 6; Abbas cit. c. *Cum contingàt*. n. 5, et Barbosa ibid. n. 4. et alii, h. t.; Sanchez d. cap. IX. n. 35, allegans plurimos alios. Ratio est; quia hujusmodi lex civilis potest quidem ob utilitatem privatorum sibi subjectorum, impedire obligationem quærendam homini, v. g. statuendo, ut non valeat pactum filiæ, quod dote contenta nullum velit habere regressum ad bona paterna : quia tamen lex est subjecta Deo, can. *Si dominus*. et can. *Qui resistit*. 11. quæst. 3. hinc non potest impedire obligationem quærendam Deo vi juramenti, quando istud cæteroquin non involvit turpitudinem; nec præjudicat tertio sive bono publico, sed duntaxat favori privato, cui quilibet renuntiare potest. Unde cum juramentum principaliter dirigatur in Deum, subintrat jure naturali notum, *Matth*. V, 33. *Non pejerabis : reddes autem Domino juramenta tua*. Sive, ut loquuntur sacri canones : « Omne juramentum nec vi, nec dolo præstitum servari debet, si non vergit in æternæ salutis dispendium, nec redundat in

alterius detrimentum, » prout dicitur sæpe cit. c. *Quamvis pactum. de Pactis.* in 6. et c. *Cum contingat.* 28. h. t. cum similibus.

94. *Sic valet alienatio rerum dotalium juramento firmata, quæ alioquin secundum leges est invalida : et cur?* — Eadem conclusio declaratur inductione. Sic imprimis alienatio rerum dotalium, secundum leges prohibita est, ac invalida. l. *Julianus.* ff. *de Fundo dotal.* et Anth. *Sive a me.* c. Ad. S. C. Vellejan. Si tamen eam mulier, sine vi et dolo, juramento suo confirmet, istud erit observandum, ne via perjuriis aperiatur, cit. c. *Cum contingat.* 28. h. t. ubi Glossa ℣. *Debent;* Joan. Andreas n. 1. et 2; Abbas in *Summario;* Barbosa in *Collectan.* n. 2. cum aliis communiter. Nam finis primarius, seu principaliter intentus illarum legum civilium, est bonum particulare mulierum, utpote quibus expedit salvas habere dotes suas, ut post mortem mariti inveniant alium, cui nubere possint : quamvis secundario inde sequatur bonum reipublicæ, quæ conservatur per propagationem generis humani, l. I. ff. *Soluto matrimonio.* Atqui illicitum non est, quod mediante juramento mulieres renuntient suo particulari favori, sicque alienent res suas dotales; cum libere possint penitus in secundis nuptiis abstinere, vel saltem ad has alia ratione pervenire. (ADNOTATIO XIV.)

95. *Item juramentum, ut filia dote contenta patri non succedat ab intestato.* — Deinde, licet secundum leges civiles pactum, quod filia dote contenta patri ab intestato non succedat, non valeat; et ideo ipsa succedere patri non prohibeatur, dummodo dotem fratribus conferat, l. *Pactum dotali instrumento.* c. *de Collation.* Si tamen accesserit juramentum, omnino servari debet, sæpe cit. *Quamvis pactum. de Pactis,* in 6. ubi istud expresse habetur decisum; ac notat Glossa ibid. ℣. *Quamvis.* et Barbosa in *Collectan.* n. 1. et 2. allegans plurimos alios; Covarruvias d. c. *Quamvis pactum.* part. III. § 2. et 3; Fachineus lib. III. *Controvers. jur.* cap. XXII. XXIII. et XXIV, qui hoc ipsum varie ampliant. Ratio est, quæ supra n. 93.

96. *Pactum non revocandi testamentum, jure civili est irritum; si tamen accesserit juramentum obligat.* — *Tertio,* pactum, sive promissio non revocandi testamentum, jure civili irritum est : quia liberam de bonis suis usque ad mortem disponendi libertatem aufert, l. ult. c. *de Pactis.* Si tamen juramentum accesserit, obligat, nec potest revocari absque perjurii reatu, nisi ejus relaxatio impetretur. Covarruvias *de Testament.* part. II. rubric. n. 52; Joan. Andreas c. *Quod semel.* n. 11. *de Reg. jur.* in 6; Alexander consil. 16, n. 3. vol. III, Layman cit. lib. IV. tract. III. cap. VI. n. 7. et communis aliorum, contra Fachineum lib. VIII. *Controvers juris,* cap. LXXII.

97. *Mulier, si pro altero fidejubeat, non obligatur efficaciter : secus, si accesserit juramentum.* — *Quarto,* si mulier pro altero fidejubeat, non obligatur efficaciter, sed potest se juvare auxilio senatusconsulti Vellejani, l. I. et II. ff. Ad S. C. Vellejan. Secus, si accesserit juramentum : nam quia istud servari potest absque periculo animæ, et dispendio salutis æternæ, est observandum arg. c. *Ex rescripto.* 9, h. t. ubi Glossa ℣. *Et uxorem.* Abbas n. 9; Covarruvias c. *Quamvis pactum.* part. II. § 3, n. 8, *de Pactis,* in 6. cum aliis. Tacentur plures consimiles casus, de quibus inter alios Layman cit. cap. VI. n. 7.

98. *Solvuntur objectiones contra præmissa. Pactum, vel juramentum, per quod tollitur jus privati sibi publica auctoritate concessum, valet, secus, si tollatur jus commune.* — Objicies generaliter contra præmissa. Juramentum contra bonos mores est invalidum, ac nullius obligationis, c. *Non est obligatorium.* 58. *de Reg. jur.* in 6. Atqui juramentum, quod est contra leges civiles, est contra bonos mores; nam leges illæ sunt justæ, ac honestæ can. *Erit autem lex.* dist. 4, sicque earum violatio injusta, et peccaminosa. Resp. concessa majori, distinguendo minorem. Atqui juramentum, quod est contra leges civiles, quæ obligant sub peccato, est contra bonos mores, conced; quæ non obligant sub peccato, ut sunt illæ, quæ principaliter respiciunt bonum et favorem privatorum, cui si volunt renuntiare, non prohibentur, neg. minor. et consequent.: sub eadem, distinctione. Quia enim pactum, per quod tollitur jus privati sibi publica auctoritate concessum, valet; secus, si tollatur jus commune c. *Si diligenti.* 12. *de Foro competent.* et l. *Juris gentium.* § *Si paciscar.* juncto Summario ff. *de Pactis :* a potiori istud erit concedendum de juramento, quo privatæ personæ renuntiant favori sibi publica auctoritate legis concesso; uti fit in allatis exemplis. Neque enim cogitur quis sub peccato ad fruendum favore pro se introducto : Sicut et « invito beneficium non datur, » ut habetur l. *Invito.* ff. *de Reg. jur.*

99. *Accessorium naturam sequi congruit principalis : quomodo intelligendum?* — Urge-

bis « Accessorium naturam sequi congruit principalis, » juxta reg. 46. jur. in 6. ergo si non tenet principale, puta, pactum filiæ, quod dote contenta nullum velit habere regressum ad bona paterna, etc. neque tenebit juramentum eidem appositum, veluti accessorium ipsius. Resp. neg. conseq. Nam regula illa, « Accessorium, » inter alias limitationes non procedit, quando in accessorio reperitur specialis ratio, quæ non reperitur in principali, et propter quam illud, corruente principali, meretur sustineri : prout in juramento est reverentia divini numinis, ne videlicet testimonium æternæ veritatis in falsum adducatur. Abbas c. *Debitores*. n. 2, h. t. conformiter præmissis, sicut et dictis supra n. 77. et seqq. possunt solvi nonnullæ aliæ instantiæ.

100. *Juramentum vi, metu gravi extortum, an obliget?* — Quæritur V. Utrum obliget juramentum vi, aut metu gravi extortum? Resp. I. Juramentum promissorium metu etiam gravi, atque injuste incusso extortum obligat, dummodo possit servari absque dispendio salutis æternæ; nisi a legitimo superiore relaxetur. Ita divus Thomas 2. 2, quæst. 89, art. 7. ad 3; Glossa in cap. II. ✝. *Posse constringi*. et Abbas ibid. n. 2, h. t.; Sanchez lib. III. in *Decalog*, cap. II. n. 14. asserens, hoc esse certissimum; Pirhing h. t. n. 69; Sannig. eod. cap. IV. n. 4. et alii, contra quosdam antiquiores, quorum meminit Glossa loc. cit. Conclusio hæc expresse habetur decisa c. *Si vero*. 8, h. t., ubi loquendo de quopiam, qui gravissimo metu coactus, sub religione juramenti jus suum refutavit, papa consultus respondit : « Quod non est tutum, quemlibet contra juramentum suum venire, nisi sit tale, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ: nec nos (inquit) materiam alicui dare volumus veniendi contra juramentum proprium; ne auctores perjurii videamur. » Hæc ibi : eo tamen addito, quod ad coercendam iniquitatem perversorum, Romana Ecclesia consueverit à tali juramento absolvere. Concordat c. *Verum*. 15. eod. et c. *Ad audientiam*. 4. *De iis quæ vi metuve*, etc.

101. *Coacta voluntas est voluntas.* — Accedit ratio : quia « coacta voluntas est voluntas; » ut habet vulgatum canonistarum, atque desumitur ex can. *Merito*. 15. q. 1. juncta Glossa ibid. ✝. *Vult*. Et quia per juramentum simul oritur obligatio, qua quis obligatur Deo, ut impleat, quod per nomen ejus, atque sub attestatione sui divini testimonii promisit : potius is deberet damnum temporale sustinere, quam juramentum violare, donec ab hujus observantia per superiorem legitime fuerit absolutus. Plura de juramento, per metum injustum extorto, patent ex iis, quæ lib. I. tit. 40. « De iis, quæ vi metusve causa fiunt, » per totum copiosius dicta fuerunt : ubi etiam n. 57. 58. et 59 ponitur differentia inter votum metu emissum, quod non obligat; et juramentum metu extortum, quod obligat. (ADNOTATIO XV.)

102. *Juramentum promissorium in utilitatem hominis factum, potest considerari, vel ut per se stat, vel ut ab altero est acceptatum, sicque involvit rationem pacti.* — Quæritur VI. Utrum obligatio juramenti promissorii sit personalis, vel potius realis, ita ut ad hæredes transeat? Ubi prænotandum, quod juramentum promissorium, in hominis utilitatem factum, dupliciter considerari possit. *Primo*, ut per se stat, atque præscindit a ratione pacti, seu promissionis ab altero acceptatæ, simul quandoque concurrentis : uti est juramentum Deo factum dandi eleemosynam pauperibus, ædificandi ecclesiam pro certis religiosis, vel aliud quid præstandi ad utilitatem hominum. Antequam enim promissio illa fuerit ab altero acceptata, cessat ratio pacti, quod includit duorum, vel plurium in idem consensum ; ac remanet sola ratio, atque obligatio propria juramenti, obligantis duntaxat erga Deum ex virtute religionis. *Secundo*, ut juramentum promissorium homini factum intelligitur ab altero acceptatum, sicque simul involvit rationem pacti; hoc est, promissionis alteri factæ, ab eoque acceptatæ. Atque in hoc casu juramentum promissorium duplicem inducit obligationem : unam erga Deum ex virtute religionis, ne testimonium ejus in falsum assumatur : alteram erga hominem ex virtute justitiæ, vi cujus tenetur quis servare pactum, seu suam promissionem alteri factam, ab eoque acceptatam. Hoc prænotato :

103. *Obligatio propria juramenti, seu procedens ex virtute religionis, est omnino personalis.* — Resp. I. Obligatio propria juramenti, seu procedens ex virtute religionis, est omnino personalis, solumque jurantem afficit : si tamen juramentum sit confirmatorium promissionis ab altero acceptatæ, tunc obligatio inde suborta vi pacti, seu ex virtute justitiæ, transit ad hæredes, paritque actionem in foro externo, tam civili, quam cano-

nico. Ita divus Thomas 2. 2, quæst. 98, art. 2, ad 4. Abbas c. *Veritatis*. n. 3; h. t.; Covarruvias c. *Quamvis pactum*. part. I. § 2. a n. 3. usque ad 10; Layman lib IV. *Theolog. moral.* tract. III, cap. x, n. 2. 3 et 5; Sanchez, lib. III. in *Decalog.* cap. xiii, n. 1. et seqq.; Pirhing h. t., n. 145 et seqq. cum aliis. Prima pars ex eo patet, quia jusjurandum est obligatio volontarie assumpta ex virtute religionis: juramentum enim, sicut et votum, non potest esse sine intentione jurandi, seu vovendi; ergo est vinculum personæ annexum, sicque ex vi juramenti nequit ejus obligatio ad aliam transferri personam.

104. *Et quid, si aliquis pro se, et suis successoribus, juravit quidpiam præstare?* — Atque istud quoque procedit, etiamsi aliquis pro se, et suis successoribus juraverit quidpiam præstare. Quamvis enim tunc successores possint obligari vi pacti, seu promissionis ab alio acceptatæ, ut habet altera pars conclusionis: non tamen hi tenebuntur ex vi juramenti, adeo, ut si juramentum sui antecessoris non servaverint, fiant perjuri: quia religio juramenti est personalis, sicque nequit ea quis per alterum obligari, Abbas, Sanchez, Layman, ubi supra, et alii.

105. *Rex, episcopus, canonicus, et hæres vasalli, cura principio soleant præstare personale juramentum.* — Et hinc est, quod rex, episcopus, canonicus, etc. a principio sui regni, episcopatus, canonicatus, etc. soleant præstare proprium, ac personale juramentum: quia cæteroquin sub reatu perjurii non obligarentur ad servanda juramenta, quæ antecessores ipsorum ediderunt. Similiter hæres vasalli, cum investitur, novum fidelitatis juramentum præstare cogitur; quia non obligaretur ex homagio sui antecessoris. Sylvester ꝟ. *Juramentum.* 4, q. 3; Layman loc. cit., n. 3, allegans communem.

106. *Si juramentum est confirmatorium promissionis ab altero acceptæ, tunc obligatio inde suborta vi pacti transit ad hæredes, etc. Paritque actionem in utroque foro.* — Altera pars conclusionis probatur ex eo. Quia promissio jurata, et ab altero acceptata, non est merum juramentum, sed est verum pactum: atqui obligatio pacti, præsertim juramento firmati, transit ad hæredem, etiamsi non fuerit expressum, dummodo contrarium, non sit cautum, l. *Veteris.* c. *de Contrahend. stipulat.* et l. *Si pactum.* ff. *de Probat.* Paritque actionem in utroque foro, cap. I. *de Pactis.* et l. *Ut jurisjurandi.* ff. *de Operis libertor.* cum similibus: estque uberius dictum. lib. I. tit: XXXV. *de Pactis.* § 1, n. 31. et seqq. ergo. Hinc cap. ult. *de Foro compet.* habetur, quod laicus ratione juramenti, seu ut illud servare compellatur, coram judice ecclesiastico conveniri valeat.

107. *Si defunctus promissionem homini factam, et ab eo acceptatam, juramento firmaverit, tunc obligatio propria juramenti extinguitur, sed obligatio ratione pacti transit ad hæredem.* — Infertur proinde, quod si defunctus promissionem homini factam, et ab eodem acceptatam, v. g. de danda certæ pauperi puellæ dote, juramento firmaverit, sicque duplicem contraxerit obligationem; unam religionis, vi præstiti juramenti; alteram justitiæ, ratione pacti, seu promissionis ab altero acceptatæ; tunc quidem per mortem ipsius extinguatur prior obligatio, quæ est propria juramenti, atque ex virtute religionis oritur, cum sit mere personalis; posterior tamen transeat ad hæredem. Et ratio est, quia hæres hoc ipso, quod adeat hæreditatem, censetur contractum inire ad solvenda omnia defuncti debita, et onera realia; sicque etiam tenetur implere dictam promissionem, dando videlicet pauperi puellæ dotem, non quidem ex motivo religionis, sed ex virtute justitiæ, Layman cit. cap. x. n. 4.

108. *Juramentum reale Deo factum tenetur hæres defuncti adimplere, potestque ad hoc compelli, idem est dicendum de voto reali.* — Atque hoc ipsum est dicendum de juramento reali soli Deo facto, dandi v. g. certam pecuniam pauperibus in honorem Dei: quia, licet tale juramentum a nullo hominum sit acceptatum, nihilominus hæres defuncti tenetur illud ademplere, potestque ad ejus adimpletionem compelli a judice ecclesiastico. Prout in simili dicitur de voto reali, c. *Ex parte.* 16. *de Censib.* et c. *Si hæredes*, 6. *de Testament.* et l. 2. ff. *de Pollicitat.*, ubi sic habetur, « Voti enim obligationem ad hæredem transire constat. » Quod de voto reali, seu consistente in dando, non autem de voto personali, eundi v. g. ad Sanctum Jacobum Compostellanum, esse intelligendum, notat Glossa fin. ibid. Accedit ratio, quia licet hæres defuncti, juramentum reale. Deo facientis, non obligetur ad istud persolvendum ex vi ipsius juramenti, seu ex virtute religionis (nam obligatio juramenti fuit personalis, ac cessavit cum persona defuncti) tenetur nihilominus hæres defuncti tale juramentum reale persolvere ex obligatione justitiæ, ac vi me-

morati contractus per additionem hæreditatis cum defuncto initi ad solvenda onera realia ipsius. Pirhing h. t. n. 147; Castropalao part III disp. 2. *de Jurament. punct.* 11. n. 1. citans alios.

109. *Secus dicendum de juramento debitoris defuncti, qui promisit solvere usuras.* — Secus dicendum de juramento debitoris defuncti, qui promisit solvere usuras, juxta c. *Debitores.* 6. h. t. Nam quia obligatio juramenti fuit personalis, sicque extincta in morte debitoris defuncti; nulla vero remanserat obligatio justitiæ, eo quod exactio usurarum contineat turpitudinem, atque injustitiam ex parte recipientis: hinc hæres non tenetur ad istud juramentum persolvendum. Covarruvias d. c. *Quamvis. pactum. de Pactis*, in 6, part. I. § 2. n. 8; Pirhing cit. n. 147; Layman d. cap. x. n. 4; Sanchez, lib. III. in *Decalog.* cap XIII. n. 5. citans alios.

110. *Juramentum ex parte ejus cui juratur, non est personale, sed transit ad hæredes.* — Resp. II. Nihilominus juramentum ex parte ejus cui juratur, non est personale, sed transit ad hæredes ipsius. Ita Innocentius c. *Veritatis.* h. t. dicens, quod juramentum, licet sit personale ex parte jurantis, tamen sit reale ex parte ejus, cui juratur. Sigism. Scaccia, lib. 2. *de Judiciis.* cap. II. n. 103, asserens doctores communiter sequi Innocentium; Covarruvias cit. part. I, § 5, n. 7; Angelus ℣. *Juramentum.* 5 n. 40; Sanchez, d. cap. XIII. n. 6. et alii passim. Idque desumitur ex c. *Veritatis.* 14. juncta Glossa fin. et doctoribus ibid. h. t. ubi vasallus, qui juravit prælato fidelitatem atque reverentiam, eamdem etiam tenetur exhibere successoribus ipsius, neque istis amplius compellitur jurare, nisi velit; prout notat Glossa ibid. ℣. *Compellantur.*

111. *Pactum tibi factum, extenditur ad hæredem tuum.* — Concordat textus in l. *Si pactum. ff. de Probat.* ubi pactum tibi factum, extenditur etiam ad hæredem tuum: Quia plerumque tam hæredibus nostris, quam nobismetipsis cavemus. » Idem ergo dicendum de juramento, utpote quod suscipit naturam et conditiones promissionis, cui adjicitur. Hinc jurans, v. g. solvere Petro centum florenos, eo defuncto ante factam solutionem, tenetur istos solvere hæredibus Petri, et quidem, ex vi juramenti huic præstiti; prout exemplificat Sanchez cit. n. 6 et Pirhing h. t. n. 149. allegans alios cum communi.

§ IV.

DE JURAMENTO UT CONFIRMANTE PACTA, VEL CONTRACTUS DE JURE INVALIDOS.

112. *Contractus per juramentum confirmatus plurimum differt ab eo, qui non confirmatur, sed solum juramentum servari debet.* — Quæritur I. Utrum, et qualiter differat contractus per juramentum confirmatus, ab eo, qui non confirmatur, sed ipsum solum juramentum servari debet? Resp. Plurimum differe; prout fusius ostendit Jason Auth. *Sacramenta puberum.* n. 38 et seqq. c. *Si adversus vendition.* Sanchez, lib. III. in *Decalog.* cap. XII, n. 58. et seqq.; Engel h. t. n. 12. et alii. Idque probatur inductione, ostendendo plures ejusmodi differentias, atque peculiares effectus, quos habet contractus juramento confirmatus, qui non competunt alteri non confirmato, seu ubi solum juramentum habet vim obligandi.

113. *Enumerantur hujusmodi differentiæ.* — *Primo* enim, quando juramentum solum obligat, contractus vero cæteroquin de jure nullus per illud non confirmatur, obligatio ejus non transit ad hæredes: secus dicendum, si per illud etiam confirmetur contractus. Ita Jason cit. l. *Sacramenta puberum.* n. 38. et Engel h. t. n. 12. Ratio est, quia juramentum non potest esse sine propria intentione; ac proinde obligatio ejus est mere personalis, atque voluntarie assumpta ex virtute religionis, et consequenter non transit ad hæredes: quamvis hi teneantur stare pactis, et contractibus defuncti, ut paulo superius n. 103. et seqq. jam dictum.

114. *Secundo*, quando juramentum non confirmat contractum cæteroquin invalidum, potest peti relaxatio juramenti, eaque impetrata veniri contra contractum; utpote qui demitteretur in sua natura, sicque invalidus remaneret. Secus, si contractus ipse per juramentum confirmaretur: nam tunc sublato per dispensationem vinculo juramenti, adhuc remaneret obligatio et vinculum contractus, eo quod per juramentum fuisset confirmatus, roburque accepisset.

115. *Tertio*, quando juramentum non confirmat pactum vel contractum, sed ipsum duntaxat obligat impletur obligatio ejus momentanea solutione, et statim potest solvens, implorato judicis auxilio repetere rem solutam; ut accidit c. *Debitores.* 6 h. t. Secus, si ipsum pactum seu contractus confirmetur.

116. *Quarto*, quando juramentum non con-

firmat contractum, violans illud solum agit, et peccat contra virtutem religionis : si vero confirmetur contractus, ageret etiam contra virtutem justitiæ. Tacentur aliæ differentiæ, de quibus Jason, et Sanchez, ubi supra, et Pirhing h. t. n. 142. cum aliis. Supposito proinde tam multicipli effectu contractus per juramentum confirmati.

117. *Contractus de jure invalidi an confirmentur juramento? Qui sunt juri naturali aut divino contrarii, non possunt juramento confirmari.* — Quæritur II. Utrum contractus de jure invalidi, confirmentur juramento? Resp. I. Contractus juri naturali, aut divino contrarii, vel versantes circa materiam illicitam, non possunt juramento confirmari; adeo quod tunc neque ipsum juramentum obliget. Ita certa, et communis omnium : siquidem « non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum, » ut loquitur reg. 58. juris in 6. Simulque « juramentum non ut esset iniquitatis vinculum, fuit institutum ; » prout loquitur pontifex in c. *Quanto.* 18. h. t. estque jam dictum supra n. 73. et 74. Quæstio itaque duntaxat remanet de pactis, seu contractibus, solo jure humano, sive civili, sive canonico irritis ; et de his loquendo,

118. *Contractus jure duntaxat humano invalidi, aliquando confirmantur juramento.* — Resp. II. Contractus jure duntaxat humano invalidi aliquando confirmantur per juramentum, aliquando non. Ita Abbas c. *Cum contingat.* n. 8. h. t. allegans Bartolum ; Covarruvias c. *Quamvis pactum. de Pactis*, in 6, part. II, § 1, n. 17 ; Sanchez, lib. III. in *Decalog.* cap. XII, n. 5 ; Pirhing h. t. n. 132, allegans alios ; estque communior doctorum, paucis exceptis, qui volunt, contractum de jure irritum nunquam confirmari juramento, sed tunc solum juramentum esse servandum, relicto contractu in sua invaliditate. Et hujus sententiæ rationes ponentur infra num. 128. loco objectionum ; ipsamque tenet Jason cit. l. *Sacramenta puberum.* n. 37. c. *Si adversus vendit.* cum nonnullis aliis, quos pro hac sententia allegat Covarruvias, ubi supra, n. 17.

119. *Idque probatur.* — Prima pars, videlicet contractus aliquos jure humano cæteroquin irritos confirmari juramento, probatur ex textu satis claro, c. *Quamvis pactum. de Pactis.* in 6. ubi dicitur : « Quamvis pactum patri factum a filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet lex civilis : si tamen juramento non vi, nec dolo præstito, firmatum fuerit ab eadem, omnino servari debebit : cum non vergat in æternæ salutis dispendium : nec redundet in alterius detrimentum. » Hæc ibi. Ubi patet, non juramentum duntaxat decerni servandum, sed etiam ipsummet pactum utpote, de quo loquitur textus, quodque expresse dicitur « juramento præstito firmatum ; » ac proinde subditur, quod « omnino servari debebit. »

120. Huc etiam communiter allegatur textus c. *Cum contingat.* 28. h. t. et c. *Licet.* eod. in 6. ubi etiam judices sæculares per locorum ordinarios censura ecclesiastica jubentur compelli ad servandum quoad hoc jus canonicum. Concordat auth. *Sacramenta puberum.* c. *Si adversus venditionem*, etc. juncta Glossa et Summario ibidem, expresse hanc sententiam tenente, dum inquit : « Contractus puberum juramento firmati, nequeunt infirmari : nisi vis, vel justus metus intervenerit, » etc. Quamvis cæteroquin textus isti possent facile de juramento explicari, non autem de pacto sive contractu ipso.

121. *Aliquando vero non confirmantur juramento. Ut si juramentum per vim, aut metum fuit extortum.* — Altera vero pars, quod nimirum aliquando contractus non confirmentur juramento, patet tum ex c. *Cum contingat.* 28. h. t. tum ex relato c. *Quamvis pactum. de Pactis*, in 6. Nam imprimis juramentum, ad quod quis præstandum per vim, sive metum gravem, aut dolum inductus fuit, non confirmat contractum, promissionem vel pactum : prout ex citatis canonibus, argumento a sensu contrario desumpto, colligitur ; juncta auth. *Sacrament puberum.* c. *Si adversus venditionem* : ibi : « Sacramenta puberum per vim, vel justum metum extorta, nullius esse momenti jubemus, » cum concordantiis : haud obstante, quod ipsum juramentum metu extortum obliget, donec illud legitima auctoritate fuerit relaxatum, sive dispensatum, juxta dicta n. 100. et 101.

122. *Aut si juramentum est in præjudicium tertii, vel boni publici.* — Deinde, si juramentum est in præjudicium tertii, non confirmat contractum : imo si principaliter ac directe redundet in alterius præjudicium, etiam ipsum juramentum non obligat, neque observandum est, c. *Cum contingat.* 28. h. t. et c. *Quamvis pactum.* eod. in 6. Siquidem tale juramentum foret illicitum, utpote tendens in injustum præjudicium alterius. Et hoc a for-

tiori procedit in juramento quod tendit in præjudicium boni publici; puta, quia actus, sive contractus, principaliter fuit prohibitus ob favorem publicum: nam « Jus publicum, privatorum pactis mutari non potest, » ut habetur l. *Jus publicum*. ff. *de Pactis* et c. *Si diligenti*. 12. *de Foro compet*. estque amplius dictum supra n. 90. et seqq.

123. *Et quando observantia juramenti vergit in præjudicium salutis æternæ.* — Ulterius juramentum, cujus observantia vergit in dispendium salutis æternæ, non confirmat pactum, vel contractum de jure invalidum. Siquidem hujusmodi juramentum nullius est obligationis, et roboris: per textus n. 73. et 75. allegatos.

124. *Vel saltem ex parte exigentis, sive recipientis turpitudinem continet.* — Et hoc intelligendum est non solum de juramento, quod sine peccato nequit observari (hoc enim nullatenus est obligatorium) sed etiam de eo quod quidem ex una parte observari potest sine peccato, solvendo v. g. sponte rem alteri sub juramento promissam; adhuc tamen ex parte exigentis, sive acceptantis turpitudinem continet, quatenus is accipit injuste, ac restituere tenetur, prout cum aliis communiter notat Sanchez loc. cit. cap. XII. n. 51. et seqq. Exemplum clarum habetur c. *Debitores*. h. t. ubi sub juramento promittens se soluturum usuras, cogitur quidem eas solvere ob religionem jurisjurandi; sed solutas repetere potest, etiam auctoritate judicis implorata: ac proinde pactum illud, juramento non fuit confirmatum. Idem contingit in casu c. *Significante. de Pignorib.* superius n. 79. jam declarato, et nonnullis aliis.

125. *Quando pactum, sive contractus de jure irritus, censeatur, confirmari juramento? Si lex irritans contractum fundetur super bonis moribus, vel bono publico, tunc contractus in contrarium gestus non confirmatur juramento.* — Quæritur III. Quando pactum, sive contractus de jure irritus, censeatur confirmari juramento? Resp. I. Si lex irritans contractum fundetur super bonis moribus naturalibus (hoc est, quibus homo efficitur bonus, et quibus contravenire est peccatum) aut fundatur super bono publico principaliter, tunc contractus in contrarium gestus juramento non confirmatur, per jura, et rationes supra § præced. n. 88. 90. et seqq. allatas.

126. *Bene tamen, quando lex irritans contractum principaliter respicit favorem privati.* — Resp. II. Quando vero lex neque super bonis moribus naturalibus, neque super publico bono fundatur, sed principaliter respicit favorem privati, licet secundario et in consequentiam respiciat favorem atque utilitatem publicam; tunc juramentum adeo confirmat contractum, ut non tantum ipsum juramentum sit servandum, sed etiam contractus, licet cæteroquin invalidus. Ita Abbas c. *Cum contingat*. n. 5. et 8. h. t.; Covarruvias cit. c. *Quamvis pactum*. part. II. § 1, n. 17; Sanchez, lib. III. in *Decalog*. cap. XII, n. 43, 44. et seqq. citans plures alios; et concordant dicta superius § præced. n. 93. ac seqq.

127. *Referuntur hujus exempla.* — Exempla hujus sunt, quæ adducit Layman, lib. IV, *Theolog. moral.* tract. III. cap. VIII. n. 1. et Pirhing h. t., n. 178. Sic enim valet, atque juramento confirmatur renuntiatio filiæ de non succedendo paternæ hæreditati, c. *Quamvis de Pactis.* in 6. Item alienatio rerum dotalium, ac donationum propter nuptias, c. *Cum contingat*. 28, h. t., et c. *Licet*. 2. eod. in 6. Item contractus minoris sub juramento celebratus absque tutoris auctoritate, Auth. *Juramenta puberum*. c. *Si adversus venditionem*. Item donatio excedens quingentos solidos sine insinuatione judicis: mutuatio filiifamilias, qui juratus renuntiavit beneficio senatusconsulti Macedoniani: fidejussio mulieris sub juramento renuntiantis privilegio senatusconsulti Velleiani, et alia nonnulla hujusmodi.

128. *Afferuntur objectiones.*—Objicies contra hoc. Nam « Jus publicum privatorum pactis mutari non potest, » prout habetur l. *Jus publicum*. ff. *de Pactis*. Item « quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi, » juxta reg. 64. juris in 6. cum similibus. Insuper, si principale non tenet, neque accessorium, juxta reg. 42. juris in 6. Ergo nunquam confirmatur contractus de jure invalidus per juramentum. Resp. neg. consequent. conformiter dictis supra n. 98. et 99.

129. *Resolvuntur objectiones.*—Ad primum dicitur, textum allegatum procedere, quando jus illud principaliter statutum fuit ob favorem publicum: secus, si principaliter ob favorem privatorum. Siquidem quilibet juri suo renuntiare potest, c. *Si diligenti. de Foro compet.* et l. *Juris gentium*. § *Si paciscar*. ff. *de Pactis*. et alibi.

130. *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi, quomodo intelligendum?* — Ad

alterum plures sunt responsiones: cæteris tamen dimissis, dicitur, regulam illam, « Quæ contra jus fiunt, » etc., procedere, quando lex manet in terminis prohibitionis; videlicet tam ab initio quam ex post facto prohibendo, atque annullando actum contrarium: secus, si tantum ab initio, prohibeat, sed ex post facto ulterius procedat disponendo quod actus, sive contractus valeat: uti fit in proposito, juxta, c. *Quamvis pactum. de Pactis*, in 6. et c. *Cum contingat*. 28. h. t. cum similibus. Aut dando alia remedia ad actum, sive contractum illum rescindendum; uti fit in contractibus ex gravi, et injuste incusso metu celebratis, ac hujusmodi: prout latius dicta regula explicantur supra lib. I. tit. II. *de Constitutionibus*. § 11, n. 246. 247. et 249. Ad ultimum patet ex dictis supra n. 99. Nam regula illa, « Accessorium, » etc. solum procedit, quando in principali et accessorio reperitur eadem ratio: secus, quando diversa est ratio in accessorio, ut sustineri mereatur, quæ non reperitur in principali, prout impræsentiarum est reverentia divini nominis.

§ V.

DE JURAMENTO LITIS DECISORIO, EJUSQUE DIVISIONE, EFFECTU, AC REQUISITIS.

131. *Juramento litis decisorium, quid et quando deferendum?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit juramentum litis decisorium? Resp. I. « Juramentum litis decisorium » vi nominis est illud, per quod lis principalis deciditur: sive, quod in defectu aliarum probationum defertur alterutri partium litigantium, ad definiendas, seu decidendas lites. Et notanter additur, « in defectu aliarum probationum: » quia juramentum litis decisorium tunc demum est deferendum, cum aliæ, legitimæ probationes deficiunt, text. clar. cap. II. *de Probation*. junctis concordantiis ac Glossa ibid. ℣. *Cum aliæ*, relatis. Additur ulterius, « alterutri partium: » quia juramentum litis decisorium non præstatur ab utraque parte, prout præstari debet juramentum calumniæ et malitiæ; sed illud defertur duntaxat uni parti, sub ea conditione, seu pacto, ut si confisa de justitia suæ causæ juraverit, causam obtineat; prout amplius patebit ex dicendis.

132. *Est triplex, nempe voluntarium, judiciale, et necessarium.* — Resp. II. Juramentum litis decisorium est triplex; nempe voluntarium, judiciale, et necessarium. Ita Glossa cap. ult. ℣. *A te*. h. t. et alia Glossa in l. 1. ℣. *Nisi specialiter*. c. *de Rebus credit.*; Bartolus in *Summario*. l. *Admonendi*. ff. h. t., juncto textu, et Glossa fin. ibi. Abbas cap. ult. n. 1. h. t.; Zoesius eod. n. 33. Pirhing n. 20; Engel n. 20. et alii communiter. Ratio est: quia juramentum litis decisorium vel defertur in judicio, vel extra judicium. Si extra judicium, dicitur « voluntarium, » sive (ut alii loquuntur) « conventionale. » In judicio autem potest illud dupliciter deferri: nam quandoque defertur a judice; et appellatur « necessarium: » quandoque vero defertur a parte parti; et istud stat in nomine sui generis, diciturque « judiciale, » ut notat Abbas loc. cit. quamvis nonnulli majoris claritatis gratia, istud appellent « Juramentum judiciale specifice sumptum; » id est, « Juramentum litis decisorium judiciale. » Itaque:

133. *Juramentum voluntarium, quid? Appellatur alio nomine: juramentum conventionale.* — « Juramentum voluntarium » dicitur illud, quod voluntarie, seu ex mera conventione partium, extra judicium defertur sub ea conditione, ut si una pars litigans, cui illud ab altera parte defertur, confisa de justitia causæ suæ, jurare ausa fuerit, absque alio processu causam obtineat. Atque istud alio nomine appellatur « Juramentum conventionale, » utpote ex mera partium conventione descendens; conformiter textui in l. *Jusjurandum quod* 17. ff. h. t. ibi: « Jusjurandum, quod ex conventione extra judicium defertur, » etc.

134. *An serviat ad lites in judicio decidendas? Et producatur actio ex eo?* — Arbitratur quidem Pirhing cit. n. 20. post Wessembecium in *Parat*. ff. *de Jurejur*. n. 7. quod prædictum juramentum conventionale ad lites in judicio decidendas non serviat, ideoque huc non pertineat. Verum Ludov. Engel h. t. n. 20. tenet oppositum, dummodo constet, quod sub ea conditione et lege præstitum fuerit juramentum, sub qua delatum fuit. Idque satis liquere potest ex l. *Non erit*. ff. h. t. ubi indistincte dicitur: « Dato jurejurando non aliud quæritur, quam an juratum sit, remissa quæstione, an debeatur: quasi satis probatum sit jurejurando. » Hæc ibi. Unde Abbas cap. ult. n. 1. et 2. post factam de præfato triplici juramento mentionem, indistincte censet, quod ex quolibet juramento licito, de jure canonico producatur

actio, dummodo materia sit ad hoc apta : « Quia (inquit) jus divinum et canonicum, mandat juramentum servari, » c. *Etsi Christus.* et c. *Cum contingat.* et c. *Debitores.* h. t. cum similibus; ergo competit jus agendi, l. *Statuas.* ff. *de Acquirend. rer. domin.* et l. un. ff. *de Condict. ex leg.* Adde dicta superius lib. I. tit. XXXV. *de Pactis.* § 1, n. 31. et seqq. ubi fusius ostensum est, ex quolibet pacto, præsertim si sit vestitum juramento, dari actionem in foro externo.

135. *Juramentum litis decisorium judiciale, seu juramentum judiciale specifice sumptum, quid? Isto delato tenetur pars jurare, aut illud referre.* — « Juramentum litis decisorium judiciale, seu juramentum judiciale specifice sumptum, » dicitur illud, quod a parte parti defertur in judicio, judice approbante. Porro, quando tale juramentum in judicio, atque interveniente judicis auctoritate a parte defertur parti, tenetur hæc vel jurare, vel parti deferenti juramentum referre; alioquin causa cadet, sive solvere tenebit, cap. ult. § 1. h. t. et l. *Jusjurandum et ad pecunias.* ff. eod. estque communis. Siquidem « manifestæ turpitudinis est, et confessionis, nolle nec jurare, nec jusjurandum referre, » ut dicitur l. *Manifestæ.* ff. h. t.

136. *Dummodo hinc excipiatur actio famosa; et cur?* — Dummodo hinc excipiatur actio famosa; ut est actio furti, et hujusmodi: nam in hujusmodi actione famosa non licet referre juramentum sibi a parte altera delatum; prout habetur expressum cit. cap. ult. h. t. illis verbis : « Nec liceat convento famosa actione referre hujusmodi juramentum. » Rationem hujus dat Abbas ibid. n. 12. et Vivianus in *Rationali juris.* eod. cap. ult. § 3. Quia conventus actione famosa, puta quod equum furto abstulerit, melius præsumitur scire veritatem, quam actor equum ejusmodi repetens: unde merito taliter conventus, non permittitur juramentum sibi ab actore delatum eidem referre; cum ipse certo sciat, an talem equum alteri abstulerit, quod actor tam certo scire non potest (dantur enim equi multum sibi similes) sicque non posset adeo tuta conscientia jurare.

137. *Deferre juramentum, et referre juramentum quid?* — Ubi pro intelligentia terminorum sciendum est, quod ille dicatur « deferre juramentum, » qui primo alteri parti offert ut juret, si confidat de veritate, seu justitia causæ suæ. « Referre juramentum » econtra dicitur pars illa, quæ post delatum sibi juramentum jurare non vult, sed juramentum ejusmodi offert vicissim adversario suo, qui prius sibi detulerat. Layman lib. IV. *Theol. moral.* tract. III. cap. v. n. 2. vers. *Si quæras.*

138. *Juramentum necessarium, et cur sic dicatur? Appellatur etiam juramentum suppletorium; et cur?* — « Juramentum necessarium » tandem dicitur illud, quod per judicem alterutri parti, ob defectum plenæ probationis, sive in ejus supplementum defertur. Et ideo alio nomine etiam « Juramentum suppletorium » appellatur : quia videlicet tunc demum est deferendum, quando aliæ legitimæ probationes deficiunt, cap. *Sicut.* 2. *de Probat.* ubi Glossa ℣. *Cum aliæ.* Fagnanus n. 5. et Barbosa in *Collectan.* ibid. n. 4. allegans alios. Dicitur autem « Juramentum necessarium : » tum quia judex quandoque necesse habet illud deferri alterutri parti litigantium, sive ad earum petitionem, sive etiam ex officio ad investigandam veritatem : tum quia juramentum istud parti delatum, nisi justa de causa, recusari non potest, nec etiam alteri parti referri, cap. ult. § 1. h. t. atque amplius infra § 7. n. 228. et seqq. dicetur.

139. *Differentia inter triplex memoratum juramentum decisorium litis.* — Atque ex his patet differentia inter triplex memoratum juramentum decisorium litis. Siquidem juramentum voluntarium, seu conventionale, defertur a solis partibus, et quidem extra judicium, potestque libere recusari, adeo, ut nec opus sit illud alteri parti deferre, l. *Juramentum quod.* juncta Glossa ℣. *Non potest.* ff. h. t. Juramentum litis decisorium judiciale, seu judiciale specifice sumptum pariter quidem ab una parte defertur alteri, sed nonnisi in judici; simulque opus est, ut prius sit approbatum a judice, l. *Generaliter.* § *De Juramento.* c. *de Rebus creditis:* et si deferatur, vel est præstandum, vel referendum, nisi justa causa recusandi subsit. Juramentum necessarium vero a solo judice defertur, et delatum, nisi justa de causa, recusari nequit, neque etiam alteri parti referri potest, cap. ult. h. t. cum concordantiis, atque infra § 7. n. 221. et seqq. dicetur.

140. *Effectus juramenti litis decisorii primarius est, ut si præstetur, ei sit standum.* — Quæritur II. Quis sit effectus juramenti litis decisorii, et an retractari valeat, si postmodum appareat falsitas ejus? Resp. I. Effectus juramenti litis decisorii, sive sit necessarium, atque a judice alteri parti delatum, sive vo-

luntarium, et ab una parte alteri delatum, vel etiam relatum primarius et principalis est iste, ut si præstetur, ei omnino sit standum, remissa ulteriori quæstione, an revera quidpiam debeatur, necne. Ita communis; et patet ex l. *Non erit.* et l. *Jusjurandum et ad pecunias.* § fin. h. t. juncta l. *Generaliter.* § 2. c. *de Rebus credit.* Quibus in locis expresse dicitur, quod juramento præstito standum sit præcedente legitima delatione, « quasi satis probatum sit jurejurando. » Atque ideo l. 1. ff. *de Jurejur.* merito dicitur, « quod maximum remedium expediendarum litium in usum venit jurisjurandi religio, qua vel ex pactione ipsorum, vel ex auctoritate judicis deciduntur controversiæ.» Hæc ibi, junctis concordantiis in progressu adducendis.

141. *Saltem, quamdiu de falsitate juramenti aliunde non constat, dupliciter potest intelligi juramentum falso præstitum, scienter videlicet et ignoranter.* — Et hoc est certum, quamdiu de falsitate præstiti juramenti aliunde non constat : quia tunc adest præsumptio juris pro jurante, quod verum juraverit ob reverentiam divini numinis. Major difficultas est de juramento litis decisorio, quod vel a parte, vel a judice delatum fuit, et ab altera parte præstitum, an tantæ sit efficaciæ atque virtutis, ut amplius retractari non possit, etiamsi postmodum certo constet, puta, per instrumenta de novo reperta, juramentum illud fuisse falsum. Quia vero dupliciter potest intelligi, juramentum fuisse falsum, seu potius falso præstitum, scienter videlicet, aut ignoranter; hoc est, bona fide credendo, rem ita se habere, prout quis juravit, etiamsi postmodum per legitima instrumenta contrarium manifeste appareat : hinc loquendo imprimis de juramento scienter falso deposito.

142. *Juramento sibi delato scienter falsum jurans, præter peccatum mortale, tenetur de foro conscientiæ restituere quidquid inde fuit consecutus.* — Resp. II. Si quis juramento sibi delato scienter falsum juraverit non solum est reus gravissimi peccati mortalis, seu perjurii; verum etiam tenetur in foro conscientiæ restituere quidquid inde fuerit consecutus, refusis insuper omnibus damnis atque expensis, ex suo malitioso atque injusto juramento parti adversæ obvenientibus. Ita Abbas c. *Quia plerique.* n. 21. post Innocentium ibid. *de Immunitat. Eccles.* estque communis tum theologorum, tum canonistarum. Ratio est clara, quia talis falso jurans non solum circumvenit judicem, sed etiam damnificat proximum, atque injuste acquirit rem alienam : ergo in foro animæ, atque ante aliam sententiam judicis tenetur ad restitutionem, juxta reg. 4. juris in 6. « Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum, » cum concordantiis.

143. *Non obstante sententia judiciali pro ipso lata; et cur? Præsumptio cedit veritati.* — Nec obstat, quod talis consecutus fuerit sententiam judicialem pro ipso latam. Non obstat, inquam : quia sententia judicis fundatur in præsumptione veritatis, seu quod quis verum juraverit. Unde, quia præsumptio cedit veritati, l. *Imperatores.* ff. *de Probat.* et falso jurans certo novit talem præsumptionem hic et nunc non subsistere, nequit in foro animæ retinere quod per sententiam judicis acquisivit : eo quod hanc, utpote in falsa præsumptione fundatam, manifeste sciat esse injustam; sicque tenetur totum restituere. Hoc siquidem exigit naturalis obligatio virtutis justitiæ, reddens cuilibet, quod suum est: et quod « fraus et dolus alicui patrocinari non debeat, » patet ex c. *Sedes.* 15. *de Rescriptis*, cum concordantiis.

144. *Juramentum scienter falso depositum, si de hoc constat, etiam in foro externo retractandum est. Et judex eidem inhærens peccaret.* — Et hæc ratio tam fortiter urget, ut si in foro etiam externo constaret, v. g. per propriam ejus confessionem, quod quis scienter deposuisset falsum juramentum litis decisorium, absque dubio juramentum ejusmodi, una cum omnibus inde subsecutis, etiam in foro externo retractandum foret. Nam «Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento et injuria fieri locupletiorem, » prout dicitur l. *Jure naturæ.* ff. *de Reg. jur.* et c. *Locupletari.* 46. eod. in 6. Simulque pactum turpe, vel rei turpis, nullam inducit obligationem, cap. ult. *de Pactis.* Quinimo judex inhærens tali juramento, de cujus falsitate scienter commissa constat, hoc ipso peccaret consentiendo, et cooperando ad injustam rei alienæ occupationem, seu detentionem, juxta illud can. *Negligere.* 2. q. 7. ubi dicitur, « Negligere, cum possis deturbare perversos, nihil aliud est, quam fovere. »

145. *Solvitur instantia ex l. I. c.* de Rebus credit. *Perjurus a solo Deo punitur; et quando?* — Nec obstat textus in l. I. c. *de Rebus creditis*, ubi dicitur : « Causa jurejurando ex

consensu utriusque partis, vel adversario inferente delato et præstito, vel remisso decisa nec perjurii prætextu retractari potest nisi specialiter hoc lege excipiatur. » Resp. enim, concordando jura juribus, legem allegatam procedere in juramento bona fide præstito; quale in foro externo præsumitur omne juramentum litis decisorium, nisi constet de contrario, v. g. per propriam confessionem: adeo ut perjurus a solo Deo puniri dicatur, l. 2. c. eod. Secus, ubi quis scienter deposuit falsum juramentum, et de hoc constat in foro externo, puta per propriam ejus confessionem: nam quia tunc suum juramentum pravum alteri nocet, merito retractatur; sicque non habet solum Deum ultorem. Glossa cit. l. 2. ỷ. *Ultorem.* c. *de Rebus credit.* concordant dicenda inferius n. 157. Et de hoc non est controversia, sed solum de juramento bona fide præstito, quod tamen postea apparet, v. g. per instrumenta de novo reperta fuisse falsum; unde:

146. *Juramentum necessarium, etiam bona fide præstitum, potest retractari, si per instrumenta de novo reperta probetur falsum; secus dicendum de juramento voluntario et judiciali.* — Resp. III. Juramentum necessarium, seu delatum a judice in supplementum, ac etiam bona fide præstitum, potest retractari, si contra jurantem per instrumenta noviter reperta probetur falsum: secus tamen est dicendum de juramento voluntario seu conventionali, et judiciali specifice sumpto. Ita textus satis apertus in l. *Admonendi.* ff. h. t. qui sic loquitur: « Admonendi sumus, interdum etiam post jusjurandum exactum permitti constitutionibus principum ex integro causam agere, si quis nova instrumenta se invenisse dicat, quibus nunc solum usurus sit. Sed hæ constitutiones tunc videntur locum habere, cum a judice aliquis absolutus fuerit. Solent enim sæpe judices in dubiis causis exacto jurejurando secundum eum judicare, qui juravit. Quod si alias inter ipsos jurejurando transactum sit negotium, non conceditur eamdem causam retractare.» Ubi Glossa in casu. et ỷ. *Absolutus.* et ỷ. *Quod si alias*, Bartolus, Salycetus, Jason in *Repetit.* cit. l. *Admonendi.* n. 4. et alii communiter, priorem partem intelligunt de juramento necessario, quod defertur a solo judice sine partis consensu: posteriorem vero ab illis verbis, « Quod si alias, » intelligunt de juramento voluntario, vel judiciali, quod defertur a parte parti, sive extra judicium, sive in judicio. Eamdem conclusionem tradit Engel h. t. n. 32. et Mascardus *de Probat.* concl. 956. n. 9. et 18. allegans alios: quæ quoad alteram partem etiam habetur cit. l. I. c. *de Rebus creditis.*

147. *Ratio disparitatis.* — Ratio disparitatis inter utramque partem conclusionis ea solet reddi: quia dum defertur, atque præstatur juramentum voluntarium, aut judiciale, res videtur potius decisa partium transactione quam sententia: nam « jusjurandum speciem continet transactionis, » ut dicitur l. 2. ff. h. t. juncto textu jam allegato ex cit. l. *Admonendi.* ibi: « Quod si alias inter ipsos jurejurando transactum sit negotium, non conceditur eamdem causam retractare. » Unde cum juramentum voluntarium, atque judiciale, contineat speciem transactionis, transactio autem propter instrumenta de novo reperta regulariter non rescindatur, l. *Sub prætextu instrumenti.* c. *de Transaction.* sibi imputare debet is, qui hujusmodi juramentum parti adversæ deferendo, eamdem in propria causa et testem et judicem, contra se constituit. Secus fit in juramento necessario, utpote quod non ex consensu partium, sed a judice defertur, atque delatum neque recusari, neque referri potest.

148. *An juramentum necessarium retractetur propter testes de novo repertos, sicut propter instrumenta?* — Utrum autem juramentum necessarium retractetur non solum propter instrumenta de novo reperta (nam de his textus allegatus expresse loquitur) sed etiam propter testes noviter repertos, quæri potest? Hanc quæstionem proponit Bartolus in cit. l. *Admonendi.* in fine. ff. h. t. et Abbas cap. ult. n. 10. eod. ac respondet uterque sub distinctione. Nam quædam sunt causæ, in quibus non admittitur reprobatio per testes: ut l. *Generaliter.* c. *De non numerat. pecun.* et in his certum est, quod non. Quædam vero sunt causæ, in quibus admittitur reprobatio per testes: et tunc vel in prima causa fuerunt examinati, et publicati testes; et non poterunt amplius produci, prohibente publicatione attestationum, et timore surbornationis, juxta dicta tit. XIX. *de Probationibus*, § 6, n. 149 et 152. et seqq. Si vero testes non fuissent antea publicati, tunc possunt de novo produci, sicque retractari sententia, eadem ratione, quæ retractatur per instrumenta de novo reperta: quia appellatione instrumentorum veniunt etiam testes; ut c. *Pervenit ad*

audientiam. de Testib. cogend. et l. I. ff. *de Fide instrument.*

149 et 150. *Sententia lata retractari non potest propter instrumenta de novo reperta, et quando secus.* — Objicies autem contra priorem partem conclusionis : Sententia lata retractari non potest etiam propter instrumenta de novo reperta, l. *Sub specie.* c. *de Re judicat.* et alibi ; ergo neque sententia lata prætextu falsi juramenti necessarii, contra cit. l. *Admonendi.* Resp. cum Glossa hic ℣. *Nova instrumenta*, antecedens regulariter procedere, quando fertur sola sententia ; secus, si et sententia lata, et juramentum falsum præstitum fuit : nam tunc potest retractari, estque hoc speciale, idque in odium pejerantis.

Verum hanc Glossæ solutionem reprobat Jason in *Repetit.* cit. l. *Admonendi.* n. 37. post Ludov. Romanum, et Alexandrinum ibid., tum quia dicta ratio non est generalis, sed restringit textum ad solum juramentum dolosum ; cui tamen textus allegatus indistincte concedat, juramentum necessarium posse retractari ob instrumenta de novo reperta, sive quis juraverit dolose ; tum quia ob eamdem rationem, seu in odium pejerantis, etiam deberet posse retractari juramentum voluntarium, atque judiciale, propter instrumenta de novo reperta ; quod tamen est contra § fin. cit. leg.

151. *Probatio privilegiata, quæ? Sententia lata per probationes privilegiatas, nunquam transit in rem judicatam.* — Melius itaque respondetur cum doctoribus proxime citatis, et Mascardo d. concl. 956. n. 9. allegante alios, negando consequentiam. Nam, ubi sententia est lata prætextu juramenti necessarii, tunc ea dicitur lata ex probatione privilegiata ; hoc est, ex proprio juramento partis, et sic in defectu aliarum probationum ex proprio testimonio in causa propria, contra illam regulam : « Nullus idoneus testis in re sua intelligitur, » atque habetur l. *Nullus.* ff. *de Testib.* et l. *Omnibus.* c. eod. et can. *Si testes.* 4. q. 3. qualis proinde merito censetur esse « probatio privilegiata. » Atqui sententia lata per probationes privilegiatas nunquam transit in rem judicatam ; sed potest semper, et quandocumque usque ad mille annos, et ultra retractari, supervenientibus veris et propriis probationibus. Innocentius c. *Tua nos.* in *Glossa marg. de Cohabitat. cleric.*; Mascardus loc cit. n. 10 ; Jason, ubi supra n. 38. et 41. allegans alios, atque asserens, hanc esse communem opinionem. Secus fit in l. *Sub specie.* c. *de Re judicat.* utpote quæ procedit quoad « res judicatas, » seu tales, in quibus sententia transiit in rem judicatam.

152. *Lex magis subvenit illi, qui facit actum ex necessitate quam ex voluntate.* — Urgebis. Stante hac ratione etiam juramentum voluntarium, ac judiciale, poterit retractari per instrumenta de novo reperta : nam etiam tale juramentum est probatio privilegiata. Consequens est contra conclusionem, et contra l. *Admonendi.* § fin. h. t. et contra l. I. c. *de Reb. credit.* ergo. Resp. cum Jasone loc. cit., n. 41, neg. seq. majoris cum sua probatione. Siquidem in juramento necessario illa probatio privilegiata procedit parte altera invita : secus est in juramento voluntario, ac judiciali ; quia istud defertur ex mera voluntate partium : unde pars istud deferens sibi debet imputare, quod adversarium suum in propria causa contra se testem constituerit, sicque sententiam adversus se latam reportarit, quæ retractari amplius non possit : nam lex magis subvenit illi qui facit actum ex necessitate, quam illi qui facit ex voluntate, l. *Si Fidejussor.* § *Si necessaria.* ff. *Quia satisdare cogantur.* et c. *Ab arbitris*, juncta Glossa ℣. *Appellandum. De offic. delegat.* in. 6.

153. *Dantur aliqui casus, in quibus juramentum etiam voluntarium ac judiciale, cognita rei veritate retractatur. Juramentum voluntarium ac judiciale procedit duntaxat quoad jurantem, et juramentum deferentem ; non quoad extraneos.* — Resp. IV. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus juramentum etiam voluntarium, ac judiciale non procedit, sed cognita rei veritate potest retractari. Ita Jason l. *Ait prætor.* § *Jurari.* n. 6. ff. h. t. ; Mascardus d. concl. 956, n. 20 et seqq., allegans alios, pluresque tales casus referens. Idque probatur inductione. Sic imprimis juramentum litis decisorium voluntarium et judiciale, procedit duntaxat quoad jurantem, et juramentum ejusmodi deferentem ; non vero quoad alios, sive extraneos. Jason cit. n. 6. et Mascardus n. 20. post Romanum in l. *Nam postea quam.* § *Sed et si quis.* ff. h. t. qui istud probat ex citata lege, ubi dicitur, quod contra juramentum præstitum in fraudem creditorum, succurritur creditoribus replicando, et excipiendo. Concordat textus expressus in l. III. fin. ff. eod. illis verbis : « Quia jusjurandum alterius alteri neque prodest, neque nocet. »

154, 155 et 156. ***Juramentum voluntarium non procedit in causa ultimæ voluntatis, neque in causis matrimonialibus, nec etiam, ubi per confessionem partis constat de injustitia sententiæ.*** — Deinde loquendo etiam de jurante, ac juramentum deferente, data regula limitatur in causa ultimæ voluntatis. In hac enim posse retractari sententiam latam ex juramento, etiam voluntario ac judiciali, si postea contrarium sit factum manifestum, constat ex l. ult. c. *de Rebus creditis*, ubi refertur talis casus, ac proinde Summarium breviter sic loquitur : « Causa ultimæ voluntatis falso juramento decisa, retractatur veritate reperta. » Atque legem illam habere locum in omni juramento, etiam voluntario, ac judiciali, notant omnes, ut inquit Mascardus loc. cit. n. 21. Et ratio est, quia in his, quæ ex testamento proficiscuntur, transigi non potest non inspectis verbis testamenti l. I. ff. *Quemadmodum testament. aperiant.* et l. *De his controversiis.* ff. *de Transactionib.* ergo nec jurari ; cum jusjurandum voluntarium, ac judiciale, sit species transactionis, l. II. ff. h. t.

Tertio limitatur regula præmissa in causis matrimonialibus : nam in his post præstitum juramentum contra valorem matrimonii, adhuc potest quæri de veritate. Glossa in l. III. ℣. *Agatur.* ff. h. t. id probans ex c. *Lator.* 7. *de Sentent. et re judicat.* ubi decisum habetur, quod sententia lata contra matrimonium, nunquam transeat in rem judicatam ; ac proin quandocumque revocetur, cum constat de errore. Jason cit., n. 6, allegans Hostiensem in c. *Mulieri.* h. t. Idemque ob paritatem rationis procedit in aliis casibus, in quibus sententia non transit in rem judicatam, de quibus suo loco.

Quarto limitatur quoad probationem per confessionem partis : si enim in foro contentioso constaret de injustitia sententiæ per confessionem illius, qui obtinuit sententiam vi juramenti a se præstiti, tunc cassaretur sententia illa etiam in foro judiciali. Abbas c. *Quia plerique.* n. 22. post Innocentium ibid. *de Immunit. Eccles.* ; Mascardus d. concl. 956. n. 22. citans Castrensem in l. *Qui jurasse.* § 1. ff. *de Jurejurand.* Boerium quæst. 306. n. 3. et 4. et alios. Ratio est, quia sententia ob juramentum partis prolata, sustinetur ex sola præsumptione justitiæ : atqui contra quamcumque præsumptionem, etiam juris et de jure, admittitur probatio in contrarium per confessionem illius, in cujus utilitatem jus induxit præsumptionem illam, ut dictum tit. præced. § 2. n. 54; ergo :

157. ***Alia limitatio refertur.*** — Addit Engel. h. t. n. 32. quod probabilius, ac æquius sibi videatur, si quis per probationes in continenti paratas, nec altiorem indaginem, vel longiorem dilationem requirentes, demonstrare posset falsitatem juramenti voluntarii, aut judicialis, ab altera parte præstiti, ipsum audiendum esse. Rationem dat, quia in l. ult. c. *de Rebus credit.* generaliter imperator statuit, neminem posse ex perjurio, etiam in juramento judiciali, commisso lucrum captare : « Ne cui (inquit) ex delicto impium lucrum afferre nostris legibus patiatur. » Et quamvis juramentum voluntarium, et judiciale, contineat speciem transactionis, cit. l. II. ff. h. t. qualis propter instrumenta de novo reperta non rescinditur, l. *Sub prætextu instrumenti.* c. *de Transaction.* hoc tamen solum procedit, ubi læsio non est valde gravis : nam quod propter immodicam læsionem etiam possit rescindi transactio, tenet Fachineus lib. II. *Controvers. jur.* cap. XXVI. cum pluribus aliis ; estque ex professo jam dictum supra lib. I. tit. XXXVI. *de Transactionibus.* § 4 n. 52. 56. et seqq.

158 et 159. ***Ad juramentum litis decisorium requiritur, quod lis sit dubia, nec est deferendum, ubi de veritate negotii aliunde constat, nec valet consuetudo contraria ; et cur ?*** — Quæritur III. Quænam requirantur ad juramentum litis decisorium, ejusque delationem ? Resp. I. Ad juramentum litis decisorium requiritur imprimis, quod lis existat dubia, nec aliunde constet de veritate. Ita communis ; et patet ex c. *Sicut.* 2. *de Probation.* ubi reprobata consuetudine in contrarium Pontifex declarat, quod « tunc demum ad hujusmodi (juramenti) sit suffragium recurrendum, cum aliæ legitimæ probationes deesse noscuntur: junctis concordantiis a Glossa ibid. ℣. *Cum aliæ,* relatis. Accedit ratio, tum quia jusjurandum est inductum ad lites dirimendas, l. I. ff. h. t. sicque frustra adhiberetur, ubi aliunde constat de veritate ; tum quia « jusjurandum speciem continet transactionis, » juxta textum expressum in l. II. ff. h. t. Atqui transactio locum non habet, nisi de re dubia : nam « qui transigit, quasi de re dubia et lite incerta transigit, » prout habetur l. I. *de Transaction.*

Infertur proinde, quod si de veritate negotii aliunde constat, puta, per testes legitimos, vel authentica instrumenta, non amplius cui-

piam sit deferendum juramentum : adeo, ut consuetudo contraria non valeat, atque expresse reprobetur cit. c. *Sicut.* 2. *de Probation.* Et ratio est, tum quia talis consuetudo est contra naturalem rationem, quæ non admittit superflua : Deus enim, et natura, nihil faciunt frustra. Imo « per quam iniquum est, supervacua cautione onerari » quempiam ; prout ex lumine naturali cognovit jurisconsultus in l. *Hæc stipulatio.* ff. *Ut legatorum nomin. caveat ;* tum quia talis consuetudo est etiam contra jus divinum, secundum quod non juratur, nisi ex causa rationabili. Abbas cit. c. *Sicut.* n. 1. et. 2. *de Probat.* addens nonnullas alias hujus rationes.

160. *Ad juramentum voluntarium, seu conventionale requiruntur, ac sufficiunt ea quæ ad transactionem.* — Resp. II. Ad juramentum litis decisorium voluntarium, seu conventionale requiruntur et sufficiunt ea, quæ requiruntur ad pactum, seu transactionem ut sic : nempe, ut sit capacitas ex parte deferentis, ac præstantis juramentum ; simulque, ut jure non sit prohibitum super tali re transigere, seu præstare ejusmodi juramentum. Ratio est clara, quia juramentum istud speciem continet transactionis, l. II. ff. h. t. et consequenter ad illud sufficiunt ea, quæ ad transactionem.

161. *Ad juramentum litis decisorium judiciale requiritur ulterius approbatio judicis.* — Resp. III. Ad juramentum litis decisorium judiciale, seu quod pars parti defert in judicio, requiritur ulterius approbatio judicis, seu quod illud causa cognita sit a judice approbatum. Ita habetur l. *In bonæ fidei.* juncta Glossa, ℣. *Per judicem.* c. *de Rebus creditis.* et l. *Generaliter.* § *Sed juramento.* c. eod. ubi dicitur : « Sed juramento illato, cum hoc a partibus factum fuerit, et a judice approbatum. » Et sic (addit Glossa ibid. ℣. *Approbatum*) est judiciale : et ideo dicit, « approbatum, » quia quandoque non approbat ; ut si ille, cui defertur, dicat se nescire veritatem, ut l. *Jusjurandum et ad pecunias.* ff. h. t.

162. *Ad juramentum necessarium plura requiruntur ; et quæ?* — Resp. IV. Ad juramentum necessarium, seu ut istud a judice deferatur parti in supplementum probationis, plura requiruntur : copulative : nempe, ut causa sit dubia ; hoc est, quod non sit probatum plene, sed semiplene. Item legalitas personæ, ut videlicet deferatur duntaxat personæ honestæ, atque integræ fidei : haud obstante, quod in juramento voluntario, ac judiciali, de hoc non multum quæratur ; quia ibi sufficit, personam, cui defertur juramentum, ab altera parte fuisse approbatam. Requiritur insuper ad juramentum necessarium, ut deferatur duntaxat personæ habenti veram scientiam causæ per proprium sensum corporeum. Item parvitas causæ : quia non est deferendum juramentum necessarium in causis arduis, magnique præjudicii ; neque in causis criminalibus criminaliter motis, nec in causis spiritualibus. Item, ut sit petitum a parte ; nisi forsan ex officio, causa cognita, judex illud deferendum esse existimet. Verum de his plura paragrapho sequenti.

163. *Juramentum litis decisorium an possit deferri etiam per execrationem? Sic delatum nequit præstari per procuratorem.* — Utrum autem juramentum litis decisorium deferri possit aut debeat, per simplicem duntaxat Dei contestationem, vel etiam per execrationem (quod « juramentum execratorium » appellant) consulantur particulares singulorum tribunalium formulæ jurandi : nam quodlibet horum juramentum adducit Deum in testem veritatis ; et si hæc deficeret, inducit gravissimum peccatum perjurii, irrogat infamiam juris, constituitque pejerantem reum æternæ pœnæ infernalis, nisi debitam egerit pœnitentiam. Quod autem deponens juramentum execratorium, sibi ipsi, vel alteri sibi charo, expresse mali quidpiam a Deo falsitatis vindice imprecetur, auget quidem malitiam perjurii : sed si fiat in justitia, judicio et veritate, nullo jure prohibitum est ; sed est actus virtutis, religionis, atque protestatio quædam divinæ veracitatis, et justitiæ. Imo quandoque, præsertim pro rudioribus, consultum est, sub tali formula execratoria exigere juramentum litis decisorium : quia, si istud debite fiat, non solum caret omni nævo peccati, sed etiam magnam vim habet deterrendi homines a perjuriis. Unde notant doctores, quod ubi per decretum, seu statutum municipale, præscribitur forma juramenti cum imprecationibus, tale juramentum requirat personalitatem jurare debentis : et hinc ejusmodi juramentum non potest præstari per procuratorem cum speciali mandato, sed debet principalis jurare. Ita observationes forenses sac. senatus Pedemontani, observat. 62, n. 5, post Gratianum, consil. 28. n. 11. l. II ; Hieron. de Laurent. *Decis. aven.* 7. n. 3 ; Carocium in tract. *de Jurament.* decis. quæst. 9. q. 13. princ.

n. 11. et Vivianum *Commun. Opin.* lib. I. opin. 429, n. 10.

§ VI.

DE JURAMENTO NECESSARIO, SEU A JUDICE IN SUPPLEMENTUM PROBATIONIS DELATO, EJUSQUE REQUISITIS.

164. *Regula est, quod juramentum in probationis supplementum deferri possit.* — Quæritur I. An, et quando deferri, ac peti, possit juramentum necessarium, seu suppletorium? Resp. I. Regula est, quod juramentum in probationis supplementum a judice deferri possit. Ita Socinus in *Fallentiis*, reg. 204. subjungens postmodum octoginta fallentias dictæ regulæ, quæ ex dicendis melius patebunt, ne simul prolatæ lectoris confundant memoriam.

165. *Potest istud judex deferre non tantum ad petitionem partis, sed etiam ex officio.* — Resp. II. Juramentum necessarium, sive suppletorium, potest judex deferre non tantum ad petitionem partis; sed etiam ex officio suo, sive neutra parte patente, quandocumque ita expedire judicaverit. Ita Abbas cap. ult § *Sane*. n. 15. h. t.; Mascardus *de Probat.* concl. 998. n. 47; Alexander consil. 53. n. 5. lib. I, Fachineus lib. I. *Controvers. Jur.* cap. XVI; Gailus lib. I. *Pract.* observat. 108. n. 4; Pirhing h. t. n. 98 et alii; quamvis Bartolus in l. *Admonendi*. n. 60. et Baldus ibid. vol. ult. et Jason in *Repetit.* n. 316. ff. *de Jurejurand.* concludens, quod judex ex officio suo non possit deferre hoc juramentum; sed illud de necessitate debeat peti: quia (inquiunt) judex regulariter officium suum non debet impertiri, præsertim ad privatam partium utilitatem nisi fuerit imploratum, l. 4. § *Hoc autem, judicium.* ff. *de Damno infecto*: unde imputet sibi pars, quod in processu causæ post didicita testificata sibi testamentum deferri non postulaverit; nam jura vigilantibus, non dormientibus scripta sunt, l. *Pupillus*. ff. *Quæ in fraudem credit.* Verum his non obstantibus.

166. *Idque probatur, judex usque ad prolationem sententiæ debet cuncta rimari.* — Probatur conclusio ex cap. ult. § fin. h. t. ubi judicii arbitrio relinquitur, inspectis personarum, et causæ circumstantiis, juramentum istud reo, vel potius actori deferre; ergo, si ita expedire viderit, poterit illud etiam ex officio, ac nemine petente deferre. Accedit, quod judex usque ad sententiæ prolationem debeat universa rimari, can. *Judicantem*. 30. q. 5. et c. *Cum Joannes*. 10. § *Ad hoc autem de fide instrument.* Ac rei veritatem plena inquisitione discutere, l. *Judices oportet*. c. *de Judiciis*. Et quandocumque æquitas postulaverit, durante judicio partes interrogare, l. *Ubicumque* ff. *de Interrogation. in jure faciend.* Ergo etiam deferre juramentum parti, ut veritate melius probata juste judicet.

167. *Solvitur instantia.* — Nec obstat ratio oppositæ sententiæ, seu quod judex non imploratus non teneatur impendere officium suum; tum quia satis est, quod pars ab initio, vel processu imploraverit officium judicis pro administratione justitiæ, inserta libello clausula illa salutari, quæ communiter adjici consuevit: « Peto mihi jus et justitiam administrari; » prout respondet Abbas cit. n. 15. et And. Gailus lib. I. *Practic.* observat. 108, n. 6. et 7. referens, ita fuisse practicatum in camera; tum quia ex officio incumbit judici, ut si quod dubium circa deducta in judicium supersit, illud per interrogationes, et alios modos suppleri, et tolli procuret; ut jam dictum, ac notat Pirhing h. t. n. 98.

168. *Potest pars litigans petere delationem juramenti necessarii, dummodo petitio illa concipiatur impersonaliter.* — Per hoc tamen non negatur, quin etiam pars litigans possit petere delationem juramenti; dummodo petitio illa concipiatur impersonaliter, non autem concludendo, ut sibi deferatur. Et hujus limitationis ratio est: tum quia ad arbitrium judicis pertinet inspicere, utrum reo, vel actori potius illud sit deferendum, cap. ult. § *Sane*, h. t. Tum quia, si quis personaliter peteret sibi deferri juramentum, hoc ipso redderet se suspectum; prout etiam testis sponte se ingerens, sese suspectum reddit. *Quæ omnia* § *Sed et si* ff. *de Procurat.* Abbas loc. cit. n. 15. et nonnulli alii apud Mascardum d. concl. 958. n. 57. Quamvis hoc ultimum neget Fachineus cit. lib. I. *Controvers. Jur.* cap. XVI in fine. et Pirhing h. t. n. 78. eo quod lege permittente possit quis petere delationem juramenti sibi fieri pro causæ debitæ decisione. Verum prudentius agi, si juramentum petatur impersonaliter, seu conditionaliter, in quantum expediat, censet cum aliis Mascardus, ubi supra. n. 58. et 59.

169. *Et fiat ante conclusionem in causa. Judex tamen potest in juramentum necessarium deferre usque ad probationem sententiæ, quando*

ita expedire judicaverit. — Resp. III. Etsi pars litigans, si petere voluerit delationem juramenti, eam petere possit usque ad conclusionem in causa et non amplius postea : nihilominus judex ex officio potest juramentum necessarium deferre, quando ita expedire judicaverit, etiam postquam a partibus conclusum fuit in causa, et usque ad prolationem sententiæ. Ita Jason in *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 318, ff. *de Jurejurand.*; Gailus lib. I. *Pratic.* observat. 108, n. 1 et 4; Mascardus cit. concl. 958, n. 50 et 55; Pirhing h. t. n. 99. cum communi. Ratio prioris partis est, quia per conclusionem in causa renuntiatur ulterioribus probationibus, et partibus os clauditur; ergo post dictam conclusionem nequit amplius pars petere delationem juramenti, cum hoc sit species quædam probationis : nisi forsan hujusmodi juramentum suppletorium jam antea fuisset petitum. Altera vero pars ex eo liquet : quia quoad judicem nunquam censetur conclusum in causa, quin possit ex officio novas probationes admittere, vel eas partibus injungere, c. *Cum Joannes.* 10. § *Ad hoc autem de fide instrument.* estque uberius dictum tit. XIX. *De Probationibus.* § 6, n. 159, 161 et seqq. et 170. ubi ex professo agitur de conclusione in causa, et novis probationibus post eam regulariter non admittendis.

170. *Sed parte adversa præsente, seu citata et causa cognita.* — Solum his addendum est, quod inter alia requisita delationis juramenti necessarii in supplementum, etiam unum sit, ut illud a judice deferatur parte adversa præsente, vel saltem citata, et interesse nolente; simulque causa cognita. Alexander consil. 122. n. 13. lib. II; Maranta, part. VI. *Speculi aurei.* actu 9. n. 11; Mascardus, cit. concl. 958, n. 60, allegans plures alios : et concordant dicta superius tit. XX. *de Testibus* § 13. n. 418 et seqq. ubi hoc ipsum de productione, ac receptione testium dictum fuit. Accedit textus in l. *In bonæ fidei.* c. *de Rebus credit.* ibi. « Inopia probationum, per judicem jurejurando causa cognita res decidi oportet ; » junctis dictis supra n. 162.

171 et 172. *Ad delationem juramenti necessarii requiritur, quod deficiant aliæ legitimæ probationes.* — Quæritur II. Utrum, et qualiter ad delationem juramenti necessarii requiratur, quod præcesserit semiplena probatio? Resp. I. Ad hoc, ut juramento necessario, ejusque delationi in supplementum locus sit, requiritur comprimis, quod deficiant aliæ legitimæ probationes, simulque negotium saltem semiplene sit probatum. Ita Glossa c. *Ex insignificatione,* vers. *Clerici de Procurat.*; Joan. Andreas in c. *Sicut.* n. 2. et 3. et Hostiensis ibid. n. 2. et Fagnanus n. 3. *de Probation.*; Socinus loc. cit. *Fallent.* 54. et seqq.; Jason l. *Admonendi.* n. 75. et in *Repetit.* ibid. n. 34. ff. *de Jurejur.*; Menochius, lib. I. *de Arbitrar. judic. cas.* 190. n. 2. Barbosa, *Collectan.* ad d. c. *Sicut.* n. 4. et seqq. *de Probation.*; Mascardus *de Probat.* concl. 938. n. 3. et seqq. cum communi.

Prior pars patet ex c. *Sicut.* h. t. ubi decisum reperitur, quod « tunc demum ad hujusmodi (juramenti) sit suffragium recurrendum, cum aliæ legitimæ probationes deesse noscuntur : » estque proxime dictum n. 109. et 110. Accedit ratio : quia probatio illa, quæ habetur ex juramento, est probatio privilegiata ; hoc est, in defectu aliarum probationum facta ex testimonio suo in propria causa, contra regulas communes, « Ne quis in propria causa » etc., juxta dicta n. 151. ergo hoc ipso, quamdiu possunt haberi aliæ legitimæ probationes, locum non est huic juramento, utpote deferendo duntaxat in supplementum, seu defectum aliarum probationum. Concordat textus in l. *In bonæ fidei.* c. *de Rebus creditis* : ubi dicitur, « quod inopia probationum (emergente. ut explicat Glossa) per judicem jurejurando causa cognita res decidi oportet. »

173. *Ac præcesserit semiplena probatio.* — Altera vero pars, requirens ad delationem juramenti suppletorii, quod negotium saltem semiplene sit probatum, communiter post Glossam cit. l. *In bonæ fidei.* vers. *Decidi.* c. *de Rebus credit.* suadetur ex eo. Quia si actor nihil probavit, absolvendus est reus, etiamsi is nihil præstiterit, l. *Qui accusare.* c. *de Edendo.* et c. *Cum Ecclesia* fin. *de Causa possess.* unde nec opus est, quod tunc reus juret. Si autem actor plene probavit, reus est condamnandus, cit. c. *Sicut.* n. 2. et c. *In præsentia.* 8. *de Probation.* ac proinde etiam in hoc casu non est locus juramento suppletorio. Remanet proinde, quod tunc possit deferri juramentum necessarium, sive in supplementum, quando præcessit semiplena probatio, v. g. per unum testem omni exceptione majorem; simulque aliæ legitimæ probationes haberi non possint. Prout est casus in c. *Ex insinuatione* 3. *de Procuratorib.* ubi archidiacono, qui duobus clericis præsentibus procuratorem suum sese revo-

casse dixerat, istud tamen, cum alter de prædictis clericis jam obiisset, plene probare non poterat, defertur juramentum in supplementum; adeo, ut pontifex mandaverit, standum esse juramento ipsius archidiaconi, et superstitis clerici. Idem ergo dicendum in aliis hujusmodi casibus.

174. *Ob solam præsumptionem levem non potest illud actori deferri.* — Resp. I. Ob solam præsumptionem levem, seu quæ prudenti arbitrio judicis est minor semiplena probatione numquam potest actori deferri juramentum istud in supplementum. Ita Glossa in l. 3. vers. *Si levior. ff. de Minorib.* Abbas cap. ult. § *Sane.* n. 8. h. t. quamvis addat conformiter illi textui, quod tunc, si videbitur judici, possit reo deferri juramentum ad purgandam illam præsumptionem. Socinus *de Fallentiis* reg. 204, fallent. 70; Jason in *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 75, ff. h. t. et alii. Ratio est : quia istud juramentum supplet, et facit perfectam seu plenam probationem; ergo oportet, quod præcesserit semiplena.

175. *Secus, quando ipsa facit semiplenam probationem.* — Nec obstat Glossa c. *Tam litteris.* v. *Probata de Testib.* Bartolus in l. *Admonendi.* § 5. *Post dubitationem autem ff. de Jurejurand.* Alexander consil. 58. n. 6. vol. I. Baldus post Jo. Aretin. in l. *Si fundum.* ad fin. c. *de Rei vindicat.* qui volunt, quod si actor habeat pro se præsumptiones, vel conjecturas, juramentum istud sit deferendum in supplementum. Resp. enim, Glossam præallegatam loqui in casu, quo « Actor habet bonam præsumptionem pro se » hoc est, non levem duntaxat, sed talem, quæ faciat semiplenam probationem, ex variis indiciis arbitrio judicis desumptam habito respectu ad qualitatem personæ, et causæ, » cap. ult. *de Jurejurand.;* Bartolus etiam loc. cit. § *Videnda sunt ergo exempla,* etc. clare se declarat, quod antea locutus fuerit de conjecturis semiplenam probationem facientibus, quarum postea adducit exempla. Atque eodem modo intelligendi sunt cæteri auctores, vel certe relinquendi, retenta communi aliorum sententia, quod propter levem præsumptionem nunquam a judice sit deferendum juramentum in supplementum probationis : possit tamen istud in causis civilibus deferri propter bonam, seu vehementem præsumptionem; hoc est, propter tales conjecturas atque indicia, quæ faciunt semiplenam probationem.

176. *Præsumptio quando faciat semiplenam probationem judicis arbitrio relinquitur.* — Verumtamen quando indicia, seu conjecturæ, atque ipsa præsumptio sit tam vehemens, ut semiplenam probationem faciat, judicis arbitrio relinquendum erit. Jason cit. n. 75; Menochius d. lib. II. cas. 190. n. 3. et concordant dicta superius tit. præced. § 1. n. 17. et alibi, prout ibidem notatur.

177. *Probatio per unum testem omni exceptione majorem, potest suppleri præstatione juramenti necessarii : secus, quando is non est major omni exceptione.* — Resp. III. Quamvis probatio facta per unum testem de visu deponentem, atque omni exceptione majorem, possit suppleri per præstationem juramenti necessarii, seu in defectum aliarum probationum a judice delati : secus tamen dicendum, quando testis ille non est major omni exceptione : ut puta, quia est consanguineus, aut multum amicus parti, vel malæ conversationis, infamis, aut alias suspectus. Ita Abbas cap. ult. § *Sane.* n. 12. h. t.; Bartolus l. *Admonendi.* circa fin. ff. h. t., Socinus, cit. reg. 204. fallent. 54; Mascardus concl. 958, n. 9 et 10 cum aliis. Et quidem prima pars patet ex c. *Ex insinuatione.* 3. *de Procuratorib.* et aliis hactenus dictis. Altera vero pars suadetur ex eo; quia testis ille consanguineus parti, vel infamis, aut hujusmodi, non est testis omni exceptione major sicque hoc ipso non facit semiplenam probationem; ergo nec defertur juramentum in supplementum ratione sui testimonii, cum exinde non possit consurgere plena probatio sicque juramentum illud non nisi frustra deferretur.

178. *Non defertur juramentum necessarium, quando contra semiplenam probationem urget probatio contraria; per quam debilitatur.* — Resp. IV. Insuper non defertur juramentum suppletorium, ubi contra semiplenam probationem urget econverso aliqua probatio, vel præsumptio contraria : quia tunc probatio illa cæteroquin semiplena extenuaretur, atque enervaretur, sicque non remaneret talis; ac proinde foret insufficiens pro delatione hujus juramenti. Ita Glossa in l. I. vers. *Non sit.* c. *Qui et adversus quos,* etc. Jason in *Repertit.* l. *Admonendi.* n. 24. ff. h. t.; Socinus cit. reg. 204. fallent. 61; Mascardus, ubi supra, n. 23. post Rotam decis. 19. *de Dolo et contumac.* in nov. et plurimos alios.

179. *Secus, si non debilitetur. Hinc defertur illud ex depositione testis reddentis rationem dicti sui, etiamsi habeat contra se alium testem non reddentem rationem.* — Secus dicendum,

ubi semiplena illa probatio non debilitaretur. Hinc defertur juramentum in supplementum ex depositione unius testis omni exceptione majoris, ac reddentis rationem dicti sui, etiamsi habeat contra se alium testem non reddentem rationem : quia talis nihil probat, sicque per eum non debilitatur. depositio alterius testis cum ratione. Farinacius *de Testibus,* quæst. 70. n. 20; Felinus c. *Cum causam.* n. 4. vers. *Fallit quarto. de Testib.* post. Baldum l. *De quibus. de Legib.*

180. *Ut juramentum necessarium cuipiam deferatur, requiritur legalitas personæ.* — Quæritur III. Quid sentiendum sit de legalitate personæ, ad delationem juramenti necessarii requisita? Resp. I. Ad hoc, ut cuipiam deferatur a judice juramentum necessarium, sive in supplementum probationum, requiritur etiam legalitas personæ : hoc est, quod persona illa, cui deferendum est juramentum, sit honesta, et fide digna : non autem sit vilis, infamis, seu talis, quæ secundum leges a ferendo testimonio repellitur. Ita Abbas cap. ult. § *Sane.* n. 9. h. t.; Bartolus in l. *Admonendi.* n. 58; et Jason ibid. n. 113. ff. *de Jurejurand.;* Socinus cit. reg. 204., fallent. 43. et seqq.; Maranta part. VI. *Speculi aurei,* actu. 9. *seu de Juramento.* n. 5. et 6; Fagnanus c. *Sicut.* n. 6. *de Probat.;* Menochius, lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 190. n. 11; Mascardus *de Probat.* concl. 958. n. 66. et seqq. allegans alios. Ratio est, quia juramentum necessarium, seu delatum a judice in supplementum succedit loco testis, ut loquitur Jason cit. n. 113. post Cynum l. *In bonæ fidei.* in quæst. 7. c. *de Rebus creditis,* Bartolum, Baldum, et alios; ergo, qui secundum leges repelluntur a ferendo testimonio in judicio, multo fortius repelluntur ab isto juramento, utpote quo tota lis decidenda foret.

181. *Unde non defertur infami, usurario, perjuro, etc.* — Unde juramentum in supplementum non defertur infami infamia juris, vel facti, usurario, Judæo, nec ei, qui semel pejeravit, nec inimico gravi inimicitia, nec concubinario; nec pauperi suspecto de perjurio, nec ulli alteri, qui ratione maculæ, seu vitii, aut defectus repellitur a testificando : de quibus fuse dictum est supra tit. XX. *de Testibus.* § 2. et seqq. ac notant doctores proxime relati, et alii.

182 et 183. *Bene tamen mulieri, et consanguineis amicis.* — Secus dicendum de illis, qui repelluntur a testimonio ratione sexus : ut mulieres, quæ licet non admittantur ad testimonium in testamentis, causisque feudalibus, juxta dicta cit. tit. XX. n. 88, 89, et 90. potest nihilominus etiam mulieribus hoc juramentum deferri, ut notat Mascardus cit. concl. 958, n. 69. et n. 34, allegans Rotam apud Puteum decis. 430, lib. II. et Jason in *Repetit.* l. *Admonendi,* n. 298. et 299. ff. h. t.

Idem dicendum de illis, qui repelluntur a testimonio in judiciis ratione solius reverentiæ, seu consanguinitatis, affectionis, aut commodi : quia enim probatio, quæ per juramentum suppletorium quandoque conceditur, est irregularis, et privilegiata; eo quod singulari quodam jure admittatur contra regulas communes. « Ne quis sit testis in propria causa, » etc. dum vi hujus juramenti potest reddi testimonium in causa propria : non est quærendum de consanguinitate, amicitia vel commodo ejus, qui istud juramentum est præstiturus, dummodo cæteroquin sit persona honesta, fideque digna, neque aliud quid obstet. Mascardus loc. cit. n. 70. post Joan. Bapt. Caccialupum in l. *Admonendi.* n. 52. ff. h. t.

184. *Ut juramentum suppletorium cuipiam deferatur, necesse etiam est, ut sciat veritatem rei per sensum corporeum.* — Resp. II. Ut juramentum suppletorium cuipiam per judicem deferatur, necesse etiam est, ut is verisimiliter existimetur nosse veritatem rei per veram scientiam, seu proprium sensum corporeum. Ita Glossa l. *In bonæ fidei.* v. *Decidi.* ff. *de Rebus credit.* istud probans ex l. *Jusjurandum et ad pecunias.* ff. *de Jurejurand.* et l. *Marcellus.* § *Qui rerum.* ff. *de Action. rerum amotar.*, Bartolus in l. *Admonendi.* n. 57; et Jason in *Repetit.* ibid. n. 312, ff. h. t.; Mascardus d. concl. 958, n. 61, et seqq.; Maranta cit. part. VI. *Speculi aurei.* actu. 9. n. 5. et alii. Ratio est, quia hoc ipsum exigit legalitas personæ in jurante requisita; nam apertum foret periculum perjurii, si quis cogeretur juramentum de veritate, quale est juramentum suppletorium, deponere quoad illam rem, cujus veram notitiam per sensum corporeum non habet. Accedit, quod juramentum istud æquiparetur testi, utpote cum quo constituit plenam probationem, seu sufficientem ad decisionem causarum : atqui testis non probat, nisi deponat de veritate per proprium sensum corporeum, can. *Testes.* 3. q. 9. et l. *Testium.* c. *de Testib.* ergo nec jurans, nisi deponat de proprio sensu.

185. *Hinc illud non defertur hæredi super facto defuncti. Nisi verisimiliter præsumatur*

scire factum defuncti per proprium sensum; ut filius. — Et hinc fit, quod juramentum in supplementum non deferatur hæredi super facto defuncti : quia videlicet istud verisimiliter ignorare præsumitur, sicque subintrat periculum perjurii. Patet hoc ex cit. l. *Marcellus.* § *Qui rerum.* ff. *de Action. rer. amotar.* ubi sic habetur : « Pater autem amoventis jurare non cogitur; cum iniquum sit, de alieno facto alium jurare. Is ergo cogitur jurare, qui amovisse dicitur : et idcirco nec hæres ejus, qui quæve amovisse dicitur, jurare cogitur. » Hæc ibi. Adeo, ut non sufficiat, habere notitiam aliunde, puta per famam, vel confessionem extrajudicialem adversarii : quia, ut cuipiam istud juramentum deferatur, necesse est, quod præsens interfuerit facto; sciatque veritatem per proprium sensum, arg. l. *Generaliter.* § 1. juncta Glossa vers. *A principali.* et Baldo ibid. c. *de Rebus creditis.* ac notat Alexander consil. 73. n. 13. lib. III; Jason cit. n. 312; Mascardus d. concl. 958; n. 63. et 64. ubi istud procedere inquit in hærede extraneo : secus in filio, vel alio conjuncto hærede, qui verisimiliter præsumitur scire factum defuncti per proprium sensum, sicque ipsi posset deferri juramentum in supplementum.

186. *Ad delationem juramenti necessarii etiam requiritur parvitas materiæ. Istud non deferendum in causis arduis, magnique præjudicii, sed duntaxat in modicis; et cur?* — Quæritur IV. An ad delationem juramenti necessarii etiam requiratur parvitas causæ? Resp. I. Juramentum istud non est deferendum parti a judice in causis arduis, magnique præjudicii, sed duntaxat in parvis, sive modicis. Ita Glossa in cap. ult. vers. *In probatione.* et canonistæ ibid. h. t. et alia Glossa in l. *Admonendi.* ℣. *Exacto.* et Bartolus ibid. § *Viso ergo quando.* Et Jason n. 272. ff. *de Jurejur.* Alexander consil. 180. n. 7. lib. VI. Maranta cit. actu 9. n. 7; Menochius lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 190, n. 18; Mascardus cit. concl. 958. n. 30; Barbosa c. *Sicut.* n. 44. et seqq. *de Probat.* et alii. Ratio est, quia in modicis non est præsumptio, quod pro tanto quis velit delinquere, aut pejerare, c. *Etsi quæstiones.* 18. § fin. *de Simonia,* juncta Glossa ibid. v. *Modici pretii*, et alia Glossa in c. *Statutum.* § *Insuper.* ℣. *Consumi de Election.* in 6. sicque tunc defertur juramentum istud. Secus dicendum in causis arduis, magnique momenti, utpote in quibus ob avaritiam hominum majus urget periculum perjurii, gravisque præjudicii proximo injuste inferendi. Accedit, quod in causis criminalibus criminaliter motis (quibus æquiparantur causæ civiles arduæ, magnique præjudicii, juxta dicta tit. XX. *de Testibus.* § 3. n. 81.) ad reum condemnandum requirantur probationes apertissimæ, ac luce meridiana clariores, l. *Sciant. cuncti.* c. *de Probat.* cum similibus : atqui talis probatio luce meridiana clarior, non est juramentum suppletorium; cum non reddat rem penitus indubitatam, imo nec sit legitima aliqua probatio, juxta dicenda, n. 211.

187. *Quæ causæ censeantur modicæ, et quæ magnæ seu arduæ?* — Cæterum causa ardua, magnique præjudicii, merito censetur ea, quæ est unius hæreditatis, vel omnium bonorum, aut majoris partis horum, arg. l. *Propter litem.* § 1. ff. *de Excusat. tutor.* estque jam dictum supra tit. XX. *de Testibus.* § 3. n. 81. Alioquin vero, quænam causa censeatur modica, et quæ magna, id inspecta qualitate causæ, atque personarum, judicis arbitrio relinquitur decidendum : nam v. g. causa ducentorum florenorum inter duos reges censeretur modica, et parva, sed inter duos cives reputaretur magna. Bartolus in l. *Admonendi.* § *Sed est advertendum.* et Jason in *Repetit.* ibid., n. 272, ff. h. t.; Menochius cit. cas. 190. n. 17; Mascardus d. concl. 959. n. 13; Pirhing h. t., n. 96. et alii. Insuper inter causas arduas recensentur causæ criminales, et causæ spirituales, puta, matrimoniales, beneficiales, et nonnullæ aliæ, de quibus infra n. 216. 217. et seqq.

188. *Limitatur illud, quando fuit plus quam semiplene probatum, quia tunc juramentum in supplementum defertur etiam in causis arduis.* — Resp. II. Patitur nihilominus data conclusio limitationem, quando fuit plus quam semiplene probatum, quia tunc juramentum in supplementum defertur etiam in causis arduis, magnæque quantitatis, dummodo persona sit honesta, arg. l. ult. ff. *De eo, quod metus causa,* etc. Ita Glossa fin. c. *Viduas. de Regularib.;* Mascardus d. concl. 958. n. 33, Jason in *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 281. ff. *de Jurejurand.* istud intelligens, quando ultra semiplenam probationem aliquid esset adductum, vel adesset aliqua alia præsumptio, aut produxisset quis duos testes, quorum unus non esset integer : quo casu saltem haberetur plus quam semiplena probatio; ac proinde, si persona cæteroquin sit honesta, potest ei judex etiam in causa ar-

dua, seu gravi, deficientibus aliis probationibus deferre juramentum necessarium, per textum cap. ult. § *Sane*. h. t. Id ipsum tradunt Joan. Gutierrez tract. *de Matrimonio*, cap. XXXVIII. n. 4; Alexander consil. 76, n. 6, lib. VI; Barbosa cit. c. *Sicut*. n. 45. *de Probat.*; Pirhing h. t. n. 96; Gailus lib. I. *Practic*. observat. 108. n. 11; Franciscus Herculanus, tom. IV. *Tractatuum*, tract. *de Negativa probanda*. n. 255. pluresque alii ab his allegati.

189. *Et quid in causis criminalibus?* — Addit idem Herculanus cit. n. 235. et Mascardus, ubi supra, n. 34. etiam in causis criminalibus deferri hoc juramentum, quando est plus, quam semiplene probatum. Quamvis istud in praxi non facile se admissurum, si agatur de pœna corporali etiam levi imponenda, sed solum ubi reo deberet imponi pœna pecuniaria, fateatur Jul. Clarus in *Pract. crimin.* § fin. quæst. 63. n. 2. et 3. Concordant dicenda inferius. n. 212. et seqq. ubi plura de hoc.

190. *Limitatur etiam, quando non agitur ad totam intentionem actori fundandum, sed solum ad declarandum obscuritatem.* — Limitatur ulterius dicta conclusio, quando non agitur ad totam intentionem actoris fundandam, sed solum ad declarandam obscuritatem fundamenti adjuvantis dictam intentionem: quia tunc juramentum in supplementum defertur etiam in causa magna. Card. Tuschus litt. I. concl. 540. n. 82. citans Baldum consil. 297, n. 3, lib. III. et Barbosa, ubi supra, n. 45.

191. *Cuinam parti judex deferre debeat juramentum necessarium? Cæteris paribus illud reo potius est deferendum.* — Quæritur V. Cuinam parti judex deferre debeat juramentum necessarium, num actori in supplementum suæ probationis, vel potius reo ad purgationem sui, seu ad ostendendam suam innocentiam? Resp. I. Cæteris paribus, reo potius deferendum est istud juramentum, non actori. Ita Glossa in l. *Admonendi*. ✝. *Exacto jurejurando*. ff. h. t. enumerans plures casus, in quibus actori defertur juramentum; et subjungens, quod ubi reus ita est honestus ut actor, et summa non est modica, deferatur reo juramentum. Speculator tit. *de Juramenti delatione*, n. 9. referens nonnullas alias doctorum sententias, sed hanc appellans veriorem. Abbas cap. ult. § *Sane*. n. 9. h. t. et Barbosa in *Collectan*. ibid. n. 6; aliique canonistæ passim; Mascardus *de Probat.* quæst. procem. 9. n. 53; Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II, cas. 190, n. 19, asserens, istud levem habere dubitationem.

192. *Idque probatur.* — Conclusio hæc clare desumitur ex cit. cap. ultim. § *Sane*. h. t. ubi dicitur : « Sane si actor omnino in probatione defecerit, reus debet, etsi nihil præstiterit, obtinere. Præsumptione vero faciente pro illo (videlicet pro actore, ut explicat Glossa) reo deferri potest ad ostendendam suam innocentiam juramentum : nisi judex (inspectis personarum, et causæ circumstantiis) illud actori videat deferendum. » Hisce enim verbis regula statuitur pro reo, quæ tamen limitatur, quando judici inspectis personarum et causæ circumstantiis, aliud videtur faciendum. Atqui talis limitatio nequit subsistere, ubi cætera supponuntur esse paria : puta, quia actor semiplene probavit suam intentionem, et reus suam defensionem, estque æqualis conditio, atque legalitas utriusque; ergo. Accedit ratio : quia, ut habet reg. 11. juris in 6. « Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori : » ac proinde illi deferendum est juramentum suppletorium, ad ostendendam suam innocentiam. « Nam favorabiliores rei potius, quam actores habentur, » ut dicitur l. *Favorabiliores*. ff. *de Reg. jur.*

193. *Solvuntur contraria.* — Dices. In relato cap. ult. § *Sane*. h. t. solum dicitur : « Reo deferri potest ad ostendendam suam innocentiam juramentum, » etc.; ergo si tantum potest, necessario debet istud regulariter deferri reo. Confirmatur hoc ipsum ex cap. ult. *de Testib.* in 6. nam ibi loquendo de delatione juramenti necessarii, solius actoris fit mentio, illis verbis: « Neque indistincte ipsi appellanti deferatur juramentum; sed tunc, cum inspectis personarum, et ipsius causæ circumstantiis id fuerit faciendum. » Resp. neg. consequent. Quia in priori textu, ut notat Abbas ibid. n. 3. ideo ponitur ly « Potest, » eo quod judex non semper teneatur de necessitate deferre juramentum, etiam præsumptione faciente pro actore; sed ipse habeat istud arbitrari, consideratis personarum et causæ circumstantiis. Ad cap. ult. *de Testib.* in 6. dicitur, ibidem solum corrigi judicem, qui indistincte juramentum detulit appellanti, seu actori : et sic in effectu providetur ibi, prout habetur cap. ultim. h. t. videlicet juramentum necessarium non esse deferendum actori, nisi spectatis personarum, et causæ circumstantiis, ita judici

videatur expedire. Abbas loc. cit. n. 9. circa fin.

194. ***Juramentum tunc non defertur reo ad complendam suam probationem, sed ad purgandam præsumptionem contra ipsum.*** — Urgebis. Si actore duntaxat semiplene probante, reus habet econtra semiplenam probationem pro sua defensione atque innocentia, tunc pro hanc eliditur semiplena probatio actoris; ergo frustra reo defertur juramentum in supplementum, cum cæteroquin actore non probante reus sit absolvendus. Resp. neg. consequent. Quia, ut notat Abbas cit. cap. ult. § *Sane*. n. 9. h. t. tale juramentum tunc non defertur reo ad complendam suam probationem, sed ad purgandam præsumptionem illam, quæ ex contraria actoris probatione contra ipsum consurgebat : sive « ad ostendendam suam innocentiam, » ut loquitur textus ibid. Accedit, quod quidem actori non possit deferri juramentum istud, nisi habeat pro se ad minus semiplenam probationem, juxta dicta n. 171 et 173. bene tamen reo : quia, ut illud reo deferatur, sufficit qualiscumque urgens probatio; puta, habita per unum bonum testem, licet non sit omni exceptione major, sicque non faciat semiplenam probationem. Siquidem, ut proxime dictum, juramentum ejusmodi non defertur reo ad complendam, suam probationem, sed ne remaneat suspicio contra eum, ut inquit Abbas loc. cit.

195. ***Si actor semiplene probaverit, reus autem nihil præstiterit, sintque ambo æque legales, tunc juramentum est actori deferendum.*** — Quod si vero actor et reus sint æque legales, atque vitæ honestæ, actor vero sesemiplene probaverit suam intentionem, v. g. per unum testem omni exceptione majorem, reus autem nihil præstiterit sed solum negaverit, tunc crebrior, veriorque est doctorum sententia, quo pensatis omnibus circumstantiis causæ, et personarum, atque repertis, ut supra, juxta prudens arbitrium judicis, actori deferendum sit juramentum memoratum; prout relatis, atque rejectis aliorum sententiis, tenet Jason cit. *Repertit*. l. *Admonenti*. n. 314. ff. h. t.; Menochius d. lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 190, n. 19 et 20; Pirhing h. t. n. 80; Fachineus lib. I. *Controvers. jur.* cap. XVIII, asserens, ita semper se servasse, atque ab aliis servatum vidisse. Id ipsum suadetur ratione : quia ex semiplena probatione actoris facile judex inducitur ad opinandum, meliorem esse causam ipsius, quam rei, quem videt nihil prorsus præstitisse, sed duntaxat actoris intentionem negasse : unde cum reum absolvere non possit, nec debeat, cum sit plene convictus; neque ipsum simpliciter condemnare valeat, quin actoris intentio plene probata non est : merito quidem ex probationis inopia causam jurejurando decidet, l. *In bonæ fidei*. c. *de Rebus credit.* Reo tamen juramentum non deferet, cum jam suspicetur ipsemet judex, ac pene certus sit, eum mentiri, ac ex parte ipsius periculum subesse perjurii, actorem verum econtra dicere. Accedit, quod tunc nulla subsit ratio, ut potius reo juranti in propria causa credatur, quam actori qui jam de suo jure aliqua ex parte docuit; ergo æquitas naturalis suadet, ut deferatur juramentum actori, pro quo stat major præsumptio. Atque ad hunc casum inter alios excludendum notanter in data n. 191. conclusione additum fuit ly, « Cæteris paribus. »

196. ***Delationi juramenti necessarii quando sit locus?*** — Instabis contra eamdem conclusionem. Non videtur, quod unquam possit esse locus delationi juramenti necessarii; ergo adhuc data conclusio subsistit. Antecedens probatur. Vel enim actor plene probat, et reus debet condemnari. c. *Sicut de Probat.* cum concordantiis : vel non plene probat, et reus debet absolvi, etiamsi nihil præstiterit, cap. ult. h. t. ergo nunquam erit locus huic juramento. Resp. negando antecedens, cum consequentia suæ probationis : hæc enim fit a partibus non sufficienter enumeratis, et debet addi tertium membrum; scilicet, « Aut actor aliquid probat, ita ut fiat præsumptio pro eo. » Atque in hoc ultimo casu est locus delationi juramenti quod quidem ordinarie, et cæteris paribus, dicitur esse deferendum reo ad ostendendam suam innocentiam; nisi aliud pensatis personarum, vel causæ circumstantiis judici videatur. Abbas ibid. n. 5. et 9. Quod ut melius intelligatur :

197. ***Si non omnia sunt paria ex parte actoris et rei, judicis arbitrio relinquitur, cuinam parti juramentum deferre debeat.*** — Resp. II. Quando non omnia sunt paria ex parte actoris et rei, tunc judex prudenter spectatis circumstantiis arbitrari debebit cuinam parti juramentum deferre debeat. Textus est in cap. ult. l. *Sane*. h. t. cujus verba n. 192. jam sunt relata : ubi Glossa vers. *In probatione*, Abbas n. 9; Jo. Andreas n. 6. aliique passim.

198. ***In præeligendo, cui parti judex deferat***

juramentum, quatuor sunt consideranda. — Porro in præeligendo, cui parti judex deferat juramentum, quatuor sunt consideranda, videlicet, conditio personæ, natura causarum quantitas rerum, et qualitas factorum. Abbas cit. cap. ult. § *Sane*. n. 9. h. t. juncto textu ibid. dum inquit : « Nisi judex inspectis personarum, et causæ circumstantiis, illud auctori videat deferendum. » Nam ad circumstantias personarum et causarum, enumerata quatuor capita commode reducuntur : Idque declaratur inductione. Et quidem :

199, 200, 201 et 202. *Conditio personarum, natura causarum, quantitas rerum et qualitas factorum : et quomodo?* — Imprimis « conditio personarum » attenditur penes earum legalitatem : ut videlicet juramentum necessarium non deferatur personæ infami, vili, aut alias suspectæ de perjurio, sed duntaxat personæ legali, seu honestæ, ac fide dignæ. Unde quando reus est persona vilis, infamis, seu alias de perjurio suspecta, actor vero est multum legalis ac honestus, potius huic, semiplene probanti, deferendum est juramentum in supplementum, quam reo. Glossa in l. *Admonendi*. vers. *Exacto juramentum*. et Bartolus ibid. circa fin. § *Hoc præmssio*. h. t.; Abbas cap. ult. § *Sane*. n. 9. eod. et alii. Ratio est, quia juramentum istud defertur in defectum probationis ad eam supplendam, ubi deficit, l. *In bonæ fidei*. c. *de Rebus creditis*; et consequenter, ubi per juramentum non potest compleri probatio, illud frustra deferretur : atque si actor semiplene probavit, estque persona legalis, non vero reus, juramentum potest complere probationem duntaxat ex parte actoris, non vero ex parte rei ; ergo tunc est deferendum actori. Minor probatur : quia, ut supponitur, reus non est persona legalis : atqui talis persona non potest complere probationem, cum non probet, uti patet in teste extraneo talis conditionis, cujus testimonium non facit semiplenam probationem. Secus foret dicendum quando reus est persona legalis, non vero actor : quia tunc ob eamdem rationem juramentum deferretur reo potius, quam actori.

Deinde « natura causarum » attenditur penes hoc, an causa sit civilis, vel criminalis exigens probationes apertissimas, et luce clariores. In his quippe non defertur actori juramentum in supplementum licet semiplene probaverit : quamvis interdum possit juramentum deferri reo ad ostendendam suam innocentiam, et purgandam sinistram suspicionem, quæ contra ipsum ex semiplena actoris probatione consurgebat, juxta dicenda inferius § seqq. n. 215.

Tertio « quantitas rerum » prudenti judicis arbitrio venit consideranda in causis civilibus. Nam ubi agitur de causa magna atque ardua, seu res, quæ petitur in judicio, est magni valoris, gravisque præjudicii, pariter requiruntur probationes clariores et apertæ : sicque non potest actori semiplene non probanti juramentum deferri in supplementum, conformiter dictis supra n. 187. sed reus est absolvendus, nisi judex expedire judicaverit huic deferre juramentum ad ostendendam suam innocentiam sive quod actori nihil debeat, cap. ult. § *Sane*. h. t. Secus dicendum in causis modicis, præsertim si actor, qui semiplene probavit, ac præsens negotio interfuit, sit honestus, et multum legalis, arg. l. *Legitimos*. § 1. ff. *de Legitim. tutor*. ac notat Glossa in l. *Admonendi*. vers. *Exacto*. ff. h. t. juncto c. *Ex insinuatione*. 3. *de Procuratorib.*

Tandem « qualitas factorum » debet attendi penès hoc, ut magis scienti, seu veritatem rei per proprium sensum cognoscenti, deferatur ejusmodi juramentum, non vero ignoranti Glossa marginalis c. *Tum litteris*. vers. *Probata de Testib*. junctis dictis supra, § præced. n. 184 et 185. Unde si actor cuipiam facto præsens interfuit, ipsi potius semiplene probandi juramentum suppletorium est deferendum ; non vero reo, qui est hæres alicujus defuncti et solum negat : præsumitur enim ignorare factum alienum, l. *Marcellus*, ff. *Rerum amotarum*. et l. *Quamquam*. ff. Ad S. C. Velleian. cum similibus.

203. *Ut juramentum in supplementum possit actori deferri, decem copulative requiruntur ; et quæ?* — Resp. III. Ut juramentum in supplementum possit deferri actori, decem copulative requiruntur. Ita Jason in l. *Admonendi*. n. 24. post Paulum de Castro ibid. ff. h. t. et concordant tum hactenus dicta, tum proxime dicenda : atque illa sunt sequentia : — I. Quod causa sit civilis, non criminalis, vel spiritualis. — II. Quod causa non sit famosa, conformiter dicendis § seqq. n. 212 et 217. — III. Quod summa sit parva. — IV. Quod actor bene sciat rerum veritatem, et per sensum corporeum. — V. Quod sit legalis, et fide dignus. — VI. Quod semiplene probaverit intentionem suam. — VII. Quod illa semiplena non sit elisa per aliquam præsumptionem, vel suspicionem contrariam. — VIII. Quod non sit conclusum

in causa. — IX. Quod petatur a parte; nisi judex ex officio censuerit illud esse deferendum. — X. Quod deferatur causa cognita simulque alia parte præsente, vel ad hoc legitime citata. Atque de hisce postremis requisitis jam hactenus dictum est a n. 165 et deinceps.

§ VII.

RESOLVUNTUR ALIA DUBIA JURAMENTUM LITIS DECISORIUM CONCERNENTIA.

204. *In quibus causis possit vel non possit deferri juramentum litis decisorium? Juramentum voluntarium, atque judiciale potest deferri, quacumque actione quis conveniatur, ac præstitum proficit juranti.* — Quæritur I. In quibus causis possit, vel non possit deferri juramentum litis decisorium? Resp. I. Loquendo de juramento voluntario, atque judiciali, potest illud deferri, quacumque actione quis conveniatur : et si aliquis delato sibi ab adversario juramento « juraverit, proficiet ei jusjurandum, sive in personam, sive in rem, sive in factum, sive pœnali actione, vel qualis alia agatur, sive de interdicto. » Ita textus expressus in l. *Ait prætor.* 3. § 1. ff. *de Jurejurand.* Et ratio est, quia « jusjurandum » tum voluntarium, seu conventionale, tum judiciale, sive a parte parti delatum in judicio, « speciem continet transactionis : majoremque habet auctoritatem quam re judicata, prout habetur l. 2. ff. eod. Unde merito standum est tali juramento, illudque judex tuetur.

205. *Dummodo ab adversario sibi fuerit delatum; alias secus. Sponte adjurandum sese offerens, reddit se suspectum.* — Additur notanter in data conclusione, « delato sibi ab adversario juramento. » Nam, si reus juraverit nemine ei jusjurandum deferente, tale juramentum judex non tuebitur: alioquin facillime quisque ad jusjurandam decurrens, nemine illud sibi deferente, oneribus actionum se liberat, prout dicitur in cit. l. *Ait Prætor.* § 1. ff. h. t. Quinimo sponte ad jurandum sese offerens, reddit se suspectum, l. *Ait Prætor.* 3. § 1. ff. h. t. et l. *Si legatarius.* ff. *de Dolo malo.*

206. *Juramento præstito standum est quoad litigantes, non quoad extraneos. Jusjurandum alterius alteri neque prodest, neque obest.* — Dum vero subjungitur, « proficiet ei jusjurandum, » id est intelligendum quoad litigantes, secus quoad extraneos : prout explicat Bartolus ibid. in *Summario.* Etenim tali juramento standum est quidem, quoad ipsos litigantes, sicque istud proficiet juranti, non vero quoad extraneos; « quia jusjurandum alterius alteri neque prodest, neque nocet; » prout subdit textus in cit. l. *Ait. Prætor.* § 1. ff. h. t. estque jam dictum supra § 5. num. 154.

207. *Juramentum necessarium potest regulariter deferri in omnibus causis : adeo ut parte petente, et judice nolente illud deferre, possit appellari.* — Resp. II. Loquendo nunc de juramento necessario, potest etiam istud in supplementum probationis regulariter a judice deferri in omnibus causis : adeo, ut parte petente, et judice nolente illud deferre, possit appellari. Ita Bartolus in l. *Admonendi.* circa fin. et Jason in *Repetit.*, ibid. n. 315. ff. *de Jurejurand.; Mascardus de Probat.* concl. 958. n. 1 et 2. aliique doctores juris civilis ; quorum sententiam magis sibi placere, fatetur Abbas cap. ult. § *Sane.* n. 3. h. t. quamvis Hostiensis, et Joan. Andreas ibid. et nonnulli alii canonistæ, quoad secundam partem oppositum teneant. Conclusio hæc quoad utramque partem desumitur ex l. *In bonæ fidei.* 3. c. *de Rebus creditis;* ubi sic habetur : « In bonæ fidei contractibus, necnon et in cæteris causis, inopia probationum, per judicem jurejurando causa cognita res decidi oportet. » ubi ponderandum ly « oportet : » nam verbum istud importat necessitatem, can. « Oportet. » 8. q. 1. cum similibus. Ac proinde, si stante legitima causa, simulque parte petente, nollet illud judex deferre, poterit appellari, non minus, ac potest appellari, quando judex illud deferret parti habenti justam causam non jurandi, l. *Generaliter.* § *Ipse autem.* c. *de Rebus cred.*

208. *Solvuntur contraria quoad alteram partem.* — Dices. In cap. ult. § *Sane.* h. t. nulla imponitur judici necessitas deferendi hoc juramentum, sed istud relinquitur ejus potestati; ibi : « Præsumptione vero faciente pro illo, reo deferri potest ad ostendendam innocentiam juramenti, » etc. Atqui non omne, quod judex potest, necesse habet facere, l. *Non quidquid.* ff. *de Judiciis.* ergo. Accedit, quod Joan. Andreas cit. cap. ult. n. 3. asserat, in textu cit. l. *In bonæ fidei.* c. *de Rebus creditis,* ubi alii habent litteram, « oportet; » sese ibi habere litteram, « potest, » quæ concordat cum cap. ult. h. t.

unde nulla exinde videtur desumpta necessitas. Respondet Abbas cit. § *Sane*. n. 3. sese in aliquibus libris vidisse, quod textus in cit. l. *In bonæ fidei*. habeat ly « oportet : » et quia huic lecturæ de facto correspondent exemplaria impressa, parum urget codex Joan. Andreæ, veluti mendosus.

209. *Judicis arbitrio qualiter relinquatur, deferre juramentum necessarium?* — Ad cit. cap. ult. § *Sane*. h. t. dicitur, ibi relinqui arbitrio judicis, ut discernat, utrum hic et nunc sit deferendum juramentum necessarium (in multis etiam casibus istud locum non habet, ut illico dicetur) ac præsertim, ut « inspectis personarum et causæ circumstantiis » cognoscat an dictum juramentum reo potius, quam actori, sit deferendum: non autem, quod liberam habeat potestatem deferendi juramentum suppletorium, haud obstante legitima causa et petitione partium. Hoc enim manifestum inferret gravamen partibus litigantibus, contra l. I. ff. h. t. ubi dicitur, « maximum remedium expediendarum litium esse jurisjurandi religionem : » unde merito a tali gravamine seu substractione remedii tam opportuni ad litem finiendam, appellari posset. Atque hæc responsio confirmatur ex illis verbis, « causa cognita, » quæ continentur in l. *bonæ fidei*. c. *de Reb. credit*. paulo superius relata.

210. *Dantur tamen plures causæ, in quibus nequit deferri juramentum necessarium.* — Resp. III. Dantur nihilominus plures casus, atque causæ, in quibus juramentum necessarium, seu in supplementum probationis, a judice deferri nequit. Ita Socinus in *Fallentiis*. reg. 204. enumerans quadraginta duos tales casus ; Barbosa c. *Sicut*. 2. n. 17. et seqq. *de Probat*. referens triginta tres. Jason in *Repetit*. l. *Admonendi*. n. 271. et seqq. ff. h. t. fuse declarans plures tales casus, atque causas, in quibus, licet quis semiplene probaverit, non defertur hoc juramentum Prosper Farinacius part. II. *Fragmentor. criminal*. litt. I. v. *Juramentum*, in supplementum. n. 1235. et seqq. ; Mascardus *de Probat*. concl. 958. n. 38. et seqq. et alii. Idque ostenditur inductione, referendo principaliores tales casus, sive causas.

211. *Sic non potest deferri, ubi lex, vel statutum requirunt probationem. evidentissimam, vel plenam, aut legitimam. Probatio per juramentum suppletorium non est legitima probatio, sed duntaxat privilegiata.* — Imprimis quidem juramentum in supplementum probationis non defertur, ubi lex, statutum vel alia dispositio requirunt probationem evidentissimam, vel plenam et indubitatam, aut luce clariorem, sive legitimam. Socinus loc. cit. fallent. 1 ; Jason n. 282 ; Mascardus n. 44. et alii. Siquidem probatio per juramentum suppletorium non est evidentissima, vel indubita, aut luce clarior. Quinimo probatio per juramentum nec est legitima probatio ; prout desumitur ex c. *Inter quatuor*. 2. et c. *Tuæ*. 3. *de Clericis peregrin*. ac notat Glossa § *Sed furti*. v. *Duplicantur*. Instit. *de Actionib*. et alia Glossa in l. *Contra negantem*. vers. *Probetur*. c. *de Lege Aquil*. ; Jason in *Repetit*. l. *Admonendi*. numer. 282. ff. *de Jurejurand*. ; Mascardus concl. 955. n. 4. et quæst. proœmial. 9. n. 1. citans alios, estque jam dictum supra tit XIX. *de Probationibus*. § 1. n. 14. Accedit, quod hæc sit duntaxat probatio privilegiata, juxta dicta n. 151. ac proinde merito locum non habet in illis casibus in quibus lege, vel statuto requiritur probatio evidens, plena seu indubitata.

212. *Juramentum suppletorium nequit actori deferri in causis criminalibus, criminaliter intentatis.* — Deinde, atque descendendo ad casus speciales, juramentum suppletorium nequit a judice deferri actori, seu accusatori in causis criminalibus criminaliter intentatis : quia in his requiruntur probationes indubitatæ, et luce meridiana clariores, l. ult. c. *de Probat*. et can. *Sciant cuncti*. 2. q. 8. sicque urgent dicta n. præced. ; Barbosa cit. c. *Sicut*. n. 41. *de Probat*. ; Mascardus, *de Probation*. concl. 958. n. 38 ; Jason, ubi supra. n. 275 ; Pirhing h. t. n. 95 ; Farinacius part. II. fragment. litt. I. n. 1222. et seqq. allegans communem. »

213. *Secus, ubi de crimine agitur civiliter.* — Additur tamen, « in causis criminalibus criminaliter motis : » hoc est, in illis, in quibus agitur ad vindictam publicam. Secus enim dicendum est, quando de crimine agitur civiliter tantum ad privatam utilitatem, simulque actio non est famosa : tunc enim posse deferri juramentum suppletorium, tenet Abbas cap. ult. n. 13. vers. *Mihi placet*. h. t. ; Jason loc. cit. n. 276 ; Julius Clarus in *Pract. crimin*. § fin. quæst. 63. n. 1. citans alios.

214. *Vel quando pro eo debet imponi solum pœna pecuniaria.* — Atque istud ultimum extenditur ad causam criminalem, pro qua imponi debet solum pœna pecuniaria : quia etiam tunc potest deferri hoc juramentum ;

ut esse communem opinionem, dicit Alexander consil. 66. n. 1. lib. I. et Jason. n. 275. ac sequitur Jul. Clarus loc. cit. n. 3. Quod tamen Farinacius d. part. II. fragment. litt. I. n. 1222. solum procedere inquit, quando non agitur de pœna pecuniaria magna, sed parva duntaxat: alias secus, eo quod in causis etiam civilibus magnis, tamen non deferatur istud juramentum in supplementum.

215. *Potést in causis criminalibus aliquando deferri reo juramentum in sui purgationem.* — Additur ulterius, « nequit deferri actori, seu accusatori. » Quia in causis criminalibus criminaliter motis, potest aliquando judex, si ita expedire judicaverit, deferre juramentum reo in sui purgationem, seu ad ostendendam suam innocentiam, dum actor crimen plene non probavit; prout desumitur ex cap. ult. § *Sane*. h. t. ac esse communem doctorum, testatur Jul. Clarus cit. quæst 63. n. 4. et Farinacius d. litt. I. n. 1230. allegans plurimos alios. Verumtamen non deferri juramentum purgationis ipsi reo, quando agitur de pœna corporali infligenda, et adsunt indicia sufficientia ad torturam, notat Barbosa d. c. *Sicut*. n. 43. *de Probat*. et Farinacius loc. cit. n. 1231. allegans communem: tunc enim oportebit reum subjicere torturæ ad eruendam veritatem.

216. *In causis criminalibus qualis ordo hodie servetur?* — Unde breviter notandum, quod hodie in causis criminalibus hic ordo servetur. *Primo*, si reus est convictus, et confessus, condemnatur, l. *Qui sententiam*. c. *de Pœnis*. cum similibus. *Secundo*, si reus non est confessus, neque convictus, multis tamen argumentis, seu indiciis ad torturam sufficientibus oppressus, tunc ipse subjicitur torturæ ad eruendam veritatem, l. II. § 1. ff. *de Quæst*. Quod si torqueri non possit, tunc vel pœna extraordinaria afficitur, si argumenta et indicia sint magna seu scandalosa, atque de se digna aliqua pœna extraordinaria. Engel tit. *de Præsumption*. n. 7. id colligens ex c. *Litteras*. 14. eod. Fachineus lib. I. *Controvers. Jur*. cap. XV. estque jam dictum supra tit. præced. § 3. n. 73. Vel absolvitur l. IV. c. *de Edendo*. et l. *Absentem*. ff. *de Pœnis*. cum similibus. Verum in hoc casu posse reo juramentum purgatorium aliquando deferri, juxta cit. cap. ult. § *Sane*. h. t. patet ex dictis § præced. n. 194. atque inter alios notat Jul. Clarus d. § fin. quæst. 63. n. 4. asserens, tale juramentum purgationis locum habere, quando contra ipsum reum non adsunt indicia, quæ sufficiant ad torturam; atque hodie, præsertim in causa hæresis, servari etiam cum laicis Fachineus cit. cap. XV. in fin.; Gailus lib. II. *de Pace publica*. cap. VII; Pirhing h. t. n. 95.

217. *In causa civili non famosa, sed tamen ardua, non defertur juramentum in supplementum. Causa famosa, quæ dicatur?* — *Tertio*, in causa civili et famosa non defertur juramentum in supplementum. Speculator, tit. *de Juramenti delatione*. n. 6. istud probans ex cap. ult. h. t. et l. I. ff. *De his, qui notantur infam*. cum similibus. Barbosa cit. c. *Sicut*. n. 48. *de Probat.*; Pirhing h. t. n. 69; Farinacius d. litt. I. n. 1210. allegans alios. Ubi dictus Farinacius post Cephalum consil. 127. n. 2. et 3. addit, quod « causa famosa » non dicatur ea, quæ duntaxat irrogat infamiam facti; seu lædit alicujus opinionem apud bonos et graves viros, sed illa tantum quæ juris infamiam irrogat. Et hoc (inquit) contingit tripliciter, vel ipso jure, vel per sententiam, vel ex genere pœnæ. In his enim casibus requiritur plena probatio, cum agatur de præstantissimo bono famæ: « nam *melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ*. » Proverb. XXII, 1. cum concordantiis. (ADNOTATIO XVI.)

218. *Etiam in causa civili non famosa, sed tamen ardua, non defertur juramentum suppletorium. Nec in causa feudali, aut fiscali.* — *Quarto*, etiam in causa civili non famosa, sed tamen ardua sive magna, non defertur juramentum suppletorium. Speculator cit. n. 6. istud probans ex l. *Legitimos*. ff. *de Legitim. tutorib*. Barbosa, ubi supra, n. 44; Menochius lib. II. *de Arbitrar. judic*. cas. 464. n. 4. et alii; estque jam dictum supra n. 186 et seqq. ubi tamen nonnullæ hujus limitationes subjunguntur. Ulterius in causa feudali, ubi est quæstio de feudo, non defertur juramentum, nisi possessori. Socinus *de Fallentiis*, reg. 204. post Baldum in l. I. § *Si vasalli. de Consuetud. recti feudi*. Neque illud defertur in causa fiscali. Barbosa loc. cit. n. 12. Neque in causa usurarum: neque in exceptione excommunicationis, et aliis hujusmodi casibus, de quibus Barbosa, Socinus, Mascardus, Farinacius ubi supra, aliique plures.

219. *Neque illud defertur in causis spiritualibus, v. g. matrimoniali, monachatus, beneficiali.* — *Quinto*, non defertur juramentum suppletorium in causis spiritualibus: ut puta, in causa matrimoniali. Glossa c. *Mulieri*. 34.

vers. *Absoluto*. et Abbas ibid. n. 6. et 8. h. t.; Joan. Gutierez tract. *de Matrimonio*, cap. XXXVIII. n. 3; Gailus lib. II. *Practic*. observat. 94. n. 1. et seqq.; Mascardus *de Probation*. concl. 958. n. 43. allegans communem: cum enim hic agatur quasi de statu hominis, merito censetur causa gravis et ardua, sicque juramentum non deferendum. Quamquam Barbosa cit. c. *Sicut*. 2. n. 17. *de Probat*. allegans plures alios, istud intelligendum censeat, quando agitur de matrimonio dissolvendo: secus, quando jurandum est pro matrimonio, utpote cujus causa est favorabilis, cap. ult. *de Sentent et re judicat*. Item non defertur juramentum ejusmodi in causa matrimonii spiritualis, seu monachatus. Abbas, Gailus, Mascardus, ubi supra. Barbosa cit. cap. II. n. 18. cum aliis. Neque etiam in causis beneficialibus; Farinacius d. part. II. fragment. litt. I. n. 1237; Barbosa n. 19. cum plurimis aliis: qui tamen addunt istud non procedere, quando agitur de fructibus beneficii: quia tunc defertur juramentum.

220. *Utrum id deferendum sit in causis sponsalium? Causa sponsalitia censetur gravis; et cur?* — Utrum vero illud, quod de causa matrimoniali proxime dictum est, procedat etiam in causis sponsalium de futuro, adeo, ut in his non sit deferendum juramentum in supplementum, non ita clare explicant auctores præcitati. Solum enim dicunt, in causis matrimonialibus non deferri istud juramentum: atqui negari non potest, majorem gravitatem reperiri in causis illis, in quibus agitur de matrimonio de præsenti, utpote de jure divino indissolubili; quam in aliis, in quibus agitur de solis sponsalibus de futuro, quæ pluribus ex causis adhuc dissolvi possunt. Verum allatam doctrinam procedere quoque in sponsalibus de futuro, tradit Antonius Gabrielius in *Communibus conclusionibus*, lib. I. *de Probat*. concl. 1. n. 41. inter alia asserens post Marianum Junior. consil. 88. n. 9. vol. II. etiam agi de causa gravi, quando agitur de matrimonio contrahendo tantum. Ad idem favet Gutierez d. tract. *de Matrimonio*. cap. XXXVIII. n. 1. et 2. sicut et causam sponsalitiam censeri gravem, tradit Gobat. tract. X. *Theolog. experiment*. n. 76. Nec immerito: quia etiam hic agitur quasi de statu hominis; cum necesse quis habeat stare sponsalibus valide contractis, et matrimonium cum altera parte (nisi hæc sponte suo jure cedere velit, etc.) postea celebrare; per quod in ipso constituitur servitus quædam, cum non amplius habeat potestatem corporis sui, sed mulier, juxta Apostolum I *Corinth.*, VII, 4. Accedit, quod sub « causis matrimonialibus » absolute prolatis, etiam comprehendantur causæ sponsalitiæ; ut c. *Accedentibus*. 12. *de Excessib. prælat*. juncto concilio Tridentino, sess. 24. can. 12. atqui causas matrimoniales reputari graves et arduas, communiter et indistincte tenent doctores. Nihilominus, cum in causis quoque arduis locum habeat juramentum suppletorium, ubi plus, quam semiplene probatum est, juxta dicta superius n. 188. quod etiam in causis matrimonialibus locum habere, tenet Mascardus *de Probat*. concl. 1035. n. 5; Barbosa, ubi supra, n. 17. et Gutierrez cit. cap. XXXVIII. n. 4. allegans alios: hinc istud a fortiori procedit in causis sponsalium de futuro, utpote non tam stricte matrimonialibus. Gobat. d. tract. X. n. 76. Siquidem juramentum suppletorium deferendum est inspectis circumstantiis causæ, et personarum. Glossa cit. c. *Mulieri*. ℣. *Absolutio*. h. t.

221. *Juramentum litis decisorium, si deferatur, an possit recusari? Juramentum voluntarium libere potest recusari; adeo, ut non sit opus illud referre.* — Quæritur II. An, quibusque de causis juramentum litis decisorium, si deferatur, possit recusari? Resp. I. Juramentum voluntarium, seu extrajudicialiter parti delatum, libere potest recusari; adeo, ut non sit opus illud alteri parti referre. Ita Glossa in l. *Jusjurandum, quod ex conventione*. v. *Non potest*. et Jason ibid. n. 1. *de Jurejurand*. Abbas cap. ult. n. 1. h. t.; Vallensis h. t., § 5, n. 1. et alii. Ratio est, quia juramentum istud ideo appellatur voluntarium, seu conventionale, quia non nisi voluntarie, seu ex conventione partium suscipitur; ergo hoc ipso non potest deferri, neque referri in invitum, arg. l. 1. 2. et 3. ff. h. t. sed potest libere recusari, ac pars illud recusans dicere alteri: « Frater, non teneor hic et nunc tibi jurare, sed si quid habes contra me, id probetur: » prout in simili loquitur Speculator tit. *de Juramenti delatione*. n. 4. Concordat textus in l. *Jusjurandum, quod ex conventione*. ff. h. t. illis verbis: « Jusjurandum, quod ex conventione extra judicium defertur, referri non potest: » nempe, ut cogatur juramentum subire is cui defertur, vel succumbere, prout explicat Glossa loc. cit.

222. *Nisi forte inter partes jam fuerit conventum, quod una earum juret.* — Excipe, nisi

forte inter partes jam fuerit conventum, quod una earum determinate juret: tunc enim ab ea præstandum est juramentum, alias succumbet; adeo, ut si illa nolit postea jurare, sed velit juramentum alteri parti referre, istud referre non possit; juxta alium intellectum cit. l. *Jusjurandum*, *quod ex conventione*. ff. h. t. quem intellectum magis approbat Jason ibid. n. 1. Accedit ratio, quia, licet juramentum extrajudiciale a principio sit voluntarium, tamen ex prævia conventione, seu susceptione redditur necessarium, juxta illud vulgatum: « Quod a principio est voluntatis, ex post facto fit necessitatis: » atque patet ex *Sicut*. c. *de Action. et obligat.* et l. *In commodato*. §. *Sicut*. ff. *Commodati*. Jason cit. n. 1. Vallensis h. t. §. 3. n. 6. et alii.

223. *Juramentum judiciale potest libere recusari, donec a judice fuerit approbatum.* — Resp. II. Juramentum judiciale, quod a parte parti defertur, potest libere recusari, etiam illud non referendo, donec a judice fuerit approbatum: sed ubi judex causa cognita illud approbavit, tunc debet is, cui delatum est, aut jurare, aut juramentum referre, aut solvere. Ita Abbas cap. ult. n. 4. h. t. Bartolus l. *Manifestæ*. § *An autem possit*. ff. h. t. Joannes de Selva tom. IV. *Tractatuum*, tract. *de Jurejurando*, part. III. q. 1. n. 7; Menochius lib. II, *de Arbitrar. judic.* cas. 189 n. 1 et alii.

224. *Et ratio hujus.* — Prior pars desumitur ex l. *Generaliter*. § *Sed juramento*. c. *de Rebus credit.* ubi tunc primum jubetur juramentum judiciale præstari, vel referri, «cum hoc a partibus factum fuerit, et a judice approbatum: » quia, ut loquitur Glossa ibid. ℣. *Approbatum*, illud quandoque judex non approbat; puta, quia is, cui defertur, dicit se nescire veritatem. Accedit ratio, quia pars non potest necessitare partem ad jurandum, vel ad referendum juramentum; cit. cap. ult. juncta Glossa v. *A te*. et Abbate ibid. n. 7. h. t. Quinimo habet licentiam istud recusandi, cit. l. *Generaliter*. § *Sin autem*. c. *de Rebus credit.* cum etiam quis non teneatur respondere adversario, nisi ad mandatum judicis. Abbas c. *Prout*. n. 9 *de Dolo et contumac.*

225. *Sed ubi judex illud approbavit, tenetur pars aut jurare, aut referre, aut solvere.* — Altera pars patet ex l. *Jusjurandum et ad pecunias*. § *Prætor ait*. ff. h. t. ubi dicitur: « Ait prætor: Eum a quo jusjurandum petetur, solvere, aut jurare cogam. Alterum itaque eligat reus, aut solvat, aut juret... Datur autem et alia facultas reo, ut si malit, referat jusjurandum. » Concordat textus in cap. ult. juncta Glossa. et doctoribus ibid. h. t. et l. *Generaliter*. § *Sin autem*. c. *de Rebus credit.* et l. *Delata*. c. eod. cum similibus. Accedit ratio, quia « manifestatæ turpitudinis est et confessionis, nolle jurare, nec juramentum referre, » prout habetur l. *Manifestæ*. ff. h. t.

226. *Conventus actione famosa, non potest juramentum referre.* — Excipe tamen actionem famosam; ut est actio furti, ac hujusmodi. Nam conventus actione famosa, non potest hujusmodi juramentum referre; prout est decisum cit. cap. ult. h. t. et l. *Marcellus*. § fin. ff. *de Action. rer. amotar.* et l. *Ideo Labeo*. ff. eod. Cujus ratio est: quia conventus actione famosa, sive super crimine infamiam irrogante, melius præsumitur scire veritatem, videlicet, an commiserit illud crimen, nec ne, quam actor seu accusator ipsius; prout jam supra dictum fuit n. 136.

227. *A sententia lata virtute juramenti judicialis non præstiti, an possit appellari?* — Objicies contra conclusionem: a sententia lata virtute juramenti judicialis non præstiti, potest appellari, l. *Generaliter*. § *Sed juramento*. c. *de Rebus credit.* ergo illud non præstans, nec alteri parti referens, non necessario cogitur solvere. Resp. Antecedens duntaxat esse verum, quando is, cui primo delatum fuit juramentum, habet justam causam istud recusandi, conformiter dicendis n. 229 et seqq. alias secus. Abbas cit. cap. ult., n. 11, h. t. Atqui hinc debet judex non illico juramentum a parte parti delatum approbare, sed duntaxat « causa cognita; » ut loquitur textus in l. *in bonæ fidei*. juncta Glossa vers. *Per judicem*. c. eod. Verum de appellatione a sententia vi juramenti lata, plura inferius. Quæst. seq. n. 237. et seqq.

228. *Juramentum necessarium non potest sine justa causa recusari.* — Resp. III. Juramentum litis decisorium necessarium, seu a judice parti delatum, sine justa causa recusari non potest, nec etiam alteri parti referri: et si secus fiat, tunc illud recusans habetur pro convicto. Textus est in cap. ult. h. t. et l. *Generaliter*. § *Sin autem*. c. *de Rebus credit.* estque communis omnium.

229. *Causæ justæ recusandi juramentum necessarium, vel judiciale a judice approbatum, sunt plures.* — Porro causæ justæ recusandi

juramentum necessarium, vel etiam judiciale a judice approbatum, sunt plures : adeò, ut Bartolus in l. *Manifestæ*. § *Pro declaratione*. ff. h. t. novem earum enumeret, quibus Jason in d. l. *Manifestæ*. n. 6 et 7. sex alias superaddit. Earum præcipuæ partim constant ex hactenus dictis, partim breviter tunc referuntur. Et quidem.

230. *Potest enim illud recusari ratione probationis factæ, vel non factæ.* — I. Ratione probationis factæ, vel non factæ, potest recusari juramentum. Si enim actor plene probavit, potest is recusare juramentum sibi ulterius oblatum, sive a parte, sive a judice; adeo, ut non possit amplius compelli jurare, c. *Sicut*. 2. *de Probation*. Et econtra contingit, si actor nihil probavit, ne quidem semiplene : quia tunc non potest reus cogi ad jurandum, etiam si actor sese obtulerit ad standum juramento ipsius. Abbas cap. II. n. 1. *de Probat*. et cap. ult. n. 6. h. t.; Mascardus *de Probat*. concl. 36. n. 40. citans alios, junctis dictis supra § 6. n. 171. et seqq. « Nam, si actor omnino in probatione defecerit, reus debet, etsi nihil præstiterit, obtinere ; » prout habetur expressum cap. ult. § *Sane* h. t. cum concordantiis.

231. *Ratione ignorantiæ.* — II. Ratione ignorantiæ. Sic enim potest juramentum recusari si ille cui defertur, vel refertur ejusmodi juramentum, rei gestæ est ignarus, vel probabilem ejus oblivionem, aut ignorantiam allegat, l. *Jusjurandum et ad pecunias*. § 1. ff. h. t. ubi idcirco, is, cui in re communi defertur juramentum, potest petere tempus ad deliberandum. Glossa cap. ult. ℣. *Nisi justa de causa*. h. t. Bartolus, ubi supra, et alii, junctis dictis supra n. 184 et 185.

232. *Rationes causæ, seu ob naturam actionis.* — III. Ratione causæ, seu ob naturam actionis. Nam quod plures sint causæ, in quibus juramentum suppletorium nequit deferri, constat ex dictis n. 171. 180. et seqq. unde juramentum in illis cuipiam delatum, merito potest recusari. Huc accedunt actiones illæ, quæ coram tali judice non possunt tractari : nam non cogitur quis ibi jurare, ubi non potest conveniri, l. *Tutor*. § fin. ff. h. t. juncto Summario, Glossa, et doctoribus ibid.

233. *Ex persona deferentis.* — IV. Ex persona deferentis. Plures enim dantur personæ, quæ non possunt alteri deferre juramentum ; ut procurator, nisi habeat generale cum libera, vel speciale mandatum, vel sit procurator in rem suam, l. *Jusjurandum quod ex conventione*. § fin. ff. h. t. Item prodigus, et furiosus, cum similibus, l. *Tutor*. § *Prodigus*. ff. eod. Ac proinde juramentum a talibus delatum, merito potest recusari.

234. *Ex persona ejus, cui defertur.* — V. Ex persona ejus, cui defertur juramentum, quandoque juste recusatur juramentum : ut si deferatur pupillo, vel procuratori aut defensori rerum alienarum : hi enim jurare non coguntur, l. *Jusjurandum et ad pecunias*. § *pupillo*. ff. h. t. Tacentur cæteri casus, prioribus non absimiles, ac præsertim tunc procedens, quando actio, vel exceptio locum non habet ; de quibus doctores proxime citati, et alii.

235. *Practica ferendi sententiam ex juramento, quæ sit?* — Quæritur III. Quæ sit, practica ferendi sententiam ex juramento ; et an ab ea possit appellari ? Resp. I. Quando actor plene probavit intentionem suam, tunc condemnandus est reus : et econtra, si actor nihil probavit, reus est absolvendus, etiam sine alio præstito juramento. Ita Glossa communiter recepta, l. *In bonæ fidei*. § *Decidi oportet*. c. *de Rebus credit*. et l. *Admonendi*. vers. *Exacto juramento*. ff. h. t. estque proxime dictum n. 230.

236. — Resp. II. Quod si præcesserit semiplena probatio, atque deficientibus aliis probationibus juramentum exactum ; tunc nisi subsit justa causa recusandi tale juramentum, observanda erit practica quæ continetur in l. *Jusjurandum et ad pecunias*. § fin. ff. h. t. illis verbis : « Cum res in jusjurandum demissa est, judex jurantem absolvet, et referentem audiet : et si actor juret, condemnet reum : nolentem autem jurare reum, si solvat, absolvet : non jurantem condemnet ; vel ex relatione non jurante actore, absolvet reum. » Hæc ibi. Concordant jura hactenus allegata, præsertim ea, quæ n. 225 citantur.

237. *A sententia vigore juramenti necessarii lata potest appellari.* — Resp. III. Utrum a sententia vigore juramenti litis decisorii lata possit appellari, distinguendi sunt plures casus, qui habentur in l. *Generaliter*. § *Sed juramento*. c. *de Rebus credit*. juncta Glossa, et Bartolo ibid. ac sequitur Abbas cap. ult. n. 11 h. t. Et quidem, si lis fuit decisa vigore juramenti necessarii, seu, a judice delati, potest appellari : quia potest hujusmodi sententia retractari propter instrumenta de novo reperta, l. *Admonendi*. ff. h. t.

238. *Etiamsi quis istud præstare recusaverit,*

sicque condemnatus fuerit, allegando, quod habuerit justam causam recusandi. — Atque istud ampliatur ad eum casum, quo quis juramentum a judice delatum præstare recusavit, sicque ab ipso fuit condemnatus. Adhuc enim a tali sententia poterit appellare, allegando, quod habuerit justam causam recusandi juramentum ejusmodi : et si quidem judex appellationis, bene quidem delatum jusjurandum, male autem recusatum pronuntiaverit, rata manebit prior sententia : sin autem non rite delatum, recte autem recusatum juramentum pronuntiet, tunc is priorem sententiam, quæ quasi ex recusato juramento processit, emendare seu cassare valet. Textus est in cit. l. *Generaliter.* § *Ipse autem.* c. *de Rebus credit.* ubi Bartolus addit, istud etiam procedere, licet quis causas, quare noluerit jurare, non allegaverit coram primo judice : adhuc enim potest eas allegare coram judice appellationis.

239. *An a sententia virtute juramenti judicialis lata possit appellari, est distinguendum ; et qualiter.* — Quod si virtute juramenti judicialis, hoc est, a parte delati, et per judicem approbati, sententia lata fuit, tunc iterum est subdistinguendum. Aut enim alter juravit, et tunc is qui detulit juramentum, appellare non potest : quia videtur suo consensu transactum. Aut alter non juravit, sed retulit juramentum deferenti, qui etiam non vult jurare ; et fertur sententia contra istum, nec potest iste appellare : quia ex quo a principio deferendo, elegit decisionem causæ per juramentum, non potest illud sibi relatum recusare, neque a sententia exinde contra se lata appellare. « quis enim ferendus est ad appellationis veniens auxilium in iis, quæ ipse facienda procuravit? » inquit Imperator cit. l. *Generaliter.* § *Sed juramento.* c. *de Rebus credit.* Quamquam hoc ultimum limitet Abbas, ubi supra, nisi aliquis ex justa causa recusaret juramentum ; puta, quia non haberet veram notitiam rei, de qua juramentum sibi relatum fuit.

240. Si vero is, cui juramentum refertur, jurat, tunc esse dubium, an referens possit appellare a sententia contra ipsum lata, inquit Abbas cit. cap. ult. n. 11. h. t. adducens diversas doctorum sententias : quamvis finaliter adhæreat sententiæ affirmativæ, videlicet talem posse appellare.

241. *Solvitur instantia. Plus subvenitur illi qui necessario agit, quam qui voluntarie.* — Nec obstat, quod omnis relator juramenti, sit etiam delator hujus : atqui delator juramenti non potest appellare, ut dictum n. 239. ergo nec relator. Resp. enim negando paritatem inter delatorem, et relatorem juramenti : nam delator, seu qui primo defert, omnino sponte detulit juramentum : non sic relator hujus : iste enim tenetur ad alterum duorum, videlicet aut jurare, aut juramentum sibi delatum referre. Constat autem plus subveniri illi qui necessario agit, quam qui omnino voluntarie, c. *Ab arbitris.* juncta Glossa vers. *Appellandum. de Offic. delegat.* in 6. et l. *Si fidejussor.* § *Si necessaria.* ff. *Qui satisdare cogantur :* ac proinde non mirum, quod quidem delator juramenti altero jurante non possit appellare, bene tamen relator. Abbas loc. cit. asserens post Joan. Andream, istud communius approbari.

TITULUS XXV.

De Exceptionibus.

1. *Ratio continuationis rubricarum. Exceptio facilius conceditur, quam actio.* — Postquam hactenus visum est de jure actorum, tractando de probationibus in genere ac specie, quibus muniuntur, ut lanceis et gladiis ; merito compilator juris canonici subjicit de jure reorum, quo muniuntur ut clypeis et loricis, agendo de exceptionibus : sicut enim probationes sunt arma actorum, ita exceptiones sunt arma reorum, juxta Glossam in rubric. h. t. Quamquam adhuc sit nonnulla differentia : nam exceptio, utpote spectans ad naturalem defensionem, nulli denegandam, facilius conceditur, quam actio, juxta reg. 71. jur. in 6. « Quid ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus. » Concordat textus in l. *Invitus.* ff. *de Reg. jur.* ibi. « Cui damus actionem, eidem et exceptionem competere multo magis quis dixerit ; » cum similibus. Hinc licet spectato rigore juris civilis ex pacto nudo non oriatur actio, bene tamen exceptio, qua quis contra petitionem adversarii se defendere potest, l. *Juris gentium.* § *Sed cum nulla.* ff. *de Pactis.*

§ I.

DE NATURA ET VARIA DIVISIONE EXCEPTIONUM.

2. *Exceptiones variæ acceptionis referuntur.* — Quæritur I. Quid sit exceptio, et replicatio? Ubi prænotandum, quod impræsentiarum exceptio non sumatur pro exemptione aliqua, seu immunitate a communibus oneribus, neque pro limitatione quadam, seu fallentia regulæ cujuspiam; in quo posteriori sensu procedit illud vulgatum : « Nulla regula sine exceptione. » Itaque exceptio in proposito dicitur ea, quæ a reo opponitur adversus petitionem actoris. Nam ut Ulpianus l. II. ff. h. t. loquitur : « Exceptio dicta est quasi quædam exclusio, quæ interponi cujusque rei solet ad excludendum id quod in intentionem, condemnationemve deductum est. »

3. *Exceptio ut sic dupliciter accipitur, large et proprie. Exceptio facti, et exceptio juris, quæ?* —Et merito hoc utrumque simul jungitur: nam exceptio ut sic, potest dupliciter accipi, large et proprie. Priori modo, seu large, sumitur exceptio pro omni defensione, quæ reo competit, etiamsi nulla actio competat actori: et hæc vocatur « exceptio facti. » Cæterum exceptio proprie sumpta aliud non est, quam actionis exclusio. Et hæc alio nomine, dicitur « exceptio juris : » atque supponit, quod actori de jure competat actio; quam tamen exceptio proprie dicta excludit. Quo prænotato:

4. *Exceptio ut sic, quid?* — Resp. I. « Exceptio ut sic » est actionis, vel intentionis exclusio. Ita Abbas ad rubric. h. t. Vallensis eod. n. 2. et in re communis. Et notanter sub disjunctione dicitur, « Actionis vel intentionis exclusio : » quia hæc definitio (ut dictum) competit exceptioni ut sic; seu quatenus sub se comprehendit utramque præmissam exceptionem, videlicet tam large, quam proprie acceptam. Siquidem exceptio facti, seu large accepta excludit intentionem tantum actoris : si quis a Titio sibi petat solvi centum florenos, antea eidem mutuo datos Titius vero excipiat, negando, illos sibi mutuo datos fuisse, excluditur sola intentio actoris : nam si vera est negatio Titii, nulla actori competebat actio, ac proinde hæc excludi non potuit, sed sola ejus intentio. At vero exceptio dicta, seu exceptio juris, excludi etiam actionem, quæ in veritate, ac de jure actori competebat : ut si metu coactus, quidpiam stipulatus sum, valet stipulatio, sicque competit adversario actio ex stipulatu contra me; eam tamen per exceptionem « quod metus causa » excludere possum. Atque est exceptio proprie dicta; estque « actionis exclusio, » ut proxime declaratum.

5. *Exceptiones dilatoriæ, an sint actionis exclusio?* — Dices. Dantur exceptiones proprie dictæ, quæ appellantur dilatoriæ, atque ante litis contestationem proponi debent : atqui tales non sunt actionis exclusio; quia ante litem contestatam non dicitur quis agere, sed velle agere, l. *Amplius.* ff. *Rem ratam habere;* ergo non omnes exceptiones proprie dictæ, sunt actionis exclusio. Resp. neg. min. cum consequentia suæ probationis. Quia etiam exceptiones dilatoriæ, sunt actionis exclusio; non quidem actu jam cœptæ, sed incipiendæ : eo quod actionem temporaliter differant, prout amplius patebit ex dicendis.

6. *Exceptioni contraria est explicatio, et huic duplicatio, triplicatio.* — Rep. II. Exceptioni contraria est replicatio, utpote per quam actor excludit exceptionem rei. Textus est in l. II. § 2. *Exceptiones.* ff. h. t. ubi dicitur : « Replicationes nihil aliud sunt, quam exceptiones; et a parte actoris veniant, » etc. Nam sicut « Exceptio » est actionis exclusio, ita replicatio est exclusio exceptionis. Exceptio siquidem datur reo; replicatio datur actori, quæ idcirco objicitur, ut exceptionem rei oppugnet. Verum contra replicationem solet dari supplicatio, et contra duplicationem triplicatio, et contra triplicationem rursus quadruplicatio; et sic deinceps multiplicando nomina, dum aut reus aut actor excipit; prout habetur cit. l. 2. § *Illud tenendum.* ff. h. t.

7. *Exceptiones dividuntur juxta quatuor causarum genera. Earum divisio a causa finali desumpta, est præcipua; et quæ?* — Quæritur II. Quomodo exceptiones dividantur? Rep. I. Exceptiones dividuntur et quidem juxta omnia quatuor causarum genera; prout notat Zoesius tit. *de Exceptionib.* ff. n. 4. Præcipua tamen earum divisio est illa, quæ a causa finali, seu ab effectu desumitur; et juxta quam exceptiones aliquæ dicuntur peremptoriæ et perpetuæ, aliæ dilatoriæ ac temporales. Atque hæc divisio babetur expressa in l. ff. h. t. estque recepta ab omnibus. Et quidem :

8. *Exceptiones peremptoriæ, seu perpetuæ, quæ?* — « Exceptiones peremptoriæ » dicuntur illæ, quæ jus actoris perimunt, atque in totum elidunt petitionem ipsius; ut sunt

exceptio doli mali, exceptio rei judicatæ, pacti de non petendo in perpetuum, transactionis, solutionis, præscriptionis, aut si contractus invalidus, vel quidpiam contra leges esse factum dicatur, et hujusmodi. Et merito tales dicuntur exceptiones peremptoriæ, ac perpetuæ. Peremptoriæ quidem: quia, si verificentur, atque probentur, tollunt omnino jus agentis, et totaliter perimunt actionem per *Perpetuæ vero:* quia actionem excludunt in perpetuum, et non pro determinato duntaxat tempore: prout accidit exceptionibus dilatoriis.

9. *Exceptiones dilatoriæ, seu temporales, quæ?* «Exceptiones dilatoriæ ac temporales» econtra sunt, quæ principalem causam et actionem non perimunt, sed tantum eam suspendunt sive differunt in aliud tempus: ideoque recte appellantur dilatoriæ, ac temporales. Sicque exceptio incompetentiæ judicis negotium principale non perimit, sed solum facit ne coram tali incompetenti, aut suspecto judice tractari valeat: sive ut dicitur l. II. § fin. ff. h. t. opponens hujusmodi exceptionem « non prorsus litem inficiatur, sed personam evitat. » Similiter exceptio dilatoria solutionis, puta, exceptio de non petendo ante certum tempus, v. g. quinquennium, quod promissum est, non tollit actionem de petendo, sed solum, ne fiat petitio debiti ante tale tempus postea enim peti potest: ac idem dicendum de aliis similibus.

10. *Exceptiones dilatoriæ sunt in triplici differentia.* — Unde notandum cum Marranta part. VI. *Speculi aurei,* membro. 9. n. 1. Sisgismund. Scaccia lib. I. *de Judiciis*, cap. CI, n. 6. et aliis quod exceptiones delatoriæ in triplici sint differentia: nam quædam earum respiciunt personam judicis, quædam personam litigantis, quædam vero respiciunt causam ipsam. Et quidem:

11. *Harum aliæ respiciunt personam judicis, quæ et* declinatoriæ fori *dicuntur.* — Exceptiones respicientes personam judicis, quæ et « declinatoræ fori » dicuntur, ex variis causis oriri possunt: puta, quia contra judicem excipitur tanquam incompetentem, aut impetratum mediante rescripto subreptitie obtento, vel tanquam suspectum propter cognationem affinitatem, sive familiaritatem quam habet cum actore: aut propter inimicitias, quas gerit erga reum: vel quia excipitur contra ipsum ex eo quod sit imperitus juris, aut impar magnitudini causæ, sive quod in eadem causa advocatum egerit, aut ejusdem ferme generis litem habeat, vel ex alia justa causa reus contra ipsum excipiat: prout desumitur ex c. *Postremo.* 36. juncta Glossa ibid. vers. *Consanguineus de Appellation.*

12. *Atque istud ante omnes alias exceptiones opponi debent: et cur?* — Porro ejusmodi exceptio, seu recusatio judicis, debet esse prima, atque opponi ante omnes alias exceptiones. l. ult. c. de *Exceptionib.* atque notat Glossa in c. *Exceptionem.* 12. v. *In dilatoriis.* et Abbas n. 10. h. t.; Maranta loc. cit. n. 22; Barbosa in c. *Pastoralis.* n. 22. h. t. citans plures alios. Ratio est, quia si alia exceptio coram tali judice prius proponeretur, censeretur opponens eumdem interpellare, ut super proposita exceptione pronuntiet; sicque tacite, atque ipso facto in talem judicem consentiret, seu ejus jurisdictionem in se prorogaret; unde non posset ipsum ulterius declinare, sive recusare. Concordat textus in c. *Inter monasterium* 20. juncta Glossa vers. *Renuntiasse de Sentent. et re judicat.* estque amplius dictum tit. II. *de Foro competent.* § 1. n. 7 et 8.

13. *Aliæ respiciunt personam actoris.* — Exceptiones dilatoriæ quæ respiciunt personam litigantis, seu actoris, sunt illæ, quæ proponuntur ad repellendam personam ab agendo: ut excipiatur contra actorem, quod sit excommunicatus, proscriptus, pupillus, vel minor viginti quinque annis, qui sine tutore, vel curatore, non possunt comparere in judicio ad agendum, et hujusmodi. Aut si fiat exceptio contra procuratorem, quod sit miles, fœmina, accusatus de crimine, vel quod careat mandato, seu non sit legitime constitutus, etc. Huc etiam pertinent exceptiones illæ quæ competunt reo, si is conqueratur, se ab actore fuisse spolatium; sicque excipiat contra eum, quod non teneatur respondere, nisi prius restitutus sit, cap. I. *de Restitut. spoliat.* in 6. Aut si reus ex legitima causa actorem revocet demum, l. II. § *Legatis.* ff. *de Judiciis.* Omnes enim hujusmodi exceptiones respiciunt quodammodo personam litigantis, suntque dilatoriæ: quia non excludunt actionem in totum, sed duntaxat suspendunt seu differunt, donec impedimentum illud in quo fundat se exceptio, sublatum fuerit.

14. *Et aliæ desumuntur a qualitate causæ.* — Tantum exceptiones dilatoriæ quæ respiciunt causam ipsam, sunt eæ quæ desumuntur ex qualitate causæ vel actionis, ex loco

vel tempore, aut aliis hujusmodi circumstantiis ipsius : ut si reus excipiat, quod libellus actoris sit ineptus, vel obscurus; quod citatio tempore feriarum, vel ad locum non tutum facta fuerit, quod causæ continentia non sit dividenda; quod pactum de non solvendo usque ad certum tempus intervenerit, quale tempus necdum est completum, ac hujusmodi. Patet enim hujusmodi exceptiones concernere causam ipsam, simulque esse duntaxat dilatorias et temporales, dum aliqua earum opposita non tollitur actio in totum, sed solum in aliud tempus differtur, donec v. g. libellus emendetur, seu declaretur, aut nova citatio ad tempus debitum, locumque totum fiat, et hujusmodi.

15. *Exceptiones a causa materiali, qualiter dividantur.* — Resp. II. a causa materiali recte dividuntur exceptiones in reales, et personales : quibus addi possunt exceptiones mixtæ. Ita textus apertus in l. *Exceptiones quæ.* ff. h. t. ac notant doctores communiter. Ex his:

16. *Exceptiones personales, quæ? Exceptio competentiæ est personalis, et cur?* — « Exceptiones personales » dicuntur, quæ personæ cujusque cohærent, et non transeunt ad alios. Talis est « exceptio competentiæ » (ut vocant) quam habet pater adversus filium, patronus adversus libertum, socius adversus socium, etc.; ut si conveniatur ab eo, in id tantummodo condemnari valeat, quod honeste facere potest, ne ipsemet egeat. Quia enim hujusmodi exceptio datur intuitu harum personarum, atque ob specialem reverentiam eisdem debitam (unde et « exceptio competentiæ » appellatur) merito censetur esse personalis : et idcirco non transit ad earumdem hæredes vel fidejussores, neque ab istis opponi potest, juxta textum in cit. l. *Exceptiones quæ.* ff. h. t.; Zoesius tit. *de Exceptionib.* ff. n. 6; Pirhing eod. n. 2. et alii. Talis exceptio personalis etiam est illa, quæ de jure civili competit illis, qui bonis cedunt, ut postmodum non valeant conveniri, nisi in quantum facere possunt; et sic habita ratione, ne egeant, § *Exceptiones.* instit. *de Replicat.* juncto § ult. Instit. *de Actionib.* et l. *Ex contractu.* c. *de Bonis auctoritat. judic.* ac notat Glossa in l. vers. *In eo tantum.* c. *Qui bonis cedere possunt.* Tacentur nonnullæ aliæ exceptiones personales, de quibus interpretes juris civilis.

17. *Exceptiones reales quæ? Hæres succedit in universum jus defuncti.* — « Exceptiones reales » econtra sunt, quæ cohæreant rei, ipsamque sequuntur : ut est exceptio rei judicatæ, exceptio doli mali, jurisjurandi, quod metus causâ, etc., aliæque consimiles. Et tales transeunt ad fidejussores, l. *Exceptiones quæ.* 7. ff. h. t. atque ad hæredem, utpote qui in universum jus defuncti succedit, l. *Sicut rem.* 6. ff. eod.

18. *Exceptiones mixtæ, quales?* — Huc addi possunt « Exceptiones mixtæ, » quæ videlicet certo personarum generi dantur, sed ratione rei sive materiæ : adeoque competunt etiam fidejussori, si super tali re conveniatur. Et hujusmodi exceptiones mixtæ enumerantur quatuor in cit. l. *Exceptiones quæ,* ff. h. t. videlicet, exceptio senatusconsulti Velleiani competens mulieribus, si fidejubendo graviter læsæ fuerint, l. *Si mulier contra,* § 1. ff. ad S. C. Velleian. Item exceptio, quod libertatis onerandæ causa petitur : hanc enim libertus patrono suo objicere potest, ut non teneatur præstare eas operas, quas ei patronus in sua manumissione imposuerat. l. 1. § *Quæ onerandæ.* ff. *Quarum rectum actio non datur.* Item exceptio, quæ competit filiofamilias sine consensu patris mutuum accipienti, ex senatusconsulto Macedoniano talis enim competit illi, qui pro filiofamilias, contra dictum senatusconsultum fidejusserat, cit. l. *Exceptione quæ* ff. h. t. et l. *Sed et si Pater.* § *Non solum.* ff. ad S. C. Macedon. Item exceptio competens minori viginti quinque annis, quando dolo adversarii graviter læsus est : si enim ex eo conveniatur in judicio, tam ipse, quam ejus fidejussor potest ponere memoratam exceptionem. Additur tamen « dolo adversarii : » nam si minorennis alia ratione læsus est, v. g. sua facilitate, non competit ei hæc exceptio, sed sola restitutio in integrum.

19. *Exceptiones a causa effiriente dividuntur in civiles, et prætorias; et quæ sint istæ?* — Resp. IV. A causa efficiente dividuntur exceptiones in civiles, et prætorias. Ita textus § *Hæc exemplis.* Instit. h. t.; Zoesius tit. *de Exceptionib.* ff. n. 4; Pirhing h. t. n. 2. et alii. Porro « Exceptiones civiles » appellantur, quæ a jure civili sunt inductæ : ut est exceptio declinatoria fori, l. ult. c. h. t. Exceptio rei judicatæ, § *Item si in judicio.* Instit. h. t. et hujusmodi. « Exceptiones prætoriæ » econtra dicuntur, quæ ex ipsius prætoris jurisdictione substantiam capiunt, seu ob naturalem æquitatem inductæ fuerunt : ut est exceptio doli mali, et exceptio quod metus causa, et hujusmodi. Glossa. cit. § *Hæc exempli,* vers. *Prætoris.* Instit. h. t.

20. *A causa formali dividitur exceptio in justam seu legitimam et injustam, sive frustratoriam, frivolam, seu infirmam: et quid sint? Quæ exceptio hic et nunc sit legitima, judicis arbitrio relinquitur.* — Resp. V. A causa formali exceptio dividitur in justam, seu legitimam; et in injustam, sive frustratoriam. Ita Zoesius loc. cit. n. 4. et communis. « Exceptio legitima (seu justa, atque relevans) » censetur ea, quæ a legibus approbatur: sive quæ provenit a causa ad justam appellationem sufficiente. Card. Tuschus litt. E. concl. 378. n. 1. post Oldradum consil. 323. circa init. Econtra « Exceptio injusta, seu frustratoria dicitur, » quæ ad procrastinandam duntaxat litem malitiose opponitur. Glossa in Clem. *Sæpe contingit.* vers. *Dilatorias. de Verb. signif.* Quamquam in casibus particularibus, quænam exceptio hic et nunc sit legitima, et quænam frustratoria, prudenti judicis arbitrio esse relinquendum, notet Card. Tuschus cit. concl. 378. n. 4. et Menochius lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 197. n. 6. et 7. hoc ipsum docens de exceptionibus frivolis, seu infirmis et fragilibus. Atque, ut aliæ taceantur divisiones exceptionum, de quibus fuse agit Speculator tit. *de Exceptionibus.* § 1. n. 5. et seqq. ac Hostiensis in *Summar.* tit. eod. n. 2. sufficiat breviter mentionem facere de exceptionibus anomalis. Et quidem:

21. *Exceptiones anomalæ quæ?* — Per « Exceptiones anomalas » intelliguntur exceptiones irregulares, seu quæ non sequuntur normam aliarum exceptionum: quia videlicet possunt proponi tum ante litis contestationem, tum post eam; ut inquit Speculator cit. § 1. n. 7. et Nebrissensis in *Vocabulario juris.* vers. *Exceptio anomala.* Nec discordat Abbas in c. *Exceptionem.* n. 9. h. t. dicens, quod quædam exceptiones « sunt anomalæ respectu naturæ earum, quia ex toto non sequuntur naturam dilatoriarum, vel peremptoriarum. » Atque hujusmodi exceptiones, quæ etiam dicuntur, seu videntur « mixtæ, » ut inquit Sigismund. Scaccia lib. I. *de Judiciis.* cap. CI. 4. (non quidem in sensu n. 18. explicato, sed quia participant aliquid de dilatoriis et peremptoriis) alio nomine vocantur anomalæ: quanquam de nomine non sit curandum, sed sufficiat scire, quod omnes hæ voces significent exceptionem sine regula, et inæqualem, quæ propterea potest opponi tam ante, quam post litem contestatam.

22. *Harum nonnullæ recensentur.* — Talis exceptio anomala, juxta Abbatem loc. cit. n. 19; Speculatorem, et Nebrissensem, ubi supra, est exceptio excommunicationis, quæ licet in Clem. un. h. t. connumeretur inter exceptiones dilatorias, merito tamen dicitur anomala, cum possit opponi in qualibet parte judicii, possitque etiam esse peremptoria; ut notat Glossa ibid. vers. *Dilatoriæ.* ut amplius dicetur infra § 4. n. 85. et 92. Talis etiam est exceptio non numeratæ pecuniæ, atque exceptio non numeratæ dotis: hæ enim licet sint temporales, quia non nisi intra biennium opponi possunt; si tamen tunc opponantur, et manuteneantur, evadunt peremptoriæ, atque elidunt petitionem actoris in totum l. *In contractibus.* § 1 et § fin. c. *De non numerata pecunia*, et alibi. Idemque dicendum de nonnullis aliis exceptionibus, de quibus, dubitatur an sint perpetuæ, vel temporales, atque notat Speculator, ubi supra.

§ II.

DE TEMPORE OPPONENDI EXCEPTIONES.

23. *Exceptiones dilatoriæ regulariter sunt opponendæ, atque probandæ ante litis contestationem.* — Quæritur I. Quando opponendæ, atque probandæ sint exceptiones dilatoriæ? Resp. I. Exceptiones dilatoriæ regulariter sunt opponendæ, ac probandæ ante litis contestationem; et quidem intra terminum a judice præfigendum. Ita textus expressus in c. *Inter monasterium.* 20. *de Sentent. et re judicat.* ubi de hujusmodi exceptionibus dicitur: « Quas etiam tanquam dilatorias ante litis ingressum opponere debuissent. » Concordat textus in c. *Pastoralis.* 4. h. t. ubi ne per dilatorias exceptiones malitiose causarum terminatio prorogetur, Pontifex decrevit, « ut infra certum tempus a judice assignandum, omnes dilatoriæ proponantur: Ita quod si partes ex tunc aliquas voluerint opponere, quas non fuerint protestatæ, nullatenus audiantur: nisi forte aliqua de novo sibi competens exorta fuerit: vel is, qui voluerit eam opponere, fidem faciat juramento, se postmodum ad illius notitiam pervenisse. » Hæc ibi. Id ipsum habetur expressum in jure civili; ut l. *Exceptionem*, juncta Glossa 1. ibid. c. *de Probation.* et l. ult. c. h. t. ac tradit Abbas c. *Exceptionem.* n. 10. h. t. Barbosa c. *Pastoralis.* n. 4. eod. Zoesius h. t. n. 5. et communis aliorum.

24. *Reus tenetur probare suam exceptionem.*

Atque excipiendo fit actor. — Additur primo, « ac probandæ, » etc. Siquidem non sufficit tantum opponere exceptionem, sed ea ab excipiente est etiam probanda. Nam sicut actor tenetur probare suam intentionem, ita reus probare debet suam exceptionem; quia hic excipiendo quodammodo fit actor, l. I. ff. h. t. ibi: « Agere etiam is videtur, qui exceptione utitur: nam reus in excipiendo actor est. »

25. *Debetque eam probare intra terminum a judice præfigendum.* — Additur ulterius in data conclusione, « et quidem intra terminum a judice præfigendum. » Quia enim antiquitus malitiose nonnunquam causarum terminatio prorogabatur, dum lite diutius non contestata tempus inutiliter consumebatur in proponendis, ac probandis novis, et novis exceptionibus: hinc pontifex cit. c. *Pastoralis*, 4. h. t. provide decrevit, ut judex partibus terminum, sive certum tempus assignare debeat, intra quod suas exceptiones opponere debeant: adeo, ut post lapsum illius termini, suo arbitrio pensatis qualitate causæ, et personarum, aliisque circumstantiis præfigendi, excipientem amplius non audiat; nisi in tribus casibus ibidem expressis, et infra n. 30 et seqq. referendis. Atque ob hos ipsos casus, et nonnullas alias fallentias, merito in eadem conclusione additum fuit ly, « regulariter. »

26. *Solvitur instantia declarando textum in l.* Exceptionem. *c.* de Probation. — Dices. Præmissis videtur obstare textus in l. *Exceptionem*, c. *de Probation.* ubi dicitur: «Exceptionem dilatoriam opponi quidem initio; probari vero, postquam actor monstraverit quod asseverat, oportet; » ergo. Respondet Bartolus ibid. istam legem esse intelligendam de exceptione dilatoria solutionis, quæ debet opponi ab initio (hoc est, ante litem contestatam, vel in ipsa litis contestatione) probari vero post intentionem actoris fundatam; ut l. *Si quidem.* c. h. t. Secus de dilatione declinatoria fori, et aliis hujusmodi, quæ proponi ac probari debent ante litis ingressum. Vel dic cum Glossa un. ibid. legem allegatam procedere in exceptione dilatoria solutionis, et quidem sub conditione proposita ab initio; puta dicendo: « Frater, non confiteor quod dicis: sed si probaretur, dico, pactum mihi factum esse de non petendo ante tempus, » vel hujusmodi. Tunc enim necesse foret, ut actor prius monstraret suam intentionem, antequam reus cogeretur probare suam exceptionem dilatoriam, juxta textum cit. l. *Exceptionem.* c. *de Probation.* Atque istum excipiendi modum valde commendat Glossa in c. *Cum venerabilis.* § *Confessus.* et Abbas ibid. n. 26. et 27. h. t.

27. *Exceptio dilatoria non proposita ante litem contestatam, et intra terminum præfixum, nequit amplius proponi in causa appellationis.* — Resp. II. Exceptio dilatoria adeo debet proponi ante litem contestatam, et intra terminum a judice præfixum, ut si tunc fuerit omissa, non possit amplius opponi etiam in causa appellationis. Ita textus in l. *Ita demum.* c. *de Procurat.* ubi proinde Summarium, ex Alexandro desumptum, sic loquitur: « Exceptio dilatoria, si non fuit opposita in causa principali, non poterit in causa appellationis opponi. » Idem docet Bartolus ibid. § *Secundo nota.* Abbas c. *Exceptionem.* n. 17. h. t. istud probans ex cit. l. *Ita demum.* c. *de Procurat.* addita ea ratione, quia in causa appellationis durat effectus litis contestationis factæ a principio, c. *Per tuas.* 58. *de Appellat.* Idem tradit. Sigism. Scaccia tract. *de Appellation.* quæst 11. n. 36. et 46. cum aliis, quos citat Matthæus Nerutius in *Repetit.* rubric. *de Appellat.* n. 19. et card. Tuschus litt. E. concl. 930. n. 21. allegans communem.

28. *Solvuntur instantiæ. Per appellationem rescinditur judicatum, et reponuntur omnia ad priorem statum; et qualiter?* — Nec obstat, quod per appellationem rescindatur judicatum, et reponatur in antiquo statu. Resp. enim, cum Bartolo, et Nerutio, ubi supra, quod per appellationem rescindatur quidem judicatum, ac reponantur omnia ad priorem statum, in quo antea fuerant post litem contestatam: non vero ad eum statum, qui fuerat ante litem contestatam; prout convincit textus in cit. l. *Ita demum.* c. *de Procurat.*

29. *Non allegatum, vel non probatum in causa principali, potest allegari et probari in causa appellationis, et quomodo?* — Neque ulterius obstat textus in l. *Eos qui.* § *Si quid autem.* c. *de Appellat.* et l. *Per hanc.* c. *de Temporib. et reparat. appellat.* ubi pro regula traditur, quod. « Non allegatum, vel non probatum in causa principali, potest allegari et probari in causa appellationis. » Resp. enim, concordando jura juribus, regulam hanc procedere in exceptionibus peremptoriis, earumque probationibus: secus in dilatoriis. Ita Nerutius cit. n. 19, post Engel et Paul. et Franc. in d. l. *Ita demum*, et alios.

Abbas d. c. *Exceptionem*, n. 17. h. t. hinc tamen excipiens illos casus, in quibus exceptiones dilatoriæ possunt proponi in causa principali post litis contestationem, atque illico referuntur. Unde :

30. ***Dantur aliqui casus, in quibus post terminum a judice præfixum possunt opponi exceptiones dilatoriæ.*** — Resp. III. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus post terminum a judice præfixum possunt opponi exceptiones dilatoriæ. Ita communis, atque habetur expressum in d. c. *Pastoralis*. 4. h. t. ubi tres tales casus referuntur verbis supra n. 23 jam relatis.

31. *I. Quando quis antea eas fuit protestatus.* — Primus casus, in quo post terminum a judice præfixum (imo et post litem contestatam, juxta dicenda n. 36. et 37.) admittuntur exceptiones dilatoriæ, est ille : videlicet, si quas antea partes « fuerint protestatæ. » Sic enim habetur cit. c. *Pastoralis*. 4. h. t. illis verbis : « Decernimus, ut infra certum tempus a judice assignandum, omnes dilatoriæ proponantur : ita quod si partes ex tunc aliquas voluerint opponere, quas non fuerint protestatæ, nullatenus audiantur. » Ac proinde, cum exceptio firmet regulam in oppositum, si alterutra pars antea quamdam exceptionem fuerit protestata, etiam post lapsum illius termini erit audienda : prout in simili, si quis ante publicationem attestationum fuerit protestatus, se velle quidpiam objicere in personas testium, sive contra hos excipere, postea est audiendus, c. *Præsentium*. 31. *de Testib.*

32. *Quæ protestatio debet esse specialis, nec sufficit generalis.* — Cæterum protestatio exceptionis, ad hoc, ut post præfixum terminum admittatur, debet esse specialis, nec sufficit generalis ; alioquin enim inutilis foret provisio cit. c. *Pastoralis*. h. t. et notat ibi Glossa vers. *Protestatæ* : quam approbat Abbas ib. n. 18. et Speculator eod. tit. § *Nunc videndum*. n. 6. et Pirhing h. t. n. 27. Proinde protestatio exceptionis debet fieri in specie, ac expresse eam nominando ; puta, post unius exceptionis dilatoriæ exceptionem subjungendo ly, « salvis aliis dilatoriis, quæ tales et tales sunt, suo tempore probandis. » Et tunc etiam post lapsum termini potest quis super tali exceptione, ejusque probatione audiri, cit. c. *Pastoralis*. h. t. Et merito, quia nullus pluribus uti defensionibus prohibetur, juxta reg. 20. juris in 6. cum concordantiis,

33. *II. Quando aliqua exceptio postea primum supervenit.* — Secundus casus est, si quando aliqua exceptio post lapsum termini præfixi (imo et post litem contestatam) primum ex nova causa supervenerit. Tunc enim illa ex post facto rite potest proponi, juxta textum expressum cit. c. *Pastoralis*. h. t. ubi casus iste reperitur exceptus illis verbis : « Nisi forte aliqua (exceptio) de novo sibi competens exorta fuerit. » Nec immerito : quia quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio ; ut loquitur Glossa ibid. vers. *De novo*, illud probans ex l. *De ætate*, § *Ex causa*. ff. *de Interrogator. action.* cum similibus. Unde et judex delegatus, etiam post litem coram eo contestatam potest recusari, si nova causa, v. g. familiaritatis cum adversa parte, supervenerit, c. *Insinuante*. 25. *de Offic. delegat.*

34. *III. Quando reus allegat et probat, se postea primum in notitiam illius exceptionis pervenisse. Intelligendo istud de exceptione facti, non juris.* — Tertius casus est, quando reus exceptionem oppositurus allegat, atque juramento interposito probat, se postea primum in notitiam illius exceptionis pervenisse. Tunc enim etiam post lapsum termini a judice præfixi audiri meretur, juxta cit. c. *Pastoralis*. h. t. ubi casus iste excipitur sequentibus verbis : « Vel is, qui voluerit eam opponere, fidem faciat juramento se postmodum ad illius notitiam pervenisse. » Quamquam Glossa finalis, et marginalis, et Abbas ib. n. 22. et Joan. Andreas n. 12. et 13. h. t. et Speculator eod. tit. § *Nunc videndum*. n. 4. recte istud intelligant de exceptione facti, non juris : puta, quia reus oppositurus exceptionem, ignoravit factum, v. g. quod judex sit consanguineus actoris. Secus, si reus sciebat judicem esse actoris consanguineum, sed ignorabat, cum per hoc repelli posset : quia tunc ipsi imputatur : nam « ignorantia facti, non juris excusat, » ut loquitur reg. 13. juris in 6.

35. *Ignorantia exceptionis sufficienter probatur per juramentum. et cur?* — Cæterum in allegato casu sufficit ignorantiam exceptionis probare per juramentum : alioquin enim difficile foret probare, quod quis antea habuisset ignorantiam talis exceptionis. Unde in simili casu sufficit probatio per juramentum in c. *Præsentium*. 31. juncta Glossa vers. *Didicerit*. *de Testib.* Accedit, quia in facto alieno « præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur ; » prout loquitur reg.

47. juris in 6. Unde non mirum, quod stante jam tali præsumptione, sufficienter probatur ignorantia per proprium juramentum : quia « negantis factum (puta negantis quod præsciverit exceptionem) per rerum naturam nulla est directa probatio. » prout habetur c. *Bonæ memoriæ*. 23. § *Contra de Election.* et alibi.

36. *Prædictæ limitationes, ac præsertim tertia, an etiam locum habeant post litem contestatam?* — Dicitur notanter n. 30. et seqq. « post terminum a judice præfixum. » Nam de hoc in cit. c. *Pastoralis*. h. t. solummodo fit mentio; ac proinde, utrum dicta limitatio in casu præsertim *tertio* (de duobus enim prioribus casibus minor est difficultas) etiam locum habeat post litem contestatam : adeo, ut si quis lite jam contestata velit jurare se postmodum ad notitiam exceptionis cujuspiam, quæ antea præexistebat, primum pervenisse, variant doctores. Et quidem Glossa fin. c. *Pastoralis*. h. t. negative respondet, ea ratione, quia ab initio debet quis inquirere de hujusmodi dilatoriis, v. g. an judex sit consanguineus actoris : etenim jura vigilantibus, et non negligentibus subveniunt, l. *Non enim*. ff. *Ex quibus causis majores*, etc. et alibi.

37. Affirmativam econtra sententiam, videlicet etiam post litis contestationem posse opponi exceptionem dilatoriam, si postea primum ad rei notitiam ipsa pervenerit, idque juramento firmetur, tenet Archidiaconus, can. *Si quis episcoporum*. 3. quæst. 6. n. 4. allegans Goffredum in *Summa*. h. t. § *Hoc dicendum est*, et alios, qui secundum Hostiensem subtilius intelligunt. Et huic sententiæ etiam favet Abbas cit. c. *Pastoralis*. n. 23. h. t. ipsam intelligens, quando nihil potest parti imputari, quare non opposuerit debito tempore : secus, sit possit imputari, ac negligentia pars notari, arg. c. *Innotuit*. 20. *de Election.* et c. *Nulli*. 8. eod. in 6. Atque hoc solum convincit ratio Glossæ n. præc. allata.

38. *Dantur alii adhuc casus, in quibus post terminum præfixum admittuntur exceptiones dilatoriæ nempe:* — Resp. IV. Præter tres relatos casus dantur nonnulli alii, in quibus post terminum præfixum, ipsamque litis contestationem, admittuntur exceptiones dilatoriæ. Ita Abbas d. c. *Pastoralis*. n. 4. et n. 16. h. t., tres alios casus proxime recensendos superaddens; Pirhing eod. tit. n. 28. et alii. Quamquam casus illi vel commode reducantur ad unum, ex tribus in cit. c. *Pastoralis*. h. t. enumeratis; vel saltem non sint adeo generales, prout contingit in tribus præmissis.

39. *IV. Si postea primum supervenit facultas aliquam ipsarum probandi.* — Sic ulterius, et *quarto* post lapsum termini peremptorii, a judice ad proponendas exceptiones præfixi, potest aliqua harum opponi, quando tunc primum supervenit facultas ipsam probandi. Paria enim sunt ista, videlicet, non competere exceptionem; et, exceptionem probari non posse, aut hanc ignorari, arg. c. *Ut circa*. 4. *de Election.* in 6. ibi : « Vel super antiquis supervenerit probandi facultas : » juncta Glossa ibid. ac notat Abbas cit. n. 4. allegans insuper Paulum de Leandris in Clem. *Constitutionem. de Election.* et Pirhing, ubi supra.

40. *V. Aut si post modum opponitur nova exceptio priori contraria.* — Deinde, et *quinto*, potest post elapsum terminum proponi nova exceptio priori contraria. Glossa in can. *Ad hæc*. 13. q. 2. vers. *Ut asseritis*, ex professo hanc quæstionem tractans atque resolvens, quod si alicui competerent plures exceptiones, quæ non sunt contrariæ, vel intra præfixum terminum non proponeret omnes, tunc succumbens in una, non audiatur in altera, arg. § *Qui autem*. Instit. *de Excusation. tutor.* et cit. *Pastoralis*. h. t. Si autem sint contrariæ, tunc licet succubuerit in una, nihilominus post tempus præfixum possit proponere aliam; ut l. *Contra majores*. ff. *de Inofficios. testament.* Idem tradit Glossa fin, in c. *Cum dilectus*. 8. *de Religios. domib.* ac sequitur Abbas, ubi supra, n. 4. Accedit ratio n. præced. allata : quia videlicet duæ exceptiones contrariæ simul proponi, ac probari non poterant, sed post rejectam unam, primum supervenit facultas probandi alteram contrariam.

41. *VI. Vel si opponitur exceptio de incompetentia judicis, in quem pars litigans non potuit consentire.* — Rursus, ac *sexto*, exceptio de incompetentia judicis, si talis sit judex, in quem pars litigans consentire non potuit, puta clericus in laicum, potest proponi post terminum a judice præfixum : imo etiam post sententiam latam. Abbas cit. c. *Pastoralis*. n. 16. h. t.; Pirhing d. n. 28. et alii. Accedit ratio, quia taciturnitas non excipientis contra talem judicem nihil officit, ex quo non potuit illum facere judicem. Unde, sicut lite jam contestata potest opponi talis exceptio incom-

petentiæ judicis, ob defectum, jurisdictionis, ex quo defectu inducitur nullitas processus, ipsiusque sententiæ, c. *At si clerici*. 4. *de Judiciis*, cum similibus : ita etiam eadem exceptio potest opponi post lapsum termini a judice pro opponendis exceptionibus præfixi: cum hæc ipsa præfixio, veluti facta a judice incompetente, nullius sit valoris ac momenti.

42. *VII. Post lapsum termini potest pars exceptionem prius propositam declarare.* — *Septimo,* licet post lapsum termini præfixi pars non possit amplius excipere, poterit tamen exceptionem prius propositam declarare: nam qui declarat, nihil agit de novo, l. *Hæredes. palam.* § *Si quid.* ff. *de Testament.* et favet textus in c. *Cum dilecti.* 18. *de Accusation.;* Archidiaconus 13. q. 2. in *Summa*. n. 2; Abbas d. c. *Pastoralis*. n. 31. h. t. et alii.

43. *Alii tales casus referuntur Remissive.* — Tacetur nunc exceptio excommunicationis majoris, utpote quæ semper objici potest contra actorem, c. *Exceptionem*. 12. h. t. commodius tamen declarabitur infra n. 85. et seqq. Tacentur pariter aliæ exceptiones anomalæ, seu mixtæ : nam, et hæ, cum sint irregulares, ac normam aliarum exceptionum non sequantur, possunt proponi tam ante, quam post litem contestatam ; uti jam dictum est supra § præced. n. 21.

44. *Exceptiones peremptoriæ regulariter opponenda sunt post litem contestatam, possuntque opponi usque ad sententiam.* — Quæritur II. Quo tempore possint, ac debeant opponi exceptiones peremptoriæ? Resp. I. Exceptiones peremptoriæ regulariter opponendæ sunt post litem contestatam; possuntque proponi usque ad sententiam, seu conclusionem in causa. Ita Glossa c. *Exceptionem*. vers. *In dilationis*. et Abbas ibid. n. 15. § t.; Speculator tit. *de Exception.* § *Dicto de dilatoriis*. n. 1. et seqq. Socinus in *Fallentiis*, reg. 127. Fredericus de Senis, consil. 160, referens talem casum, in quo « Procurator cujuspiam (ut inquit) inepte proposuit quasdam exceptiones peremptorias, quæ veniebant probandæ, lite contestata, » judex tamen eas non admisit, sed reservavit post litem contestatam. Pirhing tit. *de Litis contestat.* n. 23. et 24; Zoesius h. t. n. 6; Sannig eod. cap. 2. n. 7 et alii; licet Vallensis h. t. n. 13. et Engel eod. n. 4. exceptiones peremptorias regulariter tam ante, quam post litem contestatam, opponi posse censeant usque ad sententiam. Contra hæc desumitur ex l. *Præscriptionem*. c. h. t. et l. *Peremptorias*. c. *de Sententiam rescindi.* etc. Quo utroque in loco habetur, exceptiones peremptorias posse opponi usque ad sententiam diffinitivam, non postea : nisi forsan quis mereatur restutitionem in integrum.

45. *Ante litem contestatam eæ opponi non possunt; et cur?* — Quod autem exceptiones peremptoriæ regulariter ante litem contestatam objici non possint desumitur ex cap. I. *de Litis contestat.* n. 6. Ubi exceptio peremptoria antea objecta (demptis casibus ibidem expressis) litis contestationem non impedit, nec retardat : unde non nisi inutiliter tunc proponeretur, cum adhuc lis contestari, et causa prosequi deberet. Accedit alia ratio, tum quia reus non debet proponere, neque probare exceptionem suam peremptoriam, antequam actor fundaverit intentionem suam; debet enim prius constare de juris actoris : alioquin confunderetur ordo judicii, et frustra reus se gravaret onere probandi, cum actore non probante reus sit absolvendus, l. *Qui accusare*. c. *de Edendo*. et c. *Cum Ecclesia*. § fin. *de Causa possession.* Tum quia exceptiones peremptoriæ concernunt judicium jam cœptum, l. *Si quidem*. c. h. t. ac notat Zoesius n. 6. et Sannig h. t. cap. II. n. 7. Tum tandem, quia licet peremptoria ante litis contestationem probaretur, nihil exinde utilitatis probanti accresceret; cum lite necdum contestata non absolveretur; cap. I. et seqq. « Ut lite non contestata, » etc. et l. *Prolatam*. c. *de Sentent. et interlocut. omn. judic*, juncto cit. cap. I. *de Litis contestat.* in 6.

46 et 47. *Fallit istud in exceptionibus peremptoriis litis finitæ, et cur?* — Resp. II. Fallit nihilominus data conclusio quoad utramque partem in nonnullis casibus. Et quidem posse quasdam exceptiones opponi post sententiam latam, patebit ex dicendis, n. 51. 52. et seqq. Quod autem aliquæ etiam ante litis contestationem opponi valeant, ostenditur inductione. Imprimis enim exceptiones peremptoriæ litis finitæ, videlicet exceptiones de re judicata, transacta, vel alias finita, utiliter proponuntur, atque probantur ante litis contestationem. Textus est in cit. cap. I. *de Litis contestat.* in 6. juncta Glossa ibid. vers. *Finita*. Joan. Andreas n. 3. Ancharano n. 2. et aliis : qui tamen cum Joan. Monacho intelligunt hanc exceptionem « de re judicata efficaciter; » sive ab eo, qui jus

judicandi habuit: secus, si sententia lata fuisset a judice incompetente, v. g. laico in causa spirituali. Item exceptiones « de re transacta firmiter, » sive ubi transactio bona fide facta fuit, ac tenuit; ut. l. *Tres fratres*. ff. *de Pactis;* secus, Glossa loc. cit. juncta Glossa marginali ibid. Item exceptionem « de re finita irretractabiliter; » sive per amicabilem compositionem in spiritualibus, ubi non cadit transactio; sive per consensum, aut juramentum delatum a parte parti: quia tale juramentum majorem habet auctoritatem, quam res judicata, l. II. ff. *de Jurejurand.* Glossa. et Joan. Andreas, ubi supra.

47. Et merito memoratæ tres exceptiones possunt opponi ante litis contestationem, hancque impediunt. Tunc quia hæ exceptiones concernunt instantiam, eamque finiunt; aliæ vero concernunt rem ipsam, secundum Joan. Monachum; tum quia actio, sive obligatio semel extincta, non reviviscit amplius, l. *Qui res*. § *Aream*. ff. *de Solution.* atqui per memoratas exceptiones intelligitur actio sive obligatio extincta; tum tandem, quia jura ita statuerunt, ut sit finis litium, nec post unam litem jam finitam (etiam mediante transactione extra judicium facta) teneatur pars iterum subire noxam litem, novumque judicium, ne alioquin detur processus in infinitum. Ancharanus cit. n. 2. Abbas c. *Exceptionem*. n. 15. h. t.

48. *Fallit etiam, quando exceptio peremptoria est notoria.* — Deinde eadem conclusio limitatur, fallitque quando exceptio peremptoria existit notoria, seu manifesta. Siquidem in notoriis non debet judex pati, ut causa in judicium deducatur, juxta textum notabilem in c. *Quoniam*. 10. *de Filiis presbyter.* Abbas cit. c. *Exceptionem*. n. 16. et Felinus ibid. n. 24. h. t. Joan. Andreas in *Addit. ad Speculatorem*. tit. *de Exception*. § *Dicto*. vers. *Adde quod si reus;* Pirhing. tit. *de Litis contestat*. n. 25. allegans alios.

49. *Quando reus in continenti potest probare exceptionem peremptoriam.* — Hoc ipsum extenditur ad eum casum, quo reus in continenti probare potest exceptionem peremptoriam puta, per instrumentum, contra quod actor nihil excipere potest: quia talis potest illico proponi, etiam ante litis contestationem, ad impediendum litis ingressus, atque ut cito finis imponatur litibus. Felinus, Pirhing, ubi supra, et alii. Secus dicendum, quando hujusmodi exceptionis probatio indigeret majori indagine, longiorique discussione: tunc enim protestari quidem posset ante litis contestationem, non tamen deberet audiri ejus probatio, ob rationes n. 45. allatas; et quia omnia suis debent temporibus convenire, can. *Si Ecclesia*. 23, q. 4; Speculator cit. § *Dicto*. n. 3.

50. *Ubicumque exceptio concludit actori jus non competere.* — *Tertio* limitatur data conclusio, ubicumque exceptio concludit, actori jus non competere: talem enim exceptionem peremptoriam potest reus proponere ante litem contestatam, ac hujus contestationem impedire. Ratio est, quia si nullum jus competit actori, ergo nec egere potest: atqui sine actione nemo potest experiri in judicio, seu convenire alium, l. *Si pupilli*. § *Videamus*. ff. *de Negot. gest.;* Abbas cit. n. 16; Joan. Andreas, ubi supra, allegans insuper Bartolum in l. *Cum quærebatur*. ff. *Judicatum solvi;* et ibi Alexandrum in *Apostill.;* Pirhing tit. *de Litis contestat*. n. 25.

51. *Regula est, quod post sententiam diffinitivam nullæ exceptiones, etiam peremptoriæ, opponi possunt. Post diffinitivam vel et confugiendum ad remedium appellationis, vel ad remedium restitutionis in integrum, si competit.* — Quæritur III. Utrum post latam sententiam opponi possint quædam exceptiones? Resp. I. Regula est, quod post sententiam diffinitivam nullæ exceptiones, etiam peremptoriæ, opponi possint. Ita jura, et doctores n. 44. allegati, cum communi. Siquidem post latam diffinitivam sententiam vel ad remedium appellationis est confugiendum; vel saltem ab beneficium restitutionis in integrum, si competit, text. clar. cit. l. *Peremptorias*. c. *Sententiam rescindi non posse.*

52. *Fallit data regula in exceptionibus, quæ principaliter respiciunt executionem sententiæ: tales enim post sententiam opponi possunt.* — Resp. II. Fallit nihilominus data regula in exceptionibus, quæ principaliter respiciunt executionem sententiæ: tales enim post latam sententiam opponi possunt, sive ad impediendam hujus executionem, sive ad istam retardandam. Ita. Socinus in *Fallentiis*. reg. 122. fallent. 1. et seqq.; Speculator *de Exceptionibus*. § *Dicto*. n. 14. et seqq., et tit. *de Executione sententiæ*. § *Postremo*. n. 3. et seqq. plures tales casus enumerans. Abbas c. *Exceptionem*. n. 18. h. t. generaliter asserens, quod exceptiones peremptoriæ, concernentes executionem sententiæ, possint opponi, atque probari post sententiam. Engel h. t. n. 5. Sanning eod. cap. II. n. 9.

et 10. et alii. Atque istud probatur per l. *Ex diverso.* § fin. ff. *Saluto matrim.* ubi Bartolus et Alexander, in *Summario* inquiunt: « Exceptio, quæ non impugnat sententiam, potest opponi post sententiam. » Id ipsum ostenditur inductione, afferendo tales casus.

53. *Ut est exceptio senatusconsulti Macedoniani.* — Sic imprimis exceptio senatus consulti Macedoniani, competens filiis familias mutuam pecuniam a fœneratore accipientibus, potest etiam post sententiam contra filiosfamilias latam opponi, si illam antea, ut solvere non tenerentur, non opposuissent, l. *Tamen si.* ff. Ad S. C. Macedonian. juncta Glossa 1. et doctoribus ibid.

54. *Et exceptio senatusconsulti Velleiani.* — *Secundo*, hoc ipsum procedit in exceptione peremptoria senatus consulti Velleiani, mulieribus competente, ne incaute fidejubentes pro aliis, solvere compellantur: unde si mulier incaute pro alio fidejussisset ac non opposita dicta exceptione condemnata fuisset, ut solveret pro altero, non obstante tali sententia executionem. Textus et Glossa cit. l. *Tamen si.* Speculator, et alii, qui supra. Hæc enim ambæ exceptiones, licet sint peremptoriæ, non tam sententiam impugnant, quam ejus executionem. Zoesius h. t. n. 7.

55. *Item exceptio militis condemnati, si quam ante sententiam non opposuit.* — *Tertio*, idem procedit in exceptione militis condemnati, l. I. c. *de Juris et facti ignorant.* juncto Summario, et doctoribus ibid. Ubi permittitur militi, qui exceptionem peremptoriam per juris ignorantiam ante sententiam non objecit, ut eam post sententiam possit opponere; sicque impedire executionem ejus, si facta nondum est.

56. *Atque exceptio competentiæ: et quibus hæc competat?* — *Quarto*, exceptio competentiæ, quæ datur donatori contra donatarium, l. *Nesennius*, § fin. *de Re judicat.* Socio contra socium, l. *Verum est.* § 1. ff. *Pro socio.* Marito dotis nomine, vel constante matrimonio adversus uxorem, l. *Non tantum*, ff. *de Re judicat.*; clerico contra suum creditorem; c. *Odoardus.* 3. *de Solutionib.* et nonnullis aliis, ne in plus condemnentur, nisi in quantum facere possunt ita ut non egeant. Hæc, inquam, exceptio competentiæ etiam post latam sententiam opponi potest, per jura proxime relata, ac præsertim juxta cit. l. *Nesennius.* § fin. ff. *de Re judicat.* ubi Summarium generaliter sic habet: « Exceptio, quæ non impugnat sententiam, potest opponi in executione ejus. »

57. *Item exceptio compensationis.* — *Quinto*, post latam sententiam potest contra hujus executionem opponi exceptio compensationis; seu, quod victor in causa, tantumdem aliunde victo debeat: quia magis interest non solvere, quam solutum repetere. Accedit textus in l. *Quod in diem.* § *Si rationem.* ff. *de Compensation.* et l. *Si autem is.* § *Si quocumque modo.* ff. *de Negotiis gestis:* ubi Glossa vers. *A judice.* istud intelligit, quando antea vel judex noluit habere rationem compensationis, vel hæc non fuit petita. Alioquin enim, si post examinationem compensatio a judice rejecta esset nec a tali sententia appellaretur, hæc transiret in rem judicatam: sicque compensationi illi obstaret exceptio rei judicatæ, juxta textum cit. § *Si quocumque modo.*

58. *Et exceptio juris retinendi.* — *Sexto*, accedit huc exceptio juris retinendi. Nam quando creditum, victori in causa olim factum, liquidum est, sicque constat, victorem victo vicissim quidpiam debere; competit huic adversus victorem exceptio retentionis etiam post sententiam, donec sibi solvatur. Surdus consil. 248. n. 15. et post ipsum Joan. Bapt. Carlinius *Controv. forens.* cap. CLXVIII. n. 41. Adeo, ut nec prosit victori, offerre fidejussorem de solvendo suo debito. Carlinius cit. n. 41. et 43. post Molignatum tract. *de Retentione.* part. II. q. 417. ea addita ratione: quia retentio est favorabilior, quam ipsa petitio. Verum casus iste propemodum cum priori.

59. *Ac acceptio rei non traditæ vel non numeratæ pecuniæ, aut solutionis jam factæ; vel quod res petita aliunde pervenerit ad actorem.* — *Septimo*, executionem latæ sententiæ impedit, vel saltem retardat exceptio rei non traditæ. Mangilius *de Eviction.* q. 98. Item exceptio non numeratæ pecuniæ, si adhuc intra biennium opponatur. Fachineus lib. II. *Controv. jur.* cap. LXXXIV. et seqq. Item exceptio solutionis jam factæ: sicut et exceptio, quod res petita aliunde jam pervenerit ad actorem; ut l. I. c. *de Re judicat.* et l. 1. et II. ff. *de conditione sine caus.* Speculator tit. *de Executione sententiæ.* § *Postremo* n. 6. Siquidem æquitati naturali repugnat, ut alicui solvatur, quod nunquam traditum est; aut id ipsum bis ei solvi debeat.

60. *Item exceptio transactionis, vel pacti de non petendo, etc.* — Idem dicendum de excep-

tione transactionis, vel pacti de non petendo, aut hujusmodi. Nam pacta fideliter sunt custodienda, cap. I. ac seqq. *de Pactis:* ac proinde etiam post sententiam potest fieri ipsorum exceptio ad impediendam, seu retardandam illius executionem. Gratianus *Discept. forens.* cap. CDXI.

61. *Atque exceptio evictionis imminentis super re empta.* — *Octavo*, exceptio evictionis imminentis super re empta, retardat executionem sententiæ de solvendo pretio rei emptæ; donec emptori idonee per fidejussores caveatur, l. *Si post perfectum.* c. *de Eviction.;* Sperellus decis. 117. *Fori Ecclesiast.* n. 3. post Rotam decis. 281. n. 1. et 6. et 32. part. II. divers.; Romanum consil. 8. n. 3. pluresque alios.

62. *Et exceptio non implementi. Hæc retardat executionem cameralis obligationis.* — *Nono*, exceptio non implementi (seu, quod ab altera parte non fuerit observatum, quod sibi servari debuerat) repellit agentem, etiamsi defectus sit in minimo. Baldus l. *Juris gentium.* § *Adeo. notab.* 2. ff. *de Pactis.* Menochius lib. I. consil. 1. n. 368. Sperellus cit. decis. 117. n. 68. et seqq, allegans alios. Quod adeo verum est, ut exceptio non adimplementi, retardet etiam executionem cameralis obligationis. Sperellus loc. cit. n. 70. cum aliis. Licitum enim est, fidem frangenti frangere eamdem, etiamsi juramentum intervenisset, l. *Julianus.* § *Auferri.* ff. *de Action. empti.* et l. *Cum proponas, inter vos. de Pactis.* Nam quælibet promissio, imo et juramentum eidem appositum, tacitam habet conditionem, si etiam ab altera parte fides servetur, c. *Pervenit.* 3. *de Jurejurand.*

63. *Exceptio attentatorum impedit executionem sententiæ.* — *Decimo*, exceptio attentatorum impedit executionem sententiæ. Marescottus lib. II. var. resol. cap. CXXI. ubi Rota. Etiam ratione fructuum non liquidorum; nisi notorie constet de non jure petentis revocari attentata. Cassiodorus dec. 3. *de Restitut. spoliat.*

64. *Post sententiam potest opponi exceptio contra ejus executionem, quando executor modum excedit in exequendo.* — *Undecimo*, post latam sententiam potest opponi exceptio contra ejus executionem, quando executor modum excedit in exequendo, vel sententiam male interpretando. Textus est in c. *Quod ad consultationem.* in fin. 15. *de Sentent. et re judicat.* ubi dicitur, quod ab executione sententiæ post lapsum decennii non appellatur, « nisi forte adversus eum appellantem, seu excipientem) modus executionis canonicus excedatur: » quæ posteriora verba firmant regulam in oppositum. Concordat c. *Super quæstionem.* 27. § *Nos autem.* juncta Glossa, vers. *Modum excedat. de Offic. delegat.* et l. *Ab executione.* c. *Quonium appellat. non recip.* cum similibus. Atque istud intelligit Speculator tit. *de Exceptione sententiæ.* § *Postremo.* n. 6. de omni exceptione, quæ potest objici contra executionem: unde ulterius, et:

65. *Ac exceptio contra executionem, ob defectum jurisdictionis.* — *Duodecimo*, potest post sententiam objici exceptio contra executionem, ob defectum jurisdictionis, sex potestatis ex parte exequentis: ut si judex velit exequi sententiam in rebus extra suum territorium existentibus, l. *Cum unus.* § *Is qui possidere.* ff. *de Bonis auctorit. judic. possid.* et c. *Romana* § *Contrahentes. de Foro compet.* in 6. cum similibus. Speculator cit. § *Postremo.* n. 3. et seqq. apud quem nonnulli alii hujusmodi casus reperiri possunt.

66. *Exceptiones peremptoriæ, etiam negotium principale concernentes, possunt opponi post sententiam, quoties dicitur propter eas nullum fuisse judicium.* — Resp. III. Loquendo nunc de exceptionibus peremptoriis principale negotium concernentibus, ipsamque sententiam impugnantibus, possunt eædem post sententiam proponi, quotiescumque dicitur, propter eas nullum fuisse judicium. Ita Glossa c. 1. in l. *Tamen si.* c. Ad S. C. Macedonian. Speculator tit. *de Exceptionibus.* § *Dicto.* n. 14. Socinus *de Fallentiis.* reg. 121. hinc excipiens duntaxat exceptionem nullitatis contra tres sententias conformes latas, juxta Clem. *Ut calumniis. de Sentent. et re judicat.* Nisi talis nullitas causaretur ex defectu jurisdictionis aut de ipsa constaret ex actis productis coram judice, etc. et alii. Nec immerito: nam sententia contra leges, canonesve prolata, non tenet ipso jure, nec ab ea opus est appellare, cap. I. *de Sentent. et re judicat.* unde non mirum, quod exceptio nullitatis ejus possit imposterum opponi.

67. *Nullitas sententiæ, atque inde consurgens exceptio ipsius, potest oriri, multipliciter* — Cæterum nullitas sententiæ, atque inde consurgens exceptio ipsius potest oriri multipliciter. Videlicet, vel ratione judicis; puta, quia erat incompetens, excommunicatus, aut hujusmodi, l. I. c. *Si a non competente judice,* etc. et l. *Cum Magistratus.* et l. *Certa*

ratione. c. *Quando provocare non est necesse*: et c. *Ad probandum*. 24. *de Sentent. et re judicat.* cum similibus. Vel ratione partis quæ habet privilegium, v. g. immunitatis, ne vocetur ad munera personalia: nam vocatio, atque sententia in contrarium lata, ipso jure est invalida, adeo ut non sit opus apellatione. *Si pater*. et l. *Veteranis*. c. *Quando provocare*, etc. Vel ratione rei, de qua fertur sententia: ut si contra sententiam, quæ jam transivit in rem judicatam, de novo pronuntietur, l. I. c. eod. Vel quando alia consimili de causa sententia lata non transit in rem judicatam, juxta dicenda inferius tit. XXVII. *de Sententia et re judicata*. § 4. n. 114. et seqq.

68. *Exceptio falsitatis instrumenti potest objici post sententiam.* — Hic « non solum ante sententiam, verum etiam post eam, objici potest exceptio falsitatis: cum falsorum instrumentorum prætextu lata sententia usque ad viginti annorum spatium valeat retractari veritate comperta. » Ita loquitur pontifex in c. *Cum venerabilis*. 6. *Licet autem*, h. t. et concordat textus in l. *Querela falsi*. c. *Ad legem Cornel. de Falsis*. et l. l. ac seqq. c. *Si ex falsis instrumentis*, etc.

69. *Sicut et exceptio falsi procuratoris.* — Similiter exceptio falsi procuratoris non solum ante sententiam, sed etiam postea objici potest; utpote qua probata judicium reputatur nullum, c. *In nostra*. 4. § fin. *de Procuratorib*. et l. *Licet*. c. eod. Tacentur alii tales casus, utpote cit tit. XXVII. § 4. commodius referendi.

70. *Exceptio nullitatis sententiæ, regulariter non impedit executionem ipsius.* — Resp. IV. Quamvis exceptio nullitatis possit opponi post sententiam diffinitavam, ut dictum: nihilominus per exceptionem nullitatis ejus, regulariter non impeditur executio sententiæ. Textus est in can. *Sicut sine*. 2. q. 1. et Clem. *Ut calumniis de Sentent. et re judicat.* ac notat Glossa c. *Cum in jure*. vers. *Sententiæ*. et Innocentius ibid. circa princip. *de Offic. delegat.* Socinus *de Fallentiis*, reg. 122. Bartolus l. IV. §*Condemnadum*. n. 2. et 3. ff. *de re judicat.* Scaccia *de Appellation*. q. 19. remed. 1. concl. 5. n. 1. et seqq. citans alios, nonnullis tamen exceptis, quos pariter allegat.

71. *Et hujus ratio. A diversis non valet illatio.* — Accedit ratio. Quia oppositio nullitatis sententiæ, et impeditio executionis ejus, sunt valde diversa, uti liquet ex terminis: atqui a diversis non valet illatio, l. *Papinianus*. ff. *de Minorib.* et notat Abbas consil. 10. in princip. lib. I; Card. Tuschus litt. a. concl. 510. n. 2; Barbosa in tract. *Loca communia. argument. jur.* loco 37. cum aliis. Unde in simili post latam trinam conformem sententiam, sicque post exclusum remedium appellationis, potest quidem fieri supplicatio principi, nihilominus ipsa pendente mandatur sententia executioni; præstita tamen cautione, ut si retractetur sententia, omnia restituantur, Auth. *Quæ supplicatio*. c. *de Precib. Imperat. offerend.*

72. *Fallit illud, quando nullitas sententiæ est evidens seu notoria. Vel potest in continenti probari.* — Additur tamen in data conclusione, « regulariter non impeditur executio sententiæ, » etc. Fallit enim istud, atque per exceptionem nullitatis sententiæ impeditur istius executio, quando talis nullitas est evidens, seu notoria. Socinus cit. reg. 122. fallent. 9. post Baldum in l. ult. c. *Si ex falso instrument.* Sigism. Scaccia d. quæst. 19. remed. 1. concl. 5. n. 23. et seqq. allegans Rotam decis. 3. alias 280. *de Exception.* in nov. et communem aliorum. Vel quando dicta nullitas sententiæ potest in continenti probari: quia etiam tunc exceptio ipsius impedit executionem. Bartolus cit. § *Condemnatum*. n. 2. et 3. Socinus, ubi supra. fallent. 1. Scaccia cit. n. 23. et alii. Idque merito: ne alioquin per executionem sententiæ manifeste injustæ, manifesta committeretur, seu toleraretur injustitia.

73. *Aut quando executio sententiæ foret irretractabilis: quia tunc exceptio nullitatis, impedit executionem sententiæ.* — Fallit insuper, quando executio sententiæ foret irretractabilis. Quia enim tunc exceptio nullitatis sententiæ impedit hujus executionem; et quidem tam in causis criminalibus, v. g. in amputatione manus, quam in civilibus, donec de nullitate sententiæ antea cognoscatur: idque ob periculum inferendi damnum injustum amplius irreparabile. Socinus cit. reg. 122. fallent. 2. subjungens plures alias hujusmodi fallentias. Scaccia d. remed. 1. concl. 4. n. 74. 75. et 76. citans alios; atque istud intelligens, etiamsi exceptio illa requiret altiorem indaginem, aut opponeretur contra tres sententias conformes.

74. *Exceptiones peremptoriæ possunt opponi in causa appellationis, sicut poterant antea post litem contestatam.* — Quæritur IV. Utrum exceptiones peremptoriæ post latam sententiam opponi possint in causa appellationis?

Resp. affirmative : adeo, ut exceptiones hujusmodi possint tunc opponi regulariter in omnibus illis casibus, in quibus poterant opponi in causa principali, post litem contestatam. Ita Glossa fin. c. *Inter monasterium. de Sentent. et re judicat.* Abbas c. *Exceptionem.* n. 17. et 18. h. t. et alii. Siquidem per appellationem rescinditur, sive suspenditur, judicatum, et reponitur in antiquo statu, ut possit quis facere ea omnia, quæ poterat post litem contestatam : ad illum enim statum reducitur, licet non ad eum, qui erat ante litis contestationem. Bartolus in l. *Ita demum.* c. *de Procurat.* Abbas loc. cit. et allii, junctis supra n. 28.

75. *Dummodo quis non scienter, et malitiose eas omiserit in causa principali, ut si fatigaret adversarium. Malitiis hominum non est indulgendum.* — Additur tamen ly, « regulariter in omnibus illis casibus, » etc. Fallit enim hoc, quando quis sciens in fraudem, ac malitiose, prætermisit opponere exceptionem peremptoriam in causa principali, ut sic fatigaret adversarium suum. Qui tunc dolose prætermittens opponere exceptionem peremptoriam (dempta exceptione excommunicationis) non est audiendus in secunda instantia, seu in judicio appellationis. Glossa fin. c. *Inter monasterium.* et Joan. Andreas ibid. n. 17. et Abbas n. 15. *de Sentent. et re judicat.* post Hostiensem ibid. Idemque Abbas in cap. 1. n. 9. h. t. istud intelligens de quacumque exceptione, quæ malitiose tempore determinato non fuit opposita, ut post illud tempus non admittatur. Accedit ratio, quia malitiis hominum non est indulgendum, l. *In fundo.* ff. *de Rei vendicat.*

76. *Et quid, si exceptio excommunicationis ita malitiose fuit dilata?* — Id ipsum, et magis ad propositum, desumitur ex c. *Exceptionem.* 12. h. t. argumento a speciali desumpto : ibi quippe in exceptione excommunicationis (majoris videlicet) istud habetur speciale, ut in quacumque litis parte possit opponi : ita tamen, ut si malitiose dilata fuerit, reus actori in legitimis expensis condemnandus sit. Atque istud esse speciale in exceptione excommunicationis, probat textus in cit. c. *Exceptionem.* h. t. sic sonans : « Exceptionem excommunicationis in dilatoriis proponendis reus scienter omittens, in qualibet parte litis opponere minime prohibetur : quod est in hac exceptione specialiter observandum : ne quisquam in periculum animæ excommunicationem communicare cogatur, » etc. Ergo cum istud sit speciale in exceptione excommunicationis scienter omissa, et quidem ob rationem allegatam, id ipsum in aliis exceptionibus scienter, et malitiose omissis, locum non habet : eo præsertim, qua in istis allegata ratio non procedit. Joan. Andreas cit. n. 17.

77. *Judex non illico debet repellere exceptionem peremptoriam propter quamlibet malitiæ suspicionem. Qui dolum allegat, dolum probare debet.*—In praxi tamen non illico judex exceptionem peremptoriam repellere debet propter quamlibet fraudis, seu malitiæ suspicionem; tum quia nemo præsumitur malus, nisi probetur malus, cap. ult. *de Præsumption.* cum similibus. Et qui dolum allegat, dolum probare debet l. *Quoties.* § *Qui dolo.* ff. *de Probation.;* tum quia dolus non nisi ex indiciis perspicuis probatur, l. *Dolum.* c. *de Dolo malo.* Unde et Pontifex in c. *Suscitata.* 6. *De in integrum. restitut.* post sententiam a se latam, admisit exceptionem præscriptionis a reo propositam (haud obstante, quod « ex præsumptionibus pluribus videbatur per malitiam excogitata) idque sub certis tamen cautelis, censuit faciendum æquitate pensata, » seu ne cuipiam parti præjudicium generaretur. Abbas cit. c. *Suscitata.* n. 3. *De in integrum restitut.*

78. *Dolus, sive malitia differentis opponere exceptionem, quomodo probari possit?* — Et si petas, quomodo ejusmodi dolus, sive malitia differentis opponere exceptionem ad fatigandum adversarium suum, probari valeat? Respondet Abbas cit. c. *Inter monasterium.* n. 14. in fin. *de Sent. et re judicat.* ejusmodi dolum probari posse vel ex confessione adversarii; puta, quia ipsemet extra judicium id dixerat; vel ex conjecturis, sive ex indiciis perspicuis, juxta cit. l. *Dolum.* c. *de Dolo malo.*

§ III.

SOLVUNTUR ALIA DUBIA OPPOSITIONEM EXCEPTIONUM CONCERNENTIA.

79. *Exceptiones a quibus possint opponi? Eæ opponuntur a reis, horumque hæredibus.*— Quæritur I. A quibus possint exceptiones proponi, et si non admittantur, appellari? Resp. 1. exceptiones opponuntur a reis, horumque hæredibus, et fidejussoribus; nisi fuerint exceptiones personales. Ita Hostiensis in *Summa.* h. t. n. 4. et alii. Ratio est, quia

exceptio est actionis exclusio, ergo hoc ipso poterit ipsa opponi a reo, contra quem actio est instituta, ejusque hærede, utpote qui in universum jus ejus succedit, l. *Cum hæres.* ff. *de Divers. et temporalib. præscription.*

80. *Replicatio potest ab actore fieri contra exceptionem rei, et contra illam duplicatio, triplicatio.* — Potest tamen ab actore deinde replicatio contra exceptionem rei, et a reo duplicatio contra replicam actoris, et rursus ab actore triplicatio contra illius duplicam; ac si deinceps multiplicando nomina, quamdiu naturalis æquitas, ac speciales locorum constitutiones, sive consuetudines progressum admiserint, l. II. § *Illud.* ff. h. t. et § 1. Instit. *de Replication.* fuitque practicatum in c. *Ex part.* 15. *de Foro competente.*

81. *Exceptiones reo competentes (nisi fuerint personales) possunt etiam a fidejussore ipsius opponi.* — Cæterum, quod exceptiones reo competentes (dummodo non fuerint personales, juxta dicta n. 17.) prosint etiam fidejussori ipsius, ab eoque possint opponi; textus est in § *Exceptiones autem.* Instit. *de Replicat.* addita ea ratione : « Quia quod a fidejussoribus petitur, id ab ipso debitore, sive reo, peti videtur : quia mandati judicio redditurus est eis, quod ii pro eo solverint. » Et hoc adeo verum est, ut omnes exceptiones reales, quæ reo competunt, fidejussori quoque, etiam invito reo, competant, text. clar. l. *Omnes.* ff. h. t. Ubi Glossa ly : « etiam invito reo, » sic intelligit, quod ejusmodi exceptionem fidejussor, etiam invito reo, opponere valeat, reo tamen manente in integro statu, ut l. *Defensiones.* c. eod. Concordant dicta superius n. 17.

82. *Etsi exceptio legitime opposita per judicem non admittatur, potest appellari. Exceptiones sunt arma, clypei et loricæ reorum.* — Resp. II. Si exceptio legitime opposita per judicem non admittatur, potest appellari. Ita Abbas cap. ult. n. 4. *de Libelli oblation.* Speculator tit. *de Exception.* § *Viso quando,* n. 27. et seqq. Bartolus in l. *A procedente.* c. *de Dilation.* et alii. Siquidem rationabiles exceptiones debet judex admittere, *Text. clar.* c. *Ex parte tua.* 13. *de Offic. delegat.* Unde eas non admittendo, injuste gravat partem, sive reum excipientem contra actorem; eo quod eum privet sua legitima defensione, jure naturali sibi concessa et debita; cum exceptiones sint arma, clypei et loricæ reorum, juxta Glossam ad rubric. h. t. et dicta superius n. 1. Ac proinde merito appellare poterit reus excipiens et non auditus, a tali gravamine contra jus naturale sibi illato.

83. *Exceptio reprobatur non solum verbis, seu per sententiam interlocutoriam; sed etiam facto, sive ultra procedendo.*—Notandum tamen quod exceptio non solum censeatur reprobari verbis, seu quando judex per sententiam interlocutoriam rejicit ipsam; sed etiam facto ipso, sive quando judex, postquam de veritate exceptionis cognovit, non obstante exceptione ultra procedit : nam procedendo ultra, tacite pronuntiat ipsam non obstare; ac proinde, si acue pronuntiando, seu ultra procedendo gravavit partem, quia forte exceptio legitime obstabat, potest appellari. Desumitur istud ex c. *Ex parte M.* 67. *de Appellat.* ibi : « Judices hac exceptione neglecta, » etc. ac notat Abbas ibid. n. 2; Bartolus cit. l. *A procedente.* c. *de Dilationib.* cum aliis.

84. *Exceptiones modici præjudicii potest judex repellere ex levi præsumptione fraudis.* — Interim fatendum est cum Innocentio c. *Post electionem.* circa un. *de Concess. præbend.* et Abbate c. *Interposita.* § 1. n. 3. *de Appellat.* quod exceptiones modici præjudicii possit judex repellere ex levi præsumptione fraudis, seu quod tantum opponantur ad morandam litem, nisi forsan in continenti velit quis suam exceptionem probare, sicque præsumptio fraudis cessaret. Quod si vero exceptio sit magni præjudicii, ut puta, exceptio de non petendo, vel præscriptionis, non debet ea repelli sine vehementi præsumptione, arg. c. *Constitutus.* 45. *de Appellation.* et c. *Suscitata.* 6. *De in integrum restitut.* cum similibus.

85. *Judex potest revocare malam sententiam interlocutoriam de non admittenda exceptione; et postea procedere in causa principali; etiam nolente parte appellante.* — Notandum ulterius, si judex viderit se male interlocutum fuisse, aut male processisse non admittendo interpositam exceptionem, quod is non obstante appellatione partis possit suam sententiam interlocutoriam, vel factum illegitimum processum revocare; et facta sui erroris revocatione poterit in principali causa procedere, etiam nolente parte appellante. Textus est in c. *Cum cessante.* 60. *de Appellat.* et amplius declarat Glossa fin. ibid. Abbas n. 3. et seqq. Barbosa n. 1. et seqq. allegans alios. Speculator tit. *de Exceptionibus.* § *Viso quando.* n. 37. addens, talem revocationem debere fieri utraque parte præsente, vel sal-

tem eam ad notitiam appellantis pervenire debere, ne alioquin superfluis expensis oneretur.

86. *Judex non debet erubescere revocare id quod male egit. Praxis revocandi gravamen verbis curialibus.* — Nec debet judex erubescere revocare id, quod male egit; tum quia etiam papa suam sententiam injuste latam corrigit, atque in melius mutat, can. *Veniam.* et can. *Sententiam.* 35. q. 9. et c. *Tum ex litteris.* 5. *De in integrum restitut.* Et imperator non erubescit, si quid melius etiam horum, quæ prius dixerat, adinvenerit, id sancire, Auth. *de Nuptiis.* § 1. collat. 4. et Auth. *Ut fratrum filii,* etc. § 1. collat. 9. Nam sapientis est, in melius mutare consilium atque ut can. *Magnæ.* 22. q. 4. ex sancto Augustino refertur, « Magnæ sapientiæ est, revocare hominem, quod male locutus est, » tum quia, si judex non est certus de gravamine a se illato, potest gravamen revocare verbis curialibus, v. g. dicendo : « Non credo, quod te gravaverim, sed si te gravavi, revoco, » etc. « Aut paratus sum revocare, si de gravamine docueris, » etc. Glossa fin. cit. c. *Cum cessante. de Appellat.* Speculator loc. cit. n. 40. istum modum probans ex c. *Ad Apostolicam.;* juncta Glossa vers. *Parata Ecclesia. de Sent. et de judicat.* in 6.

87. *Si exceptione non admissa appellatur, tunc judex appellationis super sola veritate exceptionis cognoscit, non vero de causa principali.* — Resp. III. Quod si exceptio declinatoria fori, vel alia dilatoria opposita non admittatur, ideoque appellatum fuerit, tunc judex appellationis super sola veritate exceptionis coram eo probandæ cognoscit: qua probata, judex appellationis pronuntiabit quidem, appellationem fuisse legitimam, de causa tamen principali non potest cognoscere, sed debet ea supersedere. Ita desumitur ex c. *Olim.* 7. h. t. ac notat Abbas ibid. in *Summario.* Barbosa in *Collect.* n. 1; Pirhing h. t. n. 41. et 42. cum communi. Ratio est, quia judex appellationis, seu ad quem appellatum fuit, de eo tantum cognoscere, potest, super quo extitit appellatum : atqui in tali casu fuit appellatum duntaxat super exceptione, non vero super causa principali; ergo.

88. *Solvitur instantia ex c.* Ex parte de Appellat. *desumpta.* — Nec obstat « Ex parte M 67. » *de Appellat.* ubi judex appellationis non solum cognoscere jubetur super exceptione, propter quam antea oppositam, sed a judice non admissam, appellatum fuit; sed etiam super causa principali. Resp. enim. ibi sermonem esse de judice delegato a Papa, cui pontifex, ad quem appellabatur, non solum cognitionem exceptionis, sed ea probata etiam cognitionem causæ principalis expresse commiserat; uti liquet ex textu, et notat Pirhing, h. t. n. 42. Alias secus.

89 *Quando reus pure accipit, non per hoc confitetur intentionem adversarii.* — Quæritur II. Utrum excipiens de intentione adversarii confiteri censeatur; ita, ut si in probatione exceptionis deficiat, condemnandus sit tanquam confessus ? Resp. I. Quando reus pure excipit, non per hoc confitetur intentionem adversarii. Ita communis; atque habetur ex reg. 63. juris in 6. ibi : « Exceptionem objiciens, non videtur de intentione adversarii confiteri. » Concordat textus in l. *Non utique.* ff. h. t. ibi : « Non utique existimatur confiteri de intentione adversarii cum quo agitur, qui exceptione utitur. » Unde in c. *Cum venerabilis,* 6. h. t. rejicitur illatio cujusdam episcopi, qui ex exceptione procuratoris partis adversæ, quod Ecclesiam aliquam ex causa permutationis obtineret, inferre voluit tanquam a procuratore confessum, olim dictam Ecclesiam ad jus pertinuisse episcopi; sed hanc illationem papa rejicit : « Quia (inquit) exceptionem objiciens, de intentione partis adversæ non intelligitur fuisse confessus. » Accedit ratio : quia exceptio, ex actionis exclusio : ergo hoc ipso opponens exceptionem, non confitetur intentionem actoris : alioquin enim exceptio haberet duos contrarios effectus, affirmando nempe intentionem actoris; et eamdem negando, seu excludendo.

90. *Qui excipiendo fatetur permutationem Ecclesiæ esse factam, etc., non idcirco fatetur, Ecclesiam illam antea fuisse alterius; et cur?* — Dices. Qui excipiendo fatetur, permutationem Ecclesiæ esse factam, hoc ipso fatetur, ecclesiam illam antea fuisse alterius. Et similiter, qui excipiendo asserit se solvisse, quod actor petit, hoc ipso fatetur se antea fuisse debitorem : nam qui fatetur unum, per consequens confitetur id quod sequitur ex illo, c. *Cum super.* 23. *de Offic. delegat.* ergo. Resp. negando antecedens quod utramque partem, una cum suæ probationis consequentia. Quia ut notat Glossa in cit. c. *Cum venerabilis.* vers. *Confessus.* h. t. et Abbas ibid. n. 25 et 26. bene potest esse permutatio, vel etiam solutio de facto, et non de jure : datur enim solutio indebiti, aut permutatio rei alienæ. Ac

proinde, qui illam excipiendo opponit, non idcirco fatetur intentionem adversarii (hoc est, quod ecclesia illa revera pertinuerit antea ad actorem, vel quod excipiens fuerit ipsius debitor) quia utrumque potuit fieri, absque eo, quod adversarius habuerit jus ad recipiendam rem permutatam, vel solutam. Oportet proinde, quod adversarius, sive actor, de hoc jure suo aliunde doceat, illudque probet.

91. *Si reus non pure excipiat, sed simul adjungat confessionem, et quidem separatam ab exceptione, tunc ipse sibi præjudicat.* — Resp. II. Quod si vero reus non pure excipiat, sed simul adjungat confessionem, et quidem separatam ab exceptione: tunc ipse sibi præjudicat, atque per ejus confessionem fundatur intentio actoris; ut puta, reus dicit: « Fateor pecuniam a te mihi mutuo datam, sed ego jam solvi: vel, sed tu pactus es mihi de ea non repetenda. ». Tunc enim per talem confessionem rei de recepta mutuo pecunia, fundata est intentio actoris; adeo, ut actor relevetur ab onere probandi debitum, et reus efficiatur onere probandi exceptionem, ac nisi hanc probaverit, condemnatus sit: quia in tali casu confessio est separata ab exceptione. Ita Abbas c. *Exceptionem*. n. 26. vers. *Quartam opinionem*. h. t. istud probans ex l. *Si quidem*. c. h. t. ubi dicitur: « Si vero de hac (intentione actoris) confitendo, exceptione te munitum asseveras, de hac tantum agi convenit: » Concordant dicta superius tit. 18. *De confessis*. § 5. n. 117. et seqq. agendo de confessione qualificata.

92. *Excipiens confitetur factum in exceptione contentum.* — Resp. III. Insuper certum est, quod excipiens confiteatur factum in exceptione contentum; puta, quod juxta casum cit. c. *Cum venerabilis*. 6. h. t. facta fuerit quædam permutatio ecclesiarum. Ita Abbas cit. c. *Cum venerabilis*. n. 26. h. t. et alii. Hinc in c. *Ex parte Decani*. 33. *de Rescript*. cum reus nobilis excipiendo proposuerat, procuratorem V. a se fuisse revocatum ante impetrationem certarum litterarum apostolicarum (de quibus ibidem sermo est) actor in hac ipsa revocatione procuratoris V. veluti confessata, postmodum se fundavit; et quasdam alias litteras apostolicas, ab eodem revocato procuratore V. impetratas, invaliditatis redarguit, quæ etiam fuerunt cassatæ: sicque patet, quod excipiens confiteatur factum in exceptione allegatum.

93. *An si reus opponat exceptionem peremptoriam et in ejus probatione deficiat, condemnatur tanquam confessus?* — Et conformiter dictis patet solutio ad illam quæstionem, an si reus exceptionem peremptoriam opponat, v. g. solutionis, vel præscriptionis; et postea in ejus probatione deficiat, condemnetur tanquam confessus? Resp. enim cum Engel h. t. n. 6. allegante Abbatem cit. c. *Cum venerabilis*. n. 26. eod. sub distinctione, quia reus deficiens in probatione suæ exceptionis, vel postea negat intentionem actoris quoad jus, puta dicendo: « Fecimus quidem contractum; sed nego ipsum esse validum: » et erit audiendus; cum nemo prohibeatur uti pluribus exceptionibus, etiam diversis, l. *Nemo prohibetur*. ff. *de Reg. jur*. atque amplius dicetur n. 81. et seqq. Vel reus vult negare intentionem actoris quoad factum, jam per suam exceptionem confessatum; et non auditur amplius, nisi de errore docuerit, conformiter dictis supra tit. 18. *De Confessis*. § 3. n. 77, 78 et 80.

94. *Si reus est certus, quod actor non possit probare suam intentionem, debet negare, non excipere: et cur?* — Cæterum in praxi notandæ sunt ex l. *Siquidem*. c. h. t. sequentes cautelæ. Prima est: si reus est certus, vel confidit, quod actor non possit probare suam intentionem, debet negare (intellige, ubi conscientia, et veritas non est in contrarium) non autem excipere. Quia excipiendo onus probandi in se suscipit, nam reus in exceptione et actor. l. I. ff. h. t. Si autem negat, actore non probante reus absolvitur, l. *Qui accusare*. c. *de Edendo* et c. *Cum ecclesia*. § fin. *de Causa possession*. cum similibus.

95. *Quod si dubitet, num actor valeat probare intentionem suam, potest negationem et exceptionem cumulare; et quomodo?* — Secunda cautela ibidem expressa, est: Quod si vero reus dubitet, num actor valeat sufficienter intentionem suam probare, potest negationem et exceptionem cumulare, dicendo v. g. « Nego, vel non confiteor, me accepisse mutuum a te; sed si esset, aut probaretur, dico me tibi solvisse; » et idem dicendum de aliis exceptionibus. Atque hunc excipiendi modum, tanquam securissimum, commendat Glossa cit. c. *Cum venerabilis*. vers. *Confessus*. h. t. et Abbas ibid., n. 26. et 27; et Dynus in reg. *Exceptionem*. n. 3. *de Reg. jur*. in 6. Nam quia circa propositum extant diversæ doctorum sententiæ, ut videre est apud Abbatem loc. cit. ut evitetur quævis controversia, oportet reum esse cau-

tum, quod taliter excipiat, ut nullo modo videatur fateri.

96. *Potest quis ubi pluribus exceptionibus, etiam contrariis.* — Quæritur III. An possit quis uti pluribus exceptionibus, etiam contrariis? Resp. affirmative; *Text. clar.* l. *Nemo prohibetur.* ff. h. t. ibi : « Nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti, quamvis diversæ sint. » Concordat. reg. 20. juris in 6. ibi : « Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur. » Et ratio est, quia defensio est de jure naturali, sicque nulli deneganda. l. *Vim vi.* ff. *de Justit. et Jur.* et Clem. *Pastoralis.* § *Cæterum, de Sentent. et de re judicat.* Atqui exceptio, est aliqua defensio; ergo non debet cuipiam denegari, etiamsi sit multiplex.

97. *Cum successive.* — Hinc si quis conventus a principio negavit debitum, sicque proposuit exceptionem facti, potest nihilominus postmodum alias exceptiones proponere; prout habetur expressum l. *Nemo ex iis.* ff. *de Reg. jur.* ibi : « Nemo ex iis, qui negant se debere, prohibetur etiam alia defensione uti, nisi lex impediat : » cujus prohibitionis exempla nonnulla refert Glossa ibid. vers. *Nemo.* Item, si quis a principio proposuit exceptionem minus utilem v. g. jurisjurandi, vel pacti quæ sibi non competebat; potest deinde proponere aliam magis utilem, v. g. rei judicatæ, præscriptionis, aut hujusmodi, l. *Is qui*, ff. h. t. et alibi.

98. *Cum etiam simul, saltem, disjunctive.* — Quinimo non solum successive, sed etiam simul, possunt proponi exceptiones contrariæ, arg. c. *Auditis.* 15. *de Prescriptionib.* ubi Abbas de Hevesca contra episcopum Vigoriens. opposuit contrarias defensiones, seu exceptiones; videlicet privilegium, et præscriptionem : nam « quod meum est (puta virtute privilegii) ex alia causa meum fieri non potest (puta jure præscriptionis) nisi desierit esse meum; » prout loquitur textus in c. *Inter dilectos.* § *Cæterum. de fide instrument.* junctis concordantiis Glossa ibid. vers. *Quod meum est,* relatis. Quamquam in eo casu, quo quis exceptiones contrarias simul opposuit, intelligatur illas opposuisse disjunctive, ut si unam non potuerit probare, alteram probet, arg. cit. c. *Auditis.* ac notat Abbas ibid. n. 24. et Innocentius circa medium. *de Prescript.* Concordat textus jam allegatus ex cit. l. *Nemo prohibetur.* ff. h. t. juncta Glossa un. ib. cum similibus.

99. *Actor non potest simul plures actiones instituere super eadem re, bene tamen reus pluribus exceptionibus uti; et cur? Reus excipiendo fit actor necessarius.* — Dices. Actor non potest simul plures instituere actiones super eadem re, cit. l. *Nemo ex iis.* § fin. ff. *de Reg. jur.* ibi : « Quoties concurrunt plures actiones ejusdem rei nomine, una tantum experiri debet : » juncta l. *Quod in hærede,* ff. *de Tributor. Action.* Atqui reus excipiendo fit actor. l. I. ff. h. t. ergo. Resp. majorem procedere de actore voluntario, seu de eo, qui prima vice actionem contra alterum intentat; sicque in ejus potestate est, an, quando, et quomodo velit provocare ad judicem, ac proinde tenetur venire paratus, et eligere: quia velit actione experiri. Secus autem dicendum est de reo, qui excipiendo fit actor necessarius, atque permittente sic jure naturali potest se defendere modo, quo potest meliori, sicque pluribus exceptionibus uti. Accedit, quod leges plus subveniant illi, qui necessario agit, quam qui omnino libere, c. *Ab arbitrio de offic. delegat.* in 6. junctis concordantiis a Glossa fin. ibid. relatis.

§ IV.

DE EXCEPTIONIBUS IN JUDICIO SUMMARIO, AUT SUMMARISSIMO PROPONENDIS.

100. *Utrum exceptiones in judicio summario sint admittendæ? Et ratio dubitandi.* — Quæritur I. Utrum exceptiones præsertim requirentes altiorem indaginem, admittendæ sint in judicio summario? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, desumitur ex Clem. *Sæpe contingit.* § *Nos autem, de Verb. signif.* ubi pontifex loquens de judicio summario, in quo simpliciter ac de plano proceditur, inter alia judici mandat, ut « amputet dilationum materiam : litem quantum poterit, faciat breviorem exceptiones, appellationes dilatorias et frustratorias repellendo. » Verum his non obstantibus :

101. *In hoc non prohibentur fieri exceptiones legitimæ; quamvis repelli debeant frustratoriæ.* — Resp. I. In judicio summario non prohibentur fieri exceptiones legitimæ; quamvis repelli debeant frustratoriæ, et quidem fortius in eo, quam in aliis judiciis. Ita Glossa in cit. Clem. *Sæpe contingit.* vers. *Amputet.* et seqq. et Abbas ibid. n. 36. asserens, per dictam Clementinam quantum ad hoc nihil poni speciale; nisi quod in judiciis summariis magis quam in aliis, debeat judex labo-

rare ad litem abbreviandam. Hoc ipsum tradit Ancharanus in ead. Clem. n. 19. et Imola ibid. § *Glossa dilationes*, et alii. Idque desumitur ex verbis dictæ Clementinæ, utpote in qua non absolute dicitur, repellendas esse exceptiones; sed cum addito: « Exceptiones, appellationes dilatorias et frustratorias repellendo. »

102. *Solvitur ratio dubitandi.* — Et per hoc patet solutio rationis dubitandi, ex cit. Clem. *Sæpe contingit.* proxime adductæ. Procedit enim duntaxat in exceptionibus frustratoriis, utpote de quibus loquitur dicta Clementina: secus in legitimis.

103. *Et probatur, in judicio summario admittendas exceptiones legitimas.* — Accedit ratio prioris partis conclusionis: quia rationabiles, seu legitimæ exceptiones, sunt arma, clypei et loricæ reorum, juxta Glossam ad rubric. h. t. ergo nullo modo, ne quidem in judicio summario, sunt denegandæ reis; cum pertineant ad justam horum defensionem, jure naturali omnibus injuste molestatis concessam; ut l. *Vim vi.* § *Cum.* ff. *de Vi et vi armat.* junctis dictis supra n. 82. Confirmatur hoc ipsum per textum expressum in c. *Ex parte tua.* 13. *de Offic. delegat.* ubi non obstante forma litterarum apostolicarum, delegatus papæ « debet rationabiles exceptiones admittere. » Unde quamvis hæc clausula, « Sine aliqua exceptione, » omne videatur excludere exceptionem, arg. l. *Thais ancillas.* § *Stichus servus.* ff. *de Fidei commissar. libertat.* ea tamen non tollit exceptiones rationabiles, seu legitimas. Glossa cit. c. *Ex parte tua* vers. *Nullæ de Offic. delegat.* istud, præter textum ibid. ulterius firmans ex c. *Audita.* 4. *de Restitut. spoliat.* et l. *Obligatione.* ff. *de Pignorib.* cum similibus. Barbosa tract *de Clausulis.* claus. 156. n. 2. post Rebuffum in *Compend. alienat.* n. 49.

104. *Præsertim, si non requirant altiorem indaginem.* — Atque illud vel maxime procedit, quando exceptio cæteroquin rationabilis non requirit altiorem indaginem: quia tunc omnino admitti, atque antea desumpti debet exceptio, etiam in judicio summario. Abbas c. *Cum dilecta*, n. 22. *de Confirmat. utili vel inut.* id probans per textum ibid. dum pontifex a principio facile admisit exceptionem præscriptionis propositam contra innovationem privilegiorum, dum arbitrabatur, eam per delegatos suos brevi expediendam: sed cognito, quod dicta exceptio longiorem tractum temporis requirat, ea non obstante procedendum duxit ad innovationem memoratorum privilegiorum.

105. *Exceptiones frustratoriæ in eo sunt repellendæ, et quidem fortius, ac in aliis causis.* — Altera par conclusionis, seu quod in judicio summario repellendæ sint exceptiones frustratoriæ, atque frivolæ (hoc est, fragiles duntaxat, ac nullius solidi fundamenti; sicque deservientes solummodo ad malitiose procrastinandam litem) patet ex textu jam allegato d. Clem. *Sæpe contingit. de Verb. signif.* juncta Glossa vers. *Dilatorias.* et doctoribus ib. Qui addunt, quamvis judex in omnibus causis laborare debeat, ut litem, quantum fieri potest, breviorem reddat, exceptiones, dilationes, et appellationes frustratorias repellendo, ac nimiam testium multitudinem refrænando; ut l. I. c. *de Dilation.* et l. *Properandum.* § 1. c. *de Judiciis.* et c. *Finem litibus.* 5. *de Dolo et contum.* cum similibus: tamen fortius fieri possit, et debeat in judicio summario, utpote in quo procedendum, est simpliciter, ac de plano, et sine strepitu; sicque contentiosis, aut indiscretis vocibus, vel (quod deterius est) obstinatis disceptationibus obstrepere non licet, can. *In loco.* 5. q. 4.

106. *An exceptiones dilatoriæ in judicio summario repelli debeant, distinguendum est. Ubi repelluntur frustratoriæ; non vero legitimæ exceptiones dilatoriæ, si hæ non requirant altiorem indaginem.* — Resp. II. Utrum in judicio summario repelli debeant exceptiones dilatorias, quæ sunt frivolæ, seu mere frustratoriæ, non esse admittendas, patet ex proxime dictis. Econtra vero plures reperiri legitimas exceptiones dilatorias, quæ in judicio etiam summario admitti debent, neque sine injuria partis rejici possunt, præsertim si non requirant altiorem indaginem, in confesso est. Sic enim exceptio pacti de non petendo ante tempus, procul dubio admitti debet; ut cap. un. *De plus petition.* Idemque dicendum de exceptione spolii; cap. I. ac seqq. *de Restitut. spoliat.* et aliis hujusmodi, quæ non requirunt altiorem indaginem.

107. *Exceptio altiorem indaginem requirens, quæ sit judicis arbitrio relinquitur.* — Porro, quænam in casibus particularibus censeatur « exceptio altiorem indaginem requirens, » nec ne, prudentis judicis arbitrio est relinquendum, qui pensatis qualitate causæ, et personarum, aliisque circumstantiis id dijudicabit. Menochius lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 20. n. 3, citans Romanum in rubric. *de*

Arbitris. n. 30; Gravettam consil. 156. n. 17; Socinum sen. consil. 59. et alios. Concordant in simili dicta superius tit. XIX. *de Probationibus*. § 3. n. 60. et alibi.

108. *Exceptiones dilatoriæ legitimæ, etiam altiorem indaginem requirentes, sunt admittendæ in judicio summario, quando absque earum examinatione in causa procedi nequit sine magno ipsius causæ præjudicio.* — Resp. III. Loquendo de exceptionibus dilatoriis cæteroquin legitimis, sed altiorem indaginem requirentibus, rursus oportet distinguere, utrum harum aliqua rejecta, vel ad finem causæ reservata, possit in ejusmodi causa procedi absque magno talis causæ præjudicio, nec ne. Et si quidem absque examinatione oppositæ exceptionis in causa procedi nequeat sine magno ipsius causæ præjudicio (puta, quia sententia lata tribueret jus finale, quod amplius reparari non posset, nisi per appellationem, vel restitutionem in integrum, etc.) tunc exceptio, etiam altiorem indaginem requirens, non potest repelli, neque ad finem causæ reservari in judicio summario, sed debet antea examinari. Ita desumitur ex l. 3. § *Ibidem*. ff. *Ad exhibendum*, ubi istud exemplificatur de exceptione pacti conventi, doli mali, jurisjurandi, et rei judicatæ: nam si talis exceptio antea non admitteretur, neque cognosceretur, auferretur parti excipienti jus suum, et tolleretur cognitio veritatis; quod est illicitum. Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. I. quæst. 53. n. 2. Bartolus in Extravag. *Ad reprimendum*. n. 4. vers. *Et aliud est dicere*, istud ulterius probans ex l. *Judices*. c. *de Judiciis*. Abbas c. *Cum dilecta*. n. 22. et 24. *de Confirmat utili*. Ancharanus in Clem. *Sæpe contingit*. n. 19. *de Verb. signif.* et alii.

109. *Secus quando in causa procedi potest absque ejusdem præjudicio.* — Quod si vero rejecta, vel ad finem causæ dilata exceptione altiorem indaginem requirente, possit procedi in causa summaria, adeo ut sententia lata non pariat magnum præjudicium; vel pariat duntaxat tale quod per aliud judicium potest reparari absque appellatione, vel restitutione in integrum, aut alio consimili remedio: tunc exceptio illa poterit repelli, vel saltem ad finem causæ differri, ac interim procedi in judicio summario, Ita Glossa in Extravag. seu Auth. *ad reprimendum*. vers. *Summarie*. et Bartolus ib. n. 14; Abbas d. c. *Cum dilecta*. n. 22. *de Confirmat. util.*; Barbosa in *Collectan*. ad Clem. *Sæpe contingit*. n. 4. *de Verb. signif.* et tract. *de Clausulis*, claus. 176. n. 16. Card. Tuschus litt. c. concl. 366. n. 3. post Oldradum consil. 115. vers. *Frustratoria*; Fagnanus c. *Lator*. n. 70. et 81. *Qui filii sint legit.* ubi in simili cum aliis asserit, quod exceptio turbida, et altiorem requirens indaginem, non admittatur in judicio possessorio, v. g. legitimitatis, sed ad petitorium sit rejicienda.

110. *Atque istud probatur.* — Id ipsum probatur tum ex textu Clem. *Sæpe contingit. de Verb. signif.* jam relato n. 100, tum ex c. *Cum dilecta*. 4. *de Confirmat. util.* ubi pontifex exceptionem illam, quam a principio veluti celeriter per suos delegatos expediendam admiserat, intelligens indigere longiori indagine, postea non amplius attendit, sed innovationem privilegiorum, quæ petebatur, faciendam curavit; uti notat Abbas, ubi supra, per hoc datam conclusionem probans. Accedit textus in l. III. § *Ibidem*. ff. *Ad exhibendum*, statuens, quod si exceptio sit « obscurior, vel, quæ habeat altiorem quæstionem, differenda sit in directum (sive ordinarium) judicium, re exhiberi jussa. » Ubi proinde Bartolus in *Summario*, inquit: « Exceptiones, quæ requirunt altiorem indaginem, in causis summariis non admittuntur, sed in causis principalibus reservantur. » Hoc ipsum probatur ex l. *Ille a quo*. § *Si de testamento*. ff. Ad S. C. Trabellian. juncto Alexandro ibid. in *Summario*.

111. *Judicium summarissimum, quod?* — Quæritur II. Quod dicendum sit de judicio summarissimo, et an in eo locum habeant exceptiones? Resp. I. « Judicium summarissimum » dicitur illud, in quo ob periculum in mora proceditur brevissime. Nam, ut inquit Glossa in Auth. *Ad reprimendum*. vers. *Summarie*, verbum istud *summarie* idem est, ac *breviter*, sive *summatim*. Unde summarissimum judicium idem sonat, ac brevissimum, in quo videlicet judex procedit sola facti veritate inspecta; ac sublatis omnibus solemnitatibus juris positivi, manu regia, et secundum propriam conscientiam judicare potest. Barbosa cit. Claus. 176. n. 3. et 6. et 7. ita cum aliis declarans clausulam *summarie*.

112. *Solet declarari per possessorium retinendæ. Appellatur* judicium interim, *sive* Summarissimum possessorium. — Atque hujusmodi judicium summarissimum passim doctores declarare solent per possessorium retinendæ, quando uterque litigantium contendit se possidere: ita quidem, ut neuter

eorum libellum offerre, seu partes actoris sustinere velit; ac proinde periculum subsit, ne partes illæ veniant ad arma. In tali quippe casu judex ex officio instituit « Judicium summarissimum (quod alii appellant judicium interim, sive summarissimum possessorium) » in quo vocatis ambabus partibus, earumque fundamentis auditis summatim cognoscit, uter ex litigatoribus tempore motæ litis possideat, sicque sciatur, quis debeat sustinere partes actoris in possessorio ordinario, vel petitorio judicio. Fachineus lib. VIII. *Controvers. jur.* cap. XV. circa init. Ludovic. ab Ecclesia, « Observationes forenses senatus Pedemontani, » observ. 189. n. 1; Covarruvias *Practic. quæst.* cap. XVII. n. 1. et seqq.; Menochius *de Retinend. possess.* Remed. ult. n. 1 et seqq. aliique ab his relati. Ubi

113 et 114. *Judicium retinendæ possessionis, duplex: ordinarium, seu plenarium; et possessorium summarium, seu potius summarissimum: idque declaratur.* — Sciendum est, quod communis doctorum duplex statuat « judicium retinendæ possessionis, sive (ut alii loquuntur) duplex possessorium retinendæ. » Unum dicitur « ordinarium, seu plenarium, » in quo videlicet juris ordine servato proceditur, ac principaliter et absolute de possessione partium disceptatur: unde et plena causæ cognitio adhibetur, num actor rem, de qua controvertitur, vere possideat, et quidem non vi, nec clam, nec precario, arg. l. I. ff. *Uti possidetis.*; Fachineus cit. lib. VII. cap. XV. Gailus lib. I. *Practic.* observat. 7. n. 2 et 4. Ubi cum aliis notat, quod sententia in hoc judicio lata, non sit modici præjudicii, quia est diffinitiva: neque aliam post se super possessorio expectat sententiam, nisi fuerit appellatum; ideoque magni momenti est, juxta textum in § *Retinendæ.* Instit. *de Interdict.* et hoc fit propter multiplicia commoda possessionis, superius tit. XII. *de Causa possessionis proprietatis.* § 2. n. 39. et seqq. ex professo jam declarata.

Alterum vocatur « Possessorium summarium, » seu potius « summarissimum, » in quo judex summatim cognoscit, quisnam ex litigatoribus tempore motæ litis possideat, sicque in sua possessione manutenendus sit, salvis cæteroquin juribus partium tam in possessione, quam in proprietate, donec de his in possessorio ordinario, vel petitorio judicio, plenarie cognoscatur. Atque hujusmodi judicium summarissimum præcipue instituitur ad eum finem, ne lite diutius pendente partes ad arma veniant. Declarat istud Menochius cit. remed. ult. *de Retinend. possess.* n. 1. et seqq in casu, quo duo de eadem possessione litigant, et ambo contendunt se possidere, atque controversiam hanc non judicio, sed armis diffinire gestiunt: dum videlicet uterque sua auctoritate, atque manu, in possessione sese tueri conatur; uterque armis bene munitus, et sociorum auxilio stipatus adversarium terrere, atque ne ad possessionem accedat, repellere studet tunc enim, quia judicis officium expostulat, publicam pacem, et reipublicæ quietem illæsam servare, is utrique parti jubere, atque sub pœna indicta præcipere solet, ne ad eam possessionem accedere audeant, sed ipsam sub sequestro apud se relinquant. Quo facto diligens judex utriusque partis summarias informationes, seu documenta juris sui super possessione, ex officio sumit, et deinde pronuntiat illum, qui tempore litis motæ in possessione, seu verius detentione fuerat, interim possidere debere, donec causa illa in possessorio, ordinario, vel petitorio judicio, plenarie finiatur. Ita judicium summarissimum (sive, ut alii loquuntur, « judicium interim vel possessorium summarissimum ») describit Menochius loc. cit. allegans alios, et pro se adducens textum notabilem in l. *Liberis.* § fin. ff. *de Liberali causa.*

115. *Sententia in summarissimo judicio lata, est solum interlocutoria, non diffinitiva. Nec offert perpetuum, sed modicum duntaxat præjudicium. Secus dicendum de sententia lata in possessorio ordinario.* — Porro sententia in hoc judicio summarissimo lata inter principium et finem ipsius causæ possessorii; non vero diffinitiva. Menochius cit. remed. ult. n. 46; Covarruvias *Pract.* quæst. cap. XVII. n. 2; Gailus d. lib. I. observat. 7. n. 6. et alii. Simulque sententia in ipso lata non affert perpetuum, sed modicum duntaxat præjudicium; eo quod feratur ad interim solam, et salvo jure litigantium in posesssione, et proprietate. Lud. Postius *de Manutenendo.* observat. 2. n. 32. et alii. Ac proinde præjudicium illud est reparabile tam in possessorio ordinario, quam in petitorio: qua de causa etiam appellatur « Momentaneum possessorium. » Gailus cit. observat. 7. n. 5 et 6. Quamquam judex dictam sententiam interlocutoriam extra possessorium ordinarium, vel petitorium, amplius revocare non possit; eo

quod ipsa secum trahat executionem, dum jubet unum ex contendentibus in possessione esse, alterum ab ea abstinere: haud obstante quod alioquin sententia interlocutoria revocari possit, l. *Quod jussit.* ff. *de Re judicat.* Menochius loc. cit. n. 56. quidquid nonnulli apud ipsum in oppositum teneant.

116. *In judicio summarissimo non admittuntur exceptiones tangentes proprietatem rei.* — Resp. II. In judicio summarissimo, seu judicio interim, nulla admittitur exceptio, quæ vel rei proprietatem tangit; vel alioquin est turbida, seu requirit altiorem indaginem. Ita Menochius cit. remed. ult. n. 43; Ludovic. Postius d. tract. *de Manutenendo*, observat. 42. n. 67. 68. et seqq. allegans Rotam in Romana, seu Terracinens. Afflictus coram R. P. D. Pirovano, post tract. decis. 215. n. 16. Fontanell. *de Pact. nuptial.* claus. 7. Gloss. 3. part. X. n. 75, tom. poster. Gratian. *Discept. foren.* cap. CMXXVI. n. 27. cum plurimis aliis. Ratio prioris partis conclusionis est: quia judicium possessorium, nihil habet commune cum petitorio; ut l. *Naturaliter.* § 2. ff. *de Acquirend. possess.* ibi: « Nihil commune habet proprietas cum possessione. » Atqui judicium summarissimum hactenus explicatum, est possessorium; ergo non mirum, quod in eo non admittantur exceptiones, quæ tangunt proprietatem rei; hæ enim pertinent ad petitorium, non ad possessorium. Idem a simili confirmatur ex causa restitutionis spoliatorum, ubi probata rei cujuspiam præhabita possessione, et facta ipsius spoliatione, non admittitur exceptio proprietatis rei, sed spoliatus ante omnia est restituendus, cap. I. et seqq. *de Restitut. spoliat.* estque supra eod. tit. XIII. § 3. n. 48. et seqq. ex professo jam dictum.

117. *Nec turbidæ, seu requirentes altiorem indaginem.* — Altera vero pars conclusionis ex eo probatur: quia possessorium summarissimum non tam veram et propriam possessionem respicit, quam statum rei, qui erat tempore motæ litis, aut paulo ante; ut notat Covarruvias *Pract.* quæst. cap. XVII. n. 5. vers. *Sic sane;* Postius cit. tract. *de Manutenendo*, decis. 322. n. 3; Menochius d. remed. ult. n. 18. allegans alios. Ergo probata semel per summarias informationes, sive documenta, præhabita possessione, aut verius detentione alicujus rei erit quis manutenendus in dicta detentione, donec contrarium probetur, l. *Si quis ante.* ff. *de Acquirend. possess.* et l. *Attilius Regulus.* ff. *de Donationib.* Ubi non solum habens veram possessionem, sed etiam detentionem cujuspiam rei tempore motæ litis, dicitur manutenendus in ea: sicque merito in judicio summarissimo repelluntur exceptiones turbidæ, atque altiorem indaginem requirentes, donec causa possessoria principalis, vel etiam petitoria instituatur, in eaque doceatur de jure actoris, juxta dicta superius tit. XII. *De causa possessionis et proprietatis.* § 7. n. 223. et 224. ac seqq.

118. *Atque istud varie exemplificatur.* — Infertur proinde, quod in hujusmodi judicio summarissimo non possit judici objici exceptio excommunicationis, altiorem indaginem requirens. Menochius cit. remed. ult. n. 43. Neque in beneficialibus defectus tituli. Menochius eod. n. 43. Nec admittatur in hoc judicio testium repulsatio. Menochius ibid. n. 41. et Covarruvias cit. cap. XVII. n. 4. vers. *Septimo est.* Neque exceptio invaliditatis provisionis. Postius, ubi supra, decis. 42 n. 68. post Rotam in Romana domus, coram R. P. D. Ghislerio, et plures alias decisiones, quas allegat. Quinimo omnis ab hoc judicio aliena dicitur exceptio, quæ in continenti (hoc est, intra terminum probatorium, seu instantiæ) non probatur. Postius d. observat. 42. n. 73. citans Rotam in Romana Fideicommissi de episcopis, coram R. P. D. Verospio. Ratio horum est, quæ supra: quia videlicet in possessorio summarissimo non tam agitur de vera possessione, quam de statu rei, qui erat tempore motæ litis, vel paulo ante: unde exceptiones hujusmodi statum rei non respicientes, merito rejiciuntur; cum huc sint impertinentes, et potius spectent ad possessorium principale, vel judicium petitorium, ad quod proinde remittuntur, seu reservantur examinandæ.

§ V.

DE EXCEPTIONE EXCOMMUNICATIONIS, ET QUIBUSDAM ALIIS EXCEPTIONIBUS IN SPECIE.

119. *Excommunicationis nomine absolute posito, intelligitur excommunicatio major. Exceptio excommunicationis potest a reo contra actorem proponi tam ante litis contestationem, quam in qualibet parte judicii, etc.* — Quæritur I. Quo tempore, qua ratione opponi possit, ac debeat exceptio excommunicationis? Resp. I. Exceptio excommunicationis majoris (quæ sub *Excommunicationis* nomine abso-

lute posito semper intelligitur, c. *Si quem*, 59. *de Sentent. excommunicat.* potest a reo contra actorem opponi non solum ante litis contestationem ad instar exceptionum dilatoriarum, Clem. un. h. t. sed etiam post eam, sive in qualibet parte judicii, termino peremptorio ad proponendas quaslibet exceptiones per judicem assignato non obstante. Ita textus in c. *Exceptionem*. 12. h. t. ubi istud dicitur « in hac exceptione specialiter observandum, ne quisquam in periculum animæ excomunicato communicare cogatur.» Eo tamen addito, quod si reus malitiose diutius omiserit exceptionem excommunicationis opponere, ut actor laboribus et sumptibus fatigetur, ipse in expensis legitimis huic sit condemnandus; estque jam dictum supra § 3. n. 60. et 61. Concordat, atque amplius conclusionem declarat textus in cap. I. h. t. in 6 in Clem. un. eod.

120. *Exceptio excommunicationis repellit actorem ab agendo, non reum a defendendo.* — Additur notanter, « a reo contra actorem, » etc. Siquidem exceptio excommunicationis majoris in quacumque parte litis opposita repellit quidem agentes, sive actorem ab agendo; non vero defendentes, sive reum a defendendo. Glossa cit. cap. I. h. t. in 6. ℣. *Agentes.* quæ istud probat ex c. *Intelleximus.* 7. *de Judiciis.* et c. *Cum inter.* 5. h. t. in quo proinde posteriori loco dicitur, quod reus excommunicatus possit excipere, appellare, et omnem defensionem facere; quamvis actorem reconvenire non possit. « Ne quod in defensionis remedium sustinetur, ad impugnationis materiam extendatur, » prout loquitur textus ibid. Concordant dicta superius tit. I. *de Judiciis.* § 6. n. 146. ac aliis locis ibidem allegatis, ubi plura de hoc.

121. *Tamen ut repellat actorem ab agendo, debent plures observari conditiones. Eam opponens debet speciem excommunicationis, et nomen excommunicatoris exprimere.* — Resp. II. Nihilominus, ut excommunicatio in vim dilatoriæ opposita contra actorem, repellat istum ab agendo, debent observari conditiones illæ, quæ cap. I. h. t. in 6. præscribuntur: et sunt sequentes. *Primo*, excommunicationem opponens debet speciem ipsius excommunicationis, et nomen excommunicatoris exprimere.

122. *Ipsamque apertissimis documentis probare infra octo dies. Dummodo non obstet legitimum impedimentum.* — *Secundo*, Reus opponens tenetur dictam excommunicationem apertissimis documentis probare infra octo dies: alioquin judex procedet in causa, et ipsum condemnabit in expensis, quas actor idcirco diebus illis se fecisse probaverit. Intellige, dummodo propter opponentis infirmitatem, vel propter fraudem adversarii, aut testium absentiam, vel propter aliam justam causam non impediatur, tempus octo dierum, quominus tunc fiat probatio oppositæ excommunicationis: quia stante tali legitimo impedimento non currit tempus illud, vel saltem a judice prorogari potest, arg. l. 2. ff. *de Re judicat.* ac notat Speculator tit. *de Dilationibus.* § 1. n. 13. Alias vero spatium octo dierum currit ipso jure, licet eos judex excipienti non præfigat: quia terminus iste a jure statutus est. Speculator loc. cit. n. 14.

123. *Enumerantur aliæ ejusmodi conditiones.* — *Tertio*, in cit. cap. I. h. t. in 6. statuitur, quod si excommunicatio iterum objiciatur, atque eadem, vel alia excommunicatio probetur, tunc actor in sequentibus repellatur ab agendo, donec meruerit gratiam absolutionis obtinere: valeant tamen ea, quæ prius acta fuerunt. *Quarto*, quod ultra duas vices exceptio hujusmodi non opponatur: nisi vel nova excommunicatio emerserit, vel evidens et prompta probatio de antiqua supervenerit.

124. *Si exceptio excommunicationis probetur primum post sententiam latam, impeditur hujus executio, sed sententia valet. Solvitur instantia ex cap.* I. de Rescript., *in* 6. — *Quinto* dicitur, sive declaratur ibidem, quod si exceptio excommunicationis proponatur, atque probetur primum post rem judicatam, seu latam sententiam; tunc quidem impediatur hujus executio, nihilominus sententia, quæ præcessit, valeat. Nec obstat cap. I. *de Rescriptis.* in 6. ubi ipso jure rescriptum, vel processus per ipsum habitus non valet, si ab excommunicato super alio, quam excommunicationis vel appellationis articulo fuerit impetratum. Resp. enim, ubi sermonem esse de nullitate processus, ac sententiæ latæ a judice delegato, seu dato per rescriptum ab excommunicato nulliter impetratum: quia enim in antea non habuit jurisdictionem aliquam respectu talis causæ, hanc quæ per ejusmodi rescriptum, utpote ipsum jure nullum, accipere non potuit, merito totus processus una cum sententia inde secuta invalidus, ipsoque jure irritus censetur. Secus est in casu cap. I. h. t. in 6. ubi

sermo est de judice ordinario, atque jam antea jurisdictionem suam habente, et de sententia per ipsum lata; prout uberius dictum est supra lib. I. tit. III. *de Rescriptis*. § 2. n. 47. et 48.

125. *Actorem excommunicatum debet judex ex officio repellere; et qualem?* — *Sexto*, in cit. cap. I. h. t. in 6. dicitur, quod si actor sit publice excommunicatus, et hoc judex noverit, quandocumque (licet reus de hoc non excipiat) ipsum judex ex officio repellere debeat. Atque istud ultimum antea jam statutum fuerat in cit. c. *Exceptionem*. 12 h. t. Quod tamen de facto, seu post concilium Constanciense, ac bullam Martini V. *Ad evitanda*, solum procedit de excommunicato vitando; qualis est publice denuntiatus, aut notarius percussor clerici: quia excommunicatum non vitandum potest quidem judex ab agendo repellere, sed non tenetur repellere; cum de facto non obligetur ipsum vitare. Suarez disp. 16. *de Censuris*. sect. 3. n. 2; Pirhing h. t. n. 20. et alii.

126. *Quando excommunicatio opponitur in vim peremptoriæ exceptionis, non compellitur opponens eam probare infra octo dies.* — Additur notanter n. 121. « Excommunicatio in vim delatoriæ opposita, » etc. De tali quippe exceptione in cit. cap. I. h. t. in 6. est sermo: uti patet ex toto contextu, ac notat Glossa ibid. vers. *Opponit*. Secus dicendum, quando excommunicatio opponitur in vim peremptoriæ exceptionis: ut si electo ad beneficium ecclesiasticum, suamque electionem prosequenti, ex adverso objiciatur, seu contra ipsum excipiatur, quod fuerit electus in excommunicatione majori, vel quod fuerit electus ab excommunicatis. Nam quia talis exceptio excommunicationis est peremptoria, atque perimit totum jus actoris, eo quod electio excommunicati, vel ab excommunicatis celebrata, ipso jure sit irrita et nulla, c. *Postulatus*. 7. *de Clerico excommunicato*, etc. et c. *Constitutis*. 23. juncta Glossa vers. *Excommunicationis*. *de Appellat*. cum similibus: hinc non compellitur opponens eam probare infra spatium octo dierum, sed datur competens dilatio; neque alia hactenus dicta respectu talis peremptoriæ exceptionis procedunt. Glossa cit. cap. I. vers. *Opponit*. h. t. in 6.

127. *Reo excipiente de excommunicatione actoris, non obstat communionis replicatio.* — Quæritur II. Quæ aliæ exceptiones specialiter hoc titulo approbentur, vel reprobentur? Resp. I. Reo excipiente de excommunicatione majori contra actorem, non obstat communionis replicatio: qua videlicet actor replicat, etiam reum esse excommunicatum, eo quod scienter excommunicato vitando communicaverit in locutione, vel oratione, sicque incurrerit excommunicationem minorem. Textus est in cap. II. h. t. addita ea ratione disparitatis: Quia excommunicatus excommunicatione majori, puta actor, est simpliciter « a communione fidelium exclusus. » Excommunicatus vero excommunicatione minori, quæ incurritur ob communionem cum excommunicato vitando, puta reus, « tantum a sacramentorum participatione est remotus. » Ita Pontifex.

128. *Habens plura beneficia contra alium de pluralitate beneficiorum non excipit.* — Resp. II. Habens plura beneficia, contra alium de pluralitate beneficiorium non excipit. Ita textus in c. *Cum Ecclesiasticæ*. 3. h. t. juncto Summario, et doctoribus ibid. Accedit ratio, quia non potest quis reprehendere in alterius persona, quod in sua putat æquum, can. *Nihil iniquius*, et seqq. 32. q. 6. et can. *Judicet*. 3. q. 7. cum similibus. Unde sanctus Augustinus, relatus can. *Iniquum est*. 32. q. 6. merito ait: « Iniquum est, ut quisque de alio judicare velit, et judicari de se nolit. » Accedit, quod frustra invocet auxilium legis, qui committit in legem. arg. cap. penult. *de Adulter*. cum similibus. Atque illud notissimum: « Quod quisque juris in alterum statuit, ipse debeat uti eo; » prout habetur l. 1. ff. *Quod quisque juris*, et c. *Cum omnes*. 6. *de Constitut*.

129. *Saltem nomine proprio: et an nomine Ecclesiæ sic possit excipere?* — Quamquam cæteroquin sit fatendum, quod cit. c. *Cum Ecclesiasticæ*. h. t. sit difficile quoad intellectum, et adhuc reddatur difficilius propter diversa dicta doctorum; uti videre est apud Glossam ibid. ℣. *Opponere*. Abbatem n. 1. et 4. ac seqq. Innocentium, Joan. Andream, et alios, illud præsertim in dubium revocantes; An habens plura beneficia nequeat contra pluralitatem beneficiorum alterius excipere, non solum nomine proprio (prout ultro fatentur, ob rationes hactenus relatas) sed nec etiam nomine Ecclesiæ, in cujus præjudicium tendit dicta pluralitas beneficiorum. In quo quidem casu probabilius est, istud posterius fieri posse, quando beneficia de jure communi sunt incompatibilia: secus, quando de jure communi sunt compatibilia,

vel adest legitima dispensatio pontificia, licet dicta pluralitas beneficiorum repugnet speciali statuto cujuspiam Ecclesiæ. Verum de hoc plura citati auctores, et Pirhing h. t. n. 33. et 34.

130. *Exceptio rei judicatæ non competit reo absoluto ex eo, quia tempore latæ sententiæ non possidebat, si post eam possidere incipiat.* — Resp. III. Exceptio rei judicatæ non competit reo absoluto ex eo, quia tempore latæ sententiæ, non possidebat, sed jam antea bona fide desierat possidere, si post sententiam denuo possidere incipiat. Textus est in c. *Adversario* 13. h. t. ubi Glossa, Abbas, aliique doctores communiter accedit ratio, quia exceptio rei judicatæ non competit, quando cessat ratio olim latæ : atqui ratio sententiæ olim latæ, seu cur reus fuerat absolutus, est illa, quia tunc non possidebat : hæc autem ratio cessat, quando post sententiam denuo incipit possidere; ergo.

131. *Id ipsum probatur in simili.* — Id ipsum declaratur, et probatur a pari. Quia si reus fuit absolutus, eo quod actor ante statutam diem, vel ante eventum conditionis, sub qua quidpiam spondebatur, illud petiisset; non idcirco potest reus prætendere exceptionem rei judicatæ adveniente illo die, vel eveniente conditione : ut l. *Grege*. 8. fin. ff. *de pignorib.* et l. *Bovem*. § *Si sub conditione*. ff. *de Ædilitio edicto*. Nam ante diem illum, ant eventum conditionis, nihil adhuc debebatur : bene tamen postea. Idem ergo dicendum, ubi reus fuit absolutus ex eo, quia tunc non possidebat, ubi postea de novo possidet.

132. *Exceptio rei judicatæ per judicem ecclesiasticum, debet etiam admitti in foro sæculari; et econtra.* — Resp. IV. Exceptio rei judicatæ per judicem ecclesiasticum, debet etiam admitti in foro sæculari; et econtra. Ita textus expressus in cap. II. h. t. in 6. ubi judices sæculares oppositum attentantes, per censuram ecclesiasticam jubentur compelli ad admittendam exceptionem rei judicatæ per judicem ecclesiasticum in casu, quo ad eum de jure, vel consuetudine pertinet cognitio : et econtra judices ecclesiastici, non admittentes exceptionem rei judicatæ per judicem sæcularem in his, quæ animarum periculum non inducunt, per superiores suos animadversione debita castigandi censentur. Intellige, dummodo alioquin ejusmodi exceptio rei judicatæ, de jure sit admittenda : quod additur propter dicta in conclus. præced. et nonnullos similes casus, in quibus exceptio rei judicatæ non procedit; prout notat Glossa in cit. cap. II. ℣. *Admitti*. h. t. in 6.

133. *Testis, contra quem fit exceptio de crimine, isto probato repellitur a testimonio; de crimine tamen non punitur.* — Resp. V. Quando fit exceptio contra testem, atque is de crimine contra eum excepto convincitur, vel alias convictus apparet, tunc is repellitur a testimonio : de crimine tamen non punitur, si non tangat negotium principale. Ita textus in cap. I. h. t. ubi Abbas in *Summario*, aliique doctores communiter. Accedit ratio, quia si crimen objiciatur testi per modum exceptionis regulariter solum agitur ad repellendum ejus testimonium, non vero ad sumendam publicam vindictam; ergo sufficit ut judex ipsum convictum repellat a testimonio. Nam, ut contra judex posset procedere puniendo, seu infligendo pœnam ordinariam: deberet præcedere accusatio, ac cæteroquin juris ordo servari; prout dicitur in textu in cap. I. h. t. et c. *Inquisitionis*. 21. § 1. *de Accusationib.* Verum de exceptionibus contra testes, plura ex professo jam dicta fuerunt tit. XX. *de Testibus*. § 17. n. 534. et seqq. De aliis etiam exceptionibus, præsertim hoc titulo contentis, vel hactenus jam dictum est, vel in propriis locis commodius dicetur.

134. *Dicta de exceptionibus, servata proportione, locum habent in replicationibus. Replicatio, et quasi exceptionis exceptio.* — Illud duntaxat præmissis est addendum, quod ea, quæ hactenus dicta fuerunt de exceptionibus, servata proportione etiam locum habeant in replicationibus. Siquidem effectus replicationis est, resolvere, vel expugnare exceptionem : unde sicut se habet exceptio ad actionem, ita se habet replicatio ad exceptionem, l. II. ff. h. t. Et sicut excipiens non confitetur, ita nec replicans. Glossa in c. *Exceptionem*. 63. in fin. *de Reg. iur.* in 6. Abbas c. *Cum venerabilis*, n. 27. et c. *Dilecti filii*, n. 9. h. t. inde ulterius inferens, quod ut replicatio admittatur, suumque effectum operetur, requirantur ea omnia, quæ concurrere debent ad exceptionis admissionem : nam replicatio est « quasi exceptionis exceptio, » ut dicitur l. *Exceptio est*. 22. ff. h. t.

TITULUS XXVI.

De Præscriptionibus.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Posteaquam titulo præcedenti visum est de exceptionibus in genere, sequitur nunc de præscriptione, quæ est species quædam exceptionis peremptoriæ, atque non raro in judiciis objici solet. Et quia notabiles circa eam occurrunt difficultates, merito de ipsa tum in jure civili, tum canonico, sub specialibus titulis tractatur : unde de ea majoris claritatis gratia in distinctis etiam paragraphis agendum videtur; haud obstante, quod de præscriptione, et usucapione, etiam in *Theologia morali* tract. 7. distinct. 6. per totum ex professo jam egerim.

§ I.

DE NATURA, DIVISIONE, EFFECTU, ATQUE CONDITIONIBUS USUCAPIONIS, ET PRÆSCRIPTIONIS.

2 et 3. *Præscriptionis nomen sumitur dupliciter; generatim, et magis proprie : quomodo?* — Quæritur I. Quot modis « præscriptionis » nomen in jure sumatur? Resp. I. Dupliciter. *Primo* generatim : prout idem est, ac exceptio, sive oppositio ad excludendam actionem, seu intentionem alterius. Sic præscriptio accipitur in l. *Sed et si.* § ult. ff. *de Judiciis* : atque in toto tit. ff. et c. *de Exceptionib. et Præscriptionib.* et alibi frequenter.

Secundo, et magis proprie, sumitur præscriptio specialiter pro exceptione peremptoria, per quam bonæ fidei possessor, post decursum temporis a legibus definiti, dominum rem suam pristinam repetentem, vel antiquo suo jure, uti volentem, repellere potest. Sic enim quis dicitur contra eum præscribere, seu peremptorie excipere, opponendo continuatam sufficientis temporis possessionem, per quam fecit rem suam. Et in hoc sensu procedit rubrica præsentis tituli.

4. *Præscripto adhuc dupliciter accipitur, nempe prout et in fieri : et prout est in facto esse.* — Resp. II. Præscriptio taliter sumpta, adhuc dupliciter accipi potest. *Primo,* prout est in fieri : qualiter aliud non est, quam actus acquirendi rem alterius per durantem etiamnum possessionem bona fide continuatam, et necdum tempore legibus definitio absolutam : et sic præscriptio dicitur non procedere, dormire, vel interrumpi, juxta amplius dicenda § 7. n. 191, 192 et seqq. *Secundo,* prout esf in facto esse : quando videlicet tempore legitimo completo per continuatam bona fide possessionem cuipiam jam est acquisitum jus in re, vel extinctum jus alterius, eique præscriptum. Dicitur notanter in dativo, « eique præscriptum. » Siquidem

5. *Circa prescriptionem est observanda certa phrasis, et formula loquendi; et qualis?* — Notandum est cum Ludov. Engel h. t. n. 1. et aliis, quod circa præscriptionem sit observanda certa phrasis, et formula loquendi. Quando enim per præcriptionem jus alterius, quod habuit in re nostra, puta, agro, domo, etc., extinctum seu peremptum est, eo quod tempore a legibus definito jure suo uti neglexerit : tunc juristæ solent loqui in dativo, scilicet : « Prescripsi huic obligationi : jam præscriptum tali juri, actioni. » Vel saltem solet addi præpositio, *Contra,* dicendo v. g. « Præscriptio contra talem obligationem. » Quando autem de acquisitione sermo est, dum scilicet per viam præscriptionis nobis jus, vel dominium rei alienæ acquisitum fuit; tunc utimur, vel nominativo, vel accusativo casu, taliter : « Præscripta est a me res ista : » sive, « Præscripsi hanc rem, jurisdictionem, servitutem, » etc.

6. *Usucapio, quid?* — Quæritur II. Quid sit usucapio, et an differat a præscriptione? Resp. I. « Usucapio est acquisitio, vel adjectio dominii, per continuationem possessionis temporis lege diffiniti. » Ita textu in l. III. ff. *de Usucapion.* Quæ quidem definitio est intelligenda causaliter, ut notat Glossa 1. ibid. Etenim usucapio est causa acquisitionis dominii, non vero est ipsa acquisitio; sicut a pari traditio rei est causa possessionis, non vero ipsa possessio.

7. *Solvitur instantia contra ejus definitionem.* — Dices. Data definitio non explicat quidditatem usucapionis, sed duntaxat effectum ejus, ut proxime dictum; ergo non est bona : nam causatum, sive effectus, necessario differt a causa, veluti correlativum ipsius. Resp. neg. consequent. cum suæ probationis consequentia. Quamvis enim definitio rei non recte concipiatur per effectus ipsius, qui duntaxat sunt remoti, ac pluribus

communes, neque eidem inseparabiliter adhærent: secus tamen est, quando effectus illi sunt proprii talis rei, eique necessario ac inseparabiliter adhærent; prout fit in proposito. Sic enim a posteriori rectissime definiuntur rerum essentiæ, seu potius istæ circumscribuntur per effectus sibi proprios; uti patet tum in physicis, tum in aliis passim.

8. *Usucapio et præscriptio, an different?* — Resp. II. Etsi nonnullæ inter usucapionem, et præscriptionem, soleant a doctoribus afferri differentiæ: nihilominus de facto plerumque inter se confunduntur. Ita Abbas ad rubric. h. t. n. 3. asserens, quod usucapio, ad præscriptio, proprie et scricte inter se differant, sed late sive largo modo unum comprehendat alterum. Pirhing h. t. n. 3; Engel eod. n. 1; Sannig. cap. I. n. 3. asserens, quod quidam prisci jurisconsulti varias posuerunt differentias inter usucapionem et præscriptionem, sed posteriores legistæ, et maxime canonistæ, nonnisi nominalem distinctionem agnoscant, ipsasque pro synonimis accipiant.

9. *Usucapio juxta quasdam rebus tantum corporalibus convenit: Præscriptio generaliorem habet significationem.* — Conclusio hæc probatur assignando nonnullas differentias, quas antiquiores doctores inter usucapionem et præscriptionem posuerunt; ipsasque breviter impugnando. Et primo quidem, atque attendendo ipsam vim nominis, et juxta plerosque antiquiores. Usucapio rebus tantum corporalibus convenit; utpote quæ ipso usu capi, seu apprehendi, sicque acquiri solent, arg. l. *Usucapionem* juncta Glossa ỷ. *Maxime.* ff. *de Usucapion.* Præscriptio autem generaliorem habet significationem, et rebus tum corporalibus tum incorporalibus, imo et juris alieni peremptioni convenit: ut proinde latius patere videatur præcriptio, quam usucapio; et omnis quidem usucapio sit præscriptio, non econtra. Verum quia etiam libertas, et servitutes usucapi posse dicuntur, l. *Sequitur.* § *Libertatem.* ff. *de Usucapion.* et l. *Si aliena res.* § *Hoc jure.* ff. eod. hinc patet, istam differentiam non semper jure observari.

10. *Præscriptio triennalis solet dici usucapio; præscriptio longi, vel longissimi temporis præscriptio, non usucapio.* — Deinde præscriptio triennalis (qualis datur inter res mobiles) frequentiori usu, ac proprio nomine, solet in jure dici *usucapio*, ut inquit Glossa § 1. ỷ. *Usucapiantur.* Instit. *de Usucapion.* Præscriptio vero longi, vel longissimi temporis, communiter appellatur *præscriptio*, non usucapio: prout patet ex rubricis, cod. *de Usucapion. pro tempore.* et seqq. *de Præscriptione longi temporis. de Præscriptione* 30. vel 40. ann. Verum hoc ipsum non semper procedere, neque observari, patet ex rubrica, totoque tit. eod. *de Quadriennii præscriptione,* et Auth. *Quas actiones.* c. *de SS. Ecclesiis,* cum similibus, ubi admittitur præscriptio quatuor, vel pauciorum annorum.

11. *Usucapio est in rebus mobilibus, præscriptio in immobilibus. Hæ tamen differentiæ non semper attenduntur.* — Rursus Glossa in l. 3. ff. *de Usucapion.* et Abbas ad rubric. h. t. et veteres passim voluerunt, quod usucapio proprie sit in rebus mobilibus; præscriptio in rebus immobilibus, et juribus incorporalibus. Et hanc differentiam etiam doctor subtilis in 4. dist. 25. quæst. 2. § *De secundo,* supponere, videtur, ibi: «Ex hoc dico, quod præscriptio in immobilibus, et usucapio in mobilibus,» etc. Verum, quia § 1. Instit. *de Usucapion.* expresse nomen *usucapionis* rebus tam mobilibus quam immobilibus attribuitur, ibi: «Res quidem mobiles per triennium, immobiles vero per longi temporis possessionem usucapiantur:» quod ipsum fit l. un. c. *de Usucapion. transformand.* et alibi; hinc patet, hanc etiam differentiam non semper attendi. Covarruvias c. *Possessor.* part. I. n. 3. *de Reg. jur.* in 6. Engel h. t. n. 1; Pirhing. n. 3. et alii passim.

12. *Præscriptio, quid?* — Resp. III. Usucapionis definitio n. 6. assignata, etiam præscriptioni adaptari potest; præsertim, si per ly, «adjectio dominii,» etiam alieni juris elisio comprehendatur, dicendo videlicet: Præscriptio est adjectio dominii, vel alieni juris peremptio, per continuationem possessionis temporis a lege definiti. Ita Engel h. t. n. 1. et alii; non obstante, quod nonnulli addendum putent ly, «et modo legibus definito: nam hæc clausula satis indicatur per ly, «tempore legibus definito,» prout observat Vallensis h. t. § 1. in fin. Ratio conclusionis taliter explicatæ est: quia, ut dictum, usucapio et præscriptio plerumque inter se confunduntur, idemque important; et consequenter definitio competens uni, etiam alteri convenire debet. Additur tamen in hac definitione ly, «vel alienis juris peremptio:» quia hanc non importat usucapio, vi nominis, bene tamen ipsam involvit præscriptio, juxta dicta n. 9.

13. *Alia præscriptionis, atque usucapionis de-*

finitio, per sua essentialia data. — Quod si vero præscriptionem, atque usucapionem, per sua essentialia definire placuerit, istud apte fiet dicendo : Præscriptio (usucapio) est exceptio ex tempore legibus definitio substantiam capiens, quæ actioni personali, vel in rem opponitur. Ita Glossa caus. 16. q. 3. in *Summa.* Covarruvias cit. part. I. in c. *Possessor.* n. 4. qui tamen posteriora verba, videlicet « quæ actioni, » etc. omittenda censuit. Pirhing h. t. n. 2. et alii. Dicitur primo. *Exceptio :* quæ particula stat loco generis; nam præscriptio, est species quædam exceptionis, et quidem peremptoriæ. Et additur, « ex tempore legibus definito substantiam capiens: quæ particula stat loco differentiæ; nulla enim alia exceptio habet suum valorem ex tempore legibus definito, præter præscriptionem seu usucapionem. Ultima vero particula, « quæ actioni, » etc. majoris claritatis gratia additur per Glossam, ubi supra : quamvis etiam cum Covarruvia omitti valeat.

14. *Præscriptio est triplex.* — Quæritur III. Quotuplex sit præscriptio, et quo jure introducta? Resp. I. Præscriptio est triplex : nam quædam est odiosa, quædam favorabilis, et quædam mixta. Ita Glossa in l. *Sicut in rem.* ỿ. *Per executorem* et Bartolus ibid. § *Quædam,* c. *de Prescript. triginta vel quadraginta annorum ;* Abbas c. *Illud autem.* n. 11. h. t.; Covarruvias part. II. c. *Possessor.* § 12, n. 4. et alii. Idque ostenditur declarando terminos : siquidem.

15. *Præscriptio odiosa, quæ?* — « Præscriptio odiosa » dicitur, quæ currit solum ex negligentia non petentis, nullo attento favore præscribentis. Nam quia hæc præscriptio secundum leges civiles fuerat introducta in merum odium negligentis, seu non repetentis rem suam intra tempus longissimum triginta vel quadraginta annorum (atque statuta fuit in punitionem tantæ negligentiæ : hinc ipsa secundum leges (non autem secundum canones) procedebat, sive præscribens fuisset bonæ fidei, sive malæ fidei, saltem in modum exceptionis : interrumpebatur autem per solam executoris missionem. Textus, Glossa, Bartolus, aliique doctores in cit. l. *Sicut in rem.* c. *de Prescript. triginta vel quadraginta annorum* estque quoad alteram partem jam dictum supra tit. III. *De Libelli oblatione.* n. 109. et alibi.

16. *Præscriptio mere favorabilis, quæ?* — « Præscriptio mere favorabilis » dicitur ea, quæ currit favore possidentis propter titulum, et bonam fidem ipsius : ut est præscriptio triennalis, qualis locum habet in rebus mobilibus. Et ista non interrumpitur per citationem, nec per litis contestationem, nisi in effectu; ut l. *Si post acceptum.* ff. *de Rei vendicat.* Glossa, et Bartolus, ubi supra, et alii. Accedit ratio, quia lititis contestatio non tollit favorem rei.

17. *Præscriptio mixta, quæ?* — « Præscriptio mixta » tandem est, quæ currit tam favore possidentis (ob titulum et bonam fidem ipsius) quam odio negligentis : ut præscriptio decem, vel viginti annorum. Et in hac eligitur quædam via media, ut non interrumpatur per solam executoris missionem, bene tamen per litis contestationem; ut l. *More litis.* c. *de Rei vendicat.* et notat Glossa, et Bartolus loc. cit.

18. *Præscriptio primitus est introducta per leges civiles, postmodum approbata per canones.* — Resp. II. Præscriptio primitus fuit introducta per leges civiles, postmodum vero per sacros canones approbata; dummodo concurrant debitæ conditiones, de quibus in progressu, conclusio desumitur ex l. I. et seqq. ff. *de Usucapionib.* et l. I. ac seqq. c. *de Præscript. longi tempor.* cum similibus : ubi plures tales leges præscriptionem introducentes reperiuntur, quæ postea per jus canonicum toto hoc titulo fuerunt receptæ, et approbatæ. Id ipsum confirmatur ex c. *Vigilanti.* 5. h. t. ubi pontifex fatetur quod « Ephesinus legislator propter vitandam miserorum segnitiem, et longi temporis errorem et confusionem, primus triennali vel quadragennali præscriptioni vigorem legis imposuit : » quam etiam Papa ibidem, et alibi sæpe, concurrentibus debitis conditionibus approbavit.

19. *Cur fuerit introducta?* — Porro causa introducendi per leges et canones jus præscriptionis, fuit bonum publicum, ne videlicet rerum dominia diu, et fere semper essent incerta, l. I. ff. *de Usucapion.* Tum ut præscindantur innumerabiles, ac perpetuæ lites, quæ cæteroquin oriri possent. Tum etiam, ut hac ratione tollatur, vel puniatur misera quorumdam segnities, rem suam repetere negligentium, cit. c. *Vigilanti.* 5. h. t. Nam sibi imputet negligens, l. *Quod quis.* ff. *de Reg. jur.* Simulque jura vigilantibus subveniunt, non dormientibus; ut habetur l. *Non enim.* ff. *Ex quibus causis majores,* etc. et l. *Pupillus.* ff. *De iis, quæ in fraudem creditor.*

20. Id ipsum declaratur ex eo. Quia si, lex ob diuturnam possessionem bona fide conti-

nuatam, ac justo titulo ac quis tam, alicujus rei dominium expresse mihi non attribueret, nunquam de hoc forem securus; quinimo semper timere possem, ne quis superveniat illius rei dominium sibi vendicans : ergo, ne fere semper incerta essent rerum dominia, merito per leges, et sacros canones, introducta est usucapio, atque præscriptio. Antecedens probatur. Quia non illico sequitur, « rem istam emi, vel alter eam mihi donavit, legavit, etc. ergo est mea. » Si enim ille, qui rem istam mihi donavit, etc., dominus ejus non fuit, neque me dominum facere potuit, juxta reg. 79. juris in 6. « Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur, » cum concordantiis.

21. *Præscriptio est justa, et transfert rerum dominium nedum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ.* — Quæritur IV. Utrum præscriptio procedat non solum pro foro externo, sed etiam pro foro conscientiæ; et sub quibus conditionibus? Resp. I. Translatio dominii facta auctoritate legis per præscriptionem, seu usucapionem, justa est; simulque per eam transfertur rerum dominium, nedum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ : adeo quidem, ut si præscriptio cujuspiam rei legitime fuerit completa, postmodum possessor ipsius eam amplius non teneatur restituere, etiamsi certo sciat, rem illam antea fuisse alienam. Ita Glossa c. *Vigilanti.* vers. *Noverit.;* et Abbas ibid. n. 6. h. t.; Scotus in 4. dist. 15. q. 2. § *De secundo;* Fagnanus c. *Si quis.* n. 50. *de Regularib.* et alii communiter. Ratio est, quia, ut argumentatur doctor Subtilis loc. cit. translatio dominii, facta auctoritate legis publicæ justæ, justa est : atqui in præscriptione legitime completa intervenit talis translatio dominii, per jura hactenus allegata, et imposterum alleganda; ergo. Major probatur : quia lex justa potuit a principio juste determinare prima rerum dominia; ergo etiam posterior lex justa pro temporum varietate, atque exigentia boni publici, juste de eisdem poterit disponere, arg. can. 1. et seqq. dist. 29.

22. *Alia hujus ratio affertur.* — Confirmat hoc ipsum doctor Subtilis loc. cit. ex eo. Quià juste potest istud statui a legislatore, quod est necessarium ad pacificam conversationem subditorum; sed dominium rei neglectæ (prout negligitur in præscriptione) transferri in bona fide possidentem, est necessarium ad pacificam conversationem subditorum; ergo. Minor patet, quia, si non transferretur rerum dominium in bona fide possidentem tempore longo, vel etiam longissimo, orirentur lites immortales : nam post quantumcumque tempus ille qui neglexit rem aliquam repetere, postmodum vel ipse, vel hæres ejus posset ipsam repetere; ex quo orirentur lites perpetuæ. Atque istud est, quod in l. I. ff. *de Usucapion.* habetur illis verbis. « Bono publico introducta est usucapio, ne scilicet quarumdam rerum diu, et fere semper incerta dominia essent : cum sufficeret dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatium. » Hæc ibi.

23. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura : quomodo intelligendum?* — Nec obstat regula 48. juris in 6. sic loquens : « Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. » Resp. enim, regulam istam loqui de injusta locupletatione; non autem de justa, qualis est hæc, quæ fit auctoritate legis ex rationabili et publica causa, atque ob communem reipublicæ quietem, et pacem subditorum constitutæ. Simile quid accidit in bello justo, ubi multi locupletantur cum hostium jactura, etsi neutiquam injuste. Concordant ea quæ dixi in *Theologia morali*, tract. 7. distinct. 6. quæst. 1. n. 5. et seqq.

24. *Conditiones ad præscriptiones requisitæ, quæ?* — Resp. II. Nihilominus ut præscriptio, sive usucapio sit legitima, vimque transferendi rerum dominium habeat, plures requiruntur conditiones; videlicet sequentes. — I. Ut res sit apta præcribi. — II. Bona fides. — III. Justus. — IV. Possessio, et quidem legitimo tempore continuata : quæ omnes (ultima in duas divisa) sequentibus versiculis apte comprehenduntur.

Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque.
Sit res apta, fides bona, sit titulus quoque justus.
Possideas juste, completo tempore legis.

25. *Ad eam an etiam requiratur traditio rei?* — Addunt nonnulli cum Glossa causa 16. q. 3. in *Summa*, relatos versiculos non nihil immutatos referente, traditionem rei. Verum recte notat Engel h. t. n. 5. eam non esse per se necessariam, sed solum ex consequentibus, quatenus vel justa possessio, aut bona fides, vel justus titulus sine ea deficit. Porro si enumeratæ conditiones rite intelligantur, ipsa natura præscriptionis exactius percipietur, hinc de eisdem singillatim restat dicendum in propriis paragraphis : proinde sit.

§ II.

DE REBUS, QUÆ PRÆSCRIBI POSSUNT, VEL NON POSSUNT.

26. *Omnes res possunt præscribi, nisi specialiter prohibeantur.* — Quæritur I. Quænam res generatim possint, vel non possint præscribi? Resp. I. Omnes res possunt præscribi, seu usucapi, nisi lege, vel speciali ratione præscribi prohibeantur. Ita communis; et patet ex § 1. et seqq. Instit. *de Usucapion.* et l. *Longi temporis.* c. *de Præscription. long. tempor.* cum similibus; ubi rerum usucapio, seu præscriptio indistincte conceditur, certis duntaxat rebus postmodum exceptis.

27. *In jure dicuntur quædam præscribi non posse, dupliciter. Furtivæ res præscribi non possunt; et quomodo?* — Resp. II. In jure dicuntur quædam non posse præscribi, quia ordinario tempore non usucapiuntur: quædam vero, quia nullo modo præscribi possunt. Ita Lessius lib. II. *de Justit. et jur.* cap. VI. dubit. 15. n. 48. et alii; idque probatur inductione. Siquidem imprimis § *Furtivæ.* Instit. *de Usucap.* dicitur: Quod « furtivæ res, et quæ vi possessæ sunt, non possunt usucapi: » et tamen hæ tertio bonæ fidei possessore, puta, qui eas bona fide emit, præscribuntur annis tringinta, l. *Sicut in rem.* c. *de Præscription. tringinta vel quadringinta.* et l. I. § *Ad hæc.* c. *de Annal. except.* ac notat Glossa cit. § *Furtivæ.* ỹ. *Prædicto longo tempore.* Instit. *de Usucap.*

28. *Fisci res usucapi non possunt: et quando secus?* — Similiter in § *Res fisci.* Instit. eod. ait imperator, quod « res fisci nostri usucapi non possit: » et tamen bona fisco jam incorporata, præscribuntur annis quadraginta, l. *Omnes.* c. *de Præscript. tringinta vel quadraginta* annor. Si vero necdum fuerunt fisco incorporata, ei tamen debita, partim præscribuntur quadriennio, quando videlicet non debentur ex delicto, sed ob mortem decedentis sine legitimo hærede, l. I. c. *de Quadriennii præscription.* Partim quinquennio, ut quando debentur ex delicto, v. g. ob vectigal non solutum, juxta textum in l. II. c. *de Vectigalib.* Ac per hæc patet ad priorem partem conclusionis: altera vero pars liquet eo, quia dantur nonnullæ res, quæ nullo modo præscribi possunt, prout illico dicetur. Unde

29. *Liber homo usucapi non potest.* — Quæritur II. Quæ res in specie præscribi nequeant? Resp. I Liber homo nullo unquam tempore usucapi, seu præscribi potest. Textus est in § *Sed aliquando.* Instit. *de Usucapion.* ibi: « Sed aliquando, etiamsi maxime quis bona fide possideat rem, non tamen illi ullo tempore usucapio procedit: veluti, si quis liberum hominem, vel rem sacram, vel religiosam, vel servum fugitivum possideat. » Ita textus expressus § *Sed aliquando.* Instit. *de Usucapion.* Concordat textus in l. ult. c. *de Longi temp. præscriptione, quæ pro libertate,* etc., ubi dicitur, contra libertatem hominis non præscribi etiam sexaginta annis.

30. *Potest tamen servus præscribere libertatem contra dominum.* — Nec obstat, quod servus præscribere possit libertatem suam contra dominum, si viginti annis, etiam sine titulo, bona fide sese gesserit pro libero, cit. l. I. c. *de Longi temporis præscriptione, quæ pro libertate,* etc., juncta Glossa fin. ibid. Resp. enim, esse maximam disparitatem: nam libertas hominis connumeratur inter causas favorabiles, cap. ult. *de Sentent. et re judicat.* ac proinde favor libertati debitus, et salubris, merito induxit legislatores, ut admitterent longi temporis præscriptionem pro libertate, cit. l. II. c. *de Longi tempor. præscript.* Non vero adversus libertatem hominis, etiamsi præscriptio ista accessisset sexaginta annorum curriculum, l. III. c. eod.

31. *Res publicis usibus deputatæ, v.g. forum, platea, pons, etc., nec in totum, nec in partem præscribi possunt: et cur?* — Resp. II. Res publicis usibus deputatæ, ut forum, via publica, plateæ, pons, et hujusmodi, nec in totum, nec in partem præscribi possunt. Ita Lessius lib. II. *de Justit. et jur.* cap. VI. n. 48. Pirhing. h. t. n. 12. et alii. Idque patet ex l. *Usucapionem.* ff. *de Usucapionib.* ubi expresse dicitur, quod in rebus « publicis, populi Romani, et civitatum, » non procedat usucapio. Quamquam Glossa ibid. ỹ. *Romani.* et ỹ. *Civitatum,* istud intelligendum censeat de illis rebus, quæ sunt in usu ipsius populi Romani, aut totius universitatis, uti sunt res in conclusione enumeratæ: alias secus. Accedit ratio, quia ejusmodi res publicæ, utpote omnibus communes, a privatis non possidentur, sed promiscue usurpantur, l. I. § fin. ff. *de Acquirend. possession.* Atqui « sine possessione præscriptio non procedit, juxta reg. 3. juris in 6. cum similibus. Concordat textus in l. II. ff. *de Via publica.* ubi dicitur: « Viam publicam populus non utendo amittere non potest: » etiamsi centum annis non ivit; prout subjungit Glossa un. ibid. asserens,

istud contingere favore publicæ utilitatis.

32. *Res sacræ v. g. Ecclesia, jura spiritualia, decimæ, etc., nullo tempore a laicis præscribi possunt.* — Resp. III. Res sacræ, Ecclesiæ, atque loca religiosa, nec non jura spiritualia, v. g. jus decimarum, jus conferendi beneficia ecclesiastica, et hujusmodi, nullo tempore a laicis præscribi possunt : utpote cum nec talia a laicis possideri valeant. Ita habetur c. *Cum causam.* 7. h. t. cum similibus; et concordat textus in l. *Usucapionem.* ff. *de Usucapion.* et ff. *Sed aliquando.* Instit. eod. estque communis doctorum.

33. *Dummodo excipiantur decimæ, laicis ante concilium Lateranense in feudum concessæ. Ac etiam jus patronatus.* — Fallit istud in decimis ante concilium Lateranense, sub Alexandro III anno 1179. celebratum, laicis per episcopos pro defensione suarum ecclesiarum inferendum perpetuo concessis : nam, quod decimæ illæ, quæ antea laicis perpetuo in feudum concessæ fuerant, postmodum penes laicos vasallos remanserint (sublata tamen episcopis in dicto generali concilio potestate, decimas ita laicis imposterum infeudandi) claré desumitur ex c. *Cum Apostolica.* 7. § fin. *De his, quæ fiunt a prælatis*, etc. et c. *Statuto*, § *Sane. de Decimis*, in 6. ac tenet Covarruvias lib. I. *Variar. resolut.* cap. XVII. n. 5. Rota apud Merlinum decis. 694; Rebuffus *de Decimis.* quæst. 13, n. 64; Marescottus lib. I. *Var. res.* cap. XCII. allegans Rotam cum aliis. Fallit id ipsum etiam in jure patronatus; nam hujus laici non sunt incapaces, c. *Quoniam* 3. et seqq. *de Jure patronat.* ac proinde istud bene potest ab uno laico præscribi contra alium. Sed de his plura in propriis titulis.

34. *Bene tamen, res sacræ possunt a clericis, et aliis personis ecclesiasticis præscribi.* — Additur quoque in data conclusione ly « a laicis. » Nam, quod Ecclesiæ quoad proprietatem ab uno prælato ecclesiastico contra alium, et alia jura spiritualia bene possit præscribi a clericis, aliisque personis ecclesiasticis, patet ex cap. I. h. t. et c. *De quarta.* 4. et c. *Ad aures.* 6. et c. *Auditis.* 15. et c. *Cum olim.* 18. eod. cum concordantiis. (ADNOTATIO XVII.)

35. *Nam etiam beneficium ecclesiasticum quoad titulum præscribi valeat?* — Num autem beneficium ecclesiasticum, seu Ecclesia quoad titulum, possit usucapi per triennalem possessionem, pacifice ac bona fide continuatam, juxta reg. 36. Cancellariæ *De Triennali possessore*, variant doctores, Negat Glossa c. *Contingit.* ℣. *Constituatur.* circa med. *de Dolo et contumac.*; Zoesius h. t. n. 19; Covarruvias part. II. in c. *Possessor.* § 10. n. 10. vers. *Sexta conclusio.* citans alios. Siquidem « Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri; » prout loquitur reg. 1. Jur. in. 6. cum concordantiis. Affirmat Navarrus consil. 13. *de Præbend.*; Lessius lib. II. *de Just. et jur.*, dubit. 10. n. 55; Emmanuel Sa ℣. *Beneficium.* n. 14; Layman lib. III. sect. 5. tract. I. cap. VIII, n. 16. allegans alios : atque asserens regulam in contrarium allegatam procedere jure ordinario, ac secluso ordinario remedio usucapionis : apud quem, sicut et apud Covarruviam loc. cit. n. 9. et 10. plura de hoc.

36. *Res indivisim communes pluribus, ab aliquo eorum præscribi non possunt.* — Resp. IV. Res indivisim communes pluribus, ab aliquo sociorum præscribi non possunt, quominus cæteris suam portionem reddere debeat, etiamsi tempore longissimo ipsas detinuerit. Ita Vallensis h. t. § 8. n. 6; Pirhing eod. n. 16; Lessius cit. cap. VI. n. 48. et alii. Ratio est, quia rem indivisam censetur quis non suo tantum, sed etiam aliorum sociorum nomine possidere; ut l. *Si communem.* ff. *Quemadmodum servitutes amittantur* : ac proinde numquam poterit eam suo nomine præscribere; cum sine possessione præscriptio non procedat, juxta reg. 3. jur. in 6.

37. *Sicut nec precarium, commodatum, pignus, res emphyteutica, etc.* — Et ob eamdem rationem nequit præscribi precarium, commodatum, pignus, res emphyteutica vel feudalis, conductum aut depositum ab eo, qui hæc sub tali titulo possidet, aut ab ejus hærede. Quia nimirum talia nomine alieno possidentur : atqui alieno nomine possidens, non præscribit : nam is possidet, cujus nomine possidetur, c. *Si diligenti.* 17. h. t. Unde, quod tenens ut emphyteuta, vel conductor, seu quolibet alio tali titulo non præscribat; textus est in l. *Cum notissima.* § *In iis etiam*, juncto Baldo in *Summario.* ibid. c. *de Præscription. triginta vel quadraginta annor.* Idemque de pignore habetur expressum l. *Pignori.* ff. *de Usucapion.* ac tradit Glossa fin. c. *Cum non liceat.* et Abbas ibid. n. 11, h. t.; Lessius cit. cap. VI, dubit. 15, n. 48; Sannig. h. t., cap. VI. n. 2. et alii communiter. Quamquam per hoc non negetur, quin jus feudale, seu emphyteuticum,

quoad proprietatem possit præscribi contra dominum directum: puta, si quis tempore debito, bonaque fide rem aliquam possedit in feudum; ac servitutem domino exhibuit; licet ea de re nunquam fuerit vestitus; prout habetur lib. II, *Feud.* tit. XXVI. *Si de feudo defuncti*, etc. § *Si quis per triginta.*

38. *Res meræ facultatis, seu gratuitæ voluntatis, nequeunt præscribi. Exemplificatur istud in pergente ad certum molendinum, furnum, aut praxatorium pro emenda cerevisia, vel pane.* — Resp. V. Res meræ facultatis, seu gratuitæ voluntatis, nequeunt præscribi. Ita desumitur ex l. 2. ff. *de Via publica;* ac notat Covarruvias in c. *Possessor.* part. II, § 4, n. 6, istud ulterius probans ex l. *Qui jure familiaritatis.* ff. *de Acquir. possess.* et l. *Et habet.* § *Hospites* ff. *de Precar.* et l. *Si mulier*, ff. *Quibus modis ususfruct. amitt.;* Gailus lib. II. *Practic.* observat. 18. n. 4. et 5; Pirhing h. t. n. 17. et communis. Hinc, si centum annis, et ultra; quidam iverint ad certum molendinum, vel ad furnum pro coquendo pane, aut praxatorium pro emenda cerevisia; non tamen vi præscriptionis cogi possunt, ut deinceps illuc eant; quia per actus meræ facultatis, seu prorsus liberos non inducitur consuetudo, neque præscriptio.

39. *Quid si dominus suis subditis prohibuerit ne ad alios furnos, praxatoria, vel molendina pergant, quam sua?* — Fallit hoc, quando jus hujusmodi quæsitum fuit domino adversus suos vasallos, sive subditos, eo quod ex rationabili causa, puta, ex consuetudine in antea viginte vel privilegio saltem colorato, sicque bona fide prohibuerit subditis suis, ne irent ad alios furnos, praxatoria, vel molendina, quam ad sua, aut sibi subjecta. Tunc enim, licet subditi illi antecedenter ex mera facultate ivissent ad furnum, praxatorium, vel molendinum domini sui; tamen si postea dictæ prohibitioni a domino suo territoriali bona fide (qualis requiritur ad omnem præscriptionem) interpositæ, ne aliorsum pergerent, cum patientia acquievissent: revera tum probata tali patientia subditorum, dominus in quasi possessione talis juris constitueretur; atque hac ratione procederet præscriptio, incipiens a die factæ prohibitionis. Abbas c. *Significante.* n. 1. *de Appellation.;* Covarruvias cit. part. II. in c. *Possessor.* § 2. n. 6. allegans plurimos alios: et docet in simili Glossa 1. l. *Qui luminibus.* ff. *de Servitutib. urban. prædior.*

40. *Limites provinciarum diœcesium, parochiarum, etc., præscribi non possunt. Etiam cum titulo ac per tempus immemoriale.* — Resp. VI. Limites, seu termini provinciarum, diœcesium, et parochiarum, vel finibus cohærentia, de quibus, quod ecclesiastica ordinatione olim sic præfixi fuerint legitime constat, præscribi non possunt. Textus est in c. *Super eo.* 4. *de Parochiis;* ubi Glossa 1. Abbas, Barbosa in *Collectan.* et alii passim. Concordat can. *Quicumque*, et can. *Licet in regulis.* 16. q. 3. ubi et hujus ratio redditur: *Ne provinciarum termini confundantur.* Quod ipsum procedere in episcopatibus, atque parochiis, cum sit eadem ratio de his; probat cit. c. *Super eo*, juncta Glossa 1. *Per canones*, eod. Adeo, ut istud procedat in omni præscriptione, sive cum titulo, imo per tempus immemoriale, aut ultra centum annos continuata. Abbas ibid. n. 2. et 7; Pirhing h. t. n. 18. et alii; quid istud etiam ad limites regnorum, ducatuum, et comitatum sæcularium extendunt.

41. *Secus dicendum de limitibus prædiorum, privata auctoritate constitutis.* — Dicitur nonanter, « Limites provinciarum, diœcesium, » etc. Nam secus est dicendum de limitibus de prædiorum qui privata auctoritate, atque conventione constituuntur. Hi enim spatio quadraginta annorum cum bona fide præscribuntur, juxta textum expressum. c. *Quia indicante*, 9. h. t. cum similibus.

42. *Imo et de limitibus provinciarum, diœcesium, parochiarum, etc., si de ipsorum certa ordinatione ecclesiastica non constet.* — Et additur, « de quibus quid ecclesiastica ordinatione olim sic præfixi fuerint, legitime constat. » Nam de talibus finibus, seu limitibus parochiarum, etc. in cit. c. *Super eo.* *de Paroch.* fit expressa mentio. Unde secus est dicendum, si de limitum certa ordinatione ecclesiastica antiquitus facta non constat: tunc enim valet præscriptio. Abbas loc. cit. n. 2. Engel h. t. n. 8. et alii, apud quos plura de hoc.

43. *Reservata principi in signum supremi dominii, præscriptione non tolluntur.* — Resp. VII. Reservata principi in signum supremi dominii, puta, præstatio tributi, ac hujusmodi, nullius temporis præscriptione tolluntur. Textus est expressus in l. *Comperit.* c. *de Præscription. triginta vel quadraginta annorum.*

44. *Res pupillaris præscribi non potest. Contra ætatem pupillarum non currit pres-*

criptio. — Insuper res pupillaris præscribi non potest, l. *Bonæ fidei*, juncta Glossa vers. *Pupilli.* ff. *de Acquirend. rerum domin.* Siquidem contra ætatem pupillarem non currit præscriptio, l. *Sicut in rem.* c. *de Præscription. triginta vel quadraginta annorum.*

45. *Nequit præscribi fundus dotalis.* — Item nequit præscribi fundus dotalis : quia nec alienari potest, l. *Fundus.* ff. *de Fundo dotali.* Tacentur nonnullæ aliæ res, quæ præscribi non possunt, vel saltem non præscribuntur tempore ordinario; de quibus fuse agit Glossa fin. c. *Cum non liceat.* 12, h. t.; Hostiensis in *Summa* h. t., n. 4. et 5. et alii.

46. *Ubi a lege, aut canone prohibetur alienatio alicujus rei, etiam intelligitur prohibita ipsius usucapio*, *juxta Glossam. Alienationis verbum etiam usucapionem continet.* — Addit Glossa in l. *Ubi lex inhibet. Nihil prodest*, juncta Glossa marginal. ibid. ff. de *Usucapion.* quod ubicumque a lege communi, seu municipali, aut a canone prohibetur alienatio alicujus rei, etiam intelligatur prohibita ipsius usucapio. Et hanc Glossam approbat Bartolus ibidem, asserens eam tota die allegari. Concordat Glossa 1. in l. *Alienationis.* ff. *de Verb. signif.* Quia enim hic dicitur : « Alienationis verbum, etiam usucapionem continet : » hinc prohibita alienatione, hoc ipso saltem tacite censetur prohibita usucapio : ut cit. l. *Fundus.* ff. *de Fundo dotal.* et l. *Bonæ fidei*, ff. *de Acquirend. rerum domin.*

47. *Regula illa Glossæ non procedit universaliter.* — Verum, ut notat Abbas c. *Cum non liceat.* n. 7. et seqq. h. t.; Angelus vers. *Præscriptio*, n. 22; Pirhing h. t. n. 35. et seqq. et alii, dicta regula non procedit universaliter: nam multa prohibentur alienari, quæ tamen possunt præscribi. Sic quippe res Ecclesiæ immobiles prohibentur alienari, toto tit. *de Rebus. Eccles. non alienand.* et tamen possunt præscribi, c. *Illud autem*, 8. et c. *Quia indicante*, 8. h. t. Similiter res dotalis prohibetur alienari, cit. l. *Si Fundus.* ff. *de Fundo dotali :* potest tamen præscribi, si jam antea fuit incohata præcriptio, priusquam esset res dotalis, l. *Si fundum.* ff. eod. cum similibus.

48. *Et quando procedat, nec ne?* — Distinguendum proinde est cum doctoribus proxime citatis. Quia aut lex prohibet alienationem, eo quod res illa non sit in commercio hominum, nec ejus possessio haberi possit; ut res sacræ, et publicæ, quæ a laicis, vel privatis possideri non possunt : et sic non valet præscriptio ullo tempore; nam « sine possessione præscriptio non procedit, » juxta reg. 3. jur. in 6. Aut lex prohibet simpliciter alienationem favore ipsius rei (prout contingit in fundo dotali, in fidei commisso, et similibus) et sic præscriptio non potest inchoari : si vero jam antea fuerat inchoata præscriptio, priusquam fundus, v. g. datus est in dotem, aut hujusmodi; tunc non impeditur, neque interrumpitur præscriptio, quominus tempore ordinario compleatur, cit. l. *Si fundum.* ff. *de Fundo dotal.* Aut lex prohibet alienationem non simpliciter, sed ne fiat sine certa solemnitate; ut fit in rebus Ecclesiæ, ac nonnullis aliis : et tunc data bona fide, et excluso errore juris, procedit præscriptio, dummodo concurrant alia requisita ad præscriptionem. Abbas cit. c. *Cum non liceat.* n. 8. et 9: Angelus ubi supra, istud exemplificantes in casu, quo quis bona fide emit rem a minore, quem putabat esse majorem, vel rem acquisivit a prælato Ecclesiæ, sed putabat capitulum legitime consensisse, quod tamen non consenserat: tunc enim non intervenisset error juris, sed duntaxat error facti qui potest excusare, juxta reg. 13. jur. in 6. Secus, si intervenisset error juris; puta credendo, quod prælatus posset alienare sine suo capitulo, et minor sine decreto. Glossa cap. II. vers. *Non post multum. De his, quæ fiunt a prælat.* Abbas, et Angelus, ubi supra : et concordat textus in cap. I. *de Rebus Eccles. non alienand.* in 6. cum similibus.

49. *Subditi an possint præscribere exemptionem ab obedientia superioris, vel contra visitationem, et procurationem ratione ejus debitam.* — Quæritur III. Utrum subditi possint præscribere exemptionem ab obedientia superioris; aut præscribere contra visitationem, et procurationem ratione visitationis debitam? Resp. 1. Celebris est hæc quæstio, et satis inter doctores agitata, ob textus juris prima fronte inter se pugnantes. Et quidem

50. *Ponitur fundamentum sententiæ negativæ.* — Sententia negativa, videlicet, subditum non posse præscribere obedientiam contra superiorem, videtur clare decisa in c. *Cum non liceat.* 12. h. t. Ubi proinde *Summarium*, Jo. Andreas, Abbas Panormitanus, Barbosa, et alii, communiter sic habent : « Subditus non præscribit obedientia contra prælatum. » Ratio hujus adducitur in textu ibid. illis ponderosis verbis : « Cum non liceat a capite membra recedere. »

51. *Ponitur fondamentum sententiæ negativæ. Per procurationem ratione visitationis debitam quid intelligatur.* — Id ipsum de visitatione, et procuratione ratione visitationis debita (per « procurationem » istam intelligendo moderatas impensas, quæ pro decenti victu, atque sustentatione, debentur prælatis tempore visitationis, cum secundum Apost. I. *Corinth.* IX, 7. *Nemo cogatur suis stipendiis militare*) videtur clare decisum c. *Cum ex officii.* 16. h. t. Accedit ratio, quia præscribere contra visitationem et præscribere contra obedientiam; ut notat Glossa ibid. vers. *Visitationem* : atqui contra obedientiam præscribi nequit, cit. c. *Cum non liceat.* h. t. Procuratio autem est accessoria ad visitationem, estque omni jure debita visitatoribus, juxta sanctum Apostolum loc. cit. cum concordantiis : unde pariter contra procurationem nequit procedere præscriptio.

52. *Sententiam affirmativam videntur convincere aliqui textus juris.* — Affirmativam econtra sententiam, videlicet contra talia procedere præscriptionem, videntur convincere alii textus juris. Imprimis enim, quod omnia jura episcopalia possint præscribi per inferiorem episcopo, v. g. per Abbatem; textus clarus est in c. *Auditis.* 15, et c. *Cum olim.* 18, h. t., et alibi : atqui inter jura episcopalia expresse connumeratur obedientia, visitatio, et procuratio, c. *Conquerente.* 16. *de Offic. Ordinar.* ergo et hæ prescribi poterunt. Accedit. quod in c. *Cum olim.* § *Quia vero.* 14, *de Privileg.* et c. *Cum personæ.* eod. in 6. expresse dicatur, posse libertatem, seu exemptionem a jurisdictione, et subjectione episcopi, et consequenter ab ejus obedientia et visitatione, præscribi. Insuper in c. *De quarta.* 4. h. t. cum concordantiis admittitur præscriptio exemptionis a solvenda quarta decimarum, ac funeralium, ac hujusmodi. Igitur pro concordia horum textuum,

53. *Nemo potest præscribere contra obedientiam et visitationem extinctive, bene tamen translative. Idque declaratur.* — Resp. II. Etsi nemo præscribere possit contra obedientiam, et visitationem extinctive : ita videlicet, ut obtineat omnimodam et absolutam exemptionem respectu omnium superiorum ecclesiasticorum, atque a nullo eorum visitari valeat : nihilominus visitatio, et obedientia superioribus debita, potest præscribi translative : ita nimirum, ut alteri, quam episcopo (puta, prælato regulari, aut alii prælato, vel saltem immediate summo pontifici) debeatur obedientia, et competat visitatio. Ita innuit Abbas c. *Cum non liceat.* n. 17. h. t. atque ex professo tradit Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 128. n. 3. et 5. ac seqq. et allegat. 129. n. 8. et 9. ac seqq. citans alios; Pirhing. h. t., n. 22; Engel n. 7. et alii. Prima pars convincitur per textus n. 50. et 51. allatos; simulque ex eo, quia ad minus talis jure divino manebit subjectus summo pontifici, utpote capiti visibili totius Ecclesiæ, Christique in terris vicario. Accedit, quod monstrosum sit corpus acephalum, hoc est, sine capite : tale autem daretur, si posset præscribi obedientia extinctive, seu respectu omnium; ergo. Altera vero pars suadetur per textus n. præced. citatos, qui hac ratione bene cum prioribus concordantur, dicendo, quod quidem contra obedientiam possit aliquis subditus præscribere translative, non vero extinctive.

54. *Alia responsio et jurium concordia refertur.* — Vel posteris dicere, in tali casu non subditum ipsum præscribere contra obedientiam prælati (« cum non liceat a capite membro recedere, » juxta textum in cit. c. *Cum non liceat.* h. t.) sed potius alterum superiorem, cui subditus ille sese voluntarie subjecit, ejusque visitationem admisit, præscribere contra priorem prælatum ipsius, per tempus ad præscriptionem sufficiens non reclamantem. Atque hanc posteriorem responsionem, seu concordantiam textuum juris supra allegatorum, approbat Glossa c. *Cum olim.* 14. ỷ. *Præscripsisset. de Privileg.* et Barbosa cit. allegat. 128, n. 14 et 15. allegans alios. Atque hæc posterior responsio suadetur ex c. *Cum ex officii.* 16. h. t. ubi dicitur : « Cum contra procurationem præscribi nequiverit, nec contra visitationem ipsam, etsi alius contra eum præscribere posset utramque. » Quamquam ad hoc, ut quis dicatur per præscriptionem immediate subjectus Ecclesiæ romanæ, atque ab episcopi jurisdictione exemptus, requiratur, quod ab Ecclesia romana (idem servata proportione dicendum de alio prælato) habitus fuerit, atque tractatus tanquam immediatus subditus, non autem solummodo ut subditus quoad subjectionem universalem, quam habent omnes Christi fideles erga sanctam romanam Ecclesiam, veluti matrem et magistram omnium Ecclesiarum.

55. *Subditus manens subditus nequit in totum præscribere exemptionem a reverentia*

episcopo debita, bene tamen ex parte. — Resp. III. Insuper subditus manens subditus, (id est, quam diu se gerit, et recognoscit pro subdito) nequit in totum præscribere exceptionem a reverentia episcopo debita : eam tamen potest præscribere in parte ; puta, ut prælatus inferior in sua parochia præcedat episcopum, prout exemplificat Barbosa cit. allegat. 128. n. 7, allegans alios. Et hac ratione admittitur quoque præscriptio exemptionis de non solvendis episcopo funeralibus, aut quarta decimarum, c. *De quarta*. 4. h. t. et alibi : siquidem talis præscriptio procedit solum ex parte : non autem subtrahit episcopo totum jus episcopale, aut omnem reverentiam, et subjectionem eidem debitam.

56. *Abbas exemptus potest præscribere contra episcopum certam parochiam.* — Ex dictis infertur cum Abbate, c. *Cum non liceat*. n. 17. h. t. et Barbosa cit. allegat. 128, n. 9. et aliis, quod abbas exemptus possit præscribere contra episcopum certam parochiam : ita videlicet, ut non amplius ista subsit episcopo, sed abbati exempto, qui a tempore immemoriali per suos monachos exercuit curam animarum respectu illius porochiæ, et nunquam ab episcopo curam recepit, neque visitatus fuit. De quo plura citatus Abbas, solvens contraria.

§ III.

DE BONA FIDE AD PRÆSCRIPTIONEM REQUISITA.

57. *Bona fides in proposito, quid? Ea in foro externo præsumitur, nisi probetur contrarium.* — Quæritur I. An, et quo tempore bona fides requiratur ad præscriptionem? Ubi prænotandum, quod « bona fides » in proposito aliud non sit, quam proba existimatio, sive credulitas, qua quis prudenter sibi persuadet, rem, quam possidet, esse suam. Et additur, « prudenter : » quia si ex ignorantia crassa et affectata, seu ex inordinata cupiditate habendi, persuasio illa procedat, non erit bona fides, juxta illud *Psalm.*, XXXV, 4. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Hinc Glossa c. *Si diligenti*. ℣. *Bonæ fidei*. h. t. inquit : « Bona fides intelligitur, cum aliquis credit, tradentem esse dominum : vel habere jus distrahendi, licet erret in facto, » l. *Bonæ fidei emptor*. ff. *de Verbor. signif.* Et talis bona fides in foro externo semper præsumitur, nisi probetur contrarium ; prout subjungit Glossa loc. cit. istud probans ex l. *Verius*. ff. *de Probat.* juncta reg. 47. in 6. quæ ait : « Præsumitur ignorantia (facti alieni, puta, injustæ possessionis alterius) ubi scientia non probatur. » Quo prænotato

58. *Ad legitimam præscriptionem omnino requiritur bona fides.* — Resp. I. Ad legitimam præscriptionem omnino requiritur bona fides : adeo, ut nec in foro canonico, nec civili, valeat præscriptio cum mala fide. Ita Abbas cap. ult. in *Summario*. h. t. ac theolog. et canonistæ communiter. Conclusio hæc clare habetur decisa c. *Vigilanti*. 5, h. t. et cap. ult. eod. Ubi in concilio generali (hoc est Lateranensi, celebrato sub Innocentio III) sic decisum refertur : « Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio diffinimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica quam civilis, » etc. Hinc in reg. 2. jur. in 6. absolute dicitur : « Malæ fidei possessor ullo tempore non præscribit. » Unde consequens est, nullam præscriptionem cum mala fide procedere, quantoque tempore, puta, centum vel mille annis, possessio rei alienæ scienter continuata fuerit : quinimo tanto graviora sunt peccata talis injustæ detentionis rei alienæ, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, cap. ult. *de Consuetud.*

59. *Et quidem toto illo tempore, quo currit præscriptio.* — Resp. II. Ad complendam præscriptionem requiritur bona fides toto illo tempore, quo currit præscriptio. Ita communis theologorum, et canonistarum ; atque habetur decisum in eodem concilio generali, relato in cap. ult. h. t. Ubi post verba proxime allegata, subjungitur : « Cum generaliter sit omni constitutioni, atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat notitiam alienæ. » Hæc ibi.

60. *Secus ubi præscriptionem jam completam supervenit notitia rei alienæ.* — Secus est dicendum, ubi post completam bona fide præscriptionem primum supervenit notitia rei alienæ : quia cum talis jure præscriptionis jam legitime fuerit adeptus dominium rei alienæ, juxta dicta n. 21. et seqq. hoc ipso non censetur esse malæ fidei possessor ; neque rem illam amplius restituere tenetur. Glossa fin. cit. ; cap. ult., h. t. et alia Glossa c. *Vigilanti*. ℣. *Noverit*. eod. communiter recepta.

61. *Spectato jure civili olim, ad præscrip-*

tionem sufficiebat sola fides ab initio, etc. Leges illæ fuerunt correctæ de jure canonico, seu per concilium generale, et cur? — Fatendum quidem est, quod spectato jure civili, olim ad præscriptionem triennalem rerum mobilium, sicut et ad præscriptionem longi temporis rerum immobilium, sufficiat bona fides ab initio habita, l. un. c. *de Usucapion. transformand.* Atque idcirco diutina possessio bona fide per defunctum cœpta, prosit ejus hæredi, non obstante quod hæres ille sciat rem esse alienam, cit. l. un. et § *Diutina.* Instit. *de Usucapion.* Quod ipsum etiam procedit in præscriptione longissimi temporis, triginta scilicet vel quadraginta annorum, l. *Si quis emptionis.* § *Quod si quis.* c. *de Præscript. triginta vel quadraginta annor.* eo addito, ut si præscriptor malam fidem habuerit ab initio, præscriptione longissimi temporis acquiratur ipsi sola retinendi exceptio. Verum hujusmodi leges juris civilis, cum absque peccato mortali observari nequiverint, simulque fuerint nutritivæ peccati; eo quod homines præ desiderio præscribendi animaverint ad continuandam injustam rei alienæ possessionem; de facto amplius non procedunt, sed sunt per concilium generale, relatum cap. ult. h. t. correctæ, atque abrogatæ, ea addita ratione: « Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est. » Quod ipsum jam antea decreverat Alexander III. relatus in c. *Vigilanti.* 5. h. t. Et quidem, cum versemur in materia concernente salutem animarum, istbæc juris canonici dispositio in utroque foro, tam civili videlicet, quam ecclesiastico, est observanda, juxta ea quæ fusius dicta fuerunt superius in procemio libri I. *Decretalium.* § 12. n. 217. 219. et seqq.

62. *Solvitur instantia ex cap.* I, *h. t.* — Dices. In cap. I. h. t. et can. *Placuit.* 16. q. 3. habetur, quod episcopus locum a se ad fidem conversum per triennium præscribat contra alium episcopum, qui interea eum non repetivit, seu tacuit; ergo etiam de jure canonico procedit præscriptio cum mala fide. Resp. neg. consequent. Quia episcopus locum convertens ad fidem catholicam, bonum opus operatur, ac neutiquam peccat, sicque non est in mala fide: quamvis lapsu triennii jus in dictum locum sibi competat, non vi solius præscriptionis (ad hanc enim non sufficeret triennium, quinimo requirerentur quadraginta anni, c. *De quarta.* 4. et c. *Ad aures.* 6. h. t.) sed ex speciali constitutione, supremaque auctoritate sanctæ matris Ecclesiæ, quæ ob favorem fidei catholicæ, atque ad excitandos episcoporum animos pro conversione infidelium, sic statuit. (ADNOTATIO XVIII.)

63. *Dubitans, num res sit sua, nec ne, an possit præscribere? Stante tali dubio, nequit inchoari præscriptio.* — Quæritur II. Utrum dubitans, num res sit sua, nec ne, censeatur habere bonam fidem, possitque præscribere? Resp. I. Si tale dubium adfuit ab initio, non censetur quis habere bonam fidem; adeoque eo stante nequit inchoari præscriptio. Ita Abbas cap. ult. n. 39. h. t.; Bartolus l. *Naturaliter.* § *Quæro utrum superveniens.* ff. *de Usucapion.*; Covarruvias in reg. *Possessor.* part. II. § 7. n. 3; Lessius lib. II. *de Justit. et Jur.* cap. VI. 10, allegans communem; et dixi egomet ipse in *Theolog. moral.* tract. VII. dist. 6. n. 11. Ratio est, quia dubitans an res sit sua, vel alterius, injuste agit eam sibi arrogando; cum non sit melior conditio sua quam alterius, qui eam rem prius possederat, sed econtra melior fuerit hujus, utpote possessoris conditio: ergo jam non censetur habere bonam fidem, qualis requiritur ad præscriptionem. Quod si vero res antea fuit sub nullius dominio, hoc ipso fit primo occupantis; sicque cessat ratio dubii.

64. *Solvitur instantia. Dubitans num res sit sua, nec bonam, nec malam fidem habet.* — Dices. Qui dubitat, hoc ipso non scit rem esse alienam; ergo non habet malam fidem, et consequenter habet bonam fidem, cum quia potest præscriptio inchoari. Resp. neg. consequent. Quia, ut notat Glossa in l. I. ꝟ. *Intervenerit.* c. *de Acquirend possess.* et Glossa fin. II. ff. *Pro soluto.* et Covarruvias cit. n. 3. ignorans, seu dubitans, an res sit sua vel aliena, nec malam fidem habet; datur enim medium per abnegationem, seu suspensionem utriusque, qualem habet vere dubitans, arg. l. I. juncta Glossa ꝟ. *Velle.* ff. *de Tributor. action.* Atqui ad inchoandam præscriptionem jura positive requirunt bonam fidem; ut l. un. c. *de Usucapion. transformand.* ibi: « Hoc tantum observando, ut in his omnibus casibus ab initio eam bona fide capiat: » cum similibus. Unde vere dubitans, an res sit sua vel aliena, hoc ipso nequit præscriptionem incipere, ex defectu bonæ fidei.

65. *Quod si dubium post præscriptionem bona fide cœptam superveniat, non interrumpit præscriptionem, etc.* — Resp. II. Quod si dubium post præscriptionem bona fide jam

cœptam primum superveniat, illud non vitiat bonam fidem, neque interrumpit præscriptionem; quamvis teneatur interim possessor moralem diligentiam adhibere in investiganda veritate. Ita Glossa fin., cap. ult., h. t.; Abbas, Bartolus, Covarruvias, ubi supra, aliique communiter, paucis exceptis, quos in contrarium citat Covarruvias loc. cit. n. 4. Ratio est, quia in dubiis melior est conditio possidentis, juxta reg. 65. juris in 6. Ergo si is, qui incipit dubitare, jam prius bona fide possederit rem, melior est conditio ejus, quam alterius non possidentis: sicque bona fide poterit continuare possessionem, et præscriptionem, dummodo adhibeat moralem diligentiam de investiganda veritate, an res sit sua, vel alterius, arg. can. *Occidit.* 23. q. 8. Atque per hoc patet disparitas inter hanc, et priorem conclusionem. Ibi enim non suffragatur cuipiam possessio, eo quod cum dubio, num res sit sua, nec ne primum incipiat ipsam possidere; imo injuste agat, stante tali dubio eam rem sibi arrogando. Secus dicendum in casu, quando quis bona fide jam antea cœpit possidere rem aliquam, et dubium postea primum supervenit: nam tunc suffragatur ipsi possessio, sicque erit melior conditio ipsius, utpote possidentis.

66. *Solvitur instantia offerendo disparitatem inter hunc et priorem casum.* — Dices. In cap. ult. h. t. requiritur, « ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ: » atqui dubitans, etiam dubio primam superveniente, habet conscientiam rei alienæ; alioquin enim cum tali dubio pariter possit inchoari præscriptio; ergo. Resp. neg. min. cum sua probatione. Quinimo talis post cœptam bona fide possessionem prudenter judicat, practice se resolvendo, rem esse suam, quamdam oppositum per diligentem investigationem nequit cognoscere: idque vi citatæ regulæ: « In dubiis melior est conditio possidentis: » non obstante, quod adhuc dubitet speculative loquendo. Unde can. *Si virgo.* 34. q. 1. de talibus bona fide possessionem inchoantibus, dicitur: « Tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum. » Secus dicendum, quando quis inchoat possessionem alicujus rei, quam dubitat esse suam, vel alterius: et hoc tum ob disparitatem jam allatam, tum quia secundum leges ad præscriptionem ab initio requiritur bona fides, qualem vere dubitans non habet, ut dictum n. 64.

67. *Error juris an impediat bonam fidem, atque præscriptionem.* — Quæritur III. An error juris impediat bonam fidem, ac proinde cum eo non procedat præscriptio? Et sensus est, an quis possit usucapere rem illam, quam contractu de jure nullo, puta usurario, acquisivit, ignorans eum esse de jure nullum: adeo, ut postmodum contractu nulliter declarato, possit opponere præscriptionem. Idem est, si quis a pupillo sine tutoris auctoritate emisset rem quampiam, putans, licere pupillis res suas absque interventu tutoris alienare; aut si a religioso accepisset rem, puta equum, sine prælati licentia, vel agrum non servatis solemnitatibus juris. Quæritur, inquam, utrum cum tali errore juris currat præscriptio?

68. *Ignorantia juris clari, etiam inculpata, impedit præscriptionem.* — Resp. I. Ignorantia juris clari, atque indubitati, non sufficit ad præscriptionem; quinimo eam impedit in utroque foro, licet sit invincibilis, et prorsus inculpata. Ita Glossa c. *Apostolicæ.* ỳ. *Præscriptionis. de Donation.*; Abbas c. *De quarta.* n. 12, h. t.; Covarruvias part. II. c. *Possessor.* § 7. n. 6. et seqq. istud intelligens de errore juris resistentis: secus de errore juris nec assistentis, nec resistentis, ac loquendo de præscriptione, quæ titulum non requirit. Layman lib. II. *Theolog. moral.*, sect. 5, tract. I, cap. VIII, n. 11; Lessius cit. lib. II, cap. VI, n. 14; Pirhing h. t., n. 61. et alii passim; contra Joan. Medinam in tract. *de Contractibus.* quæst. 17. prope fin. qui arbitratur ignorantiam inculpatam juris sufficere ad præscribendum pro foro conscientiæ: quam sententiam Lessius ibid. n. 17. admittit tanquam probabilem, quando agitur de præscriptione longissimi temporis, quæ non requirit titulum; ut est præscriptio triginta, vel quadraginta annorum.

69. *Et hujus ratio.* — Ratio conclusionis est, quia præscriptio, per quam dominium ab uno transfertur in alium, totam vim suam atque originem habet ex jure humano positivo; ergo non habet locum in casu, ubi jura expresse eam reprobant: atqui jura expresse dicunt, errorem juris non prodesse ad usucapionem. Sic quippe in l. *Nunquam.* ff. *de Usucapion.* dicitur « nunquam in usucapionibus juris error possessoribus prodest. » Idem l. II. § *Si a pupillo.* ff. *Pro emptore*, sic habetur: « Si a pupillo emeris, et scias pupillum esse, putes tamen pupillis licere res suas sine tutoris auctoritate administrare, non capies

usu: quia juris error nulli prodest. » Similiter l. IV. ff. *de Juris et facti ignorantia*, generaliter dicitur: « Juris ignorantia in usucapione negatur prodesse: facti vero ignorantiam prodesse constat. » Neque reperiuntur hæ leges ullibi correctæ, aut per sacros canones aliud quid dispositum. Accedit ratio: quia errans in jure, præsumitur malam fidem habere: atqui cum mala fide non procedit præscriptio; ergo major patet ex l. *Quemadmodum*. c. *de Agricol. et sensit*. l. XI. ibi: « Malæ fidei namque possessorem esse nullus ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mercatur. » Concordat reg. 82. jur. in 6. « Qui contra jura mercatur, bonam fidem non præsumitur habere. »

70. *Ad præscriptionem requiritur bona fides tam theologice, quam juridice.* — Nec obstat, quod ignorantia inculpata juris excuset a peccato; sicque videatur possidentem constituere in bona fide, quæ sufficit ad præscriptionem. Resp. enim, hic quidem induci bonam fidem theologice, seu moraliter, quæ excludit peccatum: non autem bonam fidem civiliter, seu juridice: eo quod expresse a jure reprobetur in ordine ad effectum præscriptionis. Unde ad inducendam præscriptionem requiritur quidem necessario bona fides theologice, cap. ult., h. t., sola tamen non sufficit, nisi concurrat simul bona fides civiliter, seu juridice, propter rationem jam allegatam: quia nimirum leges, a quibus jus præscriptionis totam vim, atque originem suam habet, expresse statuerunt, quod error juris ad usucapionem non prosit. Pirhing h. t. n. 61.

71. *Limitatur data conclusio in certis casibus. Inculpata ignorantia juris sufficit ad præscribendos triennio fructus, ex re alterius taliter perceptos.* — Resp. II. Patitur nihilominus data conclusio quasdam limitationes. Imprimis enim inculpata juris ignorantia sufficit ad præscribendos triennio fructus, ex re alterius taliter perceptos. Ita Glossa l. *Si fur*. ℣. *Erranti*. ff. *de Usucapion.*; Navarrus consil. 9. n. 3. *de Offic. Judic. ordin.*; Dynus in reg. *Possessor*. n. 39. *de Reg. jur.* in 6; Covarruvias lib. I. *Variar. resol.* cap. III. n. 8; Lessius cit. cap. VI. n. 15, allegans communem. Idque desumitur ex l. *Sed et si*. § *Scire*. ff. *de Petition. hæredit.* ubi dicitur: « Et non puto hunc esse prædonem, qui dolo caret, quamvis in jure erraverit. » Ex quibus verbis Glossa ibidem infert: « Si non est prædo, ergo facit fructus suos. » Quamquam istud intelligendum esse de fructibus jam consumptis (utpote quos bonæ fidei possessor facit suos, § *Si quis a non domino*. Instit. *de Rerum divis.*) non item de fructibus adhuc extantibus, censeat Layman cit. cap. VIII, n. 11. et Pirhing h. t., n. 63. Nam quod fructus extantes post rescisionem contractus, ipso jure non subsistentis, una cum re ipsa restituendi sint, desumitur ex l. *Jubemus*. 14. § *Sane*, c. *de Sacros. Eccles.* et concordant dicta superius tit. XIII. *de Restitutione spoliatorum*, § 6, n. 127, et 131. et seqq.

72. *Differentia inter præscriptionem, et fructuum acquisitionem interveniente juris errore, quæ?* — Quod si petas, quæ sit differentia inter præscriptionem, et fructuum acquisitionem interveniente juris errore? Respondet Bartolus in d. l. *Sed et si*. § *Scire*. ff. *de Petition. hæredit.* disparitatem esse: quia ad usucapionem requiritur verus titulus vel justus error; ut l. *Celsus*. ff. *de Usucapion.* et l. *Justo errore*. ff. eod. sed error juris non est justus error, cum reprobetur a jure; ergo ad usucapionem non sufficit. Secus dicendum quoad acquisitionem fructuum: quia hic sufficit, abesse malam fidem; qualis jam abest, ubi adest juris error. Verumtamen is qui allegat juris errorem, debet hunc probare: alioquin enim præsumitur scientia, l. *Leges sacratissimæ*. c. *de Legib.*

73. *Ignorantia juris tam theologice, quam juridice inculpata, juxta quosdam sufficit ad præscriptionem.* — Deinde, quod ignorantia juris tam theologice, quam juridice inculpata (qualis potest dari in minorennibus, militibus, mulieribus, imo et in rustico non habente copiam consultoris, utpote quibus jus ignorare permissum est, l. *Regula est*. ff. *de Juris et facti ignorant.*) sufficiat ad præscriptionem, videtur admittere Lessius cit. cap. VI, n. 17. ℣. *Quarto*, post Baldum in l. *Venditioni*. c. *de Usucapion. pro empt.* et l. *Possessiones*. c. *Si quis ignoraverit rem minor.* et sequitur Layman d. cap. VIII. n. 11. et Pirhing. h. t. n. 62.

74. *Hæc sententia non caret difficultate. Juris ignorantia non prodest acquirere volentibus: suum vero petentibus non nocet.* — Verum hæc sententia non caret difficultate: quia licet præmissis personis permissum sit jus commune ignorare; adeo, ut ex ejus ignorantia non lædantur, nihilominus dicta ignorantia ipsis non prodest in compendiis (hoc est, in acquirendo, seu lucro captando) sed solum in damnis vitandis, juxta textum in l. *Error*,

ff. *de Juris et facti ignorant.* ibi: « Juris autem error nec fœminis in compendiis prodest. » Concordat textus in l. *Juris.* ff. eod. ubi dicitur: « Juris ignorantia non prodest acquirere volentibus: suum vero petentibus non nocet. » Atqui in præscriptione vult quis acquirere; ergo. Unde in hac limitatione non convenire doctores, fatetur ipsemet Pirhing. loc. cit.

75. *Error juris bonam fidem inducit sufficientem ad præscriptionem, quando hæc titulum non requirit simulque error contingit in jure nec assistente, nec resistente.* — Tertio, error juris bonam fidem inducit sufficientem ad præscriptionem, quando hæc titulum non requirit, sed sola bona fide contenta est (ut præscriptio longissimi temporis) simulque error contingit in jure nec assistente, nec resistente. Covarruvias part. II. c. *Possessor.* § 7, n. 6. et seqq. fusissime hanc limitationem deducens, atque plurimos pro ea allegans: qui proinde datam n. 68. Conclusionem censet esse intelligendam de errore juris resistentis, seu quidpiam fieri prohibentis, non de errore juris nec assistentis, nec resistentis, dummodo error iste contingat absque ulla culpa; puta, quia quis adivit hæreditatem ex testamento minus solemni, quia illi jus non assistit; sed nempe resistit, prohibendo talem aditionem; prout exemplificat Bartolus cit. l. *Sed et si.* § *Scire.* ff. *de Petition. hæredit.*

76. *Invincibilis ignorantia juris, juxta quosdam, non impedit pro foro conscientiæ præscriptionem.* — Tacetur sententia Medinæ, et quorumdam aliorum, quos citat Pirhing h. t. n. 63. docentium, vel saltem probabile censentium, quod invincibilis ignorantia juris non impediat pro foro conscientiæ præscriptionem, seu bonam fidem requisitam ad præscribendum: nam de hoc jam dictum est cit. n. 68. et 3. Atque hactenus dicta procedunt de ignorantia juris clari: unde etiam in dicta conclusione notanter additum fuit: « Ignorantia juris clari, » etc. idque ob sequentem conclusionem: unde:

77. *Error juris dubii non impedit bonæ fidei possessorem, quominus præscribere possit.* — Resp. III. Ignorantia, seu error juris dubii, atque inter doctores controversi, non impedit bonæ fidei possessorem, quominus præscribere possit. Ita Abbas c. *De quarta.* n. 13. h. t.; Covarruvias cit. part. II. c. *Possessor.* § 7, n. 12; Lessius cit. cap. VI. n. 16. Layman, ubi supra, n. 11. et alii. Ratio est, quia ubi jus est vere dubium, et secundum diversas probabiles doctorum opiniones intelligibile, non est major ratio, cur quis unam potius, quam aliam opinionem sequi teneatur; cum ignoret, quænam earum revera juri sit conformis. Quinimo talis ignorantia proprie non est ignorantia juris; cum de ratione juris, seu legis sit, esse manifestum. can. *Erit autem lex.* dist. 4.

78. *Sicut nec ignorantia facti.* — Porro ignorantiam facti, si sit invincibilis, non excludere bonam fidem ad præscribendum necessariam, fatentur omnes, juxta textum expressum l. IV. ff. *de Juris et facti ignorant.* ibi: « Juris ignorantia in usucapione negatur prodesse: facti vero ignorantiam prodesse constat. » Accedit ratio, quia alioquin nunquam posset dari præscriptio, utpote in qua necessario intervenit error facti, dum præscribens possidet rem alienam, bona fide putans esse suam: si enim non erraret hoc modo, nulla opus foret præscriptione.

79. *Mala fides prælati, an noceat Ecclesiæ, vel capitulo, habenti bonam fidem? Prælatus certo sciens, rem esse alienam, tenetur purgare conscientiam suam, remque suo domino restituere. Quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam.* — Quæritur IV. Utrum mala fides prælati noceat Ecclesiæ, vel capitulo, habenti bonam fidem; adeo, ut istud præscribere nequeat? Resp. I. Quando prælatus certo scit rem esse alienam, nequit eam retinere; sed tenetur purgare conscientiam suam, atque vero domino rem illam restituere. Ita Glossa fin. cap. ult., h. t., et Abbas ibid. n. 41. et in re communis. Siquidem istud exigit virtus justitiæ, volentis, ut cuique reddatur suum. Accedit textus in can. *Generalis.* § fin. dist. 54. ubi Gelasius papa rescripsisse legitur episcopis per Lucaniam, in hæc verba: « Nihil perire credimus ecclesiasticis utilitatibus; si quæ sunt aliena, reddantur. » Atque in hoc sensu malam fidem prælati nocere Ecclesiæ, est indubitatum: nisi enim prælatus restitueret rem illam, quam certo scit esse alienam (secus, si de hoc dubitaret) hoc ipso ageret contra conscientiam, sicque peccaret: nam « quidquid sit contra conscientiam, ædificat ad gehennam, » ut dicitur can. *Omnes.* 28. q. 1. *Ex his* et c. *Litteras.* 13. *de Restitut spoliat.*

80. *Quo modo tunc prælatus possit restituere rem alienam?* — Dices. Prælatus solus nequit alienare rem Ecclesiæ absque consensu sui capituli; ergo, ubi Ecclesia, seu capitu-

lum est in bona fide, nequit fieri talis restitutio, sicque ejus mala fides non nocet Ecclesiæ. Resp. Varias esse solutiones hujus instantiæ uti videre est apud Abbatem cit. cap. ult., n. 41, h. t., et alios. *Primo* enim Glossa fin. d. cap. ult. h. t. et alia Glossa cit. can. *Generalis.* dist. 54. ℣. *Reddantur*, inquit, quod prælatus debeat significare illi, quem credit dominum, ut rem petat: nec in hoc (ait) videtur fraudem facere; ut l. *At qui natura.* § *Cum me absente.* ff. *de Negot. gest.* *Secundo* Archidiaconus cit. can. *Generalis.* n. 3. post Hostiensem notat, istud esse intelligendum sic, ut prælatus communicato concilio capituli restituat: vel, si capitulum non consentiat, dicat: « Mundæ sunt manus meæ a sanguine hujus causæ; vos defendatis, si vultis. » *Tertio* Abbas cit. n. 41; et Pirhing h. t., n. 77, illud volunt esse intelligendum, quando notorie constat rem esse alienam: quia tunc solus prælatus potest, et debet, rem alienam restituere. Secus, ubi solus prælatus scit, nec potest aliter rem probare: tunc enim debet tacere, quia ipsi soli non crederetur quod res sit aliena: nisi istud posset probari, juxta Glossam, ubi supra.

81. *Si prælatus certo scit, rem esse alienam, probabilius non habet locum præscriptio etiam stante bona fide Ecclesiæ, vel capituli.*—Resp. II. Quando prælatus certo scit rem esse alienam, ac nihilominus immemor suæ salutis eam restituere non curat; tunc videtur probabilius, quod stante etiam bona fide ecclesiæ, seu capituli, locum non habeat præscriptio. Ita Pirhing h. t. n. 78. citans Layman d. cap. ult., n. 7, h. t. atque in simili tradit Fachineus lib. VIII. *Controvers. jur.* cap. XXV. allegans Corneum consil. 22. n. 12. lib. I. et Hippolytum Riminaldum consil. 6. n. 102, lib. I. quamvis Baldus tom. XVII. *Tractatuum*, tract. *de Præscriptionibus*, part. III. princip. § *Decimo quinto*, n. 2. allegans Imolam, et nonnulli alii teneant contrarium. Ratio conclusionis est, quia prælatus est caput capituli, sicque mala fides ejus inficit totum corpus: atqui sine bona fide non currit præscriptio. Accedit, quod præscriptio sit odiosa, ac proinde restringenda (est enim introducta præter jus naturale, atque in odium negligentis) ergo eam impedit mala fides prælati in re communiter, ac pro indiviso una cum capitulo possessa, non minus, ac mala fides in aliqua temporis parte superveniens: valet enim argumentum a tempore ad personas; ut l. *Nonnunquam autem.* ff. *de Judiciis*, et notat Everardus loco. 89. *a Tempore ad personas* inscripto.

82. *Bona vel mala fides testatoris, aut prædecessoris in beneficio, etc., an prosit vel noceat hæredi aut successori, ut præscribere valeat, vel non valeat? Remissive.* — Posset hoc loco etiam quæri, an bona, vel mala fides testatoris prosit, aut noceat hæredi; vel prædecessoris in beneficio, aut officio, successori suo, ut præscribere valeat, vel non valeat? Verum de hac quæstione commodius agetur infra § 5. n. 131. 132. 134. et seqq. agendo de titulo *Pro hærede*.

83. *Bona vel mala fides in materia præscriptionum, qualiter probetur? Qui allegat malam fidem alterius, eam probare debet.* — Quæritur V. Qualiter probetur bona, vel mala fides in materia præscriptionum? Resp. I. Bona fides in dubio præsumitur, donec probetur contrarium. Ita Glossa c. *Sanctorum.* ℣. *Sincere*, et Abbas ibid. n. 3. et Barbosa n. 3. h. t.; Covarruvias cit. part. II. c. *Possessor.* § 8. n. 3. allegans communem. Ratio est, tum quia præsumitur ignorantia, nisi probetur scientia, l. *Verius.* ff. *de Probation.* et l. *Super servis.* c. *Qui militare non poss.* lib. XII, tum quia nullus præsumitur malus, nisi probetur malus, cap. ult. juncta Glossa fin. *de Præsumpt.* Unde qui allegat malam fidem alterius, eam probare debet: ut l. *Quoties.* § *Qui dolo.* ff. *de Probat.* ubi dicitur: « Qui dolo dici factum aliquid, licet in exceptione, docere dolum admissum debet.» Generaliter enim ei, qui dicit, incumbit probatio, l. II. ff. eod. cum simibibus.

84. *Mala fides possidentis, seu præscriptionem opponentis potest varie probari.* — Resp. II. Mala fides possidentis, seu præscriptionem opponentis, potest variis modis probari. Ita Abbas d. c. *Sanctorum.* n. 4. et c. *Si diligenti.* n. 22. h. t. Bartolus in l. *Celsus.* § *Sed qualiter probabitur.* ff. *de Usucapion.* Mascardus *de Probation.* concl. 1004. n. 19. ac seqq. fusissime hanc materiam declarans. Idque probatur inductione, ostendendo tales modos probandi malam fidem alterius.

85. *Ut per propriam confessionem possidentis.* — *Primo* siquidem mala fides probatur per propriam confessionem possidentis; puta: si coram aliquibus ipsemet dixerit, se scivisse rem esse alienam: quia præsumitur illud in mente habuisse, quod verbis expressit, l. *Labeo.* ff. *de Suppellect. legat.* Vel quando hoc ipsum in judicio confessus est;

ut cap. II. *de Confessis.* et c. *Si diligenti.* 17. h. t. cum similibus.

86. *Vel per denuntiationem factam tempore contractus.* — Deinde mala fides probatur per denuntiationem factam tempore contractus, l. *Si fundum.* c. *de Rei vendicat.* Ubi Summarium sic habet : « Denuntiatio facta a domino, ne quis emat, constituit emptorem malæ fidei possessorem. » Atque istud ampliat Mascardus cit. concl. 1004. n. 29. et 30. et seqq. etiamsi talis denuntiatio fieret a procuratore, vel ab aliquo tertio, qui denuntiat nomine domini, ne quis talem rem emat, cum sit sua : nam etiam ex tali relatione, seu denuntiatione inducitur mala fides, juxta textum notabilem in l. *Item veniunt.* § *Petitam.* ff. *de Petition. hæredit.* Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 223. n. 14; Mascardus loc. cit. n. 32. allegans alios. Secus dicendum, quando primum ex post facto sit denuntiatio, non autem ab initio contractus; quia tunc per hoc solum non inducitur mala fides, nisi fiat in defectum coram judice, juxta formam traditam in l. *Ut perfectus.* c. *de Annali except. Italic.* Abbas c. *Si diligenti.* n. 22. h. t.

87. *Aut per famam in vicinia.* — *Tertio* mala fides probatur per famam in vicinio quod res sit alterius, quam venditoris. Hanc enim emptor, atque possessor exinde factus, ignorare non præsumitur, c. *Quosdam.* 7. et c. *Quanto,* 8. *de Præsumption.* sicque arguitur mala fides ipsius. Abbas cit. c. *Sanctorum.* n. 4. h. t.; Mascardus d. concl. 1004. n. 34. allegans plurimos alios.

88. *Vel si res fuit acquisita contra jus.* — *Quarto* probatur mala fides, si res fuit acquisita contra jus : ut puta, si quis emit rem ab Ecclesia non servata juris solemnitate, aut rem pupilli sine interventu tutoris, juxta reg. 82. jur. in 6. « Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere, » cum concordantiis. Tacentur nonnullæ aliæ malæ fidei probationes, de quibus copiose Mascardus cit. concl. 1004.

§ IV.

DE SERVITUTIBUS, OBLIGATIONIBUS, ET ACTIONIBUS, ATQUE BONA FIDE AD PRÆSCRIBENDUM IPSIS REQUISITA.

89. *Servitutis nomen dupliciter accipitur, pro subjectione nimirum, et pro jure.* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit servitus? Ubi prænotandum cum Lessio lib. II. *de Just. et jur.* cap. III. n. 28. nomen *Servitutis* dupliciter accipi a juristis. *Primo,* pro subjectione, seu obligatione, qua res seu persona unius est obligata alteri, ut ipsi quodammodo serviat : et in hoc sensu mancipia dicuntur servitute premi. *Secundo,* pro jure illo, quod ex parte alterius correspondet dictæ obligationi. Sic quando Titius habet rem Caii sibi obligatam aliquo modo ex infra enumerandis, tunc ex parte Caii reperitur servitus sumpta pro obligatione; ex parte Titii vero datur servitus sumpta pro jure, id est, jus servitutis. Atque in hac posteriori acceptione jurisperiti frequentius accipiunt servitutem, videlicet pro jure fruendi, vel utendi aliquo modo re aliena, vel aliquid circa eam impediendi. In quo proin posteriori sensu potissimum impræsentarium sermo erit de servitutibus : quanquam ea, quæ dicentur de servitute sumpta pro jure, econverso (servata tamen proportione) applicari possint servituti acceptæ pro obligatione. Quo prænotato

90. *Servitus ut sic, quid?* — Resp. I. « Servitus ut sic » est jus, quo res aliena præter naturam alteri rei, vel personæ utilitatem debet, præstatque. Ita desumitur ex l. *Quoties.* ff. *de Servitutib.* ubi dicitur, servitutem non posse constitui de eo, quod nihil vicinorum interest; sed eam esse servitutum paturam, ut quis « patiatur, aut non faciat aliquid, » quod interest alterius. Sive, ut Spiegelius in *Lexico Juris* vers. *Servitus,* loquitur : « Servitus est jus, quo adimitur aliquid libertati, quam dominus in re sua habet, idque conceditur personæ, vel rei alienæ. »

91. *Dividitur in personalem, realem et mixtam.* — Resp. II. Servitus ut sic recte dividitur in servitutem personalem, realem, et mixtam. Ita Glossa § *Rusticorum.* vers. *Jura* instit. *de Servit. rustic. prædior.* et Arbor servitutum, quæ et præfixa l. VIII. ff. tit. I. *de Servitut.* Sylvester, vers. *Servitus.* n. 1. Lessius lib. VI. *de Justit. et jur.* cap. III. n. 29. et alii passim; quamvis Spiegelius, ubi supra, servitutem mixtam reducat ad personalem. Ratio conclusionis est : quia servitus potest tribus modis contingere. *Primo*, cum una persona servit alteri personæ : et hæc vocatur « Servitutis personalis; » seu (ut cum præfata Arbore servitutum nonnulli loquentur) mere personalis. *Secundo*, et ad imitationem personarum, constituitur servitus in rebus; idque adhuc dupliciter, juxta l. I. ff. *de Servitutib.* Nam aut

res immediate servit personæ; atque appellatur « Servitus mixta : sive (ut Spiegelius cum nonnullis aliis loquitur) « personalis, » licet non mere personalis. Aut una res immediate servit alteri rei, eidem commodum aliquod afferendo : et dicitur *Servitus realis;* eo quod ab una re debeatur alteri rei, et cum ipsa transeat ad quemcunque possessorem illius.

92. *Servitus personalis, quid?* — Porro servitus personalis, qua una persona servit alteri, definitur in § *Servitus*. Instit. *de Jure personar.* sequentibus verbis : « Servitus est constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur. » Dicitur, « constitutio gentium; » hoc est, jus inductum a constitutione gentium : ponitur etiam hic causa pro effectu, sive constitutio pro jure proveniente ex tali constitutione, quæ est juris gentium; atque hæc particula stat loco generis. Et additur, « qua quis dominio » alterius subjicitur : quia in tali jure, quo una persona habet aliam sibi subjectam, consistit ratio et natura servitutis personalis: simulque hæc particula stat loco differentiæ. Porro ly, « contra naturam, » ideo additur : quia, ut communiter tenent Doctores, ac etiam Scotus 4. dist. 36. quæst. un. quantum est de jure naturæ, omnes homines nascerentur liberi. Verum de servitute personali plura superius lib. 1. tit. XVIII. *de Servis non ordinandis*, n. 2. et seqq. ubi triplex genus servorum ex professo declaratur.

93. *Servitus realis, quid?* — Servitus realis e contra recte definitur a Bartolo l. I. ff. de Servitut. et Arbore Servitutum, ubi supra, et aliis, dicendo : « Servitus realis » est quoddam jus prædio inhærens, et ipsius utilitatem respiciens, et alterius prædii jus sive libertatem diminuens. Quæ definitio convenit servituti reali sumptæ in ratione juris, uti pater ex particula illa, « jus quoddam : » simulque in ea nomine *prædii*, etiam agri; aliæque res servituti obnoxiæ veniunt intelligendæ. Et de hac impræsentiarum loquendo,

94. *Servitus realis alia est rustica, alia urbana.* — Resp. III. Servitus realis alia est urbana, alia rustica : de qua toto tit. instit. et ff. *de Servitutibus rusticorum prædiorum, et urbanorum.* Et quidem « Servitus urbana » dicitur illa, quæ debetur prædio urbano. Neque refert, ab urbano, an a rustico prædio debeatur, dummodo urbano serviat : nam in qualitate servitutis realis dijudicanda inspiciendum est prædium, cui ea debetur, ut ejusdem conditionis sit et servitus. Mynsinger in rubric. Instit. *de Servitut. rusticor. prædior.* n. 9. At vero « servitus realis rustica » appellatur, quæ debetur prædio rustio : ut l. I. ff. *de Servitut. rusticor. prædior.* et § *Ideo autem.* Instit. *de Servitut.*

95. *Prædium urbanum, et prædium rusticum, quid? Prædium dominans, et prædium serviens, quod?* — Porro « Prædium urbanum » in jure appellatur omne ædificium habitandi gratia factum, sive ruri, sive in civitate existat, una cum horto ipsi causa amœnitatis annexo l. *Urbana.* ff. *de Verb. signif.* E contra vero « Prædium rusticum » dicitur, quod colligendorum, vel percipiendorum causa fructuum factum est : ut stabulum, horreum, ager, et hujusmodi, quæ non habitandi gratia erecta sunt, simulque ab ædificiis urbanorum prædiorum separata, l. *Eo jure utimur.* ff. *In quibus causis pignus*, etc. cum similibus : « Servitutes igitur urbanæ » sunt, quæ ab uno prædio, sive rustico, sive urbano, debentur alteri prædio urbano. Prædium autem, cui servitus debetur, vocatur *dominans :* alterum vero prædium, quod patitur servitutem, *serviens* nominatur.

96. *Servitus realis urbanæ duplex est, affirmativa et negativa, mœniana, et subgrundia, quid?* — Resp. IV. Servitus realis urbana duplex est, affirmativa videlicet, et negativa. Ita communis. Et quidem « Servitutes urbanæ affirmativæ » sunt, quæ verbis affirmativis exprimuntur : atque harum plures sunt, de quibus § *Prædiorum.* Instit. *de Servitutib.* et l. I. ac seqq. ff. *de Servitut. urbanor. prædior.* atque per ordinem referuntur in arbore servitutum, ubi supra. Talis est « Servitus stillicidium avertendi : » id est, jus derivandi stillicidium domus suæ in domum, vel aream vicini : nam istud nemo excipere tenetur, nisi per hujus servitutis constitutionem. Item « Servitus tignum immittendi; » estque jus, quo tignum super parietem vicini mei possum immittere. *Tigni* autem nomen accipitur pro *trabe :* quæ immitti dicitur, cum utrinque in meo, et in alieno pariete imponitur. Item « Servitus projiciendi; » estque jus, quo ex fundo meo urbano in solum vicini aquam, aut fimum, aut quisquilias mihi licet projicere. Item « Servitus protegendi; » estque jus, quo licet ædes suas protendere in solum vicinum; et sic in aream projicere, ac porrigere mœnianis, subgrundiis, vel pensilibus ambulacris, ut tamen in vicino solo, vel

pariete non insideant nec conquiescant. Siquidem « protegere, » est tectum projicere : « Mœniana » vero, sunt quædam exterius porrecta ædificia : et « Subgrundia ; » pars tecti ultra structuram ædium projecta, et proeminens. Atque de hisce servitutibus fit mentio. l. 1. ff. *de Servitutib. urbaner. prædior.* illis verbis : « Urbanorum prædiorum jura talia sunt — stillicidium avertendi in tectum, vel aream vicini : item immittendi tigna in parietem vicini : et denique projiciendi, protegendive : cæteraque his similia. »

97. *Servitutes urbanæ affirmativæ, quæ?* — Et additur notanter, « cæteraque his similia. » Nam præter servitutes negativas, de quibus proxime, dantur plures aliæ adhuc servitutes affirmativæ urbanorum prædiorum : ut puta, « Servitus prospectus ; » quæ est jus prospiciendi ex inferiori parte, seu loco, aperta fenestra rerum faciem ostendente. Item « Servitus luminum ; » estque jus videndi cœlum : nam, ut dicitur l. *Luminum*, ff. *de Servitut. urbanor. prædior.* hoc interest inter lumen et prospectum, quod servitus luminis ex cœlo debetur, ut scilicet possit cœlum videri ; unde l. *Si arborem.* ff. eod. dicitur, quod arbor, quæ impedit videri cœlum, et consequenter lumini adjacentis domus officit, habeatur contra servitutem luminum : e contra vero prospectus debetur mihi ex inferiori parte, ut nempe possim inferiora videre, v. g. sylvas, campos, etc. Item « Servitus altius tollendi ; » quæ est jus quoddam ab uno prædio alteri debitum, quo quis tenetur ædificare, vel sublimius ædes superstruere propter aliquam ex hoc utilitatem vicine depressiori provenientem ; v. g. propter prospectus aversionem a domo depressiori ex via sublimiori, vel propter ventos, aut hujusmodi. Textus, Glossa, et Bartolus in l. I. ff. *de Servitut. urbanor. prædior.*

98. *Servitutes urbanæ negativæ, quæ?* — « Servitutes urbanæ negativæ » e contra sunt, quæ verbis negativis concipiuntur : et sunt sequentes juxta Arborem servitutum, ubi supra. Prima, est « Servitus altius non tollendi ; » estque jus illud, quo alteri fas non est, ædificium suum invito vicino extollere, seu altius erigere, l. *Altius. C. de Servitut. et aqua.* Secunda, « Ne luminibus officiatur ; » et hæc est jus, quod habeo, ne alter lumina mea sive ædificando, sive arbores plantando auferre, vel obscuriora facere possit. Tertia est, « Ne prospectui officiatur ; estque jus, quo liberum, et mihi gratiorem prospectum, graviorem reddere non licet, l. *Inter servitutes.* ff. *de Servitut.. urbanor. prædior.* ubi de hisce posterioribus duabus servitutibus fit mentio. Quarta tandem servitus urbana negativa, est « stillicidium non avertendi ; » estque jus, quo vicino stillicidium suum alio derivare fas non est, ut supra solum vel aream meam cadat l. I. ff. eod.

99. *Servitus realis rustica etiam duplex est, nominata et innominata.* — Resp. V. Servitus realis rustica, seu quæ rustico prædio debetur, etiam duplex est, nominata scilicet, et innominata. « Servitus rustica nominata » dicitur illa, quæ nomen habet a jure impositum : et hujus sunt quatuor species ; videlicet iter, actus, via, et aquæductus. Iter est jus eundi, ambulandi hominis, non etiam jumentum agendi, aut vehiculum. Hoc tamen intellige de jumento separato a se : nam qui habet jus itineris, potest etiam super equum sedens, vel lectica portatus incedere ; uti habetur l. *Qui sella.* et l. *Inter actum* ff. *de Servitut. rusticor. prædior.* Porro actus est jus eundi, ambulandi hominis, agendi jumentum vel vehiculum : itaque qui habet iter, actum non habet ; sed qui habet actum, iter habet, eoque uti potest etiam sine jumento ; ut dicitur l. I. ff. eod. et § *Rusticorum.* Instit. *de Servitut. rusticor. prædior.* Cæterum via est jus eundi, et agendi, et ambulandi : nam via continet in se et inter et actum, et insuper jus trahendi tignum, seu trabem, aut saxum, et rectam hastam ferendi, cit. § *Rusticorum*, juncta Glossa ibid. vers. *Continet.* Dummodo civiliter gerat : et non devastet fructus : quod notandum esse pro capitaneo, cui conceditur transitus per aliquod territorium, inquit Glossa marginalis ibidem. Tandem aquæductus est jus ducendi aquam per fundum alienum, sive prius inventam, sive postea inveniendam.

100. *Servitus rustica innominata, quæ, et qualis?* — « Servitus rustica innominata » e contra est, quæ ab actu, non a jure denominatur : et hæc etiam est multiplex. Prima dicitur « jus pascendi, » estque jus, quo in alieno pascuo licet pascere pecus prædii proprii causa. Secunda, « pecoris appulsus ; » estque jus appellandi ad aquam pecoris per fundum vicini. Tertia dicitur « aquæhaustus ; » estque jus hauriendæ aquæ de puteo vicini. Quarta, « jus calcis coquendæ ; » estque illud, quo in fundo vicini ad utilitatem proprii prædii rustici coquere licet calcem.

Quinta, « arenæ fodiendæ ; » estque jus, quo licet ex vicini fundo arenam effodere ad proprii rustici prædii utilitatem. Huc accedit « jus cretæ effodiendæ : » et « lapidis eximendi, » quatenus ad eum ipsum fundum opus est ; cum similibus ; ut l. I. § *In prædiis.* et l. II. ac seqq. ff. *de Servitut. rusticor. prædior.*

101. *Servitus realis alia continua, alia quasi continua, et alia discontinua, quæ?* — Resp. VI. Servitus realis ulterius dividitur in continuam, quasi continuam, et discontinuam. Ita communis. Et quidem « servitus realis continua » illa est, cujus et causa et usu perpetuo durat vel actu, vel potentia, citra continuam hominis operam : ut servitus aquæductus, tigni immittendi, et hujusmodi. « Servitus quasi continua dicitur, cujus usus perpetuo durat, potestate quidem, sed non actu : ut servitus stillicidii. « Servitus discontinua » tandem est, cujus usus est in hominis actione, quæ cum assidua nec sit, nec esse possit, discontinua dicitur; ut iter, aquæhaustus, et hujusmodi. Atque inter has est notabile discrimen, quoad tempus, quo possunt præscribi, ut dicetur infra § 6. n. 159. et 160.

102. *Servitus mixta est triplex : videlicet ususfructus.* — Resp. VII. Servitus mixta, seu quæ a re detur personæ, est triplex; videlicet ususfructus, usus, et habitatio. Ita communis. Ususfructus est jus utendi, fruendi rebus alienis, salva earum substantia.

103. *Usus, ut quomodo differat ab usufructu?* — Usus est jus utendi tantum rebus alienis, salva earum substantia. Unde minus juris est in usu, quam in usufructu : et cui usus alicujus rei legatus est, uti quidem potest, frui vero eadem non potest, § 1. Instit. *de Usu et habitat.* et l. II. ac seqq. ff. eod. ubi istud varie exemplificatur. Si enim, cui usus duntaxat horti relictus est, potest quidem in ipso deambulare, poma, olera, et reliqua, quæ ibi nascuntur, ad suum suæque familiæ et hospitum victum, seu usum quotidianum accipere; non tamen potest omnes fructus percipere, eosque suo arbitratu vendere, seu alienare, sicut potest is, cui ususfructus horti relictus est. Similiter, cui usus jumentorum legatus est, potest quidem bobus, vel ovibus uti ad stercorandum, arandum, et hujusmodi; non tamen potest percipere pecorum fœtus, vel lanam, aut lac, nisi in modica quantitate, et quatenus ad victum quotidianum opus habet, l. *Planum.* ff. eod. cum similibus.

104. *Habitatio, et quid?* — Habitatio tandem est jus alienas ædes inhabitandi, easque etiam commodandi, et locandi. Atque per hanc ultimam particulam differt habitatio ab usu ædium : nam cui concessus, sive legatus est usus alicujus domus, is poterit quidem una cum suis domum illam inhabitare, imo et hospitem recipere ; non tamen poterit eam aliis locare, seu commodare : quod utrumque tamen poterit is facere, cui competit habitatio, seu servitus habitationis, § *Item his*, et § *Sed si cui.* Instit. *de Usu et habitat.* et alibi. Et hæc de servitutibus, innumerans cæteroquin lites inter homines causantibus, pro meliori sequentium intelligentia insinuasse sufficiant : nam exactior earumdem discussio juristis relinquitur.

105. *Utrum servitutibus, aliisque obligationibus præscribi valeat, non obstante mala fide, seu scientia juris alieni? Obligationes sunt duplicis generis : aliæ suapte natura tendunt ad agendum, vel non agendum.* — Quæritur II. Utrum servitutibus, aliisque obligationibus præscribi valeat, non obstante mala fide seu scientia juris alieni? Pro resolutione hujus celebris, ac multum inter doctores agitatæ controversiæ, est prænotandum cum Laymano lib. III. *Theolog. moral.* tract. I. cap. VIII. n. 12; Ludov. Engel, h. t. n. 18, et aliis, quod obligationes, quæ ex servitutibus nascuntur, aut per præscriptionem extingui possunt, sint duplicis generis. Quædam enim suapte natura tendunt ad agendum, vel non agendum : sic qui rem alienam detinet obligatur ad agendum; hoc est, ad reddendam rem illo domino suo, quamvis hic non petat, vel etiam non recordetur illius; quia res pro domino suo interpellat. At vero in servitutibus urbanis negativis obligatur quis ad non agendum; puta, et ædificium altius non tollendum, ad fenestram in alterius hortum non aperiendam, et hujusmodi.

106. *Aliæ duntaxat referuntur ad patiendum, vel onus subeundum, si ab altero agatur, vel petatur.* — Aliæ vero obligationes sunt, quæ suapte natura duntaxat referuntur ad patiendum, vel onus subeundum, si ab altero agatur, vel petatur. Sic fit in legibus pœnalibus, quæ non obligant reum ad solvendam pœnam ante sententiam judicis, et pœnæ exactionem : similiter pœna commissi ob non solutum vectigal non debetur, nisi petatur : insuper obligatio servituti rusticæ correspondens, quia prædium serviens, debet permittere transitum, seu viam, aut quid

simile, possessori prædii dominantis, tunc solum urget, quando tale quid exigitur. Quo prænotato.

107. *Hæ posteriores obligationes, eisque correspondentes actiones personales, præscriptione tolluntur ob solam negligentiam actoris.* — Resp. I. Obligationes illæ, quæ referuntur duntaxat ad patiendum, sive subeundum onus, si ab altero agatur, vel petatur, eisque correspondentes actiones personales, præscriptione extinguuntur ob solam negligentiam actoris, seu cessationem exactoris, quamvis obligatus suæ interim obligationis probe conscius sit. Ita Glossa in l. ult. ℣. *Credidit.* in fin. ff. *Quemadmodum servit. amitt.* id probans ex eo : quia in tali casu non exigitur, ut quis aliquid faciat. Abbas c. *Quoniam omne*, n. 21. h. t. concludens, quod ubi nullum intervenit peccatum ex parte præscribentis, valet præscriptio, quantumcunque quis sciverit se esse debitorem. Bartolus l. *Sequitur* § *Si viam* ff. *de Usucapion.*; Layman cit. cap. VIII. n. 12; Pirhing h. t. n. 52. et 54; Engel, eod. n. 18. et doctores communiter. Ratio est, quia hic revera non intervenit mala fides ex parte præscribentis, sive per præscriptionem extinguentis jus alterius : etsi enim is probe recordetur juris alieni, suæque obligationis, si ab altero agatur, vel quidpiam exigatur; simul tamen novit, se ad nihil esse obligatum, priusquam ab alio agatur, vel exigatur; sicque non peccat nihil præstando, quandiu non exigitur : sed tamen alter ob suam negligentiam lapsu temporis a jure definiti perdit jus suum, neque amplius auditur opposita per reum exceptione præscriptionis. Quinimo re penitus inspecta, in dictis casibus potius unus perdit jus suum propter negligentiam, quam alter contra eum præscribat; prout notat Abbas d. c. *Quoniam omne.* n. 9. h. t.; Bartolus, ubi supra.

108. *Idque varie exemplificatur.* — Sic accidit in legibus pœnalibus, ut jam dictum. Similiter adversus fiscum pœna commissi ob non solutum vectigal, aut hujusmodi, ipso jure debita præscribitur quinquennio, ut l. II. C. *de Vectigal.* quia nemo tenetur eam solvere, nisi exigatur; et sic, quamvis habeatur notitia debiti, proprie tamen non intervenit mala fides. Eadem ratione possunt plures actiones præscriptione extingui, si actor neglexerit eas proponere intra tempus a jure præfixum : prout tollitur actio injuriarum, lapsu unius anni, si injuriam eam proponere neglexerit, l. *Si non convicii.* c. *de Injuriis.* Sicut et privilegium nundinarum perditur lapsu decennii, quando illud impetrans a principe, eodem per tantum tempus usus non fuit, l. I. ff. *de Nundinis.*

109. *Atque etiam accidit in servitutibus rusticis, quæ amittuntur per solum non usum.* — Addunt doctores, ac præsertim Glossa in l. ult. ℣. *Credidit.* ff. *Quemadmodum servit. amittant.* Abbas. c. *Quoniam omne*, n. 8. h. t.; Lessius cit. cap. VI, n. 12; Pirhing h. t., n. 54; Layman cit. cap. VIII, n. 12, vers. *Servitutes rusticæ*, et alii, hoc ipsum procedere in servitutibus rusticis; adeo, ut possim præscribere contra eum, qui habet jus servitutis rusticæ in medio prædio, quando is eodem per tempus a jure præfixum uti neglexit, etiamsi sciam, ipsi tale jus vere competere, l. *Hæc autem jura* ff. *de Servitutib. urbanor. prædior.* Neque enim mala fide ego quidpiam facio, multominus alterum impedio in prosecutione sui juris (alioquin quippe secus foret dicendum) imo ex parte mea nullus requiritur ad præscribendum contra servitutem rusticam : sufficit enim, quod alter non utatur jure suo per tempus a lege definitum.

110. *Etsi secus sit in servitutibus urbanis, juxta notabilem differentiam inter ipsas.* — Unde Glossa in casu cit. l. *Hæc autem jura*, et Bartolus ibid. ponit notabilem differentiam inter servitutes urbanas, et rusticas : quia ad amissionem autem servitutis urbanæ requiritur, et me non uti, et te libertatem usucapere per factum tuum; puta, domum altius elevando, vel foramen muri obstruendo, aut hujusmodi, per textum cit. l. *Hæc autem jura.* ff. *de Servitut. urban. de præd.* Atque ideo hic ex parte mea requiritur, sed ad amissionem servitutis rusticæ sufficiat sola negligentia non utentis.

111. *Obligationes illæ, quæ tendunt ad aliquid agendum, non possunt ullo tempore cum mala fide, seu scientia juris alieni, præscriptione extingui.* — Resp. II. E contra obligationes illæ, quæ suapte natura tendunt ad aliquid agendum, vel non agendum, non possunt ullo tempore cum mala fide, sive scientia juris alieni præscriptione extingui, neque eisdem præscribi potest. Ita auctores n. 107. citati cum aliis pluribus. Ratio est, quia tales obligationes nequeunt præscribi, nisi vel omittendo actum debitum, vel exercendo actum prohibitum : atqui stante notitia juris alieni neutrum potest fieri absque peccato,

et cum bona fide : ergo pariter eæ nequeunt nullo tempore præscribi, ut cap. ult. h. t. cum similibus.

112. *Debitum pecuniarium non extinguitur per hoc, quod creditor longo tempore illud non exigat. Quid requiratur, et quis præscribat contra debitum pecuniarium?* — Id ipsum probatur inductione : sic quippe debitum pecuniarium, v. g. centum florenorum, vi mutui, emptionis etc. contractum non extinguitur per hoc, quod creditor illud longo tempore non exigat (sæpe enim urbanitatis gratia id contingit) quandiu debitor retinet notitiam hujus debiti ; tum quia pro creditoribus interpellat dies statuta solutionis; ut cap. ult *de Locato*, ibi ; « Cum in hoc casu dies statuta pro domino interpellat, » juncta l. *Magnam*. c. *de Contrah. stipulat.;* tum quia vel talis debitor stante scientia debiti habuit voluntatem solvendi, vel non : si primum, non fuit in quasi possessione liberationis : si vero secundum, non fuit in bona fide, quin potius in continuo statu peccati; sicque in neutro casu præscribere potuit. Igitur ut quis præscribat contra tale debitum pecuniarum, omnino requiritur, ut ipse tempore a legibus definito, bona fide existimet, se nihil debere; sicque existat in possessione suæ libertatis, v. g. putando debitum fuisse condonatum, vel solutum. Lessius cit. cap. VI. n. 19; Covarruvias part. II. c. *Possessor*. § 11, n. 4; vers. *Sed ipse;* Layman cit. cap. VIII, n. 11; Pirhing h. t., n. 51; Engel, h. t., n. 18, vers. *Præterea*, et alii.

113. *Servitutibus urbanis negativis præscribi nequit, nisi per factum contrarium.*—Idem patet in servitutibus urbanis negativis, seu obligationibus ad non agendum, v. g. non ædificandi altius, non aperiendi fenestram in hortum vicini, non pascendi in alieno prædio, non venandi vel piscandi in tali loco, etc. Siquidem talibus obligationibus præscribendis; prout de servitutibus urbanis expresse cavetur l. *Hæc autem jura*. ff. *de Servitut. urban. præd.* decernendo, quod tales servitutes « non omnimodo pereant non utendo, sed ita, si vicinus simul libertatem usucapiat : » puta, domum altius ædificando, fenestram aperiendo, aut hujusmodi. Atqui stante scientia juris alieni, non possum bona fide præstare actum contrarium ; ergo neque præscribere talibus servitutibus, atque obligationibus, stante scientia juris alieni. Et hæc videntur certa : major vero difficultas est de actionibus personalibus respectu dictarum servitutum, seu obligationum : unde

114. *Utrum actionibus personalibus, quæ correspondent obligationibus ad aliquid agendum, vel non agendum, possit præscribi cum mala fide, seu scientia juris alieni?* — Quæritur III. Utrum saltem actionibus personalibus, quæ correspondent dictis obligationibus ad aliquid agendum, vel non agendum, possit præscribi cum mala fide, seu scientia juris alieni ? Et notanter additur ; « quæ correspondent obligationibus ad aliquid agendum, » etc. Nam quod actionibus personalibus, quæ correspondent obligationibus ordinatis duntaxat ad aliquid patiendum, sive subeundum onus, si ab altero exigatur, possit præscribi non obstante scientia juris alieni, jam dictum est supra. n. 107. et seqq.

115. *Declaratur sensus quæstionis.* — Porro sensus præsentis quæstionis est, an stante scientia juris alieni, seu quod quis noverit sese manere obligatum pro foro conscientiæ ad solvendum, vel aliquid præstandum proximo : nihilominus contra hunc præscribere possit in tantum, ut post lapsum temporis a lege definiti non possit amplius actio contra eum institui, neque debitum in judicio repeti ; etiamsi constet de mala fide debitoris, forte per propriam ejus confessionem, aut alias legitimas probationes. Quod notanter additur : quia si non constaret de mala fide debitoris, sive rei, præsumeretur is in foro externo habuisse bonam fidem (nam « præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur, » puta, notitia rei alienæ, ut inquit reg. 47. jur. in 6.) sicque merito, juxta dispositionem legum civilium, actioni contra ipsum intentatæ aditus negaretur. Atque de hac difficultate loquendo

116. *Sententia negativa statuitur, atque probatur.* — Resp. I. Actionibus personalibus, quæ correspondent obligationibus ad aliquid agendum, vel non agendum non potest præscribi cum mala fide. Ita Covarruvias in c. *Possessor*. part. II. § 11, n. 4. et seqq.; Lessius, lib. II. *de Justit. et jur.* cap. VI, n. 19. quamvis etiam contrariam opinionem non improbabilem censeat ; Pirhing h. t. n. 51 ; Engel, eod. n. 18. vers. *Ad alterum*, et communior doctorum ; contra Hostiensem in *Summa*. tit. *de Præscription. rerum immobilium*. § *Quæ res*. n. 4. vers. *Actiones personales*. Bartolum in l. *Sequitur*. § *Si viam*. ff. *de Usucapion*. et plures alios, quos in oppositum citat Covarruvias, ubi supra. Ratio con-

clusionis est, quia cap. ult. h. t. generaliter damnatur quælibet præscriptio, quæ cum peccato et mala fide procedit; ergo etiam hujusmodi præscriptio actionis personalis cum mala fide: nam qui dicit omnia, nihil excludit, c. *Solitæ. de Majorit. et obed.* cum similibus. Antecedens patet ex verbis cit. cap. ult., h. t., ibi: « Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio diffinimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica, quam civilis, » etc. Accedit, quod præscriptio actionum personalium cum mala fide, foret nutritiva peccati; eo quod debitores saltem pro foro externo, non possent amplius compelli ad solvendum debitum, v. g. vi mutui contractum; imo admissa tali præscriptione manutenerentur in continuanda iniqua detentione rei alienæ, seu debiti non solvendi; ergo hoc ipso non est admittenda.

117. *Solvuntur instantiæ.* — Objicies contra hoc. Jus canonicum considerat malam fidem possidentis rem alienam contra conscientiam; ergo non derogavit legibus civilibus denegantibus actionem personalem post lapsum certi temporis ob solam negligentiam non repetentis rem suam. Probatur consequentia: quia hic nulla intervenit res, possidetur, sed solum excluditur actio alterius. Resp. neg. consequent. loquendo de actionibus personalibus, quæ correspondent obligationibus ad agendum. Ad probationem negatur assumptum: quia in tali præscriptione, si procederet, necessario deberet intervenire possessio, vel potius quasi possessio propriæ libertatis, seu immunitatis a tali obligatione: talis autem possessio non potest haberi sine peccato, ex quo quis novit sese obligatum ad tale quid agendum, vel non agendum conformiter dictis n. 112. et 113.

118. Objicies ulterius. Dantur complures aliæ actiones, quæ tolluntur, seu contra eas fit præscriptio lapsu certi temporis, et quidem ob solam negligentiam actoris, qui postmodum perdit jus agendi, neque amplius auditur, quantumvis alter sese noverit reum; ergo idem videtur dicendum in dictis actionibus personalibus. Antecedens patet: quia sic tollitur Actio injuriarum lapsu unius anni, l. *Si non convicii.* c. *de Injuriis.* Actio redhibitoria lapsu sex mensium l. *Cum sex.* c. *de Ædilit. edict.* Actio quanti minoris lapsu unius anni, et aliæ hujusmodi; ergo. Resp. neg. consequent. Quia, ut notat Covarruvias cit. § 11. n. 6. aliud est, actionem negari a lege humana post lapsum certi temporis, seu ob etiam causam, quæ solet contingere absque ullo dolo, et peccato adversarii; uti fit in actionibus allegatis: aliud vero, actionem tolli per factum cujuspiam mala fide continuatum, sicque fomentum a lege exhiberi ad occupandas res alienas cum mala fide, et peccato. Illud quippe ob commune bonum reipublicæ, atque ad refrænandam litium multitudinem, bene potest fieri: non vero istud posterius. Hoc autem accideret admissa præscriptione cum mala fide contra obligationes, atque actiones personales, quæ dantur ad aliquid agendum, v. g. ad solvendum creditori debitum; vel non agendum, v. g. ad non ædificandum altius etc. Nam talia faciens, seu continuans, interea semper peccaret injuste detinendo rem alienam, neque eam restituendo, cum posset; aut injuste per suum ædificium lædendo jus proximi animo complendæ præscriptionis contra actionem personalem, forsan in posterum contra ipsum instituendam.

119. *An detur actio ex pacto nudo.* — Urgebis. Valet lex, qua ad evitandam litium multitudinem in foro externo denegatur actio ex pacto nudo, l. *Juris gentium.* § *Sed cum.* ff. *de Pactis.* Item et alia Lex statuens, quod venditori infra dimidium justi pretii decepto, in foro externo non subveniatur, sed eidem actio negetur, l. *Rem minoris.* c. *de Rescindend. vendit.* et c. *Cum dilecti.* 3. *de Emption.* Et tamen hic intervenit mala fides non servantis obligationem pacti nudi, vel non supplentis defectum justi pretii, ac proinde subest periculum peccati; ergo data solutio non subsistit. Resp. leges hujusmodi fuisse latas ob bonum commune reipublicæ, publicamque quietem conservandam, permittendo minus malum ad evitanda majora mala: quanquam de facto, atque ad præcavendum peccatis, quæ orirentur ex violatione pactorum nudorum, non solum de jure canonico, verum etiam secundum hodiernos mores in foro civili, detur actio ex pacto nudo; prout uberius dictum fuit supra lib. I, tit. XXXV. *De Pactis.* § 1. n. 31. et 37. Unde hæc objectio posset retorqueri. Accedit ratio disparitatis: quia præscriptio cum mala fide expresse fuit revocata per concilium generale, relatum cap. ult. h. t. eo quod spe lucri captandi, seu complendæ præscriptionis, animaverit homines ad continuandam injustam possessionem rei alienæ; secus accidit in legibus proxime allegatis.

§ V.

DE TITULO AD PRÆSCRIPTIONEM REQUISITO.

120. *Titulus justus requiritur ad præscriptionem.* — Quæritur I. Utrum, et cur ad præscriptionem requiratur titulus? Resp. I. Inter alias conditiones ad præscriptionem requisitas, etiam est justus titulus. Ita liquet ex c. *Si diligenti.* 17. h. t. ubi dicitur: «Cum in præscriptione rerum ecclesiasticarum bona fides, et justus titulus exigatur: » Concordat c. *Dudum.* 31. *de Decimis;* ubi allegans præscriptionem jubetur per Papam præscriptionis titulum probare. Adde textum in l. ult. c. *de Usucapion. pro hærede*, ibi: « Usucapio non præcedente vero titulo, procedere non potest. » Et l. *Nullo.* c. *de Rei vindicat.* ibi: « Nullo justo titulo præcedente possidentes ratio juris quærere dominium prohibet; » cum similibus.

121. *Et quidem duplici de casu. Primo, ad purgandum vitium malæ fidei, quando jus commune resistit præscribenti, vel est præsumptio contra ipsum.* — Resp. II. Ejusmodi titulus duplici præcipue de causa requiritur ad præscriptionem. Primo quidem ad purgandum vitium malæ fidei, quando vel jus commune resistit præscribenti, vel alia præsumptio est contra ipsum. Textus est in cap. I, h. t., in 6. ibi: « Licet ei, qui rem præscribit ecclesiasticam, si sibi non est contrarium jus commune, vel contra eum præsumptio non habeatur, sufficiat bona fides: ubi tamen est ei jus commune contrarium, vel habetur præsumptio contra ipsum, bona fides non sufficit, sed est necessarius titulus, qui possessori causam tribuat præscribendi: Nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cujus contrarii memoria non existat. » Hæc pontifex; ac pluribus declarat Glossa ibid. ℣. *Titulum.* et Joan. Andreas. et Barbosa in *Collectan.* ad cit. cap. I. h. t. in 6. et Vivianus in *Rational.* ibid. atque Abbas c. *Si diligenti.* n. 20. h. t. juncto textu ibid. cum communi.

122. *Tempus immemoriale, et præscriptio immemorialis, quæ?* — Porro « Tempus immemoriale, seu præscriptio immemorialis » dicitur, cujus initium excedit memoriam hominum: sive, « cujus origo memoriam excessit, » scilicet hominum, qui nunc vivunt, l. *Hæc jura.* § *Ductus aquæ.* juncta Glossa ℣. *Memoriam.* ff. *de Aqua quotidian.* etc. *Super quibusdam.* 26. *de Verb. signif.* Quia vero censetur aliquid excedere memoriam hominum, si excedat centum annos, qui est finis vitæ longævæ hominis, l. *An ususfructus.* ff. *de Usufruct.* Hinc ad præscriptionem tanti temporis, cujus initii memoria non extat, requiri lapsum centum annorum, nec sufficere præscriptionem brevioris temporis, non pauci voluerunt: ut Curtius Junior consil. 90. col. fin.; Cardinalis c. *Si diligenti* in fin. *de Præscript.* Felinus c. *Cum vobis.* eod. quos pro hac sententia allegat Cravetta proximè citandus; ac novissime Pirhing h. t. n. 127. cum nonnullis aliis.

123. *Præscriptio tanti temporis, cujus initii memoria non extat, est minor præscriptione centenaria.* — Oppositum tamen, seu quod præscriptio temporis, cujus initii memoria non extat, non requirat tempus centum annorum, sed minor dicatur præscriptione centenaria: innuit Glossa c. *Cum vobis.* ℣. *Centum annorum*, et Barbosa ibid. n. 5. h. t. Idemque ex professo, ac pluribus allegatis doctoribus, et rationibus, probat Aymon Cravetta tom. XVII. *Tractatuum*, tract. *de Antiquitat. tempor.* part. IV, § *Absolutis differentiis.* n. 2. et seqq. Ratio est, tum quia præscriptio centenaria, et præscriptio tanti temporis, cujus initii memoria non extat in contrarium, diversis nominibus appellantur; ergo una non debet importare idem, quod altera, arg. l. *Si idem.* c. *de Codicillis;* tum quia præscriptio centenaria soli romanæ Ecclesiæ competit, c. *Cum vobis.* 14. et c. *Si diligenti.* 17. h. t. et Auth. *Quas actiones.* c. *de Sacros. Eccles.* ergo præscriptio illa, cujus initii memoria non extat, et contra ecclesias inferiores procedit, hoc ipso nequit importare tempus centum annorum; alioquin falsum foret, quod sola romana Ecclesia gaudeat privilegio præscriptionis centum annorum. Tacentur aliæ rationes, apud Cravettam videndæ.

124. *Et quomodo probetur ea per testes.* — His accedit Engel, h. t. n. 34. ubi inquit, quod practici advertant, præscriptionem tanti temporis, cujus initii memoria non extat in contrarium, probari per testes, qui saltem quadraginta annos testantur de visu, vel sensu proprio, ac de cætero etiam a suis majoribus semper audierunt rei statutum sic fuisse. Mynsinger centur. 1. observat. 30. Concordant dicta superius lib. I. tit. IV. *De consuetudine.* § 7. n. 180. ubi agitur de probatione consuetudinis immemorialis.

125. *Ad præscriptionem requiritur titulus, ut ea breviori, seu ordinario tempore compleatur.* — Secundo, requiritur titulus ad præscriptio-

nem, ut hæc breviore, seu ordinario tempore compleatur. Sic enim ad præscribenda bona immobilia privatorum cum titulo, sufficit tempus longum; quod est decem annorum inter præsentes, et viginti annorum inter absentes, § 1. Instit. *de Usucapion.* E contra vero ad præscribendum bona ejusmodi sine titulo, requiritur possessio triginta annorum bona fide continuata, l. *Sicut in rem.* c. *de Præscription. triginta vel quadraginta annor.* cum similibus; atque ex professo dicetur infra § 6. n. 155. et seqq.

126. *Ad præscriptionem sufficit titulus putativus, seu coloratus, nec requiritur verus. Et in quo sensu ille dicatur justus titulus?* — Dices. Si aliquando ad præscriptionem requiritur justus titulus, ergo tunc non amplius erit opus præscriptione. Probatur consequentia : Quia justus titulus, v. g. emptionis, donationis etc. secuta rei traditione, ex se ipso, transfert rei dominium, l. *Traditionibus.* c. *de Pactis :* ergo ulterius non erit opus præscriptione : « Nam quod meum est, ex alia causa meum fieri non potest, nisi desierit esse meum; ut dicitur, » c. *Inter dilectos.* 6. § *Cæterum. de Fide instrument.* cum concordantiis ibidem a Glossa ỹ. *Quod meum est*, relatis. Resp. neg. consequent, ejusque probationem distinguendo. Justus titulus transfert rei dominium, si simul est verus, atque a parte rei subsistens, conced. Si est putativus tantum, qui scilicet justo errore putatur legitimus, quamvis ex aliqua occulta causa talis non sit, neg. assumptum. Siquidem ut notat Glossa in c. *Si diligenti.* ỹ. *Justus titulus.* h. t. et Abbas ibid. n. 23. ad præscriptionem non requiritur justus titulus, qui in veritate sit talis, seu per quem transferatur rei dominium : sed sufficit putativus, sive (ut alii loquuntur) coloratus, vel præsumptus. Et talis titulus pro tanto dicitur justus : quia concurrente bona fide possidentis dat causam præscribendi; licet in veritate non sit justus, alioquin enim nulla opus foret præscriptione. Unde

127. *Titulus ejusmodi, quid?* — Quæritur II. Quid sit, et quotuplex sit titulus? Resp. I. Titulus, quantum ad propositum, est causa ex se habilis ad transferendum dominium, vel usucapiendi conditionem præbens. Ita Vallensis h. t., § 5. n. 1; Engel, eod. n. 22; Sannig. cap. III. n. 1, et alii; nec in re discordat Glossa in *Summa.* caus. 16. q. 3. dicens. « Titulus est justa causa possidendi, quod nostrum non est. » Et hujusmodi justa causa possidendi, seu ex se habilis ad transferendum dominium, vel saltem (si a parte rei non subsisteret) usucapiendi conditionem præbens, est donatio, emptio, transactio, et hujusmodi : nam alii tituli, qui ex natura sua non tendunt ad translationem dominii, ut commodatum, depositum, precarium, etc., pariter nihil prosunt ad præscriptionem, neque usucapiendi conditionem præbent.

128. *Et quotuplex sit?* — Resp. II. Ejusmodi tituli habiles ad transferendum rerum dominium, vel saltem præbentes usucapiendi conditionem, sunt sequentes; quo ex libro XLI. *Digestorum* desumptos, breviter allegat, et explicat Lessius lib. II. cap. VI. dubit. 7. videlicet, dum quis bona fide possidet rem alienam. « Pro emptore, pro transacto, pro donato, pro hærede, pro legato, pro dote, pro judicato, pro derelicto, pro soluto, pro suo. » Quia enim titulo emptionis, transactionis, donationis, etc. secuta traditione transferri solet rerum dominium, dummodo tradens fuerit dominus, simulque potuerit alienare : hinc fit, quod si bona fide emi rem ab aliquo, quem credebam dominum, et non erat; vel rem ecclesiasticam ab abbate, aut episcopo, credens requisita juris in ejus alienatione fuisse observata per ipsum, et non erant observata, aut hujusmodi, ob talem latentem defectum non acquiram rei dominium, bene tamen usucapiendi conditionem.

129. *Tituli* Pro soluto et pro suo, *dicuntur generales, alii speciales.* — Resp. III. Ex enumeratis titulis priores sunt speciales; duo tamen posteriores, nempe « Pro soluto, » et « Pro suo, » dicuntur generales, eo quod sint incerti, et in aliis specialibus etiam includantur. Quicumque enim rem possidet « Pro emptore, donato, legato » (id est, titulo emptionis, donationis, legati sibi in testamento relicti etc.) eam etiam possidet « Pro soluto, et pro suo. »

130. *Tituli generales regulariter non recte allegantur ad præscriptionem sine specialibus.* — Porro isti tituli generales, cum sint incerti, soli ordinarie non recte allegantur ad præscriptionem sine suis specialibus titulis, ex quibus ortum habent; ut notat Engel, h. t. n. 23. Dicitur « ordinarie : » nam quandoque etiam omnibus aliis deficientibus sufficere possunt, arg. l. ult. ff. *Pro suo.* ubi admittitur usucapio, quando quis in bonis suis invenit aliquid, quod bona fide existimavit esse suum, etiamsi a parte rei fuerit falsa ejus existimatio. Unde successor, v. g. præ-

latus potest res, ac jura a suo antecessore relicta, ex titulo « Pro suo » præscribere : quia, qui in locum alterius succedit, justam habet ignorantiæ causam. Glossa c. *De quarta.* ℣. *Se posse tueri*, h. t. Engel, cit. n. 23. adducens nonnulla alia exempla.

131. *Titulus* pro hærede, *quando sufficiat ad præscriptionem? Si defunctus rem bona fide possedit ut suam, ac necdum præscriptionem complevit, possessio ejus continuatur in hærede.* — Quæritur III. Quando titulus *Pro hærede* sufficiat ad Præscriptionem? Resp. I. Titulus *Pro hærede* tunc juvat ad præscriptionem, quando defunctus rem bona fide possedit ut suam, ac necdum tempus præscriptionis complevit : nam possessio defuncti continuatur in hærede. Textus est in § *Diutina*, Instit. *de Usucapion.* ibi : « Diutina possessio, quæ prodesse cœperat defuncto, et hæredi, et bonorum possessori continuatur, » etc. Concordat textus l. *Dolid.* § *Eum qui.* ff. *de Contrahend. emption.* ubi Bartolus in *Summario* inquit, quod possessio actoris et successoris jungantur ad præscriptionem implendam : juncta l. *Pomponius.* c. *Cum quis.* ff. *de Acquirend. possess.*

132. *Idque exemplificatur. Atque ampliatur ad successorem in beneficio, et legatarium.* — Infertur proinde, quod si quis existat hæres alterius bonæ fidei possessoris, qui rem immobilem alicujus privati quinquennio cum titulo, v. g. emptionis possedit, ejusmodi hæres additis aliis quinque annis suæ possessionis, bona pariter fide continuatæ, possit præscriptionem inter præsentes complere. Pirhing h. t. n. 65; Layman, lib. III. *Theolog. moral.* sect. 5, tract. I, cap. VIII, n. 17, ubi istud ampliat ad successorem in beneficio : nam hic etiam ad complendam præscriptionem circa jura, et res sui beneficii, potest connumerare annos, quibus bona fide antecessor suus easdem possidebat. Et quod etiam legatario danda sit accessio ejus temporis, quo res fuit apud testatorem; textus est expressus in l. *Pomponius.* § *Sed et Legatario.* ff. *de Acquirend. possession.*

133. *Hæres succedit in omne jus defuncti. Ac censetur eadem persona cum defuncto.* — Additur notanter « quando defunctus rem bona fide possedit ut suam, » etc. Secus est dicendum, si defunctus rem detinuisset veluti sibi commodatam, locatam, oppignoratam, vel apud se depositam : quia talem rem hæres ipsius nunquam præscribere poterit, quantumvis bona fide, ac jure hæreditario, ipsam possidere videatur. Siquidem « hæres in omne jus defuncti succedit. » ut dicitur l. *Cum hæres.* ff. *de Diversis et temporal. præscript.* et proinde censetur rem tenere eo modo, ac jure, quo ipsam tenuit defunctus : videlicet per modum commodati, locati, pignoris, depositi, etc. Accedit, quod hæres censeatur eadem persona cum defuncto, Auth. *de Jurejurand.* § 1, collat. 5. ubi : « Cum utique nostri videtur legibus unam quodammodo personam hæredis, et ejus, qui in eum transmittit hæreditatem : » junctis concordantiis a Glossa ibid. ℣. *Unam quodammodo*, relatis. Unde locum habet, quod reg. 46. jur. in 6. dicitur : « Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit. » Quod procedere in successore universali, qualis est hæres, utpote succedens in universum jus defuncti, notat Dynus in cit. reg. 46. jur. in 6. n. 2. et seqq.

134. *Quando defunctus fuit possessor malæ fidei, hæres ejus immediatus nunquam præscribit rem illius, licet hanc bona fide habeat.* — Resp. II. Quando defunctus fuit possessor malæ fidei, tunc hæres ejus immediatus ex titulo *Pro hærede*, non potest ullo tempore rem a defuncto mala fide possessam præscribere, etiamsi eam bona fide habeat, velitque a se ipso initium præscriptionis inchoare. Ita Covarruvias part. II. in c. *Possessor.* § 9, n. 1. et seqq. Abbas c. *Si diligenti.* n. 29 et 30, h. t. Lessius, cit. lib. II. cap. VI, n. 42; Fachineus lib. VII. *Controvers. Jur.* cap. XXVII. Pirhing h. t., n. 68. et communis aliorum; contra Glossam c. *Cum quis in jus. de Reg. juris*, in 6. et quosdam alios, quos in contrarium citat Covarruvias ibid. n. 5.

135. *Et hujus ratio. Hæres repræsentat personam defuncti.* — Ratio communis sententiæ est : quia hæres repræsentat personam defuncti; imo censetur eadem persona cum defuncto, juxta cit. Auth. *de Jurejurando a moriente præstito.* collat. 5. Ergo sicuti defunctus ipse non potuisset præscribere ullo tempore cum mala fide, ita nec hæres ejus, utpote qui ob repræsentationem defuncti, fictione juris censetur habere malam fidem. Id ipsum habetur clare decisum in l. ult. c. *Communia de Usucapion.* ubi proinde Salycetus in *Summario* sic inquit : « Vitium defuncti nocet ejus universali successori, etiam bonam fidem habenti. » Concordat textus in l. *Cum hæres.* ff. *de Diversis et temporal. præscription.* et § *Diutina*, Instit. *de Usucapion.*

136. Dices. Hoc quidem procedere spectato jure civili : secus autem esse dicendum de jure canonico, utpote cum secundum hoc ac præscriptionem sufficiat bona fides possidentis; ut c. *Si diligenti* juncta Glossa ℣. *Bona fides*, et cap. ult. h. t. cum similibus. Resp. neg. assumptum; tum quia circa præsentem controversiam nullum habemus textum contrarium in jure canonico; et consequenter stabitur claræ decisioni juris civilis, juxta superius in procemio, l. I. *Decretalium* n. 225. et seqq.; tum quia sicut jure civili, ita et Pontificio, hæres repræsentat personam defuncti; atque idcirco ex hac repræsentatione censetur habere malam fidem : non quidem veram (uti supponitur) sed fictam, seu fictione juris inductam, eo quod hæres censeatur eadem persona cum defuncto; uti notat Abbas, et Covarruvias, ubi supra. Tum tandem, quia hæres tenetur ad exonerandam conscientiam defuncti, cap. ult. *de Sepultur.* atqui non aliter poterit exonerare conscientiam defuncti, nisi restituendo rem, quam ipse mala fide possederat; prout cum aliis argumentatur Abbas cit. n. 30. ergo.

137. *An hæres immediatus bona fide possit saltem longissimo tempore præscribere rem a defuncto mala fide possessam?* — Urgebis, jus civile locis supra n. 61. citatis, non impedit præscriptionem longissimi temporis, videlicet triginta vel quadraginta annorum etiam cum mala fide; ergo mala fides defuncti non obstabit hæredi bona fide rem præscribendi saltem annis triginta, dummodo nolit uti accessione possessionis ipsius defuncti. Antecedens probatur ex l. *Sicut in rem.* et l. *Si quis emptionis.* c. *de Præscription. tringinta vel quadraginta annor.* ergo. Nec dicas, hujusmodi leges fuisse correctas per jus canonicum, cap. ult. h. t. Nam contra est : quia jus canonicum loc. cit. loquitur solummodo de vera mala fide, quæ peccatum involvit; non autem de ficta mala fide, utpote quæ nullum ex parte hæredis peccatum involvit. Resp. negando antecedens, cum consequentia suæ probationis; idque ob responsionem inter arguendum relatam. Ad hujus impugnationem dicitur : quamvis ob ipsam Covarruvias loc. cit. n. 5. et Lessius n. 42. cum nonnullis aliis probabile censeant, quod mala fides defuncti non obstet hæredi bona fide præscribenti annis triginta : simulque fatendum sit, oppositum istius sententiæ ex cit. cap. ult. h. t. non evinci, ob rationem jam allatam; quia videlicet in eo duntaxat est sermo de vera mala fide, seu peccatum involvente, non autem de ficta : nihilominus istud probatur aliunde. Et primo quidem ex eo : quia hæres succedit in jus defuncti, imo omne jus suum causatur a defuncto; sicque propter vitium defuncti, transit res in ipsum cum suo onere; ergo sicut defunctus malæ fidei, rem illam nullo tempore potuit præscribere, ita nec hæres ejus. Abbas cit. cap. ult. n. 30. h. t.; Fachineus lib. VIII. *Controvers. jur.* cap. XXVII. et alii. Deinde id ipsum confirmatur ex eo : quia hæres etiam de jure canonico repræsentat personam defuncti (quæ repræsentatio, simulque mala fides ficta, non extinguitur spatio triginta annorum) teneturque ad exonerandam conscientiam defuncti; ergo hoc ipso probabilius est, jurique conformius, dictam obligationem lapsu triginta annorum non extingui, neque eidem præscribi posse. Lessius cit. n. 42; Pirhing h. t. n. 72; Sylvester ℣. *Præscriptio I.* n. 8; Abbas, Fachineus, ubi supra, et alii.

138. *Hanc hæres mediatus bona fide præscribit tempore ordinario.* — Dicitur notanter n. 134. « hæres immediatus. » Quia hæres mediatus, id est, hæres primi hæredis, potest rem tempore ordinario præscribere, quam bona fide prior hæres possederat. Ratio est, quia hæres hæredis non amplius habet malam fidem fictam, utpote quam jura induxerunt ex sola vera mala fide defuncti, ob repræsentationem ejus in hærede. Accedit, quod fictio non pariat fictionem. Covarruvias loc. cit. n. 7; Lessius n. 43; Pirhing h. t., n. 70. et alli, istud intelligentes, dummodo hæres mediatus et bona fide possidens incipiat præscriptionem, computando videlicet solum tempus, quo ipse possedit, non autem connumerando tempus, quo possedit suus antecessor.

139 et 140. *Idem dicendum de donatario, vel officio. Ac successore in dignitate, beneficio, vel officio.* — Hoc ipsum multo magis procedit in successore singulari, puta, in donatario, vel emptore, cui primus hæres rem ejusmodi bona fide donavit, vel vendidit : quia ille personam defuncti non repræsentat, sicque tempore ordinario præscribere poterit. Hinc § *Sed tamen.* Instit. *de Usucapion.* dicitur : « Si hæres rem defuncto commodatam, aut locatam, vel apud eum depositam, existimans hæreditariam esse, bona fide accipienti vendiderit, aut donaverit, aut dotis nomine dederit, qui in is, qui acceperit, usucapere possit, dubium non est. »

Quinimo etiam successor in dignitate, beneficio vel officio, qui personam defuncti, vel antecessoris sui minime repræsentat, potest cum bona fide præscribere rem a defuncto, vel antecessore suo mala fide possessam; dummodo non computet tempus illud, quo alter mala fide possedit. Glossa c. *De quarta.* ℣. *Se posse tueri*, et Abbas ibid. n. 9; Felinus n. 23. h. t.; Covarruvias cit. part. II. in c. *Possessor.* § 9. n. 7; Pirhing h. t. n. 72. et alii. Ratio est, quia talis non possidet dignitatem, Beneficium vel officium, jure sui antecessoris, sed mediante legitimo collatore, ergo non est, cur ipsi bonam fidem, debeat nocere mala fides antecessoris sui, quominus possit præscribere rem a se bona fide possessam.

141. *Hæres potest rem a defuncto mala fide possessam bene præscribere ex alio titulo quam hæreditatis.* — Dicitur etiam eod. n. 134. ex titulo *Pro hærede*. Quia potest hæres rem a defuncto mala fide possessam bene præscribere, si ipsam acquisivit alio titulo, quam titulo hæreditatis : puta, si defunctus ante mortem suo futuro hæredi vendidit, aut donavit rem alienam, quam iste bona fide accepit, atque possedit : potest enim eam debito tempore præscribere, juxta textum l. *An vitium.* ff. *de Diversis et temporalib. præscription* ubi Glossa in casu; Covarruvias d. § 9, n. 6, vers. *Quartum;* Pirhing h. t., n. 69. et alii.

142. *An ad omnem prorsus præscriptionem requiratur titulus?* — Quæritur IV. An ad omnem prorsus præscriptionem requiratur justus titulus? Resp. Negative, intelligendo istud de aliquo speciali, puta emptionis, donationis, vel hujusmodi; non autem de titulo illo val de generali *Pro suo :* constat enim, quod hic semper debeat intervenire, cum alioquin quis non possideret rem nomine proprio, vel saltem non cum bona fide. Ratio conclusionis taliter explicatæ, desumitur ex cap. I. h. t. in 6. ubi expresse dicitur, quod « ei, qui rem præscribit ecclesiasticam, si sibi non est contrarium jus commune, vel contra eum præsumptio non habeatur, sufficiat bona fides. » Concordat textus c. *De quarta* 4. et c. *Ad aures* 6. et cap. ult. h. t. ubi nulla prorsus fit mentio de titulo; et tamen interveniente bona fide, et possessione legitimo tempore continuata, admittitur præscriptio. Et hinc in bonis privatorum procedere præscriptionem triginta annorum sive titulo, cum communi doctorum dicetur infra n. 155.

143. *Titulus requiritur ad præscriptionem in duobus duntaxat casibus : nempe ut compleatur breviori, seu ordinario tempore; et quando jus commune resistit præscribenti.* — Igitur ad præscriptionem requiritur titulus specialis in duobus duntaxat casibus. *Primo*, ut præscriptio compleatur breviore, seu ordinario tempore, juxta dicta superius n. 125. *Secundo*, quando jus commune resistit præscribenti, vel alias habetur præsumptio contra ipsum. Ratio est, quia ad præscriptionem requiritur bona fides : sed quando præscribenti est contrarium jus commune, vel habetur præsumptio contra ipsum, hoc ipso censetur abesse bona fides, nisi allegando specialem titulum possit talis præsumptio tolli, seu mala fides purgari; ergo ad eam tollendam, atque purgandam malam fidem, requiritur allegatio cujusdam specialis tituli. Atque hoc ipsum patet ex c. *Si diligenti.* 17. h. t. et cap. I. eod. in 6. cujus verba n. 121. jam sunt relata.

144. *Nisi allegetur præscriptio immemorialis. Possessio temporis immemorialis est instar tituli, imo melior titulus de toto mundo.* — Fatendum tamen, quod in hoc posteriori loco istud limitetur illis verbis : « Nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cujus contrarii memoria non existit. » Siquidem ipsa temporis immemorialis continuata possessio, est instar tituli, imo qua non potest allegari melior titulus de toto mundo, ut loquitur Fagnanus in c. *Cum apostolica* n. 6. *De his, quæ fiunt a prælatis*, etc. post Rotam decis. 642. n. 2. part. IV. divers. et decis. 150. n. 4. part. V. recent. dummodo sit capacitas in possidente, ut bene limitat. Fagnanus loc. cit. n. 7. et c. *Cum contingat.* n. 8. et seqq. *de Foro competenti* citans plures alios. Quid autem intelligatur per possessionem, seu præscriptionem temporis immemorialis, patet ex dictis supra n. 122. et seqq.

145. *Non omnis præscriptio est contra jus commune, licet sit contra jus privati.* — Dices. Si ad præscriptionem, cui jus commune resistit, requiritur titulus specialis, ergo hoc ipso ad omnem præscriptionem requiritur titulus specialis : atqui istud est contra datam conclusionem; ergo. Probatur sequela maj. Quia omnis præscriptio est contra jus commune, quo decernitur, ut jus suum cuique tribuatur; ergo. Resp. neg. sequel. major. cum antecedenti suæ probationis. Quia, licet omnis præscriptio sit contra jus hominis privati, negligentis tempore debito rem

suam repetere : non tamen omnis est contra jus commune. Quinimo jus commune induxit legem de præscriptione, tam ad puniendam quorumdam desidiam, res suas longo tempore repetere negligentium ; tum etiam ad conservandam publicam pacem reipublicæ, ac sopiendas infinitas propemodum lites, quæ alioquin oriri possent. Unde etiam fit, quod completa semel bona fide per alterum præscriptione, amittat prior dominus jus suum ad rem, quam tempore legibus definito non repetivit, aut repetere neglexit.

146. *In materia præscriptionis, ac tituli ad eam requisiti, non est differentia inter jus civile et canonicum.* — Urgebis. Citato cap. I. *de Præscription.* in 6. fit solum sermo de præscriptione rerum ecclesiasticarum, ibi : « Qui rem præscribit ecclesiasticam : » ergo dispositio illius decretalis non est extendenda ad præscriptionem rerum civilium, seu profanarum, quamvis jus commune sit contrarium præscribenti. Resp. neg. consequent. Quia in materia præscriptionis, ac tituli ad eam requisiti, nulla est differentia inter jus civile et canonicum ; eo quod in tali casu de jure canonico exigatur titulus propter præsumptam malam fidem : adeoque, cum agatur de peccato excludendo, standum erit juri canonico etiam in foro civili ; prout recte notat Abbas c. *Si diligenti* n. 35. h. t. et Covarruvias lib. I. *Variar. resolut.* cap. XVII. n. 7. citans alios.

147. *Textus in cap.* I, *h. t. in* 6. *procedit, quando jus commune fortiter resistit præscribenti.* — Instabis. Præscribenti servitutem in alio fundo, adversatur præsumptio juris communis (nam quodlibet prædium præsumitur liberum, nisi probetur contrarium, arg. l. *Altius.* C. *de Servitut.* cum concordantiis ibidem a Glossa adductis) et tamen ad præscribendam servitutem in alieno fundo, non requiritur titulus text. clar. l. *Si quis diuturno* ff. *Si servitus vindicetur;* ergo. Resp. neg. anteced. Quia, ut notat Covarruvias loc. cit. n. 7. quod quis habeat jus servitutis in alieno prædio, non est contra jus commune, sed tantum quamdam præsumptionem juris naturalis, juxta cit. l. *Altius.* Cæterum (subdit idem auctor) textus in cap. I. h. t. in 6. procedit, quando jus commune fortiter resistit præscribendi, attribuendo videlicet alteri talem rem, prout decimæ, de quibus ibidem est sermo, attribuuntur parocho. Concordat Abbas c. *Si diligenti* n. 20. h. t. ubi ait, quod cit. cap. I. eod. in 6. procedat in præsumptione urgenti, non autem in qualibet præsumptione. Fatendum tamen, quod plures doctores velint, illud esse speciale in servitutibus præscribendis, utpote in quibus præsumptio libertatis versatur circa modicam læsionem.

§ VI.

DE TEMPORE AD COMPLENDAM PRÆSCRIPTIONEM RERUM, SERVITUTUM, ET ACTIONUM REQUISITO.

148. *Res mobiles privatorum cum titulo, et bona fide, præscribuntur triennio : immobiles per longi temporis possessionem. Longum tempus quod censeatur in jure.* — Quæritur I. Quantum temporis requiratur ad præscriptionem rerum tum mobilium, tum immobilium, contra privatos? Resp. I. De facto res mobiles privatorum cum titulo et bona fide, usucapiuntur triennio : res immobiles autem per longi temporis possessionem ; id est, decennio inter præsentes, et viginti annis inter absentes. Ita nunc communis ; atque seclusa omni locorum differentia, rejectaque annali exceptione prius usitata, habetur expressum in l. un. c. *de Usucapion. transformand.* et § 1. Instit. *de Usucapion.* In quo posteriori loco cumprimis fit mentio de bona fide, ac justo titulo, illis verbis : « Jure civili constitutum fuerat, ut qui bona fide ab eo, qui dominus non erat, cum crederet eum dominum esse, rem emerit, vel ex donatione, aliave quamvis justa causa acceperit, » etc. Atque infra loquendo de rebus qualiter acquisitis, atque possessis subjungitur : « Cautum est, ut res quidem mobiles per triennium, immobiles vero per longi temporis possessionem (id est, inter præsentes decennio, inter absentes viginti annis) usucapiuntur. » Hæc ibi. Pro cujus intelligentia

149. *Res mobiles et immobiles, quæ?* — Notandum est primo, quod « Res mobiles » dicantur hæc, quæ loco moveri possunt : ut vestis, animalia, naves, et similia. « Res immobiles » e contra sunt, quæ loco non moventur : ut ecclesia, domus, agri, prædia, et hujusmodi.

150. *Nomine immobilium etiam veniunt beneficia, census, redditus, jus patronatus, etc., ac jura et actiones ad immobilia.* — Porro nomine « immobilium » etiam veniunt beneficia, census, redditus, jus patronatus, ususfructus, et servitutes. Hæc enim omnia fixa manent, et instar immobilium afferunt fructum, et commoditatem suam : uti argumentatur

Lessius lib. II. cap. VI. n. 25. et concordat textus in Clem. *Exivi.* § *Proinde de Verb. signif.* ibi : « Cumque annui redditus inter immobilia censeantur a jure. » Rursus nomine immobilium comprehendentur jure, et actiones ad immobilia. Dicitur notanter; « ad immobilia : » nam jure, et actiones ad mobilia; v. g. ad equum, vestem, etc. dicuntur res mobiles, non minus, ac ipsemet equus, vestis, etc. Siquidem accessorium naturam sequitur principalis; juxta reg. 42. jur. in 6.

151. *Præsentes, et absentes, qui dicuntur?* — Notandum ulterius, quod quantum ad propositum, « Præsentes » dicantur, qui in eadem provincia commorantur, sive res præscribenda sit pariter in illa provincia, sive in vicinia, sive alibi, aut etiam trans mare. Hoc enim nihil importat, cum dominium rei, et jus vendicationis incorporale sit, ac proinde, ubicunque res posita sit, ejus dominium a domino repeti possit, l. *Cum in longi.* juncta Glossa ℣. *In eadem provincia.* C. *de Præscription. longi tempor.* E contra vero « Absentes » dicuntur illi, qui in diversis provinciis habitant.

152. *Provinciæ nomine, quid intelligatur?* — Porro nomine « Provinciæ » impræsentiarum intelligitur locus, qui olim ab eodem præside regebatur. Quia vero de facto plures sunt civitates, quæ habent sua propria regimina, sive proprium gubernatorem, qui soli principi, vel senatui subest; de singulis talibus territoriis idem nunc est dicendum, quod superius est dictum de provinciis : videlicet, « Præsentes » esse, qui in eodem tali territorio; « Absentes » autem, qui in diversis territoriis habitant. Glossa cit. l. *Cum in longi.* ℣. *Id est una provincia,* et Bartolus ibid. ac sequuntur alii passim.

153. *Quid, si quis quibusdam annis fuit absens, quibusdam præsens.* — Resp. II. « Quod si quis quibusdam annis præsens sit, quibusdam absens, adjiciuntur ei super decennium tot anni, quot anni ex decennio fuit absens. » Ita loquitur Aut. *Quod si quis.* C. *de Præscrip. longi tempor.* Quæ quidem communiter sic intelligitur, quod unus annus præsentiæ æquivaleat duobus annis absentiæ; et vicissim duo anni absentiæ, faciant unum annum præsentiæ : adeoque, si quis per octo annos præsens fuerit, et deinde per duos absens, alii duo anni sint supperaddendi; ita ut hæc præscriptio ante annos duodecim non compleatur.

154. *Res vitiosæ, seu furtivæ non possunt triennio usucapi. Usucapio in rebus mobilibus non facile procedit.* — Cæterum ab usucapione triennali excipiuntur res vitiosæ, id est, furtivæ, vel vi possessæ. Tales enim non possunt triennio usucapi : non tantum a fure ipsomet, vel per vim possidente, (nam his alia ratione usucapio non competit, quia scilicet mala fide possident) sed nec a quocunque alio tertio, quamvis eas bona fide a fure, vel ab aliis emerit, aut quocunque alio titulo acceperit, text. clar. § *Furtivæ.* Instit. *de Usucapion.* Ubi proinde merito subjungitur, quod usucapio in rebus mobilibus non facile procedit : quia plerumque, qui primus rem alienam vendidit, furtum commisit; quinimo scienter rem alienam vendens, hoc ipso committit furtum. Verum hoc intellige de usucapione triennali : nam res hujusmodi furtivas a bone fidei possessore posse præscribi spatio triginta annorum, tenet communis doctorum; estque jam dictum supra § 2. n. 27. et seqq. nonnullæ aliæ limitationes declarantur.

155. *Bona tam mobilia, quam immobilia privatorum, sine titulo, sed cum bona fide, præscribuntur triginta annis.* — Resp. III. Ad præscribenda bona tam mobilia, quam immobilia privatorum sine titulo (supposita tamen bona fide ex parte præscribentis) requiritur, et sufficit tempus triginta annorum. Ita communis; et habetur l. *Sicut in rem.* C. *de Præscript triginta vel quadraginta annor.* ubi generaliter dicitur : « Si quis res, vel jus aliquod postuletur, vel persona qualicunque actione vel persecutione pulsetur, nihilominus erit agenti triginta annorum præscriptio metuenda, » etc. Concordat textus c. *Sanctorum.* 3. h. t. ubi ecclesia per quietam et sinceram, hoc est (ut explicat Glossa ibid.) bona fide continuatam possessionem triginta annorum, præscribit rem et possessiones privati. Neque in hoc casu (sive loquendo de præscriptione longissimi temporis, nempe triginta vel quadraginta annorum) adhibetur distinctio inter absentes, et præsentes : nam neque jus eam adhibet; ubi autem jus non distinguit, neque nos distinguere debemus, l. *De pretio.* ff. *de Publiciana in rem action.* ubi Summarium, et doctores passim.

156. *Servitus mere personalis nullo tempore præscribitur, bene tamen libertas hominis.* — Quæritur II. Quanto tempore præscribantur jura servitutum, aut mediante alterius præscriptione admittantur? Hæc quæstio proce-

dit solummodo de servitute reali, ac mixta: nam quod servitus mere personalis, qua tollitur libertas hominis, nullo unquam tempore præscribatur, etsi servus possit præscribere libertatem contra dominum; patet ex l. II. et III. c. *de Longi tempor. præscript. quæ pro libertate*, etc. estque jam dictum supra § 2. n. 29. et 30. Hoc prænotato

157 et 158. *Servitus mixta et servitus realis, quo tempore præscribantur cum titulo?* — Resp. I. Servitus mixta, seu quæ a re debetur homini, ut est ususfructus, usus et habitatio, præscribitur cum titulo decem annis inter absentes: sed sine titulo annis triginta. Ita Lessius l. II. *de Justit. et jur.* cap. VI. n. 27. post Gomezium tract. *de Servitutibus*, tom. II. cap. XV. et alii. Idque patet ex l. ult. § fin. c. *de Præscription. longi tempor.* ubi ea, quæ prius decidebantur observanda in præscriptione rerum immobilium (de quibus n. 148. et 155. jam dictum est) etiam in servitutibus, præsertim mixtis, observanda declarantur, illis verbis: « Eadem observanda, et si res non soli sint, sed incorporales, quæ in jure consistunt, veluti ususfructus, et cæteræ servitutes. » Hæc ibi.

Resp. II. Servitus realis, seu quæ a re debetur rei, tam affirmativa, quam negativa, tam rustica, quam urbana, continua, vel quasi continua, cum titulo, et bona fide præscribitur contra præsentem decem annis, et viginti annis contra absentem. Ita textus l. ult. c. *Præscription. long. tempor.* ac tenet Abbas c. *De quarta*. n. 21. et seqq. *de Præscription.*; Gomez loc. cit. n. 27; Covarruvias in c. *Possessor*. part. II. ab init. n. 8; Lessius loc. cit. n. 28; Layman lib. III. *Theolog. moral.* sect. 5. tractat. I. cap. IX. n. 4; Pirhing h. t. n. 119. attestantes de communi; pluresque alii apud Fachineum lib. VIII. *Controvers. jur.* cap. XXII. quamvis iste postmodum aliam sententiam sequatur.

159 et 160. *Quo tempore præscribatur sine titulo servitus realis continua, vel quasi discontinua?* — Resp. III. Loquendo tamen de præscriptione servitutis realis sine titulo, et quanto tempore jus talis servitutis mediante præscriptione acquiri valeat; est distinguendum inter servitutem discontinuam, seu quasi continuam, et inter servitutem discontinuam. Et quidem servitus realis continua, vel quasi continua cum bona fide, licet absque titulo, interveniente scientia et patientia adversarii, contra quem fit præscriptio, præscribitur decem annis inter præsentes, et viginti annis inter absentes. Ita Lessius ubi supra, n. 28; Layman d. n. 4. post Gomezium cit. cap. XV. n. 27. et communem aliorum. Idque patet ex l. I et II. c. *de Servitutib. et aqua.* ubi expresse dicitur, servitutem, quæ habet causam continuam, sciente adversario, nec reclamante, acquiri longi temporis spatio: atqui per longum tempus intelligitur decennium inter præsentes, et viginti anni inter absentes, § 1. Instit. *de Usucapion.* Concordat textus in l. *Si quis diuturno* ff. *Si servitus vendicetur.* Accedit, quia si dominus, seu is cujus interest, scit, et permittit tanto tempore rem suam alteri servire (ut puta, tolerando tignum alterius suo parieti immissum, vel aquæ ductum in suo fundo factum, aut hujusmodi) censetur hoc jus sponte alteri concedere: unde non est opus alio titulo ex parte præscribentis, dummodo interveniat bona fides.

Quod si vero servitus sit discontinua, ut iter, via, seu jus agendi jumentum, vel ducendi currum per fundum alterius: tunc ea absque titulo non præscribitur, nisi tempore immemoriali; prout desumitur ex l. *Servitutes*. ff. *de Servitutib.* ac notat Lessius cit. n. 28. et Layman d. cap. n. 5, allegans communem. Ratio disparitatis est, quia non facile a domino potest adverti possessio juris servitutis discontinuæ ab altero prætensæ, ut eam possit impedire, prout accidit in servitute continua, cujus usus cum sit continuus, facile advertitur.

161. *Servitutes mixtæ, sicut et servitutes reales, tum rusticæ, tum urbanæ, quo modo et tempore amittantur?* — Resp. IV. Servitutes mixtæ, puta, ususfructus, usus et habitatio; sicut et servitutes reales, quæ non usu amitti solent, extinguuntur spatio decem annorum inter præsentes, et viginti annorum inter absentes. Textus est in l. *Sicut usumfructum.* c. *de Servitutib. et aqua.* Ubi tamen sciendum est conformiter dictis n. 109. et 110. quod servitutes rusticæ amittantur per solum non usum alterius: unde non est opus, quod dominus prædii aliquid faciat, quo bona fide facto incipiat usucapere suam libertatem. At vero urbanæ servitutes non amittuntur solo non usu, sed opus est, ut possessor loci debentis servitutem, aliquid faciat bona fide, quo incipiat usucapere suam libertatem, v. g. tignum eximendo, vel foramen obstruendo, ac ejusmodi, l. *Hæc autem Jura*. ff. *de Servitut. urban. præd.* Et tunc tempus decennale, vel vicennale,

est computandum a tali actu contrario, quo bona fide incipit libertas usucapi: at vero respectu servitutum rusticarum computatur totum tempus, quo cessavit usus ipsarum.

162. *Ad præscribendas res immobiles contra Ecclesias, monasteria, hospitalia, etc., requiruntur anni quadraginta.* — Quæritur III. Quantum temporis requiratur ad præscribendas res immobiles contra Ecclesias, monasteria, hospitalia, aliaque loca religiosa, et contra donationes ad pias causas? Et notanter de his omnibus insimul quæstio proponitur: nam, quantum ad materiam præscriptionis attinet, de omnibus pariter discurrendum est, juxta Auth. *Quot Actiones.* c. *de Sacrosanct. Eccles.* juncto Auth. *de Ecclesiasticis titulis.* § *Pro temporalibus.* collat. 9. Occasione cujus etiam quæri potest de bonis privatis, seu patrimonialibus clericorum.

163. Resp. I. Ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesiam, aliaque pia loca, et causas, requiruntur anni quadraginta: excepta tamen Romana Ecclesia, contra quam et ejus jura currit sola centenaria præscriptio; exceptis etiam nonnullis monasteriis, atque ordinibus religiosis speciali privilegio munitis, ut majori quam quadraginta annorum præscriptione gaudeant. Ita communis.

164. *Idque probatur.* — Et quidem prima pars habetur expressa in pluribus textibus juris, hoc titulo passim occurrentibus: ut c. *Ad aures.* 6. et c. *Illud autem.* 8. et c. *Quia indicante.* 9. h. t. ubi clare habetur decisum, quod contra Ecclesiam, jura episcopalia, decimas, et hujusmodi, quadraginta annorum spatio præscribatur. Quamvis enim aliqui antiqui canones (ut can. *Per singulas.* can. *Quicunque.* et can. *Placuit.* 16. q. 3.) admiserint præscriptionem triennalem: illi tamen vel procedunt ex parte Ecclesiæ, quæ præscribit rem privati per quietam, et bona fide continuatam possessionem triginta annorum; ut c. *Sanctorum.* 3. h. t. juncta Glossa in casu, et doctoribus ibid. vel eisdem nunc est derogatum, cit. c. *De quarta.* 4. et c. *Illud autem.* 8. h. t. ubi sola quadragenaria præscriptio adversus inferiorem Ecclesiam admittitur.

165. *Contra Ecclesiam romanam currit sola centenaria præscriptio.* — Altera pars, seu quod sola centenaria præscriptio contra romanam Ecclesiam procedat, clare habetur can. ult. caus. 16. q. 3. et c. *Ad audientiam.* 13. et c. *Cum vobis.* 14. h. t. et c. *Si qui.* eod. in 6. Concordat prædictis Auth. *Quas actiones.* c. *de Sacrosanct. Eccles.* ibi: « Quas actiones alias decennalis, alias vicennalis, alias triennalis præscriptio excludit: et si loco religioso competant, quadraginta annis excluduntur, usucapione triennii, vel quadriennii præscriptione in suo robore durantibus: sola romana Ecclesia gaudente centum annorum spatio, vel privilegio. » Hæc ibi.

166. *Monasteria quædam, et ordines sunt privilegiati, ut majori quam quadraginta annorum præscriptione gaudeant.* — Tertia pars, seu quod quædam monasteria, et ordines specialiter sint privilegiati, ut majori quam quadraginta annorum præscriptione gaudeant; traditur a Lessio lib. II. *de Justit. et jur.* cap. VI. n. 25; Engel, h. t. n. 33; Molina, et aliis. Sic enim Eugenius IV. de plenitudine potestatis concessit ordini sancti Benedicti, ut res immobiles nonnisi annis sexaginta possint contra ipsum præscribi: et hoc idem concessit Julius II. congregationi Sancti Salvatoris. Addit Engel, ubi supra, post Arnoldum Rath tract. *de Usucap.* cap. V. assert. 35, ordinibus mendicantium, et ordini Cisterciensium primum in Hispania, et deinde per communicationem in superiori Germania, centenariam præscriptionem a diversis pontificibus esse concessam.

167. *Bona privata, et patrimonialia clericorum, præscribuntur tempore ordinario.* — Resp. II. Memorata præscriptio quadragenaria neutiquam extenditur ad bona privata, et patrimonialia clericorum; sed hæc præscribuntur tempore ordinario, sicuti bona laicorum. Ita Glossa can. *Possessiones.* 16. q. 4. ℣. *Episcoporum.* istud probans ex c. *Sanctorum.* 3. h. t. quod intelligit de boni patrimonialibus episcoporum, vel clericorum; Covarruvias lib. I. *Variar. resolut.* cap. IV. n. 3. et 4. istud amplians ad bona patrimonialia clericorum, ad quorum titulum sunt ordinati. Abbas d. c. *Sanctorum.* n. 6. et Barbosa, ibid. n. 2. allegans communem. Pirhing h. t. n. 95. et alii. Ratio est, quia privilegium quadragenariæ præscriptionis est quidem concessum ecclesiis, aliisque locis piis, non vero istud reperitur concessum clericis, horumque bonis patrimonialibus: imo oppositum innuit textus in cit. c. *Sanctorum.* h. t. juxta intellectum Glossæ proxime citatæ.

168. *Utrum res mobiles Ecclesiarum, aliorumque piorum locorum, cum titulo, et bona fide, triennio usucapiantur, variant doctores.*

— Quæritur IV. Utrum res mobiles Ecclesiarum, aliorumque locorum piorum, cum titulo et bona fide, triennii et possessione usucapiantur? Resp. In hujus quæstionis resolutione variant doctores, qui in duas extremas abeunt sententias, affirmativam videlicet, ac negativam; uti videre est apud Abbatem cap. I. n. 13. *De in integrum restitut.* et alios; atque patebit afferendo utriusque sententiæ fundamenta. Et quidem

169. *Fundamentum negativæ sententiæ affertur.* — Fundamentum negativæ sententiæ desumitur ex c. *Illud autem.* 8. h. t. Ubi absque restrictione aliqua ad res immobiles generaliter dicitur, « quod adversus Ecclesias minorem præscriptionem, quam quadraginta annorum, romana Ecclesia non admitti: » ergo cum canon non distinguat inter res mobiles et immobiles, neque nos distinguere debemus, sed in utriusque sola quadragenaria præscriptio admitti debebit. Confirmatur. Quia contra fiscum non procedit usucapio triennalis, § *Res fisci.* Instit. *de Usucap.* ergo a pari idem dicendum de Ecclesia, utpote quæ gaudet privilegio fisci, arg. c. *Auditis.* juncta Glossa †. *Jure minoris. De in integrum restitut.* et l. ult. c. *de Sacrosanct. Eccles.* ubi ista æquiparantur: et notat Menochius consil. 39. n. 4 et Barbosa tract. *Loca communia, argum. juris.* loc. 49. n. 2. et part. II. *Jur. Ecclesiast. univ.* cap. XIII. n. 2. citans Tiraquellum *de Privil. piæ causæ.* privileg. 143; Martham *de Jurisdict.* part. IV. cent. 1. casu 11. n. 48. et cas. 20. n. 22. pluresque alios.

170. Nec obstat Auth. *Quos actiones.* c. *de Sacros. Eccles.* ubi videtur oppositum decidi: et quod dicta authentica sit incerta *decreto Gratiani* can. penult. § *Quas actiones.* 16. q. 3. Tum quia leges civiles, dum quid disponunt circa Ecclesias, resque ecclesiasticas, nihil habent roboris, sed sunt inefficaces, nisi quatenus sunt approbatæ ab Ecclesia; ut c. *Ecclesia sanctæ Mariæ.* 10. et c. *Quæ in Ecclesiarum.* 7. *de Constitut.* cum similibus, tum quia can. penult. § *Quas actiones.* 16. q. 3. non est alicujus Papæ, qui habet jus condendi leges, sed ipsius duntaxat Gratiani, qui veluti doctor privatus ex jure civili citatum paragraphum illuc transtulit. Atque idcirco hanc sententiam tenet Glossa Auth. *De non alienandis*, etc. § *Sinimus.* †. *Nec multum.* collat. 2. Hostiensis in *Summa.* tit. *De in integrum restitut.* n. 4. hancque opinionem Abbas in cap. I. n. 13. *De in integrum restitut.*; appellat æquiorem; et quia in favorem Ecclesiæ tendit, eam optime posse teneri asserit, eo vel maxime, quod non reperiatur aliquis canon, qui in rebus Ecclesiæ approbet usucapionem triennalem. Atque eamdem sententiam saltem circa mobilia pretiosa, utpote quæ æquiparantur immobilibus, et ad instar immobilium absque solemnitate alienari prohibentur Extravag. un. *De rebus Eccles. non alienand.* inter commun. censet valde probabilem Engel, h. t. n. 28. nam etiam usucapio est quædam alienationis species, l. *Alienationis* ff. *de Verb. signif.*

171. *Affirmativa est communior, et verior.* — Affirmativa e contra sententia, seu quod Ecclesiæ (demptis tamen pretiosis) triennali possessione usucapiantur, est communior doctorum, et verior de subtilitate juris; uti fatetur ipsemet Abbas cit. n. 13. eamque tenet Innocentius cap. I. *De in integrum restitut.*; Dynus in *Reg. possess.* n. 18. *de Reg. Jur.* in 6. ex professo hanc quæstionem examinans; Covarruvias part. II. in *Reg. Possessor.* § 2. n. 5; Lessius d. lib. II. cap. VI. n. 22. hinc excipiens bona romanæ Ecclesiæ Zoesius h. t. n. 5; Vallensis eod. § 6. n. 3; Layman lib. III. tract. I. n. VIII. n. 13; Pirhing h. t. n. 90; Sannig eod. cap. V. n. 1, pluresque alii. Fundamentum hujus communioris sententiæ desumitur ex Auth. *Quas actiones.* c. *de Sacrosanct. Eccles.* ubi locis religiosis conceditur privilegium præscriptionis quadragenariæ, sed cum addita limitatione illis verbis: « Usucapione triennii, et quadriennii præscriptione in suo robore permansuris. » Estque hæc authentica per Gratianum juri canonico inserta, can. penult. § *Quas actiones.* 16. q. 3. atque ab Ecclesia recepta; uti volunt Layman, Pirhing, Vallensis, aliique hujus sententiæ sectatores. Confirmatur. Quia si lex non esset, non posset Ecclesia usucapere spatio triennii rem mobilem privati; ergo si vult accipere legem pro se, debet etiam admittere contra se, ex quo circa hoc non reperitur specialiter privilegiata per principem.

172. *Solvuntur contraria.* — Nec obstant rationes n. 169. in oppositum allatæ. Siquidem textus c. *Illud autem.* 8. h. t. commode intelligitur de præscriptione rerum immobilium, non vero mobilium: ut sic jura juribus concordentur. Porro dictum illud, « ubi jus non distinguit, neque nos distinguere debemus, » non procedit, quando una lex

per aliam distinguitur; prout fit in proposito per cit. Auct. *Quas actiones*, cum similibus.

173. *Ecclesia gaudet privilegiis fisci ; et qualiter?* — Neque urget assumpta paritas de fisco : nam verum quidem est, quod Ecclesia gaudeat omnibus privilegiis fisci temporalis, sed cum limitatione; nimirum (ut inquit Barbosa cit. lib. II. *Juris Ecclesiast. univers.* cap. XIII. n. 2. cum aliis) dummodo subsistat identitatis ratio, et non reperiatur contrarium in Jure expressum horum quippe ultimum deficit in proposito, propter textum cit. Auct. *Quas actiones.* c. *de Sacrosanct. Eccles.*

174. *Actiones, quo tempore extinguantur sive præscribatur contra eas? Actio hypothecaria contra debitorem, vel ejus hæredem non extinguitur, nisi annis quadraginta.* — Quæritur V. Quo tempore extinguantur actiones, sive præscribatur contra eas? Resp. I. Actio hypothecaria, qua creditores pignora, sive hypothecas persequuntur, seu repetunt a debitore, vel ejus hæredibus, non extinguitur contra creditorem, nisi annis quadraginta. Textus est clarus in l. *Cum notissimi.* c. *de Præscription. triginta vel quadraginta annorum.*

175. *Secus contra alios.* — Dicitur notanter, « a debitore, vel ejus hæredibus. » Nam si res pignori, vel hypothecæ supposita, possideatur cum titulo et bona fide ab aliquo alio, qui nec debitor, nec debitoris hæres (ut si fuit cuipiam vendita ignoranti, quod sit hypothecata) tunc contra eam præscribitur spatio longi temporis; id est, decennio inter præsentes, aut viginti annis inter absentes : sine titulo autem annis triginta, cit. l. *Cum notissimi*, juncta l. I. et II. c. *Si adversus creditorem*, etc.

176. *Actiones temporales per contestationem litis fiunt perpetuæ.* — Resp. II. Actiones temporales (hoc est, decem, viginti, aut plurium annorum) per contestationem litis fiunt perpetuæ : id est, extenduntur ad annos quadraginta a tempore cessationis a lite inchoandos, ita ut antea per præscriptionem non extinguantur. Ita habetur l. ult. c. *de Præscript. triginta vel quadraginta annorum.* Ratio autem, cur longius tempus concedatur post litis contestationem, quam sine ea ibidem affertur : quia præscriptiones longi temporis sunt institutæ partim in favorem possidentis, partim in odium negligentis rem suam repetere : atqui is, qui penitus ab initio tacuit, non est similis alteri litem contestanti, atque in judicium venienti, et certamen subeunti, licet postea forsan impeditus ob quosdam casus, litem implere cessaverit. Quinimo longe minor est negligentia hujus, quam illius : ac proinde tempus præscriptionis contra ipsum jure conceditur majus, et perpetuatur, sive ad quadraginta annos extenditur; haud obstante, quod antea ad decem, vel viginti duntaxat annos competivisset.

177. *Cæteræ actiones extinguuntur per præscriptionem annis triginta, etc., non tamen.* — Resp. III. Etsi cæteræ actiones (si excipias actiones contra Ecclesiam, aliaque loca pia super bonis immobilibus, et juribus correspondentibus præsccribendis, de quibus discurrendum est conformiter dictis supra n. 163. et seqq.) Etsi inquam, cæteræ actiones extinguantur per præscriptionem annis triginta : non tamen omnes tantum temporis requirunt. Ita communis. Et quidem prima pars habetur expressa in l. *Sicut in rem.* c. *de Præscript. triginta vel quadraginta annor.* ubi Summarium breviter sic habet : « Omnes actiones, quæ minori tempore non tolluntur, triginta annis tolluntur. » Concordat textus in l. 1. c. *de Annali exception.*

178. *Actio injuriarum expirat lapsu unius anni.* — Altera vero pars conclusionis probatur inductione. Nam imprimis actio injuriarum expirat lapsu unius anni, l. *Si non convicii.* c. *de Injuriis*, ibi : « Cum injuriarum actio annuo tempore præscripta sit. »

179. *Actio ad accusandum adulterium, aliaque peccata carnis (quibusdam exceptis) expirat quinquennio.* — Deinde actio ad accusandum adulterium, vel alia peccata carnis extinguitur lapsu quinquennii : adeo, ut quis postea de tali delicto inquiri, aut judicialiter accusari, et puniri non possit, l. *Mariti.* ff. *Ad leg. Juliam de adulteriis.* et l. *Adulter.* c. eod. Excipitur tamen hic Stuprum per vim illatum, cit. l. *Mariti.* § fin. ff. *Ad leg. Jul. de adulter.* et Adulterium cum incestu, l. *Vim passa.* § *Præscriptione.* ff. eod. atque Raptus, l. *Qui cætu.* ff. *ad leg. Jul. de vi publica.*

180. *Quid dicendum de nefando crimine sodomiæ?* — His nonnulli addunt crimen nefandum, sodomiæ videlicet, quod nullo unquam tempore præscribi, tradit Sebastianus Guazzinus lib. I. *Defensione.* 2. *Inquisitorum*, etc. cap. II. n. 79. Sed quia nullum allegat textum juris, neque talem hactenus reperire licuit, quo istud cæteroquin gravissimum, atque in coclum clamans delictum carnis,

sic exceptum, merito de hac Guazzini sententia dubitari potest: eo præsertim, quod textus, et Glossa in cit. l. *Adulter*. ✝. *Adulterium*. c. *Ad leg. Jul. de adulteriis*, dictum quinquennii terminum ad omnia peccata carnis in jure non excepta extendat: simulque « in pœnalibus causis benignius interpretandum sit, » juxta l. *Factum cuique*. ff. *de Reg. Jur.* et c. *In pœnis*, eod. in 6.

181. *Actiones criminales tolluntur regulariter viginti annis, nonnullis tamen exceptis.* — Porro aliæ actiones criminales tolluntur regulariter spatio viginti annorum, computando a die commissi criminis, l. *Querela falsi*. c. *Ad leg. Cornel. de Falsis*. ibi: « Querela falsi temporalibus præscriptionibus non excluditur, nisi viginti annorum exceptione, sicut cætera quoque fere crimina: » juncta Glossa ibid. ✝. *Sicut cætera*. Ubi tamen eadem Glossa ponit nonnullas exceptiones, assignando crimina, quæ vel minori tempore tolluntur; vel sunt perpetua, adeo quod nullo unquam tempore præscribantur: uti sunt crimen suppositi partus, crimen parricidii, et concussionis; quibus adde crimen læsæ majestatis, falsæ monetæ, hæresis, et nonnulla alia, de quibus alibi.

182. *Actio redhibitoria, quæ; et quo tempore eidem præscribatur?* — Ulterius « Actioni redhibitoriæ, » quæ datur emptori contra venditorem, ut animal morbidum, vel aliam rem vitiosam, quam quis cognito vitio non emisset, recipiat, pretiumque ejus restituat; tollitur eidemque præscribitur contra emptorem sex mensibus, computandis a die, quo emptor vitium rescivit, l. *Sciendum*. et l. *Cum sex*. ff. *de Ædilitio edicto*.

183. *Actio quanti minoris, quæ, et quandiu duret?* — Insuper « Actio quanti minoris, » quæ datur emptori, qui rem vitiosam, si præscivisset vitium ejus, emisset quidem, sed minori pretio, ut quanti minoris emisset, repetere possit, l. 1. ac seqq. ff. *de Ædilitio edicto*, durat duntaxat per annum. Tacentur aliæ actiones, utpote commodius in propriis locis explicandæ: nam magna est disparitas de actionibus, ac tempore requisito ad hoc, ut contra ipsa præscribatur; ita videlicet, quod amplius in foro externo proponi nequeant, si contra eas excipiatur, remanente interim obligatione in foro conscientiæ resarciendi pro viribus injustam læsionem proximo illatam.

§ VII.

DE POSSESSIONE AD PRÆSCRIPTIONEM REQUISITA, HUJUSQUE DORMITIONE ET INTERRUPTIONE, AC RESTITUTIONE IN INTEGRUM CONTRA EAM.

184. *Possessio legitime continuata requiritur ad præscriptionem. Non plus præscriptum, quam possessum.* — Quæritur I. An, et qualis possessio ad præscriptionem requiratur, et sufficiat? Resp. I. Certum est, requiri possessionem, quæ sit tempore a jure constituto legitime continuata. Nam, ut habet reg. 3. jur. in 6. « Sine possessione præscriptio non procedit, » cum concordantiis. Unde illud vulgatum juristarum. « Non plus præscriptum, quam possessum. » Si quidem præscriptio fundatur super possessione: ubi autem fundamentum non est, superædificari nequit.

185. *Præscribens decimas, non censetur præscripsisse decimas novalium.* — Et hac de causa, qui præscripsit decimas intra fines alienæ parochiæ, non potest vi talis præscriptionis percipere decimas novalium postea ibidem factorum: quia nempe decimas novalium, utpote hactenus non existentium, nunquam possedit, c. *Cum contingat*. 29. *de Decimis*, juncto summario, Glossa ✝. *Novalium*. et doctoribus ibid.

186. *Etiam in præscriptione contra servitutes, actiones, etc., requiritur alia possessio; et qualis?* — Dices. Præscriptio non solum datur ad acquisitionem alicujus rei, vel juris; sed etiam in ordine ad extinguendum jus alterius, vel ad defensionem contra jus alteri competens; ergo datur aliqua præscriptio sine possessione. Antecedens patet in præscriptione servitutum rusticarum, actionum, et hujusmodi: in quibus datur præscriptio ex solo non usu adversarii post elapsum certum tempus, nulla vero intervenit possessio. Resp. neg. consequent. cum sua probatione: quia, ut notat Abbas in c. *Cum non liceat*. n. 15. h. t. prædicta regula proprie quidem procedit in priori casu, seu ubi præscriptio datur ad acquisitionem alicujus rei, vel juris: nihilominus ea etiam in posterioribus casibus, puta, servitutibus rusticis, etc. procedit: utpote in quibus præscriptio habet effectum abnegativum, atque præscribitur proprie libertas, in cujus possessione quis fuit.

187. *Dicta de possessione, procedunt etiam de quasi possessione.* — Cæterum ea, quæ hic dicuntur de possessione, intelligenda etiam sunt de quasi possessione: nam incorporalia

proprie non possidentur, sed quasi possideri dicuntur, c. *Cum Ecclesia*. 3 *de. Causa possess.* cum concordantiis a Glossa ibid. ỷ. *Quasi possessionem*, adductis.

188. *Ad præscriptionem requiritur, talis possessio, ut quis rem proprio nomine possideat.* — Resp. II. Ad præscriptionem requiritur talis possessio, ut quis rem proprio nomine possideat, non autem alieno. Ita communis; et patet ex dictis supra n. 37. Accedit ratio : quia is, qui alterius nomine possidet, revera non est possessor, sed alter qui per ipsum possidet; nam « is possidere dicitur, cujus nomine possidetur, » prout habetur c. *Cum venissent*. 9. § fin. *de Restitut. spoliat.* et c. *Si diligenti*. 17. h. t. Unde procurator, conductor, filiusfamilias, etc. nullo unquam tempore contra dominum directum rem quampiam præscribunt : quia eam non suo, sed alterius nomine possident.

189. *Ad eam inchoandam requiritur possessio naturalis et civilis simul; ad continuandam sufficit sola civilis.* — Resp. III. Ad inchoandam præscriptionem requiritur possessio naturalis, et civilis simul : ad eam tamen continuandam et complendum, sufficit sola civilis possessio, non autem sola naturalis. Ita Glossa communiter recepta in c. *Sine possessione*. ỷ. *Sine. de Reg. jur.* in 6. Idque desumitur ex l. *Licet*. c. *de Acquirend. possess.* ubi dicitur : « Licet possessio (et consequenter præscriptio) nudo animo acquiri non possit, tamen solo animo retineri potest : » juncta Glossa ibidem amplius hoc declarante. Concordant dicta superius tit. XII. *De Causa possessionis*. § 1. n. 10 et seqq. ubi etiam declaratur, quid sit possessio naturalis, civilis, et naturalis ac civilis simul.

190. *An etiam possessio civilissima sufficiat ad inchoandam præscriptionem?* — Resp. IV. Num autem possessio civilissima, sive acquisita ministerio legis, seu consuetudinis sine actuali insistentia rei (de qua jam dictum supra cit. tit. XII, § 1, n. 17, et § 4, n. 140. et seqq.) sufficiat ad inchoandam præscriptionem, variant doctores. Et quidem negativam sententiam tenet Romanus, singul. 410; Felinus in c. *Illud*. col. ult. h. t.; et Baldus tom. XVII. *Tractatuum*, tract. *de Præscriptionibus*, part. III. principal. circa fin. Verum affirmativa sententia est probabilior : eamque tenet Glossa fin. c. *Contingit*. 9. *de Dolo et contumac.* ubi talis casus possessionis civilissimæ, seu legis ministerio acquisitæ, habetur in actore, cui propter rei contumaciam adjudicata fuit possessio (causa rei servandæ) sed quia in possessionem sibi a judice decretam, propter rei potentiam, vel dolum non admissus fuit, « verus constituitur elapso anno possessor; » prout loquitur textus ibidem. Atque hanc sententiam sequitur Covarruvias cit n. 5. allegans communem doctorum. Accedit ratio : quia hoc ipso, quod talis possessio censeatur ministerio legis vera possessio, quoad effectum nihil differt a vera naturali civilique possessione. Nec obstant dicta in concl. præced. Quamvis enim hic non interveniat possessio naturalis secundum veritatem : bene tamen ea intervenit secundum fictionem juris, ac ministerio legis; prout uberius liquet ex dictis supra cit. tit. XII. *De Causa possessionis*, a n. 141, usque ad n. 142, ubi plura de hoc.

191 et 192. *Præscriptio quando dicatur non procedere, vel dormire?* — Quæritur II. Quid sit, præscriptionem non procedere, vel dormire; et in quibus casibus ea dormiat? Resp. I. « Præscriptio tunc dicitur non procedere, » seu non currere, quando ob defectum alicujus conditionis ad ipsam requisitæ ipsa nec incipit, nec incipere potest; ut si desit bona fides, vel possessio necessaria, aut hujusmodi. Quo modo locum habet reg. 3. juris in 6. « Sine possessione præscriptio non procedit. » Et reg. 2. eod. in 6. « Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. »

Resp. II. « Dormire dicitur præscriptio, » quando ipsa semel inchoata, aliquando tempore cessat currere, atque interim manet suspensa propter superveniens impedimentum : ita tamen, ut eo sublato rursum procedat et continuetur tempus subsequens cum præcedenti ad complendam præscriptionem, solo dormitionis tempore subducto. Ita liquet ex c. *Cum vobis*. 14. h. t. et c. *Ex transmissa*. 10. juncta Glossa fin. eod. cum communi.

193. *Præscriptio in pluribus casibus dormit.* — Resp. III. Plures sunt casus, in quibus dormit præscriptio : quos enumerat Glossa in can. *Prima actione*. 16. q. 3. ỷ. *Postliminio*. ac Innocentius, et Abbas cit. c. *Ex transmissa*. n. 5. et seqq. h. t. quorum præcipui sunt sequentes.

194. *Nimirum tempore hostilitatis, seu belli; et qualiter?* — Et imprimis præscriptio dicitur dormire tempore hostilitatis, seu belli, c. *Ex transmissa*. 10. h. t. ibi : « Præscriptione hostilitatis tempore non currente. » Concor-

dat textus in can. *Prima actione.* 16. q. 3. cum similibus. Quod intellige cum Balbo tom. XVII. *Tractatuum*, tract. de *Præscriptionib.* part. VI. principal. part. II. § *Nunc venio.* n. 3. Barbosa c. *Ex transmissa.* n. 5. h. t. et aliis; sive una die duraverit hostilitas, sive pluribus annis: ac necdum tempore durantis belli, sed etiam post; quia contra populum hostilitate destructum non currit præscriptio, prout etiam cuilibet impedito ea non currit. Baldus consil 358. vol. I; Baldus, Barbosa, ubi supra, et alii ab hoc citati.

195. *Tempore pestis, et quomodo? — Secundo*, dormit præscriptio tempore grassantis pestis, si jus tunc non dicatur. Ita Bartolus in l. *Naturaliter.* ff. *de Usucapion.* et Abbas cit. c. *Ex transmissa.* n. 7. h. t.; Balbus loc. cit. § *Nunc venio.* n. 5; Pirhing h. t. n. 131. et alii. Ratio est, quia bonum est argumentum de bello ad pestem, quæ vocatur « Bellum divinum, » secundum Bartolum, et Balbum, ubi supra. Idque merito dicitur ob paritatem rationis, quamvis in hoc jure clare expressum non habeatur; cum non omnes casus sint expressi, l. *Non possunt.* ff. *de Legib.* Ac « de similibus idem judicium sit habendum, » per textum in cap. II. *de Translation episc.* Additur vero, « si jus tunc non dicatur. » Quia si adhuc jus redditur in loco grassantis pestilentiæ, currit præscriptio; quamvis actor, qui fuerat absens propter timorem ipsius, possit restitui in integrum ex clausula generali. Abbas cit. n. 7.

196. *Præscriptio adversus ecclesiam vacantem, seu destitutam prælato, dormit. Idemque dicendum, si prælatus sit lapsus in hæresin, vel sit excommunicatus, suspensus, vel captus ab hostibus. — Tertio* dormit, seu suspensa manet præscriptio adversus ecclesiam vacantem, seu destitutam prælato, aut rectore suo. Textus est in cap. I. etc. *Auditis.* 15. et c. *De quarta.* 4. h. t. cum concordantiis: et tradit Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 132, n. 1, post Rotam decis. 415; n. 3, part. II. recent. et alios passim. Idemque dicendum, si prælatus sit lapsus in hæresin, aut sit excommunicatus, vel suspensus, sive captus ab hostibus: quia tunc Ecclesia censetur quasi vacare, ut loquitur Glossa cit. can. *Prima actione.* 16. quæst. 3. atque carcere legitimo defensore; cum talis prælatus nequeat agere, et jura Ecclesiæ suæ defendere. Abbas cit. c. *Ex transmissa.* n. 8. h. t.; Barbosa d. allegat. 132, n. 3. et 4. cum communi: atque desumitur ex cap. I. h. t. et c. *Quia diversitatem.* 5. *de Concess. præbend.* cum similibus.

197. *Dormit præscriptio contra Ecclesiam tempore prælati dilapidantis. Item dormit tempore schismatis contra romanam Ecclesiam. — Quarto*, dormit præscriptio contra Ecclesiam tempore prælati dilapidantis, seu bona alienantis, can. *Si Sacerdotes* 16, quæst. 3. ac notat Glossa, et Abbas, et Barbosa n. 6. ubi supra. *Quinto*, adversus romanam Ecclesiam tempore schismatis non currit præscriptio, sed dormit: ac proinde tempus illud est subducendum a centenaria præscriptione; prout habetur c. *Cum vobis.* 14. h. t.

198. *Dormit præscriptio contra pupillum durante pupillari ætate. — Sexto*, dormit præscriptio contra pupillum durante ætate pupillari, l. *Sicut in rem.* C. *de Præscription. triginta vel quadraginta annor.* ibi: « Sed pupillari ætate duntaxat, quamvis sub tutoris defensione consistat, huic eximenda sanctioni, » cum similibus. Glossa cit. can. *Prima actione.* 16. q. 3. ỷ. *Postliminio.*

199. *Dormit præscriptio, cum quis de jure agere non potest; idque exemplificatur. — Septimo*, dormit præscriptio, cum quis de jure impeditur agere. Glossa loc. cit.; Abbas d. c. *Ex transmissa.* n. 9, h. t. asserens hunc casum esse satis generalem. Exemplum hujus est in filiofamilias, qui vivente patre non valet agere, sicque contra eum non currit præscriptio; ut l. I, § fin. *de Annali exception.* Idem dicendum de muliere vivente suo marito, respectu rerum dotalium, l. *In rebus.* ff. *de Jure dotium*: quia non præscribitur contra mulierem in dote repetenda, nisi soluto matrimonio, ut ibidem dicitur, ac notat Glossa, ubi supra.

200. *Contra non valentem agere, non currit præscriptio.* — Tandem generaliter contra non valentem agere, non currit præscriptio, arg. cap. I. h. t. juncta l. c. *de Annali exception* eo quod nulla tunc ex parte ejus interveniat negligentia. « Quis enim incusare eos poterit, si hoc non fecerint, quod etsi maluerint, minime adimplere lege obviante valebant; » prout dicitur cit. l. I. § fin. C. *de Annali exception.*

201. *Quomodo hæc regula sit intelligenda? —* Cæterum regulam hanc, « Non valenti agere, non currit præscriptio, » intelligunt doctores apud Barbosam c. *Ex transmissa.* n. 4. et 5. h. t. ac part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 132. n. 16. quando quis impeditur agere ob impedimentum ju-

ris, vel saltem ob impedimentum facti alicujus communis, sive generalis, ac notorii omnibus; prout fit in casibus allegatis. Secus, quando intervenit impedimentum facti non generale, nec notorium; prout accidit, si quis in exilio detineatur, vel infirmitate impediatur, aut hujusmodi : tunc enim currit præscriptio. Quandoque tamen taliter impedito datur restitutio in integrum ex clausula generali : ut in casibus proxime dictis, aut si quis abfuit causâ reipublicæ, l. *Senatus*. ff. *de Offic. præsidis*. Pirhing h. t. n. 132. citans alios.

202. *Præscriptionem interrumpi, quid?* — Quæritur III. Quid sit, præscriptionem interrumpi, et quot modis ipsa interrumpatur? Resp. I. « Præscriptio dicitur interrumpi, » quando ipsa semel cœpta, ex aliqua causa adeo cessat, ut totum tempus præcedens ipsius conquassetur : ac proinde, si sublato impedimento postea præscriptio rursum reviviscat, tempus posterius non continuetur cum priori, sed de novo debeat inchoari. Ita Baldus ubi supra. § *Expedita secunda*. n. 1. et communis. Unde est magna disparitas inter dormitionem, et interruptionem præscriptionis : nam ubi hæc solummodo dormit, subtrahitur quidem tempus dormitionis, sed cessante postmodum dormitione, atque sublato impedimento ipsius, prius ac posterius tempus possessionis bona fide continuatæ conjungitur, atque computatur in unum : secus accidit, ubi præscriptio interrumpitur.

203. *Interruptio præscriptionis duplex, naturalis et civilis, quæ?* — Resp. II. Duplex est interruptio præscriptionis : una naturalis, altera civilis. Ita Glossa communiter recepta in c. *Illud autem*. ℣. *Interruptio*. et Abbas ibid. n. 6. h. t. et communit. Et quidem « Naturaliter interrumpitur præscriptio, » quando incipit aliquid deficere ex his, quæ necessario ad præscriptionem requiruntur : ut si successu temporis superveniat mala fides, seu certa notitia rei alienæ; aut si quis amittat possessionem rei tam naturalem, quam civilem simul. « Civiliter autem interrumpitur præscriptio, » quando manentibus naturalibus præscriptionis interpellatur possidens per actum aliquem juridicum, qui ex legum dispositione talem interruptionem inducit : de quo ultimo plura in progressu.

204. *Differunt in effectu; et qualiter?* — Resp. III. Interruptio naturalis, et civilis ipsius præscriptionis quantum ad effectum, differunt in duobus. *Primo*, quia naturalis interruptio, se habet respectu omnium adversarium : adeo, ut absolute præscriptionem interrumpat, prositque omnibus, et non soli interrumpenti. Textus, Summarium, et doctores in l. *Naturaliter* 5. ff. *de Usucapion.* E contra civilis interruptio præscriptionis tantum se habet respectu illius, qui litem movit. Glossa can. *Placuit*. § *Potest* ℣. *Interrupta*. 16. q. 3. asserens, quod civilis interruptio præscriptionis ei tantum prosit, qui ipsam facit, et obsit illi tantum, contra quem fit : ut. l. *Inter quatuor*. ff. *de Divers. et temporal. præscription.* juncta Glossa hic. ℣. *Denuntiatione*. Unde si actor litem movens, atque alterius præscriptionem interrumpens, non fuerit verus dominus rei; atque interim contra verum dominum illius rei tempus legitimum elapsum sit, contra hunc erit præscriptio completa, haud obstante alterius lite. Engel, h. t. circa fin. istud firmans ex l. II. C. *Quibus res judicata non nocet* : ubi res inter alios acta, aliis non patrocinatur, neque nocet.

205. *Secundo* differunt, quod præscriptio naturaliter interrupta, seu possessio ad eam requisita, semper debeat de novo inchoari : requiritur ad præscriptionem continuatio possessionis temporis a lege definiti, l. *Usucapio*. et l. *Nunquam in usucapionibus*. § 2. ff. *de Usucapion.* At vero præscriptio civiliter interrupta, tunc demum remaneat interrupta, sententia condemnatoria contra possessionem sequatur : quod si vero possessor vicerit vel per pactum, aut transactionem a lite recessum fuerit, perinde tunc possessionis continuatio habetur, ac si lis nunquam mota fuisset. Covarruvias part. II. in c. *Possessor*. § 12. n. 8. vers. *Illud vero;* Engel, ubi supra. post Felinum c. *Illud autem* col. h. 8. h. et alios, quos allegat. Quod melius intelligatur.

206. *Quibus modis interrumpatur præscriptio civiliter? Præscriptio alia mere favorabilis, alia odiosa, alia mixta.* — Quæritur IV. Quibus modis præscriptio interrumpatur civiliter? Ubi repetendum ex dictis supra § 1. n. 15, quod « Præscriptio alia sit mere favorabilis, » seu inducta in favorem possidentis tantum : ut est præscriptio triennalis rerum mobilium cum titulo, et bona fide, quam doctores « Usucapionem » appellant. Alia « odiosa, » seu mere inducta in odium negligentium. nullo attento favore præscribentis : ut est præscriptio triginta, vel plurium annorum, procedens ob solam negligentiam non repetentium tanto tempore rem suam, non obs-

tante (secundum leges) mala fide possessoris. Alia tandem dicitur « Præscriptio mixta, » qualis est, quæ cum titulo, ac bona fide procedit contra privatum decem vel viginti annis; vel sine titulo, bona tamen fide, annis triginta. Glossa in l. *Sicut in rem.* ỿ. *Per executorem,* et Bartolus ibid. § *Quædam præscription. triginta vel quadraginta annor.* Covarruvias d. part. II. in c. *Possessor.* § 12. n. 4. et alii. Atque hæc distinctio impræsentiarum est bene notanda: cum enim in judicio plures soleant actus intervenire, ut puta, citatio, litis contestatio, ac hujusmodi; sufficit quidem unus talis actus ad interrumpendam unam præscriptionem, non tamen ad aliam. Unde.

207. *Usucapio triennalis non interrumpitur per litis contestationem.* — Resp. I. Usucapio triennalis bona fide, et cum titulo inchoata, non interrumpitur per litis contestationem, imo procedit, ac perficitur etiam durante lite : ita tamen, ut si dominus durante triennio litem contestatus, postea rem evicerit, seu probaverit esse suam, res illa domino restitui debeat, non obstante usucapione. Ita textus in l. II. § fin. ff. *Pro emptore.* et Bartolus ibid. asserens quod usucapio triennii non interrumpitur litis contestatione, nisi in effectu. Concordat textus in l. *Si post acceptum.* ff. *de Rei vendicat.* ac notat Abbas c. *Illud autem.* n. 11. h. t. Covarruvias cit. n. 4, concl. 1. Pirhing h. t. n. 134. et alii. Accedit ratio : quia usucapio est præscriptio mere favorabilis, seu inducta in favorem possidentis tantum; unde noluerunt jura, interrumpi per litis contestationem, cum sufficere possit domino rem suam repetenti, si pronuntietur rem esse suam.

208. *In usucapione dies ultima incœpta, habetur pro completa : secus in aliis præscriptionibus.* — Idem probatur a simili : quia in usucapione, utpote inducta in favorem possidentis tantum, dies ultima cœpta habetur pro completa ; ut l. *In usucapione* ff. *de Divers. et temporal. præscription.* et l. 6. ac 7. ff. *de Usucapion.* Quamvis secus sit dicendum in cæteris præscriptionibus, ut l. *In omnibus* ff. *de Actionib. et obligat.* nam cæteræ præscriptiones non sunt inductæ ob merum favorem possidentis.

209. *Si tamen dominus, durante triennio litem contestatus, postea rem evicerit, debet ista eidem reddi.*—Dices. Si lite durante adhuc procedit usucapio ; ergo usucapione completa non amplius res evicta per sententiam domino suo restitui; cum dominus esse desierit, ac possessor eam usuceperit. Hanc instantiam movet Glossa l. *Si post acceptum* ỿ. *Tradere.* et Bartolus ibid. ff. *de Rei vendicat.* et plures affert solutiones. Cæteris tamen dimissis, respondetur neg. sequel. cum sua probatione : quia licet usucapione post litis contestationem per bonæ fidei possessorem completa, dominus rei non amplius habeat actionem directam ad eam recuperandam; habet tamen actionem utilem, quæ eidem ex æquitate competit. Unde summarium in cit. l. *Si post acceptum*, notanter sic inquit : « Si pendente judicio jus actoris perimitur absque facto suo, ex facto rei, pervenitur ad condemnationem ac si peremptum non esset. » Et hinc per litis contestationem usucapio non interrumpitur ipso jure, sed ex effectu bene. Bartolus loc. cit. in fin. Abbas d. n. 11. et alii.

210. *In quo sensu usucapio non interrumpatur per litis contestationem?* — Accedit, quod usucapio per litis contestationem etiam in tantum non interrumpatur, sed procedat post litem contestatam, ut si actor quacunque de causa litem non prosequatur, usucapio non debeat de novo inchoari; imo ad eam complendam etiam tempus litis possit computari. Secus enim foret dicendum, si revera per litis contestationem usucapio triennalis interrumperetur : uti patet in aliis præscriptionibus, quæ si semel cœptæ interrumpantur, sunt de novo inchoandæ.

211. *Præscriptio mixta interrumpitur per litis contestationem : præscriptio odiosa vero per solam citationem.* — Resp. II. Præscriptio mixta, id est, decem vel viginti annorum, cum titulo, et bona fide (aut triginta annorum cum bona fide, licet sine titulo) interrumpitur per litis contestationem, coram judice tamen competenti factam; non vero per solam citationem, juxta textum in l. *Motæ litis.* C. *de Rei vendicat.* juncta l. *Si pater tuus.* C. *Ne de statu defunctorum,* etc. Præscriptio autem mere odiosa, seu quæ mala fide olim procedebat ob segnitiem, ac negligentiam non repetentis rem suam tempore longissimo, interrumpitur etiam per solam citationem, l. *Cum notissimi.* C. *de Præscription. triginta vel quadraginta annor.* Ita Glossa l. *Sicut in rem.* ỿ. *Per executorem.* et Bartolus ibid. eod. Abbas c. *Illud autem.*, n. 11. h. t.; Covarruvias cit. part. II. § 12, n. 4 ; Pirhing h. t. n. 134; Gailus lib. I. *Practic.* observat. 74. n. 20. et seqq. et alii.

212. *Et ratio disparitatis.* — Ratio posterioris partis est, quia per citationem, ad petitionem actoris antea negligentis factam, jam cessat ejus de negligentia : unde merito per talem citationem censetur interrumpi ejusmodi præscriptio odiosa; prout jam dictum supra tit. III. *De libelli oblatione.* § 3. n. 109. Ratio vero prioris partis est, quia præscriptio mixta currit tam favore possidentis, quam odio negligentis; hinc in ea legislatores elegerunt mediam viam, ut non interrumpatur per solam executoris missionem, seu citationem auctoritate judicis factam, ut præscriptio odiosa : bene tamen per litis contestationem ; licet secus in usucapione triennali, veluti præscriptione mere favorabili, per jura proxime allegata.

213. *Præscriptio mixta an interrumpatur per quamcunque litis contestationem, vel ulterius requiratur animus prosequendi litem? Refertur sententia affirmans requiri talem animum.* — Num autem præscriptio (mixta videlicet) interrumpatur per quamcunque litis contestationem, vel ulterius requiratur animus prosequendi litem, sive causam deducendi ad finem : variant doctores. Et quidem requiri talem animum prosequendi litem (de quo ex circumstantiis, juxta prudens judicis arbitrium, constare debet) adeo, ut ad interruptionem præscriptionis requiratur, quod quis eo animo litem contestetur, ut ducat causam ad finem, nisi impediatur propter fortuitos casus; alias vero ejusmodi contestatio litis non prosit ad interruptionem præscriptionis : tenet Glossa in can. *Placuit.* § *Potest.* ỳ. *Interrupta.* 16. quæst. 3. ubi Glossa margin. citat plures alios. Auctores pro hac sententia. Abbas c. *Illud autem.* n. 13. h. t., Lessius lib. II. *de Justit. et jur.* cap. VI. n. 49; Pirhing h. t., n. 134. Eamdemque sententiam egometipse secutus sum tract. VII. *Theolog. moral.* dist. 6, n. 30, quæ etiam probatur, argumento a sensu contrario desumpto, ex l. ult. c. *de Præscription. triginta vel quadraginta annor.* ubi ejusmodi interruptio præscriptionis admittitur duntaxat in casu, quando actor « in judicium venit, et subiit certamen, litem autem implere per quosdam casus præpeditus est. »

214. *Contraria sententia in praxi haud immerito tenetur.* — Oppositam nihilominus sententiam tenet Glossa in l. ult. ỳ. *Humanæ.* c. eod. asserens, quod prior sententia fuerit Alberici, sed « alii omnes doctores contrarium dixerunt. » Eamdemque Glossam, post plura in favorem prioris sententiæ dicta, commendat Jason l. *Ex hoc edicto.* n. 11. ff. *De eo, per quem factum erit.* Covarruvias cit. part. XII, n. 4, concl. 2, in fin. asserens, hanc Glossam sequi doctores communiter, ipsamque apparere veriorem. Atque istud allegasse sufficiat : nam textum juris, specialiter illud determinantem, videre non licuit; licet in praxi, ob difficultatem probandi animum contrarium, atque periculum prolongandi lites, haud immerito hæc posterior sententia propter auctoritatem tantorum doctorum observari valeat.

215. *Præscriptio ulterius interrumpitur civiliter adeundo judicem, eique libellum offerendo contra absentem.* — Resp. III. Præscriptio ulterius interrumpitur civiliter, quando non valens litem contestari judicem adit, eique libellum offert contra absentem, seu contra eum, qui aliqua de causa conveniri nequit (puta, quia est furiosus, aut impubes tutorem non habens, vel in magna potestate constitutus) atque in memorato libello querimoniam de re sua per alterum possessa, intra tempora a Jure statuta deducit : hoc enim sufficit ad plenissimam interruptionem præscriptionis ab altero inchoatæ. Textus est in l. *Ut perfectius.* c. *de Annali exception.* et l. *Nemo ambigit.* c. *de Acquirend. et amittend. possess.*

216. *Item per sacrum oraculum.* — Resp. IV. Rursus interrumpitur civiliter præscriptio per sacrum oraculum : hoc est, per petitorium, seu rescriptum principi porrectum, quando per executorem seu nuntium postea subsecuta est citatio, l. *Sicut in rem.* c. *de Præscription. triginta vel quadraginta* annor. Glossa fin. c. Illud autem. et Abbas ibid. n. 13. h. t.

217. *An etiam interrumpatur per denuntiationem extra judicium factam?* — Per solam vero denuntiationem extra judicium factam regulariter non interrumpitur præscriptio : nam denuntiationes extrajudiciales non constituunt possessorem in mala fide post præscriptionem jam inchoatam ; juxta textum l. penult. ff. *Pro emptore;* Abbas c. *Nihil prodest.* n. 9. h. t.; Bartolus in l. *Naturaliter.* ff. *de Usucapion.* et alii. Secus, si a principio facta fuisset denuntiatio ; puta, a domino denuntiante, ne quis rem emat, cum non sit distrahentis : quia talis denuntiatio constituit emptorem malæ fidei possessorem, l. *Si fundum.* c. *de Rei vendicat.* Abbas cit. n. 9. et alii. Idem dicendum de præscri-

ptione, quæ procedit cum mala fide; hoc est, a debitore conscio, quod debeat alteri servitutem, vel quid aliud, si exigatur, conformiter dictis n. 107. et seqq. Talis enim præscriptio interrumpitur per solam citationem, vel denuntiationem, utpote per quam virtualiter exigit dominus suum debitum, l. *Sicut in rem.* et l. *Cum notissimi.* § 1. et § *Imo et illud.* c. *de Præscription. triginta vel quadraginta* annor. Pirhing h. t. n. 134.

218. *Præscriptio semel interrupta potest denuo inchoari, non solum interrupta naturaliter.* — Quæritur V. Utrum præscriptio semel interrupta, possit denuo inchoari? Resp. I. Certum est, quod præscriptio naturaliter interrupta, puta, per amissionem possessionis rei præscribendæ, possit cessante impedimento, v. g. recuperata possessione, a bonæ fidei possessore denuo inchoari; dummodo nova, seu a tempore cessantis interruptionis computanda præscriptio instituatur. Ita Covarruvias part. II. in c. *Possessor.* § 12 n. 6. asserens, hoc esse constitutissimum : quamvis de interruptione civili major sit difficultas.

219. *Sed etiam interrupta civiliter : et qua ratione?* — Resp. II. Etiam præscriptio civiliter interrupta; potest denuo cum bona fide, et concurrentibus cæteris requisitis inchoari: quamvis, si litis fuerit contestata, requiratur tempus quadraginta annorum ad præscribendam etiam actionem, utpote quæ per litis contestationem fuerat perpetuata, juxta l. ult. c. *de Præscription. triginta vel quadraginta annor.* estque jam dictum supra n. 176. Ita Abbas c. *Illud autem.* n. 18, h. t., asserens quod tempus novæ præscriptionis sit inchoandum non a die factæ contestationis litis; sed a die, qua partes cessarunt litigare, puta, post peremptam instantiam. Covarruvias cit. § 12, n. 7; Pirhing h. t., n. 135. citans alios; atque hinc inferens, quod si intra dictos quadraginta annos ipsemet actor, vel hæredes ipsius actionem iterum intentent, et in judicio vincant, res debeat eis restitui; haud obstante, quod interea temporis jam fuisset præscripta. Siquidem actio per litis contestationem jam fuerat perpetuata.

220. *Beneficium restitutionis in integrum competit minoribus, Ecclesiis, etc., adversus præscriptionem contra eos completam.* — Quæritur VI. An minoribus, ecclesiis, et hujusmodi, competat beneficium restitutionis in integrum adversus præscriptionem contra eos jam completam? Resp. Affirmative; idque intra quadriennium continuum, postquam præscriptio adversus ecclesiam, vel minorem viginti quinque annis, fuit completa. Textus est in l. un. c. *Si adversus usucapionem.* juncta l. ult. c. *de Temporib. in integrum restitut.* ac fuse tradit Covarruvias part. III. in c. *Possessor.* § 3, n. 1. et seqq.; Layman lib. III. *Theolog. moral.* tract. I. cap. VIII. n. 20; Pirhing h. t., n. 138 et alii. Videantur, hucque applicentur dicta superius lib. I. tit. XLI. *De in integrum restitutione.* per totum.

TITULUS XXVII.

De Sententia et re judicata.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Quia allegatis utrinque probationibus, quibus vel actor suam intentionem fundare, vel reus eamdem propulsare atque elidere conatur, per Judicem super negotio principali ferenda est sententia diffinitiva : merito compilator juris canonici post expeditum tractatum processus judiciarii, pergit nunc ad sententiam, utpote per quam finis litibus imponitur. Pro cujus meliori delaratione sit.

§ I.

DE SENTENTIA UT SIC, EJUSQUE DIVISIONE IN DIFFINITIVAM ET INTERLOCUTORIAM, HARUMQUE DIFFERENTIIS.

2. *Cur rubrica præsentis tituli inscribatur : De Sententia et re judicata? Sententia, et res judicata, sunt valde affinia.* — Quæritur I. Cur rubrica præsentis tituli inscribatur, «De Sententia et re judicata;» et an differant? Resp. I. Rubrica tituli hujus merito inscribitur non solum « de Sententia, » sed « de Sententia et Re judicata » simul, eo quod ista duo sint valde affinia. Nam sententia lata, si non appelletur ab ea, sumit nomen « rei judicatæ : » ut notat Glossa ad rubric. h. t. et Joan. Andreas, et Abbas n. 1. ibid. Concordat textus in c. *Cum dilectus.* 32. § fin. *de Election.* et c. Cum inter. 13. h. t. ubi expresse dicitur, quod « sententia in rem transeat judicatam, cum intra decendium non fuerit legitima provocatione (seu appel-

latione) suspensa. » Sive, quod « post decem dierum spatium, sententia in auctoritatem rei transeat judicatæ; » ut loquitur Pontifex c. *Quod ad consultationem*. 15 h. t.

3. *Datur tamen inter eas aliqua differentia; et quæ?* — Resp. II. Datur nihilominus aliqua differentia inter sententiam, et rem judicatam. Ita Abbas ad rubric. h. t. n. 1. Jason in l. *Res judicata*. n. 1. ff. *de Re judicat.* et alii. Idque desumitur tum ex copula *Et*, quæ habetur in rubrica præsentis tituli, et ponitur inter diversa. Tum etiam ex eo, quia in jure Civili extat distinctus titulus « *De Re judicata* » inscriptus, et alius *de Sententiis*, etc.

4. *Sententia est res judicans : materia vero, super qua fertur, est res judicata. Et differunt sicut decidens, et decisum.* — Accedit ratio, quia proprie et stricte loquendo, « Sententia » est res judicans; materia vero, seu quæ judicatur, est « Res judicata : » sive, quod idem est, « Res judicata » dicitur illa, quæ accipit finem controversiarum ex sententia judicis, ac proinde se habet per modum patientis : « Sententia » vero est ipsamet pronuntiatio, sive decisio judicis causam terminans, et finem litibus imponens, sicque sese habet per modum agentis. Unde apparet, quod differant sicut decidens, et decisum, eo quod res judicata sit ipsa lis seu causa decisa, atque terminata; prout notat Jason in l. *Res iudicata*. n. 1. ff. *de Re judicat.* Vallensis h. t. § 1. n. 2. et alii.

5. *Sententia potest sumi dupliciter : et in quo sensu dicatur transire in rem judicatam? Sententia ante lapsum decendii dicitur res judicata large solum, et improprie; postea vero proprie, ac irrevocabiliter.* — Dices. Si sententia est res judicans, seu se habens per modum agentis, ergo non potest transire in rem judicatam; utpote cui correlative opponitur, veluti actio et passio. Resp. cum Abbate ad rubric. h. t. n. 1. et 2. quod sententia possit dupliciter sumi. *Primo*, pro ipsa actione judicis sententiantis, seu sententiam proferentis : quo modo sententia non transit in rem judicatam, ob rationem allatam. *Secundo*, pro objecto ipsius, seu pro causa patiente. Et in hoc posteriori sensu sententia ante lapsum decendii dicitur « Res judicata » large duntaxat, et improprie : post elapsum vero spatium decem dierum, si non fuerit appellatum, vocatur « Res judicata » proprie, ac irrevocabiliter; sicque dicitur « sententia transire in auctoritatem rei judicatæ, » juxta allatum textum c. *Quod ad consultationem*. 15. h. t. Atque in hoc sensu est intelligendum illud, quod l. I. ff. *de Re judicata*, habetur in hæc verba : « Res judicata dicitur, quæ finem controversiarum pronuntiatione judicis accepit : quod vel condemnatione, vel absolutione contingit. » Concordant dicenda inferius § 4. n. 105. et seqq. ubi ex professo agetur de Re judicata.

6. *Sententia dicitur a sentiendo; sicque plura significat.* — Quæritur II. Quid, et quotuplex sit Sententia? Resp. I. Generatim loquendo, Sententia dicitur a *sentiendo*. Atque in hac generali acceptione plura sub se continet, variasque habet acceptiones. Quandoque enim sententia, potest dici cujuslibet energicæ orationis significatio; ut ibi : « Sententiæ Patrum. » Quandoque ponitur pro opinione magistratuum, qui in hoc sensu dicuntur « sententias ferre. » Quandoque appellatur sententia, quidquid alicui de re quapiam placet, juxta illud vulgatum : « Quot capita, tot sententiæ. » Quandoque etiam excommunicatio, suspensio etc. dicuntur sententia excommunicationis, suspensionis etc. Verum in proposito « Sententia » sumitur pro oratione, per quam judex, quid super causa controversa sentiat, legitime pronuntiat.

7. *Sententia quantum ad propositum, dividitur in diffinitivam, et interlocutoriam. Interlocutoria tamen non est proprie sententia; et cur?* — Resp. II. Sententia taliter accepta, quantum ad propositum, dividitur in sententiam diffinitivam, et interlocutoriam. Ita communis. Quanquam Glossa fin. et marginal. l. *Quod jussit*. ff. *de Re judicat.* juncto textu ibid.; Alexander consil. 50. n. 2, lib. II; Jason cit. l. *Quod jussit*. n. 16, ff. *de Re judicat.* et alii notent, quod appellatione « sententiæ » simpliciter facta, intelligatur diffinitiva : quia interlocutoria non est proprie sententia; eo quod non definiat negotium principale, neque finem controversiæ imponat per absolutionem, vel condemnationem : haud obstante, quod large et improprie appellatione sententiæ etiam veniat interlocutoria.

8. *In dubio nomine. Sententiæ intelligitur diffinitiva, non interlocutoria, etc.* — Infertur proinde, quod in dubio statutum, vel alia dispositio, loquens de sententia, intelligi debeat solummodo de sententia diffinitiva, non de interlocutoria, ubi aliud non apparet. Abbas c. *Super eo*. 12. n. 6. *de Appellation.*

Maranta part. VI. *Speculi aurei. tit. de Sententia.* n.5. post Felinum ad rubric. h. t. eod. col. 5. et alios : istud tamen limitans, nisi essemus in materia indifferenti, aut in tali, in qua sumendo sententiam etiam pro interlocutoria, non consurgit aliqua absurditas, arg. c. *Causam* 16. *de Offic. delegat.* Ubi dum simpliciter dicitur, quod « si causa duobus committitur, sententia unius non tenet; » id esse intelligendum de sententia non solum diffinitiva, sed etiam interlocutoria, tradit Abbas ibid. n. 3. istud ulterius probans ex Clem. 1 juncta Glossa ℣. *Sententias* h. t.

9. *Sententia diffinitiva, quid?* — Resp. III. « Sententia diffinitiva » est diffinitio judicialis, controversiæ finem imponens, ex pronuntiatione judicis damnationem vel absolutionem continens. Ita desumitur ex l. I. ff. *de Re judicat.* tenet Glossa in casu, Clem. un. *de Dolo et contumac.* Anton. Nebrissensis in *Vocabulario juris.* ℣. *Sententia.* estque in re communis : quamvis nonnulli addant ly, « indubitata : » alii vero post Glossam in Clem. un. ℣. *Diffinitiva. de Sequestrat. possess.* nonnulla verba omittant, dicendo, quod diffinitiva est; quæ principalem quæstionem diffinit : sive, ut Abbas ad rubric. h. t. n. 4. loquitur, « Sententia diffinitiva » est, quæ imponit finem toti causæ in judicium deductæ.

10. *Sententia arbitri, non est proprie sententia; neque in materia restringibili venit nomine sententiæ. Arbiter non habet jurisdictionem, sed solam notionem.* — Dicitur *primo,* « Diffinito; » hoc est, enuntiatio, seu decisio : quæ particula stat loco generis, cæteræ vero tenent locum differentiæ. Et additur, « judicialis; » ad excludendam sententiam arbitri, vel arbitratoris : quia sententia arbitri, seu arbitratoris non est proprie, et per omnia sententia, cum is non habeat jurisdictionem, sed solum notionem, l. *Ait prætor.* ff. *de Re judicat.* Unde, quod sententia arbitri non sit proprie sententia, neque in materia restringibili veniat appellatione sententiæ, pluribus ostendit Jason l. I. n. 3. ff. eod. ac notat Abbas cap. I. n. 2. *de Arbitris.* Quinimo sententia arbitri, proprio nomine appellatur *Laudum* : quamvis large ac improprie, et non simpliciter, sed cum quadam adjectione, possit dici « sententia arbitri; » prout fit cap. I. *de Arbitris.* et l. *Qualem autem.* ff. *de Receptis arbitris*, cum similibus.

11. *Sententia diffinitiva differt a sententia absolutoria ab observatione judicii; et quomodo?* — Dicitur ulterius, « controversiæ finem imponens. » Per quod sententia diffinitiva differt a sententia absolutoria ab observatione judicii; nam per eam controversiæ finis imponitur; e contra vero per sententiam absolutoriam ab observatione judicii non terminatur controversia principalis, sed reus liberatur tantum ab observatione judicii, seu factæ instantiæ. Quod quidem fieri solet vel propter libellum actoris ineptum, ut c. *Examinata* 15. *de Judiciis*: vel propter defectum, sive contumaciam actoris, juxta dicta tit. XIV. *De dolo et contumacia.* § 3. n. 98. et 99. aut ob aliam hujusmodi causam. Insuper per hanc particulam sententia diffinitiva differt ab interlocutoria, de qua mox plura. Per alias vero particulas partim inducatur modus ferendi sententiam diffinitivam : partim innuitur, quod ea subdividatur in absolutoriam, quarum prior fit absolvendo, altera vero condemnando reum.

12. *Sententia interlocutoria, quæ?* — Resp. IV. « Sententia interlocutoria » e contra dicitur illa, quæ fertur inter principium et finem causæ super aliquo incidenti, vel emergenti. Ita Glossa Clem. 1. ℣. *Diffinitiva de Sequestrat. possess.* quæ quotidie allegatur, ut inquit Jason ad rubric. ff. *de Re judicat.* n. 3; Abbas ad rubric. h. t. n. 6. et 7, Speculator tit. *de Sententia.* § *Species.* n. 1. Maranta, part. VI. *Speculi aurei.* tit. *de Sententia,* n. 3. et alii.

13. *Quilibet jussus judicis, faciens ad causam, an sit sententia interlocutoria?* — Fatendum tamen, quod nonnulli datam definitionem, veluti nimium restringentem, rejiciant eo : quia (inquiunt) quilibet jussus judicis, faciens ad causam, est interlocutoria sententia. Felinus ad rubric. h. t. n. 2. vers. *Circa diffinitionem.* Franciscus de acceptantibus tom. V. *Tractatuum*, tract. *de Sententia definit. et interlocut.* n. 7. et 8. et 17. istud inter alia probans ex l. *Quod jussit.* ff. *Re judicat.* et quidam alii. Atque horum sententiæ favet Glossa can. *Ei, qui appellat.* 11. q. 6. § *Et* ℣. *Diffinitiva.* asserens, quod diffinitiva sententia sit ea, quæ finem imponit negotio : alia omnis sit interlocutoria. Favet etiam textus in l. *A divo Pio.* § *In venditione.* ff. *de Re judicat.* ubi etiam post sententiam « Judices interloqui » dicuntur. Accedit, quod vix negari possit, quin præceptum, seu citatio a judice emanata ante litem contestatam, sit sententia ejus interlocutoria; ergo.

14. *Sententia interlocutoria dicitur ab inter et*

loqui. Quod a judice præcipitur ante principium, vel post finem causæ, dicitur Sententia quasi interlocutoria. — Verum respondet Jason ad rubric. ff. *de Re judicat.* n. 3. citans Geminianum in cap. I. *de Appellat.* in 6. Goffredum, et alios, ista dici improprie. Siquidem sententia interlocutoria dicitur ab « inter, et loqui : » atque idem est, ac locutio judicis inter principium causæ, quæ est citatio, finem, quæ est sententia. Igitur omnis jussus, et omne præceptum judicis, quod fit inter principium et finem causæ, est proprie sententia interlocutoria : illud vero, quod fit ante principium, ut puta, citatio, seu præceptum judicis de comparendo, ante inchoatum judicium facta, vel quod post finem causæ fit, non est « proprie sententia interlocutoria, » sed dicitur « quasi interlocutoria; » prout loquitur Glossa in Auth. *de Hæredib. et Falcid.* § *Si quis autem non implens.* ỹ. *Decreto.* collat. 1. Abbas ad rubric. h. t. n. 6. et 7. Jason loc. cit. et Vallensis h. t. § 1. n. 6. cum aliis.

15. *Istud est notandum propter statuta loquentia de sententiis interlocutoriis. In statutis verba debent proprie, et stricte intelligi.* — Atque istud bene notandum est (subdit Jason ibid. n. 4.) propter statuta loquentia de sententiis interlocutoriis; puta, quod a sententiis interlocutoriis non possit appellari. Quia enim in statutis verba debent proprie et stricte intelligi, l. I. § *Si is, qui navem.* vers. *In re igitur dubia.* ff. *de Exercitator. action.* et l. *Quod constitutum.* ff. *de Militar.* testament. et late Bartolus in l. *Non dubium.* c. *de Legib.* hinc talia statuta intelligenda sunt interlocutoriis veris et propriis, quæ feruntur inter principium et finem causæ : secus, si ante vel post.

16. *Sententia interlocutoria subdividitur in mere interlocutoriam, et in eam, quæ habet vim diffinitivæ.* — Resp. V. Sententia interlocutoria subdividitur in mere interlocutoriam; et in eam, quæ habet vim sententiæ diffinitivæ. Ita communis. Et quidem « sententia mere interlocutoria » solet esse, quæ fertur super dilationibus dandis, testibus producendis, examinandis, aut repellendis; vel qua imponitur alterutri parti onus probandi, seu pronuntiatur procurator alicujus rei non esse idoneus, aut qua deciduntur alia hujusmodi incidentia vel emergentia inter principium et finem causæ; ipsum vero negotium principale non terminatur, sed expectatur alia sententia toti causæ finem imponens.

17. *Sententia interlocutoria habens vim diffinitivæ, quæ? Appellatur etiam mixta seu quasi media.* — « Sententia interlocutoria habens vim diffinitivæ » (quam et « mixtam, » seu quasi media appellant) illa est, quæ quidem causam principalem non diffinit, eam tamen ferme perimit; ut dicitur l. *Post sententiam.* c. *de Sententiis et interlocution. omn. Judic.* ibi : « Nec causam ullam interlocutiones plerumque perimunt. » Et dicitur « plerumque : » quia interlocutio aliquando rem ferme perimit, ut post Cujacium notat Wessenbecius ad cit. l. *Post sententiam.* c. eod. qualis proinde dicitur habere vim sententiæ diffinitivæ. Occasione cujus

18. *Unde cognosci possit, sententiam interlocutoriam habere vim diffinitivæ? Talis est ea, postquam non speratur alia ferenda sententia in eadem instantia.* — Quæritur III. Unde cognosci possit, sententiam interlocutoriam habere vim diffinitivæ; et an ipsa reguletur secundum naturam diffinitivæ? Resp. I. Signa sententiæ interlocutoriæ, habentis vim diffinitivæ, sunt sequentia. *Primo,* quando post ipsam non speratur alia ferenda sententia in eadem instantia, eo quod ipsi finem imponat; tunc manifestum signum est, ejusmodi sententiam interlocutoriam habere vim diffinitivæ. Talis est sententia, qua judex interloquendo pronuntiat, aliquos non posse, vel non potuisse de jure appellare, puta, tertio appellando : ut est casus in c. *Sua nobis.* 65. *de Appellationib.* ac notat Abbas ibid. n. 3. Talis etiam est sententia absolutoria ab observatione judicii; vel qua judex pronuntiat, appellationem esse desertam : quia per talem quoque sententiam finitur instantia. Abbas in c. *Pervenit.* 28. n. 9. *de Appellation.* Maranta part. VI. *Speculi aurei.* tit. *de Sententia,* n. 42. Vallensis h. t. § 1. n. 9. alii passim.

19. *Item, per quem diffinitur unus articulus causæ principalis.* — *Secundo,* omnis illa sententia, per unam diffinitur unius articulus causæ principalis, dicitur habere vim diffinitivæ. Atque istud probatur ex l. *Intra utile.* § 1. ff. *de Minorib.* ubi minorennis, qui petiit restitutionem in integrum, judice pronuntiante super ætate, puta, ipsum non esse minorem viginti quinque annis, appellavit : nam per talem sententiam interlocutoriam diffinitur aliquis articulus causæ principalis, imo minorennis tacite excluditur a beneficio restitutionis in integrum; sicque ea merito censetur habere vim diffinitivæ. Maranta loc.

cit. n. 44. allegans Alexandrum in rubric. ff. *de Re judicat*. et Baldum in l. I. *Quando provocare non est necesse*. Vallensis d. n. 9.

20. *Aut, per quam expirat officium judicis.* — *Tertio*, sententia interlocutoria, per quam expirat officium judicis, dicitur habere vim diffinitivæ. Sic accidit, quando judex interloquendo pronuntiat, se non esse competentem judicem « (Judicis enim est existimare, an sua sit jurisdictio, » per textum in l. *Si quis*. 5. ff. *de Judiciis*.) quia sic interloquendo, jam est functus officio suo, c. *Significantibus*. 38. *de Offic. delegat.* Maranta loc. cit. n. 43. post Bartolum in l. *Quod jussit*. ff. *de Re judicat*. Jason cit. l. *Quod jussit*. n. 25. istud extendens etiam ad Judicem Ordinarium.

21. *Vel, qua quis pronuntiat, se esse judicem competentem.* — Addit Abbas in c. *Ex parte Decani*, n. 6. *de Rescriptis*, et Jason loc. cit. quod etiam illa sententia, qua quis pronuntiat affirmative, se esse judicem competentem, licet sit interlocutoria, habet vim diffinitivæ ; adeo, quod etiam de jure civili possit appellari : de quo est Glossa notabilis in Auct. *Habita*. ℣. *Cedat*. c. *Ne filius pro patre*, etc.

22. *Sive, per quam admittitur, vel rejicitur exceptio peremptoria.* — *Quarto*, sententia interlocutoria habens vim diffinitivæ est illa, per quam admittitur, vel rejicitur exceptio peremptoria, arg. Clem. ult. juncta Glossa ibid. ℣. *Repulsione*. *de Appellat*. Maranta, ubi supra, n. 44. Vallensis cit. § 1. n. 9, h. t. et alii.

23. *Et quæ continet aliquid dari, vel fieri a parte.* — *Quinto*, omnis interlocutoria, quæ continet aliquid dari, vel fieri a parte, habet vim diffinitivæ. Ita Bartolus l. *Nec quicquam circa init.* ff. *Offic. proconsul.* istud probans ex l. *Quod jussit*. ff. *de Re judicat*. et l. *Qualem*. penult. ff. *Receptis arbitris*; Maranta loc. cit. n. 42. et 45; Vallensis n. 9. et alii, qui hoc exemplificant in præcepto judicis de solvendo, ac in sententia mulctam imponente, et hujusmodi.

24. *Sententia interlocutoria habens vim diffinitivæ, an debeat regalari secundum naturam diffinitivæ?* — Resp. II. Quod sententia interlocutoria habens vim diffinitivæ reguletur secundum naturam diffinitivæ, eique æquiparetur quoad effectum interponendæ appellationis, et alios juris effectus, tenent multi doctores : ut Glossa cap. ult. par. *Inanes*. *de Election*. in 6; Alexander consil. 182, n. 1. lib. VI. Gailus lib. I. *Pract.* observat. n. 4. et 6; Pirhing h. t. n. 2. et alii : quia (inquit) paria sunt, sententiam esse diffinitivam, et habere vim diffinitivæ. Nihilominus Abbas in c. *Pervenit*. 28. n. 8. et 9. *de Appellation*. non immerito docet, quod interlocutoria hominis neque ex toto reguletur ut diffinitiva, neque ex toto ut interlocutoria ; sed trahatur quandoque ad naturam interlocutoriæ, quandoque ad naturam diffinitivæ, secundum quod magis participat de pure diffinitiva, vel mere interlocutoria, cum sit quoddam medium inter utramque.

25. Hinc si sententia interlocutoria habens vim diffinitivæ, est talis, ut per ipsam finiatur officium judicis, tunc ab ea debet appellari tanquam a diffinitiva. Abbas cit. n. Debetque etiam ferri cum causæ cognitione præsentibus partibus, ac legitime citatis, l. *De unoquoque*. ff. *de Re judicat*. et notat Bartolus l. *Nec quicquam*. § *Ubi decretum*. circa init. ff. *de Offic. proconsul*. Quod si sit talis sententia, quæ non omnino finit officium judicis, sed potest adhuc ab eo justitia consequi, tunc ea est regulanda tanquam interlocutoria : quia magis trahitur ad naturam interlocutoriæ. Exemplum sit, ubi judex pronuntiavit, non esse respondendum libello, tanquam inepto : nam si exprimatur causa rationabilis coram eo, potest ipse mutare hanc sententiam suam, c. *Cum cessante*. 60. *de Appellation*. Idemque dicendum in aliis similibus : ita quod, ubi sententia quasi diffinitiva habet omnem effectum diffinitivæ, servetur in ea solemnitas ut in diffinitiva ; alias secus. Abbas cit. n. 9.

26. *Differentiæ inter sententiam diffinitivam, et interlocutoriam, sunt plures ; commode tamen reducuntur ad tres principales.* — Quæritur IV. Quæ sint differentiæ inter sententiam diffinitivam, et mere interlocutoriam ? Resp. I. Plures quidem sunt differentiæ inter sententiam diffinitivam et mere interlocutoriam, eædem tamen commode restringuntur ad tres principales : quarum prima est respectu rei controversæ ; secunda, respectu ordinis judiciarii ; tertia vero respectu effectuum, qui ex illis sententiis sequuntur, vel non sequuntur. Ita Sigismundus Scaccia, tract. *de Sententia et re judicata*, Glossa 14. quæst. 4. n. 1. et seqq. atque patebunt singula ex specialibus conclusionibus ; quamvis Franciscus de Acceptantibus cit. tract. *de Sententia diffinit.* et interlocut. n. 6. et seqq. omnes earum differentias consistere asserat in duobus, nempe in modo producibili, et in effec-

tu. Verum retinendo priorem divisionem.

27. *Differunt enim respectu rei controversæ; et quomodo?* — Resp. II. Respectu rei controversæ differunt ambæ sententiæ inter se: quia sententia diffinitiva determinat controversiam principalem; hoc est, per eam diffinitur negotium principale, videlicet illud, quod principaliter deductum fuit in judicium: uti liquet ex definitione ipsius n. 9. assignata. Unde debet continere absolutionem, vel condemnationem; aliter non valet: ut l. I. ff. *de Re judicat.* et l. *Præses.* c. eod. Speculator tit *de Sententia.* § *Species.* n. 3. Maranta part. VI. *Speculi aurei.* tit. *de Sententia.* n. 3. Scaccia loc. cit. n. 1. et alii. E contra sententia interlocutoria non determinat, neque diffinit causam principalem; sed determinat solum quæstiones emergentes et incidentes, quæ oriuntur inter principium et finem controversiæ principalis; prout etiam constat ex ejusdem definitione n. 12. data, et tenet Abbas ad rubric. h. t. 6; Speculator loc. c. n. 1; Maranta d. n. 3. et communis. Hinc etiam fit, quod appellatione sententiæ simpliciter facta, intelligatur duntaxat diffinitiva, non interlocutoria; imo hæc non sit proprie sententia, ut jam dictum n. 7.

28. *Differunt quoad ordinem judiciarium multipliciter.*—Resp. III. Quoad ordinem judiciarum multipliciter differt sententia diffinitiva ab interlocutoria. Siquidem diffinitiva non potest ferri, quin præcesserit ordo, et tela judiciaria: qui ordo refertur a Glossa un. in l. *Prolatam.* c. *de Sentent. et interlocut. omn. Judic.* et c. *Quoniam contra.* juncta Glossa et doctoribus ibid. *de Probat.* atque infra § 2. n. 57. ac seqq. et § 3. per totum, quoad solemnitates necessarias declarabitur. Adeo, ut si sententia diffinitiva feratur non servato substantiali ordine judiciario, sit nulla de ipso jure, nec auctoritatem rei judicatæ inducat. Speculator tit. *de Sententia.* § *Non videndum.* n. 1; Franciscus de acceptantibus, ubi supra, n. 7; Scaccia l. cit. n. 30. citans alios; atque hinc n. 34. excipiens causas, quæ summariter ac de plano possunt tractari, juxta Clem. *Sæpe contingit. de Verb. signif.* Sententia vero interlocutoria potest ferri nullo ordine judiciario præcedente, qui ad illam ordinetur: dum enim servatur ordo judiciarius in ordine ad diffinitivam, sæpius contingit, ut intra ipsam processus fabricationem, seu ordinem, judex interloquatur. Maranta loc. cit. n. 20; Scaccia n. 31; Franciscus de acceptantib. loc. cit. n. 31.

29. *Idque declaratur inductione.* — Deinde, licet sententia diffinitiva non valeat, nisi feratur in scriptis, et de scripto recitetur; ut cap. ult. h. t., in 6. et l. ult. c. *de Sentent. ex breviculo recitand.* Secus tamen est de interlocutoria, quia potest ferri sine scriptura; quamvis postea debeat redigi in scriptis, ut appareat de ipso ex actis. Glossa c. *Quoniam contra.* ỿ. *Interlocutiones. de Probation.* et alia Glossa in cap. ult. ỿ. *Diffinitiva.* h. t. in 6. Abbas cap. I. n. 21. *de Postulat. prælat.* Speculator tit. *de Sententia.* § *Juxta.* n. 14. Franciscus de acceptantib. loc. cit. n. 8; Maranta ubi supra, n. 12; Pirhing h. t. n. 1. et alii. Quamvis enim hæc sententiæ interlocutoriæ redactio in scripturam, non sit necessaria ad validitatem actus, ea tamen requiritur ad probationem: nam alias non creditur judici, nisi de ipsa pateat per scripta in actis, cit. c. *Quoniam contra* 11. § fin. *de Probation.*

30. Insuper sententia diffinitiva non potest ferri nisi judice pro tribunali sedente, l. *Cum sententiam.* c. *de Sentent. et interlocution. omn. judic.* Nec nisi partibus præsentibus aut saltem legitime citatis, et contumaciter absentibus l. *Ea quæ.* et l. *Consentaneum.* c. *Quomodo et quando judex*, etc. cum concordantiis. Secus est dicendum de sententia interlocutoria; nam ista potest proferri etiam parte absente, ac per nuntium, vel epistolam, l. *Diem proferre*, ff. *de Receptis. arbitris*, ubi Bartolus l. *Summario;* Glossa in l. *Nec quicquam.* ỿ. *Decretum.* ff. *de Offic. proconsul.* et Glossa fin. in l. *A procedente.* juncto textu ibid. c. *de Dilationib.;* Franciscus de Acceptantib. cit. n. 8. et 10; Maranta, ubi supra, n. 11. istud intelligens de interlocutoria, quæ est levis momenti. Tacentur aliæ consimiles differentiæ ordinem judiciarium respicientes.

31. *Differunt varie quoad effectus.* — Resp. IV. Sententia diffinitiva et interlocutoria differunt varie quoad effectus, qui ab ipsis promanant. Ita Maranta, Scaccia, Franciscus de acceptantibus, ubi supra, et alii; idque probatur inductione, declarando talem diversitatem effectuum. *Primo* etiam sententia diffinitiva, a qua non est appellatum, terminat totam causam, eique finem imponit: non sic sententia interlocutoria; uti patet ex utriusque definitione superius jam allegata.

32. *Condemnatus de crimine per sententiam*

diffinitivam, efficitur infamis: secus de interlocutoria. — *Secundo* differunt : quia condemnatus de aliquo crimine per sententiam diffinitivam, efficitur infamis, l. I. § *Qui in judicio.* ff. *De his, qui notantur infam.* Secus dicendum de interlocutoria, utpote per quam infamia non irrogatur. Textus est in l. *Quid ergo.* § *Quantum*, juncta Glossa. ÿ. *sint elocuta.* ff. eod.; Maranta loc. cit. n. 4. allegans alios.

33. *Sententia diffinitiva semel valide prolata, a judice revocari nequit : bene tamen interlocutoria.* — *Tertio* differunt: quia sententiam diffinitiva semel a judice prolata, dummodo valida fuerit, ab eodem revocari nequit, l. *Hac lege* c. *de Sententiis ex breviculo recitand.* et l. *Judex.* ff. *de Re judic.* et can. *Quod bene.* 6. q. 4. et c. *In litteris.* 9. *de Offic. delegat.* Secus est de interlocutoria: nam hæc ante subsecutam diffinitivam potest a judice revocari; per textum in l. *Quod jussit.* ff. *de Re judicat.* ubi summarium ex Bartolo sic ait: « Judex potest suam sententiam interlocutoriam revocare, sed non diffinitivam. » Idem tenet Speculator cit. tit. *de Sententia*, § *Qualiter.* n. 10; Sigism. Scaccia, *de Sententia*, Glossa 14. quæst. 4, n. 36; Maranta, ubi supra, n. 7. et 21. et alii.

34. *Et quæ ratio disparitatis? Judex posteaquam semel dixit sententiam diffinitivam, judex esse desinit.* — Ratio disparitatis est: quia « Judex posteaquam semel dixit sententiam (diffinitivam) judex esse desinit, ut amplius sententiam suam corrigere non possit, (quamvis pluris, vel minoris condemnaverit) semel enim sive male, sive bene, officio functus est; » uti dicitur cit. l. *Judex.* ff. *de Re judicat.* E contra vero, si judex tantum dedit sententiam interlocutoriam, is adhuc remanet judex in dicta causa, donec eam terminet per sententiam diffinitivam.

35. *Istud intelligendum est non solum de delegato sed etiam de ordinario ; et quomodo?* — Nec dicas, hanc disparitatem solum urgere respectu judicis delegati; non vero respectu judicis ordinarii; utpote qui adhuc post sententiam a se latam remanet judex: cum ipsi firma remaneat sua jurisdictio ordinaria. Resp. enim negando assumptum cum suæ probationis consequentia. Quia, ut in simili notat Jason l. *Quod jussit.* n. 26. ff. *de Re judicat.* licet tunc judici ordinario firma remaneat sua jurisdictio quoad alias causas; non tamen quoad illam, in qua tulit sententiam diffinitivam, saltem valide: ac proinde etiam respectu ordinarii, verificatur dictum illud; « judex posteaquam semel dixit sententiam, judex esse desinit. » etc.

36. *Judex ordinarius nequit revocare sententiam, quæ existit valida, licet forsan sit iniqua: potest tamen revocare sententiam suam, quæ ipso jure est invalida. Idem dicendum de delegato ad universitatem causarum.* — Additur notanter, « saltem valde. » Nam prædicta procedunt, quando sententia diffinitiva judicis existit valida, seu non est contra jus constitutionis; licet forsan sit iniqua, sive contra jus litigatoris, seu partis. Quod si vero sententia ejus ipso jure sit invalida, et nulla (de quo plura inferius h. t. n. 70. et seqq.) potest judex ordinarius eam revocare, causamque denuo cognoscere; ut l. I. ff. *de Sentent. et interlocutionum omn. judic.* et l. *Si accusatoribus.* ff. *de Accusation.* cum similibus. Et hoc idem dicendum est de delegato ad universitatem causarum: quia censetur quasi ordinarius; prout uberius dictum est supra lib. I. tit. XXIX. *De officio et potestate Judicis delegati.* § 3. n. 62. et 63.

37. *Sed delegatus ad causam particularem, nequit revocare sententiam diffinitivam, etiam invalidam: et quæ ratio disparitatis?* — Secus dicendum de delegato ad causam particularem: nam talis, sive bene, sive male pronuntiaverit, seu teneat, seu non teneat sententia, non potest amplius pronuntiare, dictamque sententiam diffinitivam revocare; siquidem illico « ejus auctoritas, et jurisdictio cessat, quia semel est officio suo functus; » prout dicitur cit. c. *In litteris.* 9. *de Officio delegat.* Concordat textus in l. *Si (ut proponis)*, part. IV; juncta Glossa ibid. ÿ. *Commisit.* et Bartolo in *Summario.* c. *Quomodo et quando Judex*, etc. et docet Abbas c. *Qualiter et quando*, 17, n. 4 et 5, *de Accusation.* Ratio diversitatis est, quam dat Glossa marginal. in fin. cap. ult. h. t. quia nimirum jurisdictio ordinaria est naturalis et favorabilis; ac proinde magis eidem defertur, quam delegatæ; Joan. Andreas cit. cap. ult., n. 9, h. t.; Pirhing *de Offic. delegat.* n. 156. et 157.

38. *A sententia diffinitiva potest regulariter appellari, non ab interlocutoria.* — *Quarto* differunt quoad illum notabilem effectum, quod a sententia diffinitiva regulariter possit appellari; non autem ab interlocutoria, nisi habeat vim diffinitivæ, aut contineat damnum irreparabile. Patet hoc ex l. *An sententiam. Quorum appellationes non recipiuntur,*

juncta Glossa ỳ. *Discussore*, nonnullas limitationes afferente. Concordat concilium Tridentinum, sess. 24. cap. xx. *de Reformat.* ubi novissime sic statuit: « Neque appellationes ab eisdem (ordinariis locorum) interpositas per superiores quoscunque recipiantur, nisi a definitiva, vel a definitivæ vim habente, et cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat. » Hoc ipsum, una cum pluribus aliis notabilibus, amplius declaravit sacra episcoporum congregatio, die 16. octobr. 1600. edita, et a Clemente VIII. approbata, quam per extensum refert Aloys. Riccius part. I. *Praxis.* resol. 414. et Quaranta in summo *Bullarii* ỳ. *Archiepiscopi auctoritas.* in Addit. atque infra tit. seqq. § 7, n. 267. referetur. Tacentur aliæ differentiæ inter sententiam diffinitivam et interlocutoriam assignabiles, de quibus Maranta, ubi supra, et alii: nam præmissæ sunt cæteris notabiliores.

§ II.

QUANDO, ET QUO MODO, AC LOCO, PROFERENDA SIT SENTENTIA? UBI ET DE CONCLUSIONE IN CAUSA.

39. *Sententia ferenda est intra tempus a jure præscriptum; et quale sit istud?* — Quæritur I. Quando a judice proferenda sit sententia? Resp. I. Sententia ferenda est cumprimis intra tempus a jure præscriptum. Et quidem spectato rigore juris civilis, causæ civiles (exceptis causis fiscalibus, et publicarum functionum) debent terminari intra triennium a tempore litis contestatæ numerandum, l. *Properandum.* c. *de Judiciis.* Causæ criminales vero intra duos annos, pariter a contestatione litis computandos, terminandæ sunt, l. ult. c. *Ut intra certum tempus,* etc. Quin et novissime concilium Tridentinum, sess. 24. cap. XX. *de Reformat.* voluit, ut omnes causæ ad forum ecclesiasticum spectantes, in prima instantia saltem infra biennium a die motæ litis terminentur; alioquin vero liberum sit partibus competentes judices superiores adire.

40. *Post lapsum biennii, vel triennii, an pereat instantia.* — Cæterum id, quod habetur cit. l. *Properandum.* § 1. c. *de Judic.* et l. ult. c. *Ut intra certum tempus,* etc. nempe quod post lapsum biennii, vel respective triennii, pereat instantia, non procedit de jure canonico, per textum in c. *Venerabilis.* 2. *de Judiciis.* Ubi pontifex expresse mandat judici a se delegato, ut lapsu triennii non obstante, procedat in causa sibi commissa: ac notat Glossa ibid. ỳ. *Non obstante.* et Abbas n. 5. et 6. et Barbosa in collectan. n. 2. citans complures alios; estque jam dictum supra tit. 1. *De Judiciis.* § 1 n. 31 et 32.

41. *Judex tenetur causas matura deliberatione examinare, et sententiam non præcipitanter ferre.* — Resp. II. Judex tenetur causas matura deliberatione examinare, et sententiam non nimia festinatione ac præcipitantia ferre. Ita communis. Atqui istud suadet tum ratio naturalis, et æquitas ipsius judicii, quæ præcipiti prolatione sententiæ facile læderetur: tum textus in can. *Apostolicæ.* 35. quæst. 9. ubi de Apostolicæ Sedis sententia dicitur, quod « tanta semper consilii moderatione concipitur, tanta patientiæ maturitate decoquitur, tantaque deliberationis gravitate profertur, ut retractione non egeat; » cum similibus. Unde quod sententia incautius, seu per Judicem de meritis ipsius causæ nondum plene instructum prolata reformari debeat, liquet ex c. *Tum ex litteris.* 5. *De in integrum restitut.* juncta Clem. *Pastoralis.* § *Verum.* h. t. et alibi.

42. *Et sententia lata a judice ignaro de meritis causæ, est ipso jure nulla.* — Quinimo si apparet, quod sententia fuerit lata a judice ignaro de meritis causæ (ut puta, si tantum legit acta unius partis, ex quibus sufficienter de meritis causæ instrui non potuit; aut si de sero recepit multa acta intricata, et de mane statim tulit sententiam) tunc sententia est ipso jure nulla, utpote lata sine causæ cognitione. Abbas c. *Dudum.* 22. n. 5. *de Election.* et cit. c. *Tum ex litteris.* n. 6. *De in integrum restitut.* post Bartolum in l. *Prolatam.* c. *de Sentent. et interlocut. omn. judic.* istud probans ex c. *Ecclesia sanctæ Mariæ.* 10. § fin. *de Constitut.*

43. *Ad sententiam diffinitivam debent præcedere termini substantiales. Atque admitti probationes necessariæ.* — Resp. III. Insuper ad sententiam diffinitivam debent saltem præcedere termini substantiales. Fagnanus c. *Dilectus.* n. 38. *de Rescript.* post Rotam decis. 1278, part. III. divers. Neque debet judex, etiam in judicio summario, ita litem abbreviare, quin probationes necessariæ, et legitimæ defensiones admittantur. Clem. *Sæpe contingit, de verb. signif.*

44. *Sententia non est ferenda, quando causa adhuc est dubia, licet tempus datum ad senten-

tiandum jam sit in fine. Et quid tum agendum? — Quinimo sententia non est ferenda, quando causa adhuc est dubia, licet tempus datum ad sententiandum sit in fine. Abbas c. *Super eo.* 12. n. 17. *de Appellat.* Ubi proin subjungit, quod tunc aut fieri debeat de consensu partium prorogatio in aliud tempus, juxta c. *De causis.* 4. *de Offic. delegat.* Vel ipsamet tota causa indecisa remittatur ad superiorem : alioquin enim grave esset, in re dubia certam ferre sententiam, can. *Grave.* 11. q. 3.

45. *Judicem oportet usque ad sententiam cuncta rimari. Et jurgantium controversias celeri sententia terminare.* — Insuper judicem oportet usque ad sententiam cuncta rimari, c. *Cum Joannes.* 10. *de Fide instrument.* (aliter enim ad veritatem perveniri non posset, can. *Occidit.* 23. q. ult.) ac proinde non antea ferenda est sententia, quam judex de meritis causæ debite possit esse instructus. Idque fieri censetur, postquam a partibus conclusum fuerit in causa, juxta proxime dicenda. Et in hoc sensu accipiendum est, quod dicitur cap. II. h. t. ibi : « Jurgantium controversias celeri sententia terminare, et æquitate convenit, et rigori ; » prout notat Glossa un. ibid. Sive, quod indicis sit, conari, ut quam citius fieri potest, controversiæ litigantium finiantur : servatis videlicet debitis requisitis, sive solemnitatibus juris ; juxta dicta superius lib. I. tit. XXXII. *de Officio Judicis.* n. 65. et 66.

46. *Ad diffinitivam sententiam est deveniendum, quando ab utraque parte conclusum est in causa.* — Resp. IV. Tum demum ad diffinitivam sententiam, et celerem terminationem litis, deveniendum est, quando allegatis et probatis hinc inde ex parte actoris et rei omnibus, quæ ad suam causam et intentionem fundandam spectare judicaverint, ab utraque parte in causa conclusum fuit. Ita Vallensis h. t. § 3. n. 1. Engel, n. 1. et alii. Idque habetur clare can. *Judicantem.* 30. quæst. 5. ibi : « Judicantem oportet cuncta rimari, etc. Nec litigantibus judex prius velit sua sententia obviare, nisi quando ipsi jam peractis omnibus nihil habeant in quæstione, quod proponant. »

47. *Intelligendo istud in judicio ordinario; secus in summario.* — Intellige tamen hoc de judicio ordinario, de quo ex professo nunc sermo est. Nam in summario, ubi simpliciter et de plano proceditur, potest judex ferre sententiam etiam conclusione a partibus non facta, si ei ita videbitur expedire, Clem. *Sæpe contingit.* § *Sententiam. de Verb. signif.* in 6. ibi : « Sententiam vero diffinitivam (citatis ad id, licet non peremptorie, partibus) stans, vel sedens proferat : etiam (si ei videbitur) conclusione non facta, prout ex petitione, et probatione, et aliis actitatis in causa fuerit faciendum. » Hæc ibi, loquendo de judicio summario.

48. *Conclusio in causa non est de substantia processus judiciarii. Quid circa eam observetur in camera imperiali?* — Addit Glossa ibid. ỷ. *Conclusione*, alicubi in judiciis sæcularibus non fieri conclusionem hujusmodi. Unde quod conclusio in causa non sit de substantia processus judiciarii, sed absque vitio nullitatis omitti possit, post Glossam loc. cit. tenet Abbas c. *Cum I* et *A*, n. 12 h. t. Joan. Andreas in addit. *ad Speculatorem.* tit. *de Renuntiat.* et conclus. a princip.; Maranta part. IV. *Speculi aurei*, dist. 9, n. 23 ; Gailus lib. I, *Practic.* observat. 107, n. 1. asserens conclusionem hujusmodi, etiam de causis ordinariis, magis de consuetudine, quam substantia processus esse : quamvis addat, in camera nullam sententiam publicari, ne interlocutoriam, quidem, nisi in causa legitime conclusum sit : ita tamen, ut parte alterutra concludere nolente, judex ea invita usque in contumaciam, ex officio causam pro conclusa acceptare, et in principali pronuntiare possit ; dummodo parti ad concludendum sufficientes dilationes concessæ fuerint. Occasione cujus.

49. *Conclusio in causa, quomodo fiat? Ea potest fieri tam oretenus, quam scripto, imo et tacite.* — Quæritur. II. Quomodo fiat conclusio in causa? Resp. I. Conclusio in causa potest fieri tam oretenus, quam scripto, cum nulla certa solemnitas a jure sit præscripta : quin imo non solum expresse, sed etiam tacite potest in causa concludi, quando nimirum partes nulla formali facta renuntiatione ulteriorum probationum, simpliciter ab his desistunt atque a judice sententiam postulant.

50. *Conclusio in causa passim confunditur cum renuntiatione probationum.* — Quamvis conclusio in causa videatur differre a renuntiatione ulteriorum probationum, arg. c. *Pastoralis.* 5. *de Causa possess. et propriet.* ibi : « Antequam renuntiatum sit, aut conclusum in proprietatis judicio : » ubi dicto, « aut, » videtur denotare diversitatem quamdam. Nihilominus in praxi hodie passim confunditur renuntiatio probationum cum

conclusione in causa, arg. clem. un. h. t. ubi de sola conclusione fit mentio.

51. *Stricte tamen differunt : et in quo?* — Fatendum tamen, quod si « Renuntiatio » probationum stricte accipiatur, tunc ea fiat, quando partes renuntiant ulteriori productioni testium tantum : « Conclusio in causa vero (quæ etiam renuntiatio » large dici potest) quando partes, renuntiatis quibuscunque allegationibus, totam causam cognitioni et decisioni judicis submittunt. Abbas c. *Pastoralis*. n. 7, h. t.; Pirhing, h. t., n. 40, et Glossa in c. *Cum dilectus*. ỳ. *Conclusum. de Fide instrument.* ubi ait : « Conclusum, id est, renuntiatum allegationibus, et omnibus aliis probationibus. »

52. *Vulgaris formula concludendi in causa, quæ?* — Resp. II. Vulgaris in causa concludendi formula est, quod partes in ultima sua scriptura addere soleant, quod hisce in causa concludere, seque ad sententiam submittere velint. Solet etiam quandoque judex interrogare litigantes, an habeant adhuc aliquid ad proponendum : et siquidem negative respondeant, jubet eos utrinque ulterioribus probationibus renuntiare, et in causa concludere; quæ proinde renuntiatio, et conclusio, confestim actis inseri debet, c. *Quoniam de Probation.*

53. *Quid, si una pars concludat in causa, et altera adhuc aliquid proponere velit?* — Quod una parte probationibus renuntiante, seu concludente in causa, pars altera sese adhuc aliquid ad proponendum habere dicat, audienda erit : nihilominus, ne lites nimium, et quandoque malitiose protrahantur, statuet judex competentem terminum, intra quem illud allegari, et probari debebit. Ita desumitur ex Auth. *Jubemus*. c. *de Judiciis*; ubi quoad hoc conceduntur tres successive delationes, quarum singulæ continent triginta dies : quibus elapsis judex non amplius expectare, sed sententiam legere, et consuetudini conformem ferre debet; ut ibidem subjungitur. Vallensis, h. t., § 3, n. 1; Engel, h. t., n. 1, et alii.

54. *Conclusio in causa solet nonnunquam fieri conditionate : et cur? Conclusio in causa partibus os obstruit.* — Solet etiam conclusio in causa nonnunquam fieri conditionate : ut puta, protestando, quod non aliter velit quis concludere in causa, nisi et adversarius concluserit nihilque novi in ultima scriptura posuerit : aut conclusioni suæ expresse adjiciendo hanc conditionem, « Nisi novæ probationes, vel nova instrumenta reperiantur : » prout notat Engel, cit. n. 1. Nec immerito hujusmodi cautela quandoque adhibetur : nam alioquin, postquam a partibus in causam conclusum fuit, ante sententiam nulla admittitur nova exceptio, vel probatio; ut c. *Cum venisset*. 25. et c. *De testibus*. 29. *de Testib.* juncto c. *Cum dilectus*. 9. *de Fide instrument.* Hinc Mascardus, *de Probation.* quæst. 17. procem. n. 44. ait, quod « Conclusio in causa partibus os obstruit, et claudit, ut probationibus nullus amplius relinquatur locus. »

55. *Nisi ex justa causa, vel æquitate, videantur judici novæ probationes admittendæ.* — Intellige, nisi ex juxta causa, vel æquitate sic suadente, judici videantur novæ probationes admittendæ; ut est textus in c. *Pastoralis*. § penult. et ult. *de Causa possess.* Sic quippe in causis capitalibus, ad probandam innocentiam rei possunt novæ probationes, testes ac defensiones, recipi etiam post conclusionem in causa, ne innocens condemnetur. Idem fit in causis beneficialibus, et matrimonialibus : idque propter animarum periculum, ne videlicet vel legitimi conjuges separentur, vel quis per subreptionem ad beneficium, aut dignitatem ecclesiasticam ascendat. Mascardus, loc. cit. n. 45. et seqq.

56. *Judici nunquam concluditur in causa. Potestque conclusionem in causa revocare.* — Quinimo quoad judicem nunquam concluditur in causa : ac proinde judex ex officio post conclusionem in causa potest partes interrogare de facto, quoties aliqua occurrit dubitatio; cum usque ad prolationem sententiæ debeat universa rimari, c. *Cum Joannes*. 10. *de Fide instrument.* Qua de causa judex potest etiam conclusionem in causa revocare, novasque probationes admittere, vel ulteriôres injungere partibus. Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 107, n. 5. Jason; in *Repet.* l. *Admonendi* n. 61 et 62, ff. *de Jurejurand.* cum aliis. Concordant dicta superius tit. XIX. *de Probationibus*, § 6, n. 170 et 177.

57. *Requisita sententiæ diffinitivæ alia respiciunt solemnitatem judicialem, alia ordinatam causæ cognitionem. Quo modo et loco, proferenda sit sententia diffinitiva.* — Quæritur III. Quo modo, et loco, proferenda sit sententia? Ubi prænotandum cum Ludov. Engel, h. t., n. 6. et aliis, quod requisita sententiæ diffinitivæ alia respiciant solemnitatem judicialem, seu modum, quo ipsa solemniter est promulganda : ut puta, quod proferatur par-

tibus antea citatis, judice sedente pro tribunali, etc. et de his impræsentiarum sermo est. Alia vero concernunt ipsam ordinatam causæ cognitionem: puta, quod sententia sit conformis juri, atque libello; sit certa, et non lata sub conditione, ac hujusmodi: atque de istis commodius agetur paragrapho sequenti. Quo prænotato.

58. *Ad eam requiritur cum primis citatio partium. Sed legitime citans, et contumaciter absens, habetur pro præsenti.* — Resp. I. Facta a partibus conclusione in causa, ut supra, judex allegata et probata omnia diligenter examinabit, iisque mature discussis sese accinget ad causæ principalis decisionem, prolaturus super ea sententiam diffinitivam: in quem proinde finem requiritur imprimis, ut judex sententiam laturus citari faciat pro certa die utramque partem litigantium ad audiendam sententiam; idque vel trina citatione, vel saltem una peremptoria. Textus est in l. *Ea quæ.* c. *Quo modo et quando judex sententiam proferre.* etc. ubi sententia lata contra absentem non solemniter citatum, dicitur nulla: et l. *Consentaneum.* c. eod. et l. *De unoquoque*, ff. *de Re judicata*, cum similibus. Quod si vero legitime citatus, contumax fuerit, ac cessante justo impedimento noluerit comparere, id non obstat, l. *Contumacia.* ff. *de re judicat.* et c. *Cum Bertoldus.* 18. h. t. Nam legitime citati, et contumaciter absentes, habentur pro præsentibus, l. *Properandum.* § *Sin autem reus.* juncta Glossa ỹ. *Dei præsentia.* c. *de Judiciis*: atque eorum contumacia litis damno coercetur cit. l. *Contumacia.*

59. *Ad sententiam diffinitivam requiritur, ut sit redacta in scripturam, atque a judice ex scriptis proferatur, et cur?* — Requiritur *secundo*, quod sententia diffinitiva redacta sit in scriptura; et postquam scripta fuerit, a judice, et non ab alio, de scripti recitatione proferatur: adeo, ut alias nec nomen sententiæ mereatur habere, nec ab ea sit appellare necesse. Ita textus expressus in cap. ult., h. t. in 6. et l. II. c. *de Sententiis ex breviculo recitandis.* Ubi et hujus ratio indicatur, atque notat Abbas c. *Sicut nobis.* n. 24. h. t. nempe, ut sententia cum majori moderamine proferatur; seu, ne forsan alioquin judices proferant subitas sententias, aut etiam in earum prolatione errent, vel alius ipsas recitando nonnihil immutet: unde debent judices, habita matura deliberatione, sententias ponderatas sibi antea formare, et emendatas in libellum conferre, scriptasque ex libello partibus legere: invocato tamen prius Christi nomine; ut c. *Veritatis.* 8. § fin. et Abbas, ibid. n. 11. *de Dolo et contumac.* et c. *In nomine Domini.* 2. *de Testib.* ac solum Deum, seu causæ justitiam æquitatemque præ oculis habendo.

60. *Episcopi, et personæ illustres, possunt sententiam per alium recitare.* — Excipiuntur tamen hinc episcopi, atque personæ illustres: nam his ob dignitatis prærogativam licitum est, sententiam a se ferendam per alium recitare, seu partibus publicare. Textus est expressus in cit. cap. ult. h. t. in 6. et l. II. c. *de Sententiis ex brevicul. recitand.*

61. *Sententia diffinitiva debet proferri a judice sedente.* — Requiritur *tertio*, quod sententia proferatur a judice sedente, et non stante, vel ambulante, d. cap. ult. h. t. in 6. Ubi additur, quod si sententia diffinitiva a judice litigatoribus non legatur, vel stando, non sedento proferatur, nullius penitus sit momenti. Concordant dicta superius § præced. n. 29. et 30.

62. *Et quidem sedente pro tribunali, sive in loco consueto.* — Requiritur *quarto*, ut sententia proferatur a judice, non quomodocunque sed sedente pro tribunali; sive in loco publico, ubi antecessores sui jus reddere consueverunt, l. *Cum sententiam.* C. *de Sentent. et interlocut. omn. jud.* et l. penult. ff. *de Justit. et jur.*

63. *Episcopus potest in quolibet loco non exempto suæ diœcesis sedere pro tribunali. Quid in delegato, aut si locus consuetus non est tutus.* — Verumtamen episcopus in quolibet loco suæ diœcesis non exempto, per se, vel per alium potest pro tribunali sedere, c. *Cum episcopus.* 7. *de Offic. ordinar. in* 6. Sicut et judex delegatus ad aliquam causam particularem, cum certam sedem deputatam non habeat, potest locum juris dicendi causa, honestum tamen, sibi eligere, l. *Si cum dies.* § *Si arbiter.* ff. *de Receptis arbitris.* Potest etiam judex ferre sententiam in loco non consueto, si locus consuetus non sit tutus; aut si episcopus vi expulsus sit extra suam diœcesin. Vallensis, h. t. § 3. n. 4.

64. *Sententia est ferenda de die, et quidem non feriato. Et quid, si feratur de nocte.* — Requiritur *quinto*, ut sententia feratur de die, et non de nocte, c. *Consuluit.* 24. *de Offic. Delegat.* quamvis Glossa ibid. ỹ. *Tenebras.* et Joan. Andreas, n. 32. et Abbas, n. 14. ibid. arbitrentur, valere sententiam de

nocte prolatam, quando judex adhibuit lumen nec partes contradicunt : secus, si alterutra pars peteret licentiam recedendi, eo quod sit tempus quiescendi ; nam si denegaretur petita licentia, posset licite appellare, nec valeret, si quid postmodum attentaretur. Insuper requiritur, ut sententia feratur die non Feriato, cap. ult. *de Feriis*. cum similibus.

65. *Solemnitates hujusmodi adeo requiruntur, ut ipsis non observatis sententia diffinitiva regulariter ipso jure sit nulla.* — Resp. II. Hujusmodi solemnitates adeo requiruntur, ut ipsis non observatis sententia diffinitiva, lata in judicio ordinario, regulariter loquendo reddatur ipso jure nulla. Ita clare habetur cap. ult, h. t. in 6. et aliis juribus hactenus citatis, ubi expresse dicitur, sententiam aliter latam « nullius penitus esse momenti ; » vel, « judicatæ rei firmitatem non obtinere, » etc.

66. *Secus dicendum de sententia interlocutoria.* — Additur *primo* in hac conclusione, « sententia diffinitiva. » De hac enim procedunt hactenus dicta : siquidem sententia interlocutoria non necessario requirit omnes enumeratas solemnitates : ut puta, non necessario recitatur ex scripto, sed potest etiam proferri verbis ; juxta Glossam in cit. cap. ult. h. t. in 6. ℣. *Diffinitiva*. junctis dictis supra 29. et seqq. ubi plures aliæ differentiæ inter sententiam interlocutoriam, et diffinitivam referuntur.

67. *Et de sententia lata in judicio summario.* — Additur *secundo*, « lata in judicio ordinario. » Nam in judicio summario, seu causis illis, in quibus simpliciter ac de plano, et sine trepitu judicii proceditur non requiri omnes prædictas solemnitates ad sententiam judicialem, ejusque validitatem ; habetur expresse decisum in Clem. *Sæpe contingit. de Verb. signif.* Estque hoc jam dictum supra tit. *de Judiciis*. § 2, n. 41. 43, et seqq. ubi simul declaratur, quænam sint causæ illæ, in quibus summariter, et de plano, seu sine strepitu judicii procedi potest.

68. *Atque in aliis certis casibus, in quibus fallit data regula ; et quales sint illi ?* — Additur *tertio*, « regulariter loquendo. » Nam hoc ipsum fallit in certis casibus ; quorum plures enumerat Glossa cit. cap. ult. ℣. *Illustrium*. h. t. in 6. Ut, quando causæ sunt leves, ac modici momenti, v. g. duorum aureorum : item, quando lites sunt breves, et maxime vilium personarum : quia tunc non est opus sententiam ferri ex scriptis, Auth. *Nisi breves*. C. *de Sententiis ex breviculo recitandis*. Idemque dicendum de papa, vel alio principe supremo, qui per se pronuntiat : nam is est legibus solutus, ac præsentia ejus supplet omnem solemnitatem. Item, si episcopus de causa civili judicat inter clericos, can. *Si qui cum Clerico*. 11. q. 1. et cit. Auth. *Nisi breves*. C. *de Sentent. ex brevicul. recit.* aut, quando factum est notorium ; adeo, ut liquido constet, nullam reo competere defensionem : valet enim sententia tunc lata contra absentem, etiam non citatum ; ut c. *Cum olim*. 12. § fin. h. t. Rursus ex consensu partium potest judex ordinarius sententiam ferre in alio, quam ordinario loco judicii ; modo non egreditatur fines territorii sui. Vallensis, h. t., § 3, n. 4 ; Pirhing, eod. n. 2. et alii.

69. *Consuetudo locorum, seu stylus singulorum tribunalium, in proposito attendi debet.* — Tacetur specialis consuetudo locorum, utpote per quam nonnullæ solemnitates juris remitti valent, per textum in cap. ult. *de Consuetud*. Unde notat Engel, h. t. in 6. quod licet omissio cujuscunque solemnitatis substantialis, ipso jure sententiam reddat nullam ; ut cap. ult., h. t. in 6. nihilominus hodie magis ad stylum singulorum tribunalium, atque rationabiles consuetudines locorum sit attendendum.

§ III.

DE REQUISITIS SENTENTIÆ DIFFINITIVÆ ORDINATAM CAUSÆ DECISIONEM RESPICIENTIBUS.

70. *Sententia judicialis debet esse juri conformis : alioquin ipso jure foret nulla.* — Quæritur I. Utrum sententia debeat esse juri conformis, et quomodo ? Resp. I. Certum est, quod sententia judicialis debeat esse juri conformis ; id est, non lata contra jus clarum, et indubitatum : alioquin enim ipso jure foret nulla, licet ab ea non fuisset appellatum. Ita communis, juxta textum expressum in cap. I. h. t. ibi : « Sententia contra leges, canonesque prolata, licet non sit appellatione suspensa, non potest tamen subsistere ipso jure. » Concordat textus l. *Si cum inter te*. c. *Quando provocare non est necesse*, et l. *Si expressim*. ff. *de Appellation*. cum similibus : ubi sententia, quæ continet expressum juris errorem, censetur nulla ; adeo, ut appellatio ab ea non sit necessaria. Nam, « quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis

haberi : » prout loquitur reg. 64. jur. in 6. cum concordantis.

71. *Idque exemplificatur.* — Unde si judex pronuntiet, minorem quatuordecim annis, posse testamentum facere : hæc sententia, utpote expressum juris errorem continens, nullas omnino vires habet : adeo, ut nunquam transeat in rem judicatam, quamvis ab ea non fuerit appellatum, text. clar. l. *Si cum inter te.* c. *Quando provocare non est necesse.* Idem dicendum, quando judex pronuntiaret, electionem a suspensis celebratam esse validam, eo quod suspensi possint eligere : nam etiam talis sententia continet clarum juris errorem, c. *Cum dilectus.* 8. *de Consuetud.* et c. *Cum inter.* R. 16 *de Election.* et alibi; sicque ipso jure est invalida.

72. *Sententia, in qua clarus error juris continetur, est ipso jure nulla licet error ille in sententia non sit expressus. Sententia dicitur nulla movem modis, et quibus?* — Addit Abbas, cap. I. n. 5. et 6. h. t. quod non solum sententia, in qua clarus error juris habetur expressus, ipso jure sit nulla : sed istud etiam procedat de quacunque sententia contra leges, canonesve prolata, licet error in sententia non fuerit expressus, ut puta, si intervenit defectus jurisdictionis, eo quod fuerit lata a non competente judice, c. *At si Clerici.* 4. *de Judiciis :* vel a judice publice excommunicato, c. *Ad probandum.* 24. h. t. Vel si defectus intervenit contra clarum jus ex parte litigatorum, v. g. quia contra minorem, sine auctoritate curatoris sui in judicio existentem, pronuntiatum est, l. I et II. C. *Qui legitimam personam*, etc. Aut si die feriato lata fuit sententia, cap. ult. *de Feriis;* cum aliis similibus casibus, quorum plures enumerantur can. *Et qui appellat.* § *Diffinitiva.* 2. q. 5. Siquidem, ut notat Joan. Andreas, cap. I. n. 7. h. t. sententia dicitur nulla novem modis; scilicet ratione judicis, litigantis, loci, quantitatis, temporis, processus, modi, manifestatæ iniquitatis, et conditionis : de quibus partim jam dictum est tit. 25. *De Exceptionibus.* n. 56. et 57. ac seqq. enumerando plures tales casus in specie; partim in propriis locis commodius agi solet.

73. *Valet sententia, quæ præter errorem juris continet aliam rationem, qua justificari potest.* — Limitatur tamen hæc conclusio, quando sententia continet quidem expressum errorem contra jus, sed præter eum simul habet annexam aliam rationem, quæ non est contra jus commune, quin potius ipsa ob hanc justificari potest. Tunc enim sententia tenet ratione alterius causæ, quæ non est contra jus, et ob quam potest sustineri. Abbas, cap. I. n. 5. et Barbosa, ibid. n. 2. h. t. cum plurimis aliis, quos citant. Accedit ratio, tum quia in dubio (quale tunc intervenit ob concurrens aliud fundamentum) propter auctoritatem judiciariam præsumi debet, omnia legitime processisse, c. *Sicut nobis.* 16. § fin. h. t. et consequenter sententiam esse validam ; tum quia « utile non debet per inutile vitiari, » juxta reg. 37. jur. in 6.

74. *Sententia contra jus obscurum, sive dubium, non est ipso jure invalida.* — Resp. II. Etsi sententia lata contra jus clarum ipso jure sit invalida, et nullius roboris, ut dictum : secus tamen est dicendum de sententia lata contra jus obscurum, sive dubium; hoc est, de cujus vero intellectu variæ sunt doctorum sententiæ : nam sententia contra istud lata valet, ac transit in rem judicatam, nisi intra decem dies ab ea fuerit appellatum. Ita Abbas cit. cap. I. n. 9. h. t. istud exemplificans in lege habente plures intellectus, et probans ex l. *Cum prolatis.* ff. *de Re judicat.* et c. *Cum dilectus.* 13. *de Consuetud.* atque allegans communem; et concordant in simili dicta superius tit. XXVI. *de Præscriptionibus,* § 3. n. 68. et 77.

75. *Regula illa, quod sententia debeat esse juri conformis, etc., intelligitur de jure constitutionis, non de jure litigatoris.* — Resp. III. Insuper regula illa, quod sententia debeat esse juri conformis, ut sit valida, intelligenda est de jure constitutionis, non de jure litigatoris. Ita Glossa in cap. I. ÿ. *Contra leges*, et Abbas, ibid. n. 7. h. t.; Pirhing, eod. n. 4 ; Engel, n. 15. et alii. Atque hæc conclusio clare desumitur ex l. I. § *Item contra.* ff. *Quæ sententiæ sine appellation. rescind.* ubi dicitur : « Cum contra sacras constitutiones judicatur appellationis necessitas remittitur. Contra constitutiones autem judicatur, cum de jure constitutionis, non de jure litigatoris pronuntiatur. » Hæc ibi.

76. *Sententia lata contra jus constitutionis ; et sententia lata contra jus litigatoris, quæ? Illa est ipso jure invalida, non hæc; et cur?* — Unde notandum, quod « Sententia lata contra jus constitutionis, » dicatur ea, quæ est lata contra leges civiles, vel sacros canones : sive, ut l. *Si expressum* ff. *de Appellation.* dicitur, « Si specialiter contra leges, vel senatus consulta, vel constitutiones fuerit prolata. » Et talis alio nomine appellatur

« Sententia lata contra jus scriptum; » prout loquitur Abbas c. *Illud*. n. 10. *de Cleric. excommunicat.* estque ipso jure invalida; tum quia judex habet necessitatem judicandi secundum leges, non autem facultatem de istis arbitrandi, can. *In istis*. dist. 4. Simulque ea. « quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi, « juxta reg. 64. jur. in 6. et l. *Non dubium*. c. *de Legib.* cum concordantiis; tum quia talis sententia nequit justificari ex consensu partium, eo quod consensu, seu « pacto privatorum juri publico minime derogetur, » per textum expressum in c. *Si diligenti*. 12. *de Foro competent.* cum similibus. At vero « Sententia lata contra jus litigatoris » (hoc est alterius partis litigantis) censetur tunc intervenire, quando judex male per sententiam negat parti jus aliquod, seu istud ei abjudicat, quod revera ipsi competit: et talis sententia, licet sit injusta habito respectu ad merita causæ, nihilominus est valida; transitque in rem judicatam, nisi per legitimam appellationem suspendatur. Siquidem circa casus particulares, cum sint infiniti, habet judex vi sui officii facultatem arbitrandi, atque dijudicandi, cujus partis jura sunt potiora: unde propter hanc auctoritatem judiciariam præsumuntur omnia legitime facta, sicque præsumuntur esse justum, quod judex judicaverit, et quidem præsumptione juris et de jure, c. *Sicut nobis*. 16. h. t. et l. *Res judicata*. ff. *de Reg. jur.* ibi: « Res judicata pro veritate accipitur: » nisi interponatur legitima appellatio contrariumque probetur. Quinimo pars condemnata, nec appellans, censetur ipso facto sententiam acceptare, in eamque consentire; sicque cedere jure suo, si quod habuisset.

77. *Regula est, quod sententia debeat esse conformis libello.* — Quæritur II. An, et qualiter sententia debeat esse conformis libello? Resp. I. Regula est, quod sententia debeat esse conformis libello; id est, scripturæ actoris petitionem, ejusque causam continenti. Textus est in l. *Ut fundus* juncto summario. Ibid. ff. *Communi dividund.* et c. *Qualiter et quando*. 24. circa fin. *de Accusation.* et Clem. *Sæpe contingit. de Verb. signif.* ibi: « Verum quia juxta petitionis formam pronuntiatio sequi debet: » junctis concordantiis a Glossa ibid. ℣. *Formam*, allegatis.

78. *Stultus appellatur judex, qui ultra petita in libello judicat.* — Hinc in l. ult. c. *de Fideicommissar. libertat.* judex ille appellatur « Stultus, » qui cum in libello certa res petatur, eaque præstari possit, reum non in præstationem illius rei, sed in ejus æstimationem condemnat. Similiter, ubi agitur judicio possessorio, non debet judex ferre sententiam super petitorio, sed solum super possessorio, et e contra. Speculator tit. *de Sententia*. § *Qualiter*. n. 15. Sicut etiam, quando petitorio et possessorio simul actum est, super utroque sententia simul proferenda est. c. *Cum dilectus*. 6. *de Causa possess. et propriet.* et sic discurrendo de aliis.

79. *Sententia debet esse conformis libello in tribus; et quibus?* — Resp. II. Sententia debet esse libello conformis in tribus. I. In re; ita videlicet, ut judex non pronuntiet super alia re, quam quæ in libello petita fuit, uti proxime dictum. II. In causa petendi; nempe, ut judex attendat ad eam causam, quæ in libello expressa fuit, et non ad aliam, arg. c. *Abbate sane de Sentent. et re judicat.* in 6. III. In actione; nempe, ut secundum eam actionem condemnet, vel absolvat, quam actor instituit. Pirhing, h. t. n. 31. post Hiltropium in *Process. judiciar. part.* IV. tit. I. n. 5. Quanquam de jure canonico non sit necessarium, exprimere in libello nomen actionis, c. *Dilecti*. 6. *de Judiciis;* estque jam dictum supra tit. III. *de Libelli oblatione* § 1. n. 18. et seqq. ubi per totum plura de libello.

80. *Regula ista patitur plures fallentias.* — Resp. III. Patitur nihilominus data regula plures limitationes; uti videre est apud Jasonem l. *Vinum*. n. 23. 24. et seqq. ff. *Si certum petatur*. et Socinum in *Fallentiis*, reg. 355. qui universim tredecim fallentias allegant; quarum aliquas etiam adducit Maranta, part. VI. *Speculi aurei*, tit. *de Sententia*. n. 61. et seqq. earumque præcipue sunt sequentes.

81. *Fallit enim in Papa, imperatore, aliisque supremis principibus. Hi non attendunt ordinem judiciorum, sed meram veritatem.* — *Primo* dicta regula fallit in papa, imperatore, aliisque principibus superiorem non recognoscentibus: hi enim possunt ferre sententiam in alio, quam sit petitum, cum non teneantur ad observandum ordinem judiciarium; ut c. *Ad petitionem*. 22. *de Accusation.* ubi Papa quempiam privavit, Abbatia ex iis, quæ contra eum probata fuerunt, haud obstante, quod ordo judiciarius non fuisset observatus. Joan. Andreas, c. *Mandatum*. n. 43. *de Rescript.;* Barbosa, tract. *de Clausulis usu fre-*

quentior. claus. 173, n. 4. et 5; Socinus cit. reg. 355. fallent. 9; Jason cit. n. 24, allegans plures alios. Accedit ratio, quia princeps non attendit ordinem judiciorum, cum sit solutus legibus positivis, sed meram veritatem. Unde quod sententia principis valeat, quantumcunque non conveniat regulis juris positivi, tradit Abbas, c. *In nostra* n. 8. *de Sepultur.* id probans ex § *Sed et quod Institut. de Jure natural. gent. civil.* ubi id, quod Principi placet, dicitur « Legis habere vigorem. »

82. *Fallit etiam in causis, in quibus proceditur sola facti veritate inspecta. Clausula illa, ut judex procedat, sola facti veritate inspecta, plus operatur, quam clausula summarie ac de plano.* — *Secundo*, ac loquendo de inferioribus judicibus, data regula fallit in causis, in quibus proceditur sola facti veritate inspecta: puta, quando aliqui judici committitur causa sub clausula, ut procedat « sola facti veritate inspecta. » Nam hæc clausula plus operatur, quam clausula « Summarie, simpliciter ac de plano, » etc. Barbosa cit. tract. *de Clausulis*, claus. 173, n. 2. post Hondedeum consil. 93. n. 53. t. I; Jason l. *Certi condictio.* § *Si nummos*, n. 32. et 33. ff. *Si certum petatur*, asserens, quod, ubicunque committitur causa sub clausula, « Sola facti veritate inspecta, » receditur a regulis juris positivi; et censetur commissum, ut judex procedat manu Regia. Maranta, part. IV. *Speculi aurei* distinct. 9, n. 32. allegans alios. Unde stante illa clausula, potest judex ferre sententiam non conformem libello, ubi sibi ex allegatis et probatis constat de veritate Jason cit. l. *Vinum.* n. 24. ff. *Si certum petatur;* Maranta, part. VI. *Speculi aurei.* tit. *de Sententia.* n. 62. et alii.

83. *Fallit insuper propter magnam conformitatem, seu connexionem, quam res petita in libello habet cum alia re: idque exemplificatur.* — *Tertio* fallit data regula propter magnam conformitatem seu connexionem, quam res petita in libello habet cum alia re; adeo, ut hæc alteri tacite virtualiter insit, ac sicque una cum ipsa saltem implicite petita censeatur: tunc enim judex super utraque re illa potest ferre sententiam. Socinus, d. reg. 355, fallent. 2. istud exemplificans de interesse cum obligatione; nam si petatur res simpliciter, judex potest condemnare etiam ad interesse. Pirhing, h. t. n. 31. inter alia dicens, quod si in libello fuerit petitus fundus, possit judex reum etiam condemnare ad restitutionem fructuum. Maranta cit. tit. *de Sententia.* n. 63. ponens exemplum in eo, qui petiit debitum: nam hoc soluto potest judex eum condemnare ad restitutionem pignoris, licet non fuerit petitum; quia dicta restitutio venit ex natura actionis intentatæ. Jason cit. l. *Vinum.* n. 30. et 32. istud generaliter intelligens de illis, quæ quidem expresse non sunt petita in libello, tamen vel ex natura, et aptitudine actionis inesse censentur; vel sunt de natura petitorum in libello, aut his correlativa, vel correspondentia, seu connexa, et procedunt ex eodem fonte: quia tunc sufficeret, ac posset de illis ferri sententia, quamvis aliter explicite non sint petita.

84. *Regula illa procedit solum in causis civilibus: secus in criminalibus.* — *Quarto* regula illa procedit solum in causis civilibus: secus in criminalibus. Jason, loc. cit. n. 24. et 25. Quinimo in criminalibus non requiritur, ut pars accusans concludat, petendo certam pœnam reo infligendam; sed probato crimine, debet infligi pœna a jure statuta, vel, si pœna est arbitraria, a judice determinanda, ut jam dictum supra t. III. *De Libelli oblatione* § 1. n. 31.

85. *Fallit quoque, si partes consentiant.* — *Quinto* fallit eadem regula, si partes consentiant: nam hisce consentientibus, potest judex ferre sententiam etiam super alio, quod non est expressum in libello, arg. l. *Si convenerit.* ff. *de Re judicat.* ubi summarium sic loquitur: « Si partes concordant, qualiter sententia feratur, judex debet sequi earum voluntatem. » Socinum cit. reg. 355, fallent. 5; Jason d. l. *Vinum.* n. 26. licet dubitative; eo, quod partes non possint remittere substantialia ordinis judiciarii.

86. *Atque in causa matrimonii carnalis, vel spiritualis, et in aliis casibus concernentibus periculum animæ.* — *Sexto* fallit in causa matrimonii carnalis, vel spiritualis, atque in aliis casibus concernentibus periculum animæ: quia in istis fertur sententia secundum veritatem, licet non sit conformis libello, ut evitetur peccatum. Jason, loc. cit. n. 31. post Cardinalem Florentin. in Clem. *Sæpe.* § 1. in 2. op. *Verb. signif.* Tacentur nonnullæ aliæ fallentiæ, apud relatos auctores videndæ.

87. *Sententia judicialis debet esse certa.* — Quæritur II. Qualiter sententia debeat esse certa? Resp. I. Sententia judicialis debet esse certa, ita, ut per eam res debita, quantum possibile fuerit, determinetur: quia alioquin

lites non sopirentur. Hinc § *Curare*. Instit. *de Actionib.* dicitur: « Curare autem debet judex, ut omnino, quantum possibile ei sit, certæ pecuniæ vel rei sententiam ferat, etiamsi de incerta quantitate apud eum actum est; » juncta Glossa ibid. verb. *Possibile*.

88. *Adeo, ut sententia incerta, sit ipso jure nulla.* — Et adeo requiritur, sententiam esse certam, ut sententia incerta, seu obscura, ratione suæ incertitudinis ipso jure non valeat, l. III. et IV. c. *de Sententia, quæ sine certa quantitat.* etc. ac notat Abbas c. *Cum venerabilis*. n. 48. *de Exceptionib.*; Speculator tit. *de Sententia*. § *Qualiter*. n. 7; Alexander consil. 109. n. 1. et seqq. lib. V. Sigism. Scaccia, tract. *de Sentent. et re judicat.* Gloss. 14. quæst. 15. n. 1, allegans plures alios. Ratio est, quia sententia ferenda est, ut possit habere executionem, mediante qua jus suum cuique tribuatur, atque inter litigantes inducatur pax, et concordia inter cives conservetur: atqui sententia incerta nequit habere hujusmodi executionem; ergo.

89. *Etiamsi petitio libelli fuisset de quantitate incerta.* — Infertur proinde, quando libellus est certus, seu de re certa, sive certa quantitate ipsius conceptus, pariter de re certa, certave quantitate ipsius ferenda sit sententia condemnatoria, vel absolutoria: debet enim sententia esse conformis libello. Quinimo, licet libellus, ejusque petitio foret incertus, ut puta, si esset conceptus de quantitate incerta, v. g. damni dati, aut expensarum, juxta textum d. § *Curare*. Institut. *de Actionib.* si tamen in processu certificaretur, oportet, ut judex ferat sententiam de certa re, seu quantitate ipsius. Jason cit. § *Curare*. n. 7. et seqq. Instit. *de Actionib.* Sigism. Scaccia, ubi supra, n. 5. et seqq. allegans alios.

90. *Regula hæc procedit potissimum in judiciis particularibus, secus in universalibus.* — Resp. II. Nihilominus data conclusio, seu regula patitur quasdam limitationes. Imprimis enim ea potissimum procedit in judiciis particularibus, seu actionibus singularibus, utpote in quibus agitur ad res aliquas speciales: secus in judiciis, seu actionibus universalibus, ac generalibus, ut est, petitio hæreditatis, familiæ herciscundæ, petitio castri unacum juribus suis, actio negotiorum gestorum, tutelæ, ac hujusmodi, juxta dicta superius tit. I. *de Judiciis*. § 2. n. 53. 54. et seqq. Nam in hujusmodi actionibus universalibus et generalibus, ac sententiis desuper latis, non est opus specificare res ipsas; sed sufficit tum in libello, tum in sententia proponere, ac pronuntiare universaliter, v. g. Pronuntio te hæredem existere ex asse, vel ex semisse, atque ideo tibi hæreditatem restituendam esse. Glossa cit. § *Curare*. verb. *Possibile*. et Jason, ibid. n. 7. Instit. *de Actionib.*; Glossa fin. l. II. et Bartolus, ibid. c. *de Sententia, quæ sine certa quantitate proferetur*. Unde in talibus actionibus, et sententiis satis est, quod singulæ res postmodum specificentur in executione.

91. *Fallit etiam in illis casibus, in quibus judex nequit ferre certam sententiam: puta, in alternativis; vel quando dubium est, an res petita adhuc existat.* — Deinde loquendo etiam de actionibus, et sententiis particularibus, eadem conclusio patitur suas limitationes: dantur enim plures casus, in quibus judex nequit ferre certam sententiam; uti videre est apud Glossam cit. l. II. et Bartolum, ibid. c. *de Sententia, quæ sine certa quantit.* et Jasonem, ubi supra. Sic fit, quando proponitur actio singularis alternativa, simulque electio est debitoris, l. *Ubi autem*. § *Qui illud et illud*. ff. *de Verbor. obligation* Idemque accidit in aliis casibus, ubicunque incertitudo provenit ex parte Rei, seu debitoris, qui debet aliquid in genere, puta equum, non facta declaratione, qualis debeatur ex pluribus, l. *Quæ de tota*. § fin. ff. *de Rei vindicat.* Item, quando dubium est, an res debita adhuc existat in rerum natura; adeoque petatur vel res, si existit, vel ejus æstimatio, l. *Si servum*. § fin. ff. *de Verb. obligat.* Jason, ubi supra, n. 10. et seqq. apud quem plures aliæ limitationes. In hujusmodi enim casibus, sicuti admittitur libellus incertus, ita et sententia incerta, libello tamen proportionata.

92. *Sententia judicialis non debet ferri sub conditione.* — Quæritur IV. Utrum sententia possit ferri sub conditione, vel sic lata teneat? Resp. I. Ad sententiam judicialem inter alia requiritur, ut non feratur sub conditione. Textus est in l. I. § *Biduum*. ff. *Quando appellandum sit*, quæ est canonizata can. *Biduum*. 2. q. 6. ubi dicitur: « Sane quidem non est dicenda sub conditione sententiæ: sed si fuerit dicta, quid fiet? » Accedit ratio: quia « sententia definitiva, quæ condemnationem, vel absolutionem non continet, pro justa non habetur, » juxta textum expressum in l. *Præses*. c. *de Sentent. et interlocut. omn.*

judic. Atqui talis est sententia lata sub conditione de futuro: quia verbum *Condemno, Absolvo,* debet esse præsentis temporis, non futuri; nam futurum non disponit; ergo. Hoc ipsum confirmatur ex l. *Non dubium.* c. *de Legib.* et reg. 64. jur. in 6. ubi dicitur: « Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. »

93. *Nec valet, si proferatur sub conditione extrinseca.* — Resp. II. Etsi regulariter non valeat sententia lata sub conditione, ut dictum: istud tamen locum duntaxat habet, quando sententia profertur sub conditione extrinseca; veluti, si navis ex India advenerit, aut hujusmodi: secus vero, si ea feratur sub conditione extrinseca, seu dependente a natura negotii in judicium deducti. Ita Glossa fin. l. *Cum Judex.* et Bartolus, ibid. ff. *de Sententiis et interloc. omn. judic.* et alia Glossa l. *A Divo.* ℣. *Capiantur.* ff. *de Re judicat.* Abbas, c. *Præterea.* 40. n. 10. *de Appellation.* id exemplificant de sententia lata sub conditione: « Condemno te, si actor juraverit, » vel, « Excommunico te, nisi intra tale tempus satisfeceris, » juxta textum ibid. Jason l. *Admonendi.* n. 61. et seqq. ff. *de Jurejurand.* et Fagnanus, in c. G. *Perpetuus.* n. 24. *de Fide instrument.* citans alios. Accedit ratio, quia a sententia lata sub conditione debet appellari infra decem dies, et quidem computandos a die latæ sententiæ, et non a die evenientis conditionis, cit. l. I. § *Biduum.* ff. *Quando appellatum sit.* et can. *Biduum.* 2. q. 6. Sed non foret opus appellatione, nisi sententia lata sub conditione intrinseca, foret valida; cum sententia invalida nunquam transeat in rem judicatam, juxta dicenda n. 114. et seqq. sicque opus non sit appellatione.

94. *An valeat sententia lata sub conditione extrinseca?* — Additur tamen, « sub conditione intrinseca. » Nam oppositum esse dicendum de sententia lata sub conditione extrinseca, videntur convincere jura, et rationes n. 9. allatæ. Quinimo Sigism. Scaccia, tract. *de Sentent. et re judicat.;* Gloss. 14. quæst. 14. n. 33. et n. 56. ac seqq. generaliter docet, quod non solum sententia lata sub conditione extrinseca sit nulla; sed etiam sententia lata sub conditione intrinseca de futuro, ut puta, « Si probaverit. » Tum quia (inquit) judex debet ferre sententiam certam: atqui talis non est hæc, cum se referat ad probationes futuras, pendentes ab incerto eventu; tum quia ordo judiciarius exigit, ut probationes fiant ante sententiam durante instantia, et non postea: hoc enim foret præposterare ordinem judiciarium. Ita inter alia discurrit Scaccia, loc. cit. n. 28. et seqq.

95. *Quid dicendum de praxi tribunalium, absolventium reum sub conditione: Nisi actor melius suam intentionem probaverit.* — Dices. In multorum locorum tribunalibus usu receptum est, ut reus absolvatur a petitione actoris, addita hac clausula: « Nisi possit actor intentionem suam melius, quam in actibus præcedentibus factum est, probare; idque si intra unum, vel alterum mensem præstiterit; fiet tunc, quod juris est, » etc. Atqui talem praxin tribunalium damnare non facile licebit; ergo. Resp. Licet non possit negari, quin hæc sententia sit conditionata, nihilominus eam valere: idque vel juxta sententiam Glossæ, Bartoli, Abbatis, Jasonis, Fagnani, et aliorum volentium, quod sententia lata sub conditione intrinseca (qualis est hæc) bene valeat: licet secus sit de sententia lata sub conditione extrinseca, ut proxime dictum. Vel saltem (uti vult Engel, h. t. n. 10.) valet talis sententia ob receptam quorumdam locorum, seu tribunalium consuetudinem, quæ rigori juris præjudicare potest, cum videatur rationabilis.

96. *Consuetudo ferendi sententiam sub tali conditione, videtur rationabilis.* — Et quidem, quod ejusmodi consuetudo non sit irrationabilis, ac proinde accedente usu longævo possit derogare juri positivo humano, per textum in cap. ult. *de Consuetud.* ex eo desumitur. Quia per ipsam sæpius liberantur partes ab onere appellationis, dum post talem sententiam novas probationes, atque exceptiones postea repertas, coram eodem judice proponere possunt: ubi alias superiorem judicem de rigore juris adire deberent, non sine magno plerumque incommodo, gravibusque expensis.

97. *Sententia diffinitiva debet continere absolutionem, vel condemnationem.* — Quæritur V. Utrum sententia debeat continere non solum absolutionem, vel condemnationem, sed etiam causam ipsius? Resp. I. Certum est, quod sententia diffinitiva debeat continere absolutionem, vel condemnationem, l. I. ff. *de Re judicat.* et l. *Præses.* c. *de Sentent. et interlocut. omn. judic.* cum similibus. Idque vel expresse, sive claris verbis reum condemnando, aut absolvendo; vel saltem tacite, ac virtualiter. Nam et istud posterius sufficere, probat textus in l. *Quid tamen si de pluribus.*

§ *Si arbiter*. ff. *de Receptis arbitr.* ubi Bartolus, in summario legit : « Qui pronuntiat, nihil videri debitum, debitorem absolvere videtur. » Abbas, c. *In his.* n. 12. *de Verb. signif.* juncto textu ibid. dum dicitur, per verbum *Statuo*, et *Præcipio*, diffinitivam sententiam ferri posse. Vallensis, h. t. § 3. n. 13. et alii.

98. *Non tamen causam ipsius, regulariter loquendo. Imo fatuum est, in sententia exprimere causam ejus; et cur?* — Resp. II. Sententia regulariter loquendo non necessario debet continere causam, quæ judicem movit ad absolvendum, vel condemnandum. Ita textus in c. *Sicut nobis.* 16. h. t. Nam, « quando constat sententiam a judice suo prolatam, propter auctoritatem judiciariam, præsumi debet, omnia legitime processisse; » prout ibid. § fin. argumentatur pontifex. Quinimo, ut post Innocentium notat Joan. Andreas cit. c. *Sicut nobis.* n. 7. et Abbas ibid. n. 11. h. t. et Engel, eod. n. 26. non solum non tenetur judex ad exprimendam causam; sed etiam fatuum est, eam exprimere : quia facile posset mala causa exprimi, et bona supprimi; et sic non valeret sententia, juxta dicenda n. 130. et 131.

99. *Solvitur instantia.* — Nec obstat can. *In tantum* dist. 21. ubi Glossa ait, quod judex teneatur exprimere causam; si tamen non expressit, teneat sententia. Resp. enim, illam Glossam quoad priorem partem communiter relinqui : quamvis enim judex possit apponere causam, quæ ipsum movit ad sic sententiandum; ad hoc tamen regulariter non tenetur, juxta textum in cit. c. *Sicut nobis.* juncta Glossa ℣. *Exprimantur.* et doctoribus ibid. h. t.

100. *In certis casibus debet in sententia exprimi causa ipsius. Ut in causa appellationis; idque exemplificatur.* — Additur tamen, « regulariter. » Dantur enim certi casus, per Glossam cit. c. *Sicut nobis.* ℣. *Exprimantur.* Joan. Andream n. 9. aliosque doctores ibid. relati, in quibus judex tenetur apponere causam suæ sententiæ. Sic accidit imprimis in causa appellationis : nam in ea debet exprimi causa, quare prior sententia revocetur ut per hoc prioribus judicibus non imputetur. Glossa cit. c. *Sicut nobis.* ℣. *Exprimantur.* et Joan. Andreas, n. 9. et Abbas, ibid. n. 11. h. t.; Pirhing, eod. n. 11; Speculator tit. *de Sententia.* § *Qualiter.* n. 14. et alii. Idque patet ex c. *Cum Bertoldus.* 18. § *Licet autem.* h. t. pontifex, ad quem appellatum fuerat, revocaturus priorem sententiam dixit, archiepiscopum, qui eam tulerat, fuisse circumventum, etc. Similiter c. *Cum Joannes.* 10. § fin. *de Fide instrument.* Papa revocaturus ejusmodi sententiam, apponit causam ad parcendum honori priorum judicum : eo quod « hujusmodi (inquit) exceptio coram ipsis nec probata fuerit, nec objecta. » Idipsum videre est in c. *Cum olim.* 14. § fin. *de Privileg.* ubi pariter papa reformaturus sententiam, reddit rationem talis revocationis; simulque priores judices excusat, utpote « quibus (ait) libertatis privilegia non fuerant præsentata. » Idem ergo dicendum in similibus.

101. *Et in sententia excommunicationis.* — *Secundo*, tenetur judex exprimere causa in sententia excommunicationis. Cum enim excommunicatio sit medicinalis, non mortalis : quisquam alterum excommunicat, debet excommunicationem in scriptis proferre, et causam excommunicationis expresse conscribere, ut sic alter resipiscere, ipsamque causam excommunicationis per pœnitentiam et debitam satisfactionem tollere valeat, text. clar. c. *Cum medicinalis* § 1. *de Sentent. excommunicat.* in 6.

102. *Item in aliis quatuor casibus; et quibus?* — *Tertio* debet exprimi causa in sententia, ubi Reus absolvitur propter ineptam petitionem actoris in libello factam : idque merito, ne alioquin actori pereat jus agendi, seu novam actionem instituendi, ex ignorantia causæ, ob quam Reus fuit absolutus; ut c. *Examinata.* 15. *de Judiciis. Quarto*, cum judex a jure communi recedit sententiando; ut puta, non condemnando victum in expensis, Auth. *de Judicibus.* § *Oportet.* collat. 6. Vel non recipiendo alterius appellationem, l. *Sciendum.* ff. *de Appellat. recipiend. Quinto*, cum secundum legem (scilicet l. *Properandum.* c. *de Judiciis*) absolvitur quis ab instantia judicii : tunc enim debet judex exprimere, per quem stetit, quo minus causa diffiniri potuerit, ne ex toto pereat actori jus agendi, cit. l. *Properandum.* § *Illo procul. dubio.* juncta Glossa. ibid. ℣. *Sententia. Sexto*, quando absolvitur reus in rei vendicatione ex eo duntaxat, quia tempore latæ sententiæ non possidet : ne forte postea Actori, ex nova causa agere volenti, obstet rei judicatæ exceptio, cap. penult. *de Exceptionib.* Atque hosce sex casus, in quibus causa in sententia debet exprimi, enumerant Speculator, Joan. Andreas, et Abbas, ubi supra, et Pirhing, h. t. n. 11.

103. *In memoratis casibus debet causa in sententia exprimi duntaxat propter certos effectus.* — His adde, quod etiam in memoratis casibus, per se loquendo, non requiratur expressio causæ in sententia; adeoque valeat sententia, si hæc nemine opponente sine expressione causæ lata fuerit. Siquidem in his ipsis casibus debet causa in sententia exprimi duntaxat propter certos effectus, qui ex tali sententia oriri possunt: puta, ut excommunicatus a sua contumacia resipiscere possit: vel ne actori pereat jus de novo agendi, aut hujusmodi: prout facile colligitur ex dictis, atque amplius decorat Abbas loc. cit. n. 12.

104. *Idem potest contingere in nonnullis aliis casibus.* — Idem contingere potest in nonnullis aliis casibus, ac proinde debet exprimi causa in eorum sententiis ob certos effectus. Sic enim damnatus ex una causa efficitur infamis, non item ex alia: prout tutor remotus a tutela ob dolum commissum, redditur infamis: non litem, si removeatur ob negligentiam tantum, l. III. et IV. ff. *de Suspectis tutorib.* Unde ad irrogandum effectum infamiæ exprimi debet, quod ob commissum dolum amotus fuerit: alioquin enim, si in sententia istud non exprimitur, ea in mitiorem partem interpretari debet; sicque non intelligitur ex causa famosa damnatus, seu remotus, l. *Hæc enim causæ.* ff. eod.

§ IV.

DE RE JUDICATA, VELUTI PRÆCIPUO EFFECTU SENTENTIÆ DIFFINITIVÆ.

105. *Res judicata potest dupliciter accipi, large et proprie; et quid sit?* — Quæritur I. Quid sit tempore res judicata, et quo sententia dicatur transire in rem judicatam? Resp. I. « Res judicata » potest dupliciter accipi: *primo* largo modo, si pro ipsamet sententia, quæ imponit finem controversiæ per absolutionem, vel condemnationem. Sic res judicata accipitur in l. *Litigatoribus.* C. *de Appelation.* ibi: « Litigatoribus copia est, illico appellare voce, cum res poposcerit judicata: » id est, cum lata est sententia rite; prout explicat Glossa ỳ. *Judicata*, et Bartolus, ibid. ac notat Maranta, part. VI. *Speculi aurei.* tit. *de Sententia.* n. 128.

106. *Secundo*, et proprie « Res judicata » dicitur sententia, quæ post lapsum decem dierum accepit auctoritatem, ac vires rei judicatæ; adeo ut pro veritate accipiatur, et postea retractari non possit, atque contradicere volens amplius non audiatur. Et de re judicata, taliter sumpta procedit reg. 207. ff. *de Reg. jur.* « Res judicata pro veritate accipitur. » Quod ipsum habetur in l. *Ingenium* ff. *de Statu liberis.* Unde sententia illa quæ in rem transiit judicatam, tantæ est auctoritatis, ut de ente faciat non ens, et de falso verum, et de albo nigrum, secundum Jasonem, l. *Julianus verum debitorem.* n. 2. ff. *de Condiction. indebit.* et Marantam, loc. cit. n. 129. Atque in hac posteriori acceptione nunc sermo est de re judicata.

107. *Præcipuus sententiæ diffinitivæ effectus est, ut regulariter post decendium, si ab ea non appellatur, transeat in rem judicatam.* — Resp. II. Præcipuus sententiæ diffinitivæ effectus est, quod regulariter loquendo, si ab ipsa infra decem dies per condemnatum non fuerit appellatum, ejusmodi sententia transeat in rem judicatam; adeo, ut postea retractari non possit, et contradicere volens amplius non audiatur. Ita communis: atque habetur clare decisum in Auth. *de Appellation. et intra quæ tempora*, etc. can. *Anteriorum.* 2. q. 6. ubi revocato biduo, vel triduo, antiquitus ad appellandum duntaxat concesso, « sancitur, omnes appellationes posse intra decem dierum spatium, a recitatione sententiæ numerandorum, judicibus a iis, quorum interest, offerri. » Concordat c. *Cum inter.* 13. et c. *Quod ad consultationem.* 15. h. t. in quo posteriori loco pontifex sic loquitur: « Cum post decem dierum spatium, sententia in auctoritatem rei transeat judicatæ: qui ad provocationis subsidium intra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit: cum per hoc videntur per interpretationem juris latæ sententiæ paruisse. » Hæc ibi.

108. *Et cur? Victus non appellans, vere non consentit in sententiam, sed ficte: neque victor, sciens sententiam injustam, potest rem sibi adjudicatam tuta conscientia retinere.* — Atque istud tum propter juris, et judicis auctoritatem, ob quam præsumuntur omnia rite celebrata, ex quo non fuit appellatum a sententia, c. *Sicut nobis.* 16. § fin. h. t.; tum propter partis non appellantis tacitum consensum, suique, si quod habuit, juris renuntiationem, l. ult. c. *de Sententia, quæ sine certa quantitate*, etc. et l. *Ab eo.* C. *Quomodo et quando*, etc. Quanquam victus non appel-

lans, vere non consentiat, sententiæ, sed ficte duntaxat : ac proinde ex sententia condemnatoria injusta, seu quam victor novit esse iniquam, non oriatur obligatio naturalis; neque victor ille tuta conscientia possit retinere rem sibi adjudicatam, prætextu consensus per non appellantem sententiæ præstiti. Quia (ut dictum) iste non consentit vere in sententiam, sed ficte, ac ex præsumptione seu interpretatione juris : alioquin enim sæpe quis omittit appellationem, execrans litem, et timens vexationem judiciorum. Abbas, c. *Quod ad consultationem*. n. 7. h. t.

109. *Sententia transiens in rem judicatam, habet pro se præsumptionem juris et de jure.* — Cæterum loquendo pro foro externo, sententia, quæ transivit in rem judicatam, in posterum habet pro se præsumptionem juris et de jure, quod sit justa, parsque condemnata in eam consenserit, cit. l. *Res judicata*. ff. *de Reg. jur.* et d. c. *Quod ad consultationem* 5. h. t. atque notat Abbas, cap. ult. n. 32. *de Præscription.* et communis. Ita quidem, ut postea admittatur probatio in contrarium, etiam prætextu instrumentorum de novo repertorum; ut c. *Suborta*. 21. § fin., h. t., ubi Abbas, n. 10. et 13. et idem Abbas, c. *Consanguinei*. n. 12. eod. concordat textus in l. *Sub specie* c. *de Re judicat.* ibi : « Sub specie novorum instrumentorum postea repertorum res judicatas restaurari, exemplo grave est. »

110. *Tempus decem dierum concessum ad appellandum, quando incipiat currere?* — Quod si petas, quando incipiat currere tempus decem dierum, concessum ad appellandum contra sententiam? Respondetur, juxta cit. Auth. *de Appellation.* et can. *Anteriorum*. 2. q. 6. decendium istud esse computandum « a recitatione sententiæ : » uti liquet ex verbis n. 107. allegatis.

111. *Decendium istud currit de momento in momentum ab hora latæ sententiæ. Tempus omne currit de momento in momentum, ubi aliud a jure non exprimitur.* — Unde decendium hoc incipit ab hora latæ sententiæ, curritque de momento in momentum, Joan. Andreas, c. *Super eo*. 12. n. 10. et Abbas, ibid. n. 12. *de Appellation.* qui pro regula ponunt, quod omne tempus currat de momento in momentum, ubi aliud a jure non exprimitur Engel, tit. *de Appellation.* n. 39. Ita tamen, ut adhuc decimo die (ante completum ultimum ejus momentum) possit appellari, arg. can. *Propter superfluam*. 2. q. 6. ac notat Glossa cit. can. *Anteriorum*. ỿ. *Dierum*. Et si sententia fuit lata in absentem, qui nec per procuratorem defensus fuit (puta, quando absens damnatus non propter contumaciam veram) tunc decendium illud currere incipit primum a die scientiæ de lata sententia : ut dicitur l. I. § fin et § *Dies autem*. ff. *Quando appellandum sit :* ubi summarium inquit tempus appellationis interponendæ esse utile quoad initium, continuum quoad processum. Glossa in Auth. *Hodie autem*. ỿ. *Assententiæ*. c. *de Appellation.* Secus, si absens agebat per procuratorem : quia, si ejus procurator non appellavit, elapso decendio non auditur : nisi forsan procurator non sit solvendo cit. l. 1. § fin. ff. *Quando appellandum sit*, juncta Glossa fin. et marg. ibid.

112. *Sententia non solum diffinitiva, verum et interlocutaria, post decendium transit in rem judicatam.* — Adde tamen præmissis, quod non sententia diffinitiva, verum etiam sententia interlocutoria transeat in rem judicatam, si ab ea inter decendium non appelletur ut dicitur c. *Cum dilectus*. 32. § fin. *de Election.* et notat Abbas, cap. II. n. 14, et 15. *De in integrum restitut.*

113. *Transit etiam sententia in rem judicatam, quando appellatio fuit deserta.* — Resp. III. Insuper sententia transit in rem judicatam, quando inter decendium ab ea quidem appellatum est, postea tamen appellatio fuit deserta. Textus est in Auth *Ei qui appellat*. C. *de Temporib appellation.* ubi sic habetur : « Ei qui appellat impertitur annus, intra quem secundum se communiterve cum adversario litem exequatur : aut si justa causa intercesserit, alius annus indulgeatur : quo transacto, lite non completa, rata manet sententia : » ac si non fuisset appellatum, prout subjungit Glossa ibid ỿ. *Manet sententia*. Additur tamen num 107. « regulariter loquendo, » propter illico dicenda. Unde

114. *Dantur plures casus, in quibus sententia post decendium non transit in rem judicatam.* — Quæritur II. An dentur nonnulli casus, in quibus sententia post decendium non transit in rem judicatam ; et qui? Resp. I Dari plures hujusmodi casus; adeo, ut eorum viginti quator enumeret Maranta, part VI. *Speculi Aurei*. tit. *de Sententia*. etc. n. 128. et seqq. quorum præcipui sunt sequentes.

115. *Sic sententia lata contra jus constitutionis, non transit in rem judicatam.* — *Primo* quidem, ac generatim loquendo, sententia, quæ fuit lata contra jus constitutionis ipso

jure est nulla, non transit in rem judicatam, licet ab ea non appelletur: sed probato juris errore, potest retractari non solum post decendium, sed etiam post decennium, et quidem usque ad triginta annos; non tamen ultra nisi ubi vertitur periculum animæ. Ita Maranta, cit. part. VI. tit. *de Sententia*. n. 154. post Cardinalem Clem. I. qua est, 14 *de Sentent. et re judicat.* Speculator, tit. *de Sententia* § *justa*. in fin. et Gailus, lib. I. *Practic.* Observat. 127. n. 8. allegans communem, et in camera receptam sententiam.

116. *Idque probatur. Quod nullum producit effectum. Non entis, nulla sunt qualitates. Paria sunt, non esse: et esse nullam.* — Prima hæc fallentia desumitur tum ex cap. I. h. t. juncta Glossa ibid. ℣ *Contra leges*: tum ex l. *Si cum inter te*. C. *Quando provocare non est necesse*: ubi sententia contra leges, canonesve prolata, nullas habere vires dicitur; adeo, ut nec provocationis auxilium necessarium sit. » Nam, quod nullum est, nullum producit effectum, arg. l. *Si se non obtulit*. 4. § *Condemnatum*. ff. *de Re judicat.* et c. *illud*. 8. *de Jurepatronat.* Et non entis, nullæ sunt qualitates, c. *Ad dissolvendum*. 13. *de Desponsat. impuber.* juncta Glossa ℣. *Legitime accusari*. Et paria sunt, non esse; nullum, l. *Duo sunt Titii*. ff. *de Testamentar. tutel.* cum similibus. Concordat textus expressus in l. *Si expressim*. ff. *de Appellation.* ibi: » Si expressim sententia contra juris rigorem data fuerit, valere non debet: et ideo et sine appellatione causa denuo induci potest. » Hæc ibi.

117. *Sententia a non suo judice lata, vel pretio empta, aut lata ex probationibus a jure reprobatis, etc., non transit in rem judicatam.* — Infertur proinde, quod sententia a non suo judice lata, non transeat in rem judicatam: quia est ipso jure nulla, c. *At si Clerici*. 4. *de Judiciis*, et alibi. Glossa cit. cap. I. ℣. *Contra leges*. h. t. Deinde sententia pretio empta, sive lata a corrupto judice, nunquam transit in rem judicatam: quinimo est ipso jure nulla, etiam citra interpositæ provocationis auxilium, l. *Venales*. C. *Quando provocare non est necesse*, Abbas, c. *Cum ab omni*. n. 7. *de Vita et honestat. Cleric.* et alii. Idemque dicendum, quando sententia est lata ex probationibus a jure reprobatis; ut puta, per duellum, vel ob experientiam ferri candentis, cap. I. et seqq. *de Purgation. vulgar.* Maranta cit. tit. *de Sententia*. n. 139. post Baldum in l. *Libertorum*. C. *de Testib.* Concordant dicta superius §. præced. n. 70. 71. et 72. ubi nonnulla alia exempla referuntur. Et quia pluribus modis potest contingere, ut sententia feratur contra claram juris dispositionem, ut ibidem dictum: hinc patet, plurimos ex hoc capite casus speciales recenseri posse, in quibus sententia non transit in rem judicatam.

118. *Sententia lata in causis matrimonialibus, non transit in rem judicatam, sed revocatur, quandocunque constat de errore.* — Resp. II. Deinde, ac magis loquendo in specie, sententia lata in causis matrimonialibus non transit in rem judicatam: unde revocatur, quandocunque constat de errore. Ita textus in c. *Lator*. 7. h. t. ubi Glossa in casu, Joan. Andreas, et Abbas in summario, aliique communiter. Hinc, quando legitimum matrimonium judicialiter dissolutum fuit, eo quod v. g. fuisset allegatum impedimentum dirimens, quod postea constat revera non adfuisse, retractatur prior sententia, atque redintegratur matrimonium (utpote jure divino indissolubile) postquam apparet, ecclesiam esse deceptam, c. *Fraternitatis*. 6. *de Frigidis et maleficiat.* Simile quid habetur, c. *Tenor* 10. h. t.

119. *Sive sit lata contra matrimonium, sive pro ejus valore.* — Idemque dicendum est de sententia lata pro valore matrimonii, quando ex post facto constat, revera illud fuisse invalidum ob occultum impedimentum. Siquidem in utroque casu vertitur periculum animæ, cum matrimonium legitime contractum amplius dissolvi non possit; neque etiam impedimentum dirimens, suo consensu, conjuges putativi tollere valeant: unde cognita veritate, sententia ejusmodi retractari debet.

120. *Intellige, quando ex illius sententiæ observantia nutritur peccatum, utriusque partis consensu non impedibile; alias secus: quod exemplificatur.* — Cæterum dictum istud, quod sententia in causa matrimoniali non transeat in rem judicatam, tunc solummodo procedit, quando ex illius sententiæ observantia nutritur peccatum, quod utriusque partis consensu non potest impediri, nec tolli quoad culpam: uti fit in proxime relatis casibus, ubi sententia lata contra legitimum matrimonium ex allegato falso impedimento, vel pro valore matrimonii non obstante impedimento dirimente, v. g. consanguinitatis, partium consensu convalidari, non potest. Glossa fin. cit. c. *Lator*. et Abbas,

ibid. n. 9. et Barbosa, n. 3. h. t. allegans plures alios. Secus dicendum, quando sententia fuit lata pro matrimonio, quod nullum erat ex defectu per partes remissibili; puta, ex defectu consensus ob gravem metum incussum, vel ex conditione veritatis ab altera parte antea ignoratæ. Nam si a tali sententia intra decendium non fuerit appellatum, tunc ea transit in rem judicatam : adeo, ut partes de novo consentire debeant, suoque consensu (uti possunt) matrimonium convalidare : ac postea resilire volens, non amplius sit audiendus, imo compellendus adhærere alteri, cum absque peccato istud possit facere renovato mutuo consensu, ut dictum. Glossa, Abbas, Barbosa, ubi supra; Covarruvias part. II. *de Matrimonio*, cap. VIII, § 12. n. 38. Sanchez, lib. VII. *de Matrimon*. disp. 100. n. 13. et alii.

121. *Sententia lata contra valorem sponsalium de futuro, transit in rem judicatam, nisi appelletur ab ea.* — Insuper dictum illud non procedit in sententia lata contra valorem sponsalium de futuro : nam quia hæc mutuo consensu rursus dissolvi possunt, cap. I. *de Reg. jur.* sicque sententia illa sine peccato observari potest; merito censetur transire in rem judicatam, nisi intra decem dies ab ea fuerit appellatum.

122. *An idem dicendum de sententia lata, pro valore sponsalium?* — Utrum vero sententia lata pro valore sponsalium de futuro, similiter transeat in rem judicatam, si ab ea non fuerit appellatum, est distinguendum. Vel enim sententia illa potest observari sine peccato : et transit in rem judicatam. Vel non potest observari sine peccato; puta, quia sponsalia ob non probatum v. g. latens impedimentum consanguinitatis, pronuntiabantur valida : et talis sententia est nutritiva peccati, quod partium consensu tolli non potest, sicque nequit transire in rem judicatam, sed quocunque tempore probetur latens illud impedimentum, erit retractanda. Alioquin, quippe impedimento dirimente detenti compellerentur matrimonium inire, et quidem invalidum, non sine gravissimo peccato portali, ac dispendio salutis æternæ.

123. *Sententia non transit in rem judicatam in causa beneficiali.* — *Tertio*, sententia non transit in rem judicatam in causa beneficiali; argumento a simili desumpto ex matrimonio carnali ad spirituale, juxta cap. II. *de Translat. episcop.* ac notat Abbas, c. *Cum dilectus*. n. 5. *de Election.;* Maranta, loc. cit. n. 150. istud intelligens, quoad præjudicium superioris, c. *Cum Bertoldus*, 18. h. t. Secus, quoad præjudicium ipsarum partium : ut est Glossa in cap. I. *de Concession. præbend.* et Abbas, ibid. n. 4.

124. *Intellige quoad præjudicium Ecclesiæ et favorem beneficiati : secus quoad partem, seu contradictorem; idque declaratur.* — Nec obstat, quod in cit. c. *Cum dilectus*. 32. § fin. *de Election.* loquendo de causa beneficiali, dicatur : « Cujus (metropolitani) sententia in rem transit judicatam, cum intra decendium non fuerit legitima provocatione suspensa. » Resp. enim cum abbate cit. c. *Cum dilectus*. n. 5, et Gonzalez Tellez, ibid. n. 32. *de Election.* istud intelligendum esse respectu contradictoris; non autem in præjudicium Ecclesiæ, atque favorem beneficiati. Unde sciendum est, quod sententia in causa beneficiali bene transeat in rem judicatam, quoad partem, sive contradictorem illum, qui impugnare ausus fuit alterius electionem, seu collationem beneficii alteri factam : ideo, ut si succumbat, seu sententia appellat, postmodum amplius non audiatur; quia non appellando censetur acquiescere sententiæ, eo præsertim, quod hanc sine peccato admittere, atque ab ulteriori impugnatione abstinere valeat. Non tamen idcirco ejusmodi sententia transit in rem judicatam quoad præjudicium Ecclesiæ, atque in favorem beneficiati : sed potest adhuc post decendium defectus, si quis irrepserat, judici renuntiari. Imo et judex ad impediendum alterius peccatum, et damnum Ecclesiæ imminens ob promotionem indigni, poterit ex officio inquirere de titulo legitimo; puta, de validitate electionis, seu canonicæ institutionis dicti beneficiati : Ne alioquin in præjudicium Ecclesiæ promoveatur minus canonice institutus; et talis, qui sine peccato beneficium obtinere, et retinere non potest : hujusmodi enim defectus ex consensu partium supplere non potest.

125. *Nulla sententia transit in rem judicatam, cujus observantia nutrit peccatum de consensu partium non remissibile.* — *Quarto*, nulla sententia transit in rem judicatam, cujus observantia nutrit peccatum de consensu partium non impedibile, arg. cap. ult. *de Consuetud.* et cap. ult. *de Præscription.* cum concordantiis; et tradit Glossa fin. c. *Inter monasterium*. h. t. docens, quod « ubi vertitur periculum animæ, tenet sententia contra primam. » Innocentius, ibid. in fin. Hostien-

sis, et Joan. Andreas, in c. *Lator*. n. 5. et Abbas, n. 9. h. t. Pirhing, eod. n. 49; Maranta, ubi supra, n. 147. et alii. Unde idem Abbas, in c. *Juravit*. n. 5. *de Probation*. ponit regulam, quod ubi vitium sententiæ per partes est remissibile, sententia illa transeat in rem judicatam : alias secus.

126. *In causis crimininalibus, an, et in quo sensu sententia non transeat in rem iudicatam?* — *Quinto* notat Ludovic. Engel, h. t. n. 24. etiam in causis criminalibus sententiam non transire in rem judicatam, sed quandocunque posse rei innocentiam demonstrari; ut *Unius*. 18. § penult. ff. *de Quæstionib*. ibi : « Quamvis defensionem quocumque tempore postulante reo negari non oportet. » Verum hæc sententia, nisi melius explicetur, non caret difficultate : tum quia Glossa ibid. vers. *Quocunque tempore*, asserit, istud intelligendum esse de quocunque tempore « ante sententiam : » adeo, ut juxta Bartolum, ibid. etiam post publicationem attestationum possint ad defensam rei recipi alii testes; tum quia videtur repugnare textus l. I. ff. *de Quæstionib*. ubi præses provinciæ eum, quem damnavit, restituere non potest (hoc enim fieri posset, si sententiam non transiret in rem judicatam) sed cognita rei innocentia principi rescribendum esse dicitur, cujus indulgentia Reus innocens repertus restituatur. Unde in isto duntaxat sensu procedit relata Ludovici Engel sententia ; videlicet in causis criminalibus sententiam non transire in rem judicatam, quatenus semper potest innocentia rei probari, ut principis indulgentia restituatur: non autem, quin transeat in rem judicatam quoad inferiores judices.

127. *Consensus expressus nihil operatur, ut innocens possit occidi; bene tamen tacitus.* — Accedit ratio, quia, licet loquendo de causis criminalibus consensus expressus nihil operetur, ut innocens possit occidi, vel mutilari (neque enim homo est dominus vitæ, ac membrorum suorum) nihilominus tacitus ejus consensus, seu potius illa patientia, qua non appellavit, nec aliquid in sui defensionem allegavit, jure sic disponente, potest ei nocere : adeo, ut sententia transeat in rem judicatam, donec cognita rei innocentia per principem relaxetur. Siquidem licite potest quis mortem, vel mutilationem etiam injustam pati, nec tenetur se defendere, exemplo multorum millium sanctorum martyrum; etsi expresse in eam consentire, aut renuntiare defensioni suæ non possit. Pirhing, h. t. n. 50. Simulque novum non est, ut quis cuipiam tacite renuntiare possit, non autem expresse : prout juramentum calumniæ potest remitti tacite, non autem expresse, cap. I. § *Propter omissum de Jurament. calumn*. in 6.

128. *Sententia, quam victor fatetur iniquam, debet retractari, neque censetur transivisse in rem judicatam.* — *Sexto*, quando victor fatetur, sententiam pro se latam esse iniquam, tunc ea debet retractari. Abbas, c. *Cum inter*. n. 8. h. t. post Innocentium c. *Quia plerique*. *de Immunitat. eccles*. Neque talis sententia transit, nec transivisse censetur in rem judicatam; adeo, ut nunquam possit, aut debeat executioni mandari. Jason, in *Repetit*. l. *Admonendi*. n. 45. et 46. ff. *de Jurejurand*.; Maranta cit. part. VI. *Speculi aurei*. tit. *de Sententia*. n. 138. allegans alios, Nec immerito : quia, licet sententia transiens in rem judicatam, habeat pro se præsumptionem juris et de jure, nihilominus contra hanc ipsam admittitur propria confessio partis ; ut dictum supra tit. XXIII. *De Præsumptionibus*. § 2. n. 54. et 55.

129. *Neque transit in rem judicatam sententia, quando per evidentiam facti constat de ejus iniquitate.* — Similiter sententia nunquam transit in rem judicatam, ubicunque per evidentiam facti, v. g. per inspectionem ocularem, constat de ejus iniquitate : unde hæc semper retractari potest, etiam sine appellatione arg. l. *Confessionibus*. ff. *de Interrogat. actionib*. Innocentius c. *Fraternitas*. § *Nota sententiam. de Frigidis et maleficiat*. Abbas, c. *Significantibus*, n. 5. *de Purgation. vulgar*. hujus rationem dans; quia non debet Judex sustinere, ut quis notorie detineat rem alterius cum peccato. Mascardus, *de Probation*. quæst. 8. procem. n. 16. allegans alios.

130. *Idem dicendum de sententia lata ex errore, vel causa falsa, aut non concludente, quando hæc in sententia fuit expressa.* — *Septimo*, quando judex ex errore, vel causa falsa processit, illamque causam expressit in sententia, hujusmodi sententia non transit in rem judicatam, sed detecta veritate semper potest retractari, arg. l. I. ff. *Quæ sententiæ sine appellat. rescind*. ubi propter errorem calculi in sententia expressum, appellare necesse non est; Maranta, loc. cit. n. 118. et 141. citans alios ; atque istud probans ex c. *Inter cæteras*. 9. h. t. ubi dicitur, quod sententiæ non debet stari, si iniquitatem contineat manifestam, » prout fit in proposito Engel, h. t. n. 25. Idque ampliatur ad sen-

tentiam, in qua Judex exprimit causam non concludentem : quia etiam talis sententia est nulla, adeoque non transit in rem judicatam, licet ex alia causa non expressa posset justificari. Abbas, c. *Sicut nobis.* n. 14. et 15. h. t. et c. *Ex parte Astensis.* n. 19. *de Concession. præbend.* citans Bartolum in l. *Si is ad quem.* ff. *de Acquirend. hæredit.* et doctores communiter : quamvis addat, secus esse dicendum de sententia lata ex pluribus causis in ea expressis, quarum una est justa, altera injusta; nam hæc est valida propter illam causam justam simul expressam, estque jam dictum supra § præced. n. 73.

131. *Item de sententia lata ex falsis instrumentis, vel testimoniis testium corruptorum dum probatur, judicem in sententia ferenda eisdem usum esse.* — Similiter sententia lata ex falsis instrumentis, vel testimoniis testium corruptorum, non transit in rem judicatam; sed cognita veritate retractatur, dum probatur judicem in ferenda sententia eisdem usum fuisse. Textus est in l. I. et l. *Falsam.* c. *Si ex falsis instrumentis, vel testimoniis,* etc., et c. *Sicut nobis.* 9. *Testib.* ubi sententia lata ex falsis instrumentis, vel testimoniis, dicitur retractanda, quando probatur eorum falsitas, et quod judex ex iis motus fuerit sententiandum. Quanquam ad hoc non sufficiat extrajudicialis confessio testis, aut judicis propriam turpitudinem allegantis, et dicentis extra judicium, se falsum deposuisse in judicio; aut se venalem sententiam tulisse, vel seductum ab aliis male pronuntiasse. Maranta, part. VI. *Speculi aurei.* tit. *de Confessione.* n. 11. post Angelum consil. 308. vers. *Descendo ad tertium;* et concordant dicta superius tit. XX. *de Testibus.* § 10. n. 335. et seqq.

132. *Istud ampliatur ad sententiam latam prætextu juramenti necessarii, falsi tamen postea reperti.* — Atque istud ampliatur ad sententiam latam prætextu juramenti necessarii, falsi tamen postea reperti : quia potest semper retractari, juxta textum in l. *Admonendi.* ff. *de Jurejurand.* ubi Jason, in *Repetit.* n. 35; Maranta cit. part. VI. tit. *de Sententia.* n. 146. asserens, secus in juramento voluntario. De hoc videantur dicta superius tit. *de Jurejurando.* § 5. n. 146. et seq. et n. 151. et 156. et 157.

133. *Sententia lata ex probationibus privilegiatis, aut præsumptivis non transit in rem judicatam; sed supervenientibus veris probationibus, etc., potest retractari.* — *Octavo,* sententia lata ex probationibus privilegiatis, aut præsumptivis, non transit in rem judicatam; sed potest semper retractari supervenientibus veris probationibus evidentioribus, aut cognita rei veritate, dictæque sententiæ falsitate. Maranta cit. part. VI. tit. *de Sententia.* n. 133, allegans textum in l. *Si qui adulterii.* c. *Ad leg. Jul. de Adulteriis;* Jason, in *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 38. ff. *de Jurejurand.* hanc appellans Regulam notabilem. Felinus, c. *Proposuisti.* n. 10. et 11. *de Probat.* pluresque alii ab his citati. Unde

134. *Hoc ipsum procedit in omnibus sententiis, quæ sunt latæ ex consilio doctorum, aut judicio peritorum in arte sua. Nisi hi fuissent assumpti de voluntate utriusque partis.* — *Nono,* omnes sententiæ, quæ sunt latæ ex consilio doctorum, aut judicio peritorum in arte sua, non transeunt in rem judicatam : quinimo semper possunt retractari, quandocunque apparet de falsitate sui dicti, sive per rei evidentiam (ut est certum) sive propter consilium magis peritorum. Felinus cit. c. *Proposuisti.* n. 10. *de Probat.* Sigism. Scaccia, lib. I, *de Judiciis.* cap. XCVII. n. 131; Maranta, d. tit. *de Sententia.* n. 130. et seqq. istud limitans, nisi illi periti in arte, seu experti, fuissent assumpti de voluntate utriusque partis : quia tunc (inquit) ipsorum sententia non potest ulterius retractari. Idem, ac sub eadem limitatione, tradit Jason cit. *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 40. et 41. ff. *de Jurejurand.* citans plures alios : apud quos videri poterunt nonnulli casus, in quibus sententia non transit in rem judicatam, quo minus cognita rei veritate retractari possit, licet præmissi sint principaliores. Verum pro meliori dictorum intelligentia.

135. *Qualiter sententia, quæ non transit in rem judicatam, sit revocanda? Ea post lapsum decem dierum non potest revocari per viam appellationis, sed solum per viam querelæ.* — Quæritur III. Qualiter sententia, quæ non transit in rem judicatam, sit revocanda? Resp. I. Post lapsum decem dierum non potest amplius hujusmodi sententia revocari per viam appellationis, adeundo videlicet superiorem judicem, atque ad ipsum appellando; sed solum per viam querelæ, puta, adeundo eumdem judicem, qui hujusmodi sententiam tulit, atque ipsum debite informando de injustitia sententiæ non transeuntis in rem judicatam : quo facto judex ille dictam sententiam retractare potest. Illa Glossa c. *Ad reprimendam.* ℣. *Suspendatur.* et Abbas, ibid. n. 6. et 12. *de Offic. judic. ordi-*

nar. Sigism. Scaccia, lib. I. *de Judiciis*, cap. CXVII. n. 131. et tract. *de Sententia*, gloss. 14. quæst. 2. n. 40; Maranta, ubi supra, n. 155. allegans alios. Ratio est, quia appellatio solum potest interponi intra decem dies a die latæ sententiæ, Auth. *Hodie autem*. c. *de Appellation*. junctis concordantiis supra n. 107. allegatis: unde elapso dicto termino decendii appellare volens, non amplius auditur, cum per lapsum decem dierum tollatur remedium devolutivum. Istud enim indistincte verificatur, sive sententia soleat transire in rem judicatam, sive non; cum quoad hoc lex non distinguat.

136. *Et quomodo istud fiat.* — Remanet proinde, quod sententia illa, quæ non transit in rem judicatam, post lapsum decendii solum possit retractari per viam querelæ. Idque fieri potest adeundo judicem illum, qui tulit sententiam, eidemque per modum querelæ, ac petitionis de retractanda sententia, utpote in rem judicatam non transeunte, debite proponendo gravamen sibi illatum per sententiam injustam, seu ex errore latam. Judex autem non debet simpliciter admittere querelantem: sed oportet, ut prius summariter saltem sese informet de justitia querelæ, et injustitia sententiæ; ac cognita rei veritate, retractet sententiam. Maranta cit. n. 155; Abbas, c. *Tenor*. n. 6. h. t. asserens, quod sententia, quæ non transit in rem judicatam, tunc demum retractetur, quando æquum videbitur judici. Scaccia cit. lib. I. *de Judiciis*. n. 131, vers. *Respectu judicis*, allegans alios, atque hoc ipsum amplius declarans conformiter proxime dicendis n. 138.

137. *Notabilis differentia inter appellationem, et inter querelam, in causis non transeuntibus in rem judicatam.* — Unde est notabilis differentia inter appellationem, et inter querelam in causis non transeuntibus in rem judicatam; prout recte notat Sigism. Scaccia cit. lib. I. *de Judiciis*, cap. XCVII. n. 131. assignans duplicem differentiam, unam respectu temporis, alteram respectu judicis. Differunt quidem respectu temporis: quia appellatio solum potest fieri intra decem dies post latam sententiam, ut dictum. Querela vero potest proponi etiam post lapsum decem dierum; potestque dein cognita veritate sententia retractari quandocunque intra spatium triginta annorum, si in ea non vertatur periculum animæ; vel si subsit periculum animæ, in perpertuum, Maranta, l. c. n. 154. citans Cardinalem in Clem. I. quæst. 14. h. t.; Salicetum l. Si præses. c. *Quomodo et quando judex*, etc.; Baldum l. *Data opera*. col. 15. vers. *Sed quid si bannitus*. c. *Qui accusare non poss*. et alios; ac sequitur Scaccia, ubi supra.

138. *Appellatio devolvit causam ad superiorem: querela est cognoscenda ab eodem judice, qui sententiam tulerat. Hic cognita summariter causa querelandi, potest querelantem restituere in integrum, eumque denuo audire.* — Differunt etiam respectu judicis: quia appellatio devolvit causam ad superiorem, c. *Dilectis*. 55. et c. *Ut debitus*. 59. *de Appellation*. Querela vero potest cognosci ab eodem judice, qui sententiam, contra quam pars querelatur, tulerat: atque is interposita coram se querela, præmittat summariam ejus cognitionem, an videlicet allegetur aliqua verisimilis et probabilis causa querelandi; hacque cognita, poterit querelantem restituere in integrum, eumque denuo judicialiter audire. Siquidem restitutio adversus sententiam non solum competit ecclesiis, atque minoribus; sed ex legitima causa, puta, quia sententia inferens grave damnum non transit in rem judicatam, conceditur etiam majoribus l. I. ff. *Ex quibus causis majores*, etc. Simulque restitutio hujusmodi non est petenda a principe. Scaccia cit. lib. I. *de Judiciis*, cap. XCVII. n. 131. vers. *Respectu judicis*, allegans Dominicum in c. *Venerabilibus*. § *Porro*. col. I. *de Sentent. excommunicat*. in 6. et Felinum c. *Lator*. n. 8. h. t. et Concordat Gailus, lib. I. *Practic*. observat. 114. n. 3. cum aliis; quamvis Abbas, et Maranta, ubi supra, hujus restitutionis faciendæ, non meminerint. Porro concessa restitutione in integrum adversus sententiam non transeuntem in rem judicatam, potest ille ipse judex, qui eam tulerat, ex fortioribus rationibus talem sententiam retractare, atque reformare: quanquam idcirco non negetur, quin querela nullitatis sententiæ etiam possit opponi coram superiore judice, si hunc gravatus adire maluerit, conformiter dicendis infra tit. seq. § 1. n. 28. et seqq.

§ V.

DE ALIIS EFFECTIBUS SENTENTIÆ DIFFINITIVÆ; ET SENTENTIA INTER ALIQUOS LATA NOCEAT, VEL PROSIT ALIIS?

139. *Sententia, quæ transit in rem judicatam, facit jus inter partes.* — Quæritur I. Quinam sint alii effectus sententiæ diffiniti-

væ ! Resp. I. Postquam sententia lata post lapsum decem dierum transiit in rem judicatam, aut ipsius appellatio fuit deserta ; alius ejus effectus est, quod faciat jus inter partes. Textus est in c. *Cum inter.* 13. § *Quamvis.* h. t. « Attendentes tamen, quod quantum ad litigantes ipsos, jus ex sententia factum fuit, postquam in rem transiit judicatam. » Ubi Abbas n. 7. notanter ait, quod licet sententia a principio jus non constituat inter partes, sed declaret, l. *Sicut.* § *Sed si quæratur.* ff. *Si servitus vendicetur :* tamen post lapsum decem dierum dicatur facere jus inter ipsos litigantes. Barbosa, in *Collectan.* ad cit. c. *Cum inter.* n. 4 ; Vallensis h. t. § 5. n. 2. et alii.

140. *Non vero respectu aliorum.* — Dicitur notanter, « inter partes, » inter quas videlicet sententia lata est. Quia respectu aliorum ejusmodi sententia jus neutiquam facit : siquidem « res inter alios acta, et judicata, regulariter aliis non nocet, » ut loquitur textus cap. penult. h. t. et c. *Dilecto.* 25. § fin. *de Præbendis.* Et per hoc differt sententia a lege et canone, quia lex et canon omnes obligant, cap. I. *de Constitut.* cum similibus ; non sic sententia. Vallensis cit. § 5. n. 2. Verum de hoc plura n. 149. et seqq.

141. *Per ejusmodi sententiam diffinitivam finiuntur lites : adeo, ut non rescindatur prætextu instrumentorum de novo repertorum.* — Resp. II. Alius sententiæ diffinitivæ, quæ transit. in rem judicatam, effectus est, quod per eam finiantur lites cap. II. h. t. et c. *Finem litibus.* 5. *de Dolo et contumac.* cum similibus. Adeo quidem, ut sententia semel lata, postquam transivit in rem judicatam, amplius non rescindatur etiam prætextu instrumentorum de novo repertorum, vel aliarum probationum, c. *Inter monasterium.* 20. h. t. ibi : « Cum sub prætextu novorum instrumentorum lites non debeant instaurari : » juncto : c. *Suborta.* 21. § fin. eod. estque jam dictum supra n. 109.

142. *Solvitur instantia.* — Nec obstat textus in l. *Falsam.* c. *Si ex falsis instrumentis*, etc. ubi cognita veritate dicitur, retractandam esse sententiam, quæ ex falsis instrumentis, aut testimoniis lata fuit : quod ipsum habetur c. *Sicut nobis.* 9. *de Testib.* Resp. enim, disparitatem esse ; quia in allegatis juribus sermo est de sententia prætextu falsorum instrumentorum lata, qualis ipso jure nulla est, sicque nunquam transit in rem judicatam. Hic autem est sermo de instrumentis postmodum repertis, et sententia prius valide lata.

143. *Per sententiam diffinitivam finitur potestas judicis.* — Resp. III. Tertius sententiæ diffinitivæ effectus est, quod per eam finiatur potestas judicis : utpote qui dicta semel sententia functus est suo officio, ac judex esse desiit in illa causa, l. *Judex.* ff. *de Re judicat.* estque jam dictum supra n. 34. et seqq. atque amplius declarabitur § seq. n. 168. solvendo instantiam quamdam.

144. *Eaque juste lata, debet a superiore confirmari.* — Ulterius inter effectus sententiæ diffinitivæ connumerari potest, quod ea juste, ac legitime lata, debeat a superiore confirmari, c. *Causam.* 14. h. t. Secus, si fuerit appellatum, et judex *ad quem* ex Actis cognoverit injustitiam sententiæ : nam tunc ea retractanda est, c. *Cum Bertoldus*, 18. h. t. et alibi sæpe.

145. *Sententia lata pro actore, præbet ipsi actionem in factum.* — Resp. IV. Sententia lata pro actore, præbet ipsi actionem rei judicatæ, sive actionem in factum, ut reus præstet id, in quo condemnatus est, ac satisfaciat sententiæ : quæ actio est perpetua, et rei persecutoria, et competit etiam hæredi Actoris, et contra hæredem rei. Patet hoc ex l. *Miles.* § fin. *de Re judicat.* et l. *Actori.* c. *de Rebus creditis.*

146. *Reo per sententiam diffinitive absoluto, datur exceptio rei judicatæ.* — Cæterum Reo per sententiam absoluto, datur exceptio rei judicatæ contra actorem, ejusque hæredes, l. *Rei judicatæ.* ff. *de Exception. rei judicat.* Intellige istud, quando reus absolvitur diffinitive : nam ex sententia absolutoria diffinitiva solum oritur Exceptio rei judicatæ, quæ impedit actorem in effectu amplius agere, § *Item si in judicio.* Instit. *de Exception.* ac notat Glossa in l. *Julianus verum.* ỷ. *Absolutus* ff. *de Condict. indebit.*

147. *Secus, si absolvitur duntaxat ab observatione judicii.* — Secus est, quando reus absolvitur duntaxat ab observatione judicii : nam tunc non oritur exceptio rei judicatæ, quia solum absolvitur ab instantia causæ, et non a debito principali ; ideoque tunc actor potest de novo agere, solutis tamen expensis prioris litis. Jason, in l. *Properandum.* § *Et siquidem.* n. 15. c. *de Judiciis.*

148. *In actione injuriarum reus condemnatus efficitur infamis. Nisi injuria foret minima.* — Resp. V. Quando agitur actione injuria-

rum, sive criminaliter, sive civiliter, tunc sententia diffinitiva alium habet effectum; nempe, quod condemnatus de crimine, seu injuria a se illata, notetur infamia, nisi injuria foret minima. Ita desumitur ex c. *Cum te*. 23. h. t. juncta Glossa ibid. ℣. *Infamia*. et ℣. *Minima*. h. t. atque habetur l. *Athletas*. § fin. ff. *De iis qui notantur infamia*, ibi: « Si quis furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo malo, suo nomine damnatus pactusve erit, simili modo infamis est. » Concordat textus in l. 1. ff. eod. et in l. *Infamem*. ff. *de Publicis judiciis*. Et hoc procedit in sententia diffinitiva: secus in interlocutoria, ut jam dictum supra § 1. n. 32.

149. ***Regula est, quod sententia inter aliquos lata, aliis non præjudicet. Res inter alios acta, aliis non nocet.*** — Quæritur II. An sententia inter aliquos lata noceat, vel prosit aliis; et quando? Resp. I. Regula est, quod sententia inter aliquos lata, aliis non præjudicet. Textus est in rubrica, et l. I. ac seqq. c. *Res inter alios actas, vel judicatas, aliis non nocere*, cum similibus. Item habetur c. *Inter dilectos*. 6. § *In omnibus*. *de Fide instrument*. et c. *Quamvis*. 15. et c. *Cum super*. 17. h. t. ubi dicitur, quod « res inter alios acta, non noceat regulariter aliis, juxta constitutiones canonicas, et civiles. » Idque merito, tum quia « non debet aliquis alterius odio prægravari, » juxta reg. 22. jur. in 6. sive, « non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, ut dicitur l. *Non debet*. ff. eod.; tum quia res, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, cap. II. *de Constitution*. Sic autem fieret, si sententia contra unum lata, præjudicaret alteri: nam sententia illa non transiret in rem judicatam, nisi pars succumbens eidem acquievisset, atque appellare intermisisset; ac proinde hæc ejus negligentia, vel omissio, non debet alteri culpa carenti præjudicare.

150. ***Idipsum declaratur exemplis.*** — Idipsum declaratur inductione. Sic cit. c. *Cum super*. 17. h. t. sententia lata contra reum, nihil de jure suo docentem, confirmatur: sed quia tertius, cujus intererat, rationabilem opponebat appellationem contra eam, dicta appellatio admittitur, neque huic præjudicare censetur confirmatio dictæ sententiæ respectu alterius non appellantis facta. Simile quid habetur cit. c. *Inter dilectos*. § *In omnibus, de Fide instrument*.

151. Deinde agnitio debiti, aut hujus solutio facta per unum ex hæredibus, non præjudicat aliis cohæredibus tale debitum negantibus; nisi debitum fuerit probatum, l. I. c. *Res inter alios actas*, etc. Similiter transactio cum uno facta, alteri absenti non præjudicat, l. II. c. eod. Adeo quidem, ut etiam persona conjuncta, v. g. frater non præjudicet fratri pascendo, vel agendo sine ejus mandato, l. III. c. eod. Insuper sententia lata contra conjunctam personam, non præjudicat alteri conjunctæ personæ, quæ neque mandavit, neque ratam habuit actionem, l. I. c. *Quibus res judicata*, etc. Sicut et sententia in criminali cum uno lata, non præjudicat alteri, l. III. c. eod. Idemque dicendum de similibus: quia videlicet res inter alios acta, aliis non nocet.

152. ***Res inter alios acta, vel sententia lata, regulariter etiam non prodest aliis.*** — Resp. II. Res inter aliquos acta, vel sententia lata, non solum non præjudicat aliis, ut dictum; sed etiam regulariter non prodest istis. Ita Glossa in c. *Quamvis*. 25. ℣. *Res inter alios*; et Abbas, ibid. n. 2. h. t.; Pirhing, eod. n. 80. Idque clare habetur decisum l. II. c. *Quibus res judicata*. etc. illis verbis: « Res inter alios judicata, neque emolumentum afferre iis, qui in judicio non interfuerunt, neque præjudicium solent irrogare. » Atque ista procedunt regulariter quidem, patiuntur tamen plures limitationes: unde

153. ***Regula hæc patitur plures limitationes.*** — Resp. III. Nihilominus data regula plures patitur limitationes: uti videre est apud Glossa cit. c. *Quamvis*. 25. ℣. *Res inter alios*. et Abbatem, ibid. n. 3. h. t. Pirhing, eod. n. 81. et seqq. et alios.

154. ***Res inter alios judicata nocet, sive prodest aliis quoad præsumptionem, si tangit jus absentium: licet non quoad plenum præjudicium.*** — Imprimis quippe data regula procedit solum respectu pleni præjudicii, seu commodi: alioquin vero res inter alios judicata nocet, sive prodest quoad præsumptionem, ex quo tangit jus absentium. Glossa in l. II. ℣. *Præjudicare*. c. *Quibus res judicata non nocet*: asserens, quod non præjudicet aliis « quoad plenum, sed qualequale præjudicium » fiat exinde aliis: ut l. *Si duo patroni*, juncta Glossa ℣. *Habiturum*, et Bartolo, ibid. ff. *de Jurejurand*. et l. *A Sententia*. ff. *de Appellation*. et can. *Interrogatum est*. 2. q. 5. ubi Glossa fin. inquit, quod confessio unius de crimine, non nocet alteri quantum ad condemnationem, nocet tamen quantum ad præsumptionem. Abbas d. c. *Quamvis*.

n. 2. et 3. h. t. istud tamen relinquens arbitrio judicis, qui hoc arbitrabitur, secundum quod sententia tangit jus absentium Pirhing h. t. n. 8. istud exemplificans in sententia lata contra unum, v. g. adulterum, vel simoniacum, qui allegat alterum consortem criminis: nam sententia illa inducit infamiam facti etiam tertio, sive asserto consorti criminis, ita ut possit huic indici purgatio canonica, juxta c. *Significasti* 5. *de Adulteriis.*

155. *Sententia lata contra unum, nocet alteri, qui actionem mandavit vel ratam habuit, etiam quoad præjudicium.* — Deinde sententia lata contra unum nocet alteri, qui actionem mandavit, vel ratam habuit, etiam quoad plenum præjudicium; ut l. I. c. *Quibus res judicata non nocet*, argumento a sensu contrario desumpto: ac patet in procuratore, nam sententia contra ipsum lata, nocet principali, qui ipsum constituit. Spectato enim rigore juris civilis, ferendam esse sententiam in personam procuratoris (dummodo verba sententiæ possint recte concipi in personam ejus) habetur l. I. c. *de Sentent. et interlocut. omn. judic.* estque jam dictum supra l. I. tit. XXXVIII. *De Procuratoribus.* § 5. n. 115. et 116.

156. *Ampliatur istud ad duos notabiles casus.* — Aliud, et quidem geminum hujus exemplum, habetur cit. c. *Quamvis*, seu cap. ult. h. t. ubi præmissa Regula, quod « regulariter aliis non noceat res inter alios judicata, » subjungitur duplex ejusdem fallentia. *Primo* in eo, qui cum sibi primum de re quapiam actio, vel defensio competebat, passus fuit litigare sequentem, sive illum, cui secundo loco competebat ejusmodi actio. Deinde in illo, qui passus est alterum agere, a quo causam habuit: nam in utroque casu sententia contra hunc alterum lata, præjudicium generat priori. Concordat textus in l. penult. ff. *de Re judicat.* ubi Bartolus in *Summario.* breviter sic distinguit, dicens: « Sententia lata contra unum non præjudicat alteri, qui eum prohibere non poterat, vel ab eo causam non habeat: secus, si poterat prohibere, et ab eo causam habeat: et sciens, et erat. » Accedit ratio: quia ubi controvertitur in judicio de re ad me principaliter pertinente, ac passum removere litigantem, sive in me assumere actionem de re illa, vel saltem protestari, ne alter litiget in meum præjudicium, et tamen taceo: censeor consentire in illius actionem, juxta reg. 43. juris in 6. « Qui tacet, consentire videtur: » sicque alter intelligitur litigare de mea voluntate, l. *Sæpe constitutum.* ff. *de Re judicat.* ac proinde merito sententia contra ipsum lata, nocet etiam mihi.

157. *Regula illa fallit in causis connexis; idque declaratur.* — *Tertio*, data regula fallit in causis connexis. In his enim res inter alios acta aliis prodest, aut nocet; ut can. *Tantis Daniel.* dist. 81. ubi sententia lata contra indigne ordinatum, præjudicat ordinatori; ac notat Glossa fin. ibid. Concordat can. *Hæc quippe.* 3. q. 6. juncta Glossa ȳ. *His amotis;* ubi propter causarum cohærentiam, seu connexitatem, sententia lata contra ejectum episcopum (declarans videlicet, quod juste fuerit ejectus ex sua Ecclesia) prodest subrogato in ejus locum: et e contra sententia lata pro ejecto episcopo, nocet subrogato in ejus locum, eo quod hic cedere debeat injuste ejecto. Simile quid habetur c. *Ad petitionem.* 22. juncta Glossa ȳ. *Per consequentiam de Accusation.* et cap. penult. *de Purgat. canonic.* ubi cassato principali, cassatur etiam accessorium. Atque hanc fallentiam tradit Glossa cit. c. *Quamvis.* ȳ. *Res inter alios.* h. t. et Abbas, ibid. n. 22. allegans alios; atque subjungens, quod in prædictis casibus, et similibus, sententia contra unum lata noceat quidem alteri respectu juris creati, seu ab altero in ipsum translati, non vero respectu pœnæ quia quoad pœnam non est connexitas inter eos. Idem tradit Pirhing h. t. n. 84.

158. *Fallit etiam in re individua, et pluribus communi, quod exemplificatur.* — *Quarto*, eadem regula fallit in re individua, et pluribus communi: quia tunc « victoria unius, aliis proderit; » ut dicitur l. *Loci.* § *Si fundus.* ff. *Si servitus vendicetur*, loquendo de servitute itineris, respectu cujus competit actio pluribus in solidum. Concordat c. *Una sententia.* 72. *de Appellat.* ubi dicitur, quod si plures una sententia fuerint condemnati, et unus solus eorum appellaverit, illius victoria jure communi cæteris suffragetur, si idem negotium, eademque causa defensionis existat: idque procedit ratione indivisibilitatis; quia nimirum sententia debet esse individua, sicque non potest pro parte valere, et pro parte non. Glossa, ubi supra. Abbas cit. c. *Quamvis.* n. 15. h. t. et d. c. *Una sententia.* n. 3. et 4. *de Appellation.*

159. *Item in re communi cum pupillo. In individuis potest quis consequi per socium, quod per se potest.* — Quinto, hoc ipsum

procedit in re communi cum pupillo: nam habens fundum communem cum pupillo, retinet servitutem debitam fundo, etiamsi ea non utatur, ratione pupilli. Textus est in l. *Si communem*. § 1. ff. *Quemadmodum servitut. amittant*. Sicut enim non currit præscriptio contra pupillum, ita nec contra majorem habentem rem communem cum pupillo; idque ratione communionis, atque indivisibilitatis. Unde in individuis potest quia consequi per socium, quod per se non potest; c. *Sacris*. 12. *de Sepultur*. et cap. un. juncta Glossa et Abbas cit. c. *Quamvis*. n. 14. h. t. apud quos nonnullæ aliæ fallentiæ dictæ regulæ videri poterunt.

§ VI.

DE EXECUTIONE SENTENTIÆ.

160. *In actionibus, seu causis civilibus, sententia non illico est executioni mandanda, sed expectandum saltem per decem dies.* — Quæritur I. Quo tempore, ac ordine sit facienda executio sententiæ? Resp. I. In actionibus, seu causis civilibus sententia a judice lata non est illico mandanda executioni, sed est expectandum saltem per decem dies. Ita communis; et ratio est; quia ante elapsum decendium sententia necdum transiit in rem judicatam; imo ab eadem potest adhuc condemnatus appellare, c. *Quod ad consultationem*. 15. h. t. cum similibus; hac proinde hoc ipso nequit tunc fieri ejus executio.

161. *Et quid in criminalibus?* — Additur notanter in « causis civilibus. » Secus enim est dicendum de criminalibus: nam crimine liquidato, ac prolata sententia, non est deferenda ipsius executio, ne detur ansa supplicandi principi pro remissione pœnæ, sicque crimina maneant impunita. Textus est in l. *Cum reis*. c. *de Pœnis*. et notat Bartolus, in l. *Qui ultimo*. n. 5. ff. eod. Pirhing, h. t. n. 100; Layman c. *Quærenti*. n. 2. *de Officio delegat*. citans alios, atque subjungens, quod in imperio criminaliter condemnatis remedium appellationis non concedatur.

162. Fatendum tamen, quod Abbas, cap. II, n. 2. et 3. h. t. de jure verius esse censeat, non solum in civilibus, sed etiam, et quidem a fortiori in criminalibus, ubi agitur de majori de præjudicio, seu pœna corporali infligenda, ejusmodi sententiam pœnæ corporalis non posse executioni mandari intra decem dies, qui dantur appellandum, arg. l. *Non tantum*. ff. *de Appellation*. Et hæc sententia merito retinetur in casibus, in quibus reo appellare licet. Nec obstat consuetudo præallegata. Resp. enim, istam ex eo salvari communiter non damnatur quis ad mortem, nisi fuerit sponte confessus, vel ita in facinore deprehensus, aut testibus et argumentis convictus, ut vix ipse negare audeat, l. *Qui sententiam*. c. *de Pœnis*. Nam convictis, et confessis de crimine appellare non licet: et si secus fiat, eorum appellatio non recipitur, l. II. c. *Quorum appellationes non recipiantur*, juncto Summario et doctoribus. ibidem. Unde subintrat ratio ex d. l. *Cum reis*. c. *de Pœnis*, allata.

163. *Si dixerit reus, se velle parere sententiæ, statim ista in actione reali est executioni mandanda.* — Resp. II. Si tamen dixerit reus, se velle parere sententiæ, statim ipsa in actione reali mandanda est executioni. Ita Glossa c. *Quærenti*. ỷ. *Quadrimestre*. *de Offic. delegat.*, et alii. Ratio est, quia quamprimum Definitur, rem non esse possessoris, et hic acquievit sententiæ, vel eam sinit transire in rem judicatam, utique eam ulterius invito domino retinere non potest; ac proinde compelli debet ad rei illius restitutionem faciendam, ejusque una cum fructibus possessionem actori tanquam vero domino tradendam. Et si restituere jussus judici non obtemperet, vel mendaciter contendat, se non posse illico restituere; tunc erit locus executioni reali, atque manu militari ex officio judicis transfertur ab eo possessio rei alienæ, l. *Qui restituere*. ff. *de Rei vendicat*.

164. *In actione personali regulariter conceditur quadrimestre ad solvendum. Statim solvere debens, non tenetur illico sacco adire.* — Additur notanter in data conclusione, in « actione reali. » Quia secus est dicendum in actionibus, et debitis personalibus: nam in his tempus a jure definitum pro executione sententiæ, regulariter est quadrimestre, quod condemnato etiam parere, seu satisfacere volenti, conceditur ad solvendum, c. *Quod ad consultationem*. 13. h. t. et c. *Quærenti*. 26. juncta Glossa ỷ. *Quadrimestre de Offic. delegat*. et alibi. Nec immerito hic conceditur quadrimestre: tum quia alteri obligatus actione personali, non detinet rem alterius; prout contingit in obligato alteri actione, seu debito reali, de quo procedunt dicta n. præced.; tum quia « debere statim solvere, cum aliquo temperamento temporis intelligendum est: nec enim

cum sacco adire debet, » ut loquitur textus in l. *Quod dicimus.* 106. ff. *de Solutionib.* junctis concordantiis a Glossa ibid. ỳ. *Intelligendum est*, relatis. Tale autem temperamentum temporis pro solutione debiti personalis, jura statuerunt quadrimestre : quod incipit currere a die latæ sententiæ, text. clar. l, II. et III. c. *de usuris rei judicat.* junctis sacris canonibus proxime citatis.

165. *Quadrimestre illud ex causa juxta potest arctari, vel prolongari ; non tamen sine causa.* — Additur etiam, « regulariter est quadrimestre, » quia tempus hoc ex juxta causa potest quandoque arctare, sive abbreviare, vel etiam prorogare, cit. c. *Quod ad consultationem.* h. t. Sine causa justa tamen id arctari, aut prorogari nequit, juxta Glossam ib. ỳ. *Arctari :* nam, ut habet reg. 17. jur. in 6. « Indultum a jure beneficium, non est alicui auferendum. » Si tamen ab initio sponte qui receperit terminum breviorem, imputari. sibi potest, ac debet ; cum ex hoc videatur amplius beneficium comtempsisse ; prout loquitur pontifex d. c. *Quod ad consultationem.* h. t.

166. *Executio sententiæ in debitis personalibus, quo ordine in bonis fieri debeat?*—Resp. III. Executio sententiæ in actionibus, et debitis personalibus ita debet fieri, ut primo capiantur res mobiles, et animalia : quibus deficientibus, vel saltem pro debitorum personalium solutione non sufficientibus, deveniendum est ad immobilia, puta ad solum, agros, et hujusmodi : quod si nec ista sufficiant, tandem perveniatur etiam ad jura. Ita statuitur in l. *A Divo.* § *In vendicatione.* ff. *de Re judicat.* atque simili habetur cap. ult. § fin. *Ut lite non contestata*, etc. Et merito, quia hac ratione fiet executio sententiæ, ut quam minimum noceatur reo ; quod suadet ipsa ratio naturalis. Concordant dicta superius tit. XV. *De eo, qui mittitur in possessionem*, etc., n. 24.

167. *Executio sententiæ plerumque spectat ad judicem, qui eam tulit, dummodo is sit judex ordinarius, etc. Quid si bona rei condemnati sint in alieno territorio?* — Quæritur II. Per quem fieri possit, ac debeat executio sententiæ ? Resp. I. Executio sententiæ plerumque spectat ad eum judicem, qui tulit sententiam : dummodo is sit judex ordinarius, simulque bona condemnati, in quibus executio facienda est, sint in suo territorio. Quod si vero bona rei condemnati sint in alieno territorio, vel sub alterius jurisdictione existant, is per « Litteras requisitorias » (ut vocant) requirendus erit a judice sententiam ferente, ut eamdem sententiam in suo territorio exequi velit. Ita desumitur ex l. *A Divo.* § 1. et 2. ff. *de Re judicat.* et c. 1. § *Contrahentes. de Foro compet.* in 6. ac notat Engel, h. t. n. 29. et seqq. estque amplius dictum supra tit. II. *de Foro competenti.* § 3. n. 48. et seqq. loquendo in specie de clerico, qui in una diœcesi habet beneficium, et in alia commisit crimen dignum privatione beneficii : simulque n. 54. declarando, quid agendum sit, quando judex debite requisitus, non vult exequi sententiam ab altero latam.

168. *Post sententiam latam expirat officium judicis et quomodo?* Dices. Post sententiam latam expirat officium judicis, l. *Judex* ff. *de Re Judicat.* ergo is non potest exequi sententiam, sed duntaxat superior ipsius. Resp. disting. anteced. Post sententiam latam cessat officium judicis mercenarium, quod actioni deservit, et de quo loquitur lex allegata, conced. Cessat etiam officium judicis nobile, quod consistit in coercendo, jubendo, vetando, juris judiciique conservandi causa, neg. anteced. Quid autem sit officium judicis mercenarium, et nobile, ex professo dictum est superius lib. I. tit. XXIX. *de Officio et potestate judicis delegati.* n. 24. Vel dic conformiter textus in c. *In litteris.* 9. *de Offic. delegat.* ac notat Abbas, ibid. n. 2. quod per sententiam diffinitivam non censeatur judex omnino functus officio suo, sed duntaxat per sententiam diffinitivam executioni mandatam, id est, post factam ejus executionem : quanquam certo respectu etiam antea, sive post latam diffinitivam, dicatur functus officio suo, eo quod non amplius possit se impendire cognitioni illius causæ ; ut cit. l. *Judex.* et l. *Cum quærebatur.* ff. *de Re judicat.*

169. *Delegatus papæ potest exequi suam sententiam, sive per se, sive per alium. Idem dicendum de delegato supremi judicis.* — Resp. II. Loquendo nunc de judice delegato, certum est, quod delegatus papæ possit sententiam suam exequi, et quidem usque ad annum, c. *Quærenti.* 26. et c. *Pastoralis.* 28. § *Præterea. de Offic. delegat.* Quam etiam exequi potest sive per se, sive per alium, c. *In litteris.* 9. eod. Adeo, ut si delegatus Papæ committit judicii ordinario executionem suæ sententiæ, iste mandato ipsius obedire, atque sententiam latam exequi teneatur, c. *Significasti.* 7. et cit. c. *Pastoralis.* § *Quia vero*, eod. estque ex professo dictum supra lib. I. tit. XIX.

De Officio et potest. judicis delegat. § 5. n. 102. 103. et seqq. Similiter, quod delegatus alterius principis supremi possit suam sententiam exequi, censet Pirhing h. t. n. 99. allegans communem; idque probans ex l. ult. c. *de Judiciis;* et Menochius, lib. I. *de Arbitrar. judic.* quæst. 74. n. 43., citans alios. Quamvis nonnulli contrarium affirment, spectato jure Cæsareo.

170. *Quid dicendum de delegato ab inferiore principe, puta episcopo.* — Num vero delegatus ab inferiore principe, puta ab episcopo, possit sententiam a se latam exequi, variant doctores. Et quidem negativa sententia est communior, per textum in l. *A Divo.* § 1. ff. *de Re judicat.* ubi dicitur : « Judicium a se datorum, vel arbitrorum sententiam exequantur ii, qui eos dederunt. » Favet ad idem textus in c. *Si quis contra* 4. *de Foro compet.*

171. Verum Glossa in cit. c. *Si quis contra* vers. *Ipsius sollicitudine* tenet oppositum. Quia ex quo (inquit) judici delegato causa committitur, intelliguntur ei omnia illa commissa esse, quæ ad causam ipsam spectare dignoscuntur, et sine quibus causa expediri non potest; ut c. *Præterea.* 5. et c. *Suspicionis.* 39. *de Offic. delegat.* Nec obstant (inquit eadem Glossa textus n. præced. in contrarium allegati. Quia licet dicatur in eis, quod ordinarius ejusmodi sententiam exequatur, non tamen prohibetur judici delegato. Et quamvis dici posset, priorem sententiam habere locum, quando ordinarius est præsens, tamen eo absente delegatus, vel officiale ejus, exequitur sententias suas : alias perniciosum esse hanc subtilitatem servare. Ita discurrit Glossa.

172. Unde patet, hanc quæstionem esse satis controversam inter doctores. Quia tamen de ipsa uberius jam dictum est supra l. 1. tit. XXIX. *De officio et potestat. judic. delegat.* § 2. n. 45. 46. et seqq. et § 5. ibid. n. 110. superfluum foret, eadem hoc loco repetere. In praxi proinde attendendum erit tum ad speciales locorum consuetudines, tum ad verba factæ cuipiam commissionis : nam quandoque actualiter, et expresse, per superiorem committitur delegato suo non solum cognitio causæ, sed etiam executio latæ circa eam sententiæ, nisi forsan appellari contigerit.

173. *Tertius interveniens pro suo interesse, atque appellans, potest impedire executionem sententiæ inter alios latæ.* — Quæritur III. Utrum tertius interveniens pro suo interesse, possit impedire executionem sententiæ inter alios latæ? Resp. I. Quando reus victus non appellavit, vel in appellatione de jure suo non docuit; poterit tertius, qui ex tali sententia se gravatum senserit, intervenire, atque appellando ejus executionem impedire, in quantum tenderet in suum præjudicium. Ita patet ex c. *Cum super.* 17. h. t. ubi Glossa vers. *Interposita.;* Joan. Andreas n. 1; Abbas, n. 1. et seqq.; Barbosa, in *Collectan.* n. 5. et 6. citans plurimos alios. Ratio est, quia « res inter alios acta, non nocet regulariter aliis : » prout ibidem loquitur pontifex in fin.

174. *Dummodo probet de suo jure; et qualiter probare debeat?* — Intellige, dummodo ille tertius probet de suo jure, atque præjudicio ex sententia contra alterum lata sibi provenientе, saltem summariter. Quia hoc omnino requiritur, simul tamen sufficit ad impediendam executionem sententiæ, in quantum ipsi præjudicaret : quanquam ad obtinendam victoriam in causa principali, atque retractationem sententiæ, oporteat eum plene de suo jure docere. Glossa cit. c. *Cum super.* vers. *Interposita.* et Abbas, ibid. n. 7. ac seqq. et alii; atque probat textus in d. c. *Cum super.* h. t. Nam, cum vertente controversia Aureliensem episcopum ex una, et monasterium Novæ Cellæ ex altera parte, super statu, puta super subjectione hujus, idem episcopus plures sententias pro se reportasset : superveniens episcopus Ovetensis per suum nuntium querebatur, graviter suam Ecclesiam per dictas sententias læsam fuisse, utpote ac quam dictum monasterium pertinere asserebat. Quo audito Papa jussit admitti appellationem, si constiterit eam pro Ecclesia Ovetensi « rationabiliter interpositam : » sicque ad hoc requiritur, ac sufficit summaria causæ cognitio. Verum ad alterum requirit pontifex, ut ad memoratam « appellationem prosequendam nuntius ejus infra legitimum tempus destinatus fuerit; et sic executio sententiæ differatur, ne circa possessionem Ovetensis Ecclesia detrimentum incurrat, » etc.

175. *A sententia inter alios lata appellari non potest, nisi ex justa causa, idque exemplificatur.* — Atque in hoc sensu procedit textus in l. *A sententia.* ff. *de Appellation.* ubi dicitur : « A sententia inter alios dicta appellari non potest, nisi ex justa causa, etc. Siquidem justam causam appellandi habet, qui ex sententia contra alterum lata, sibi præjudicium generari conspicit, ut in casu cit. c.

Cum super. h. t. contigit. Sic etiam, si quis in cohæredum præjudicium se condemnari patiatur; possunt alii juste appellare, atque executionem dictæ sententiæ impedire. Idem dicendum in fidejussore pro eo, pro quo intervenit; adeo, ut venditoris fidejussor emptore victo appellare valeat, licet emptor et venditor acquiescant : prout exemplificatur cit. l. *A sententia.* ff. *de Appellat.*

§ VII.

DE EXPENSIS, IN QUAS VICTUS VICTORI EST CONDEMNANDUS : UBI ET DE SENTENTIIS DUORUM JUDICUM CONTRARIA PRONUNTIANTIUM.

176. *Regula est, quod victus victori in expensis sit condemnandus.* — Quæritur. I. An judex teneatur victum victori condemnare in expensis; et quando secus? Resp. I. Regula est vulgaris, quod victus victori in expensis sit condemnandus. Textus est in l. *Properandum.* § *Sive autem alterutra.* et ibi Bartolus, et Jason, n. 2. c. *de Judiciis.* ubi dicitur : « Omnes judices sciant, victum in ea pensarum causa victori esse condemnandum, quantum pro solitis expensis litium juraverit : non ignorantes, quod si hoc prætermiserint, ipsi de proprio hujusmodi pœnæ subjacebunt, et reddere eas parti læsæ coarctabuntur. Hæc ibi. Concordat textus in l. *Eum, quem temere*, ff. *de Judiciis*, ibi : «Eum, quem temere adversarium suum in judicium vocasse constiterit, viatica, litisque sumptus adversario suo reddere oportet.» Hoc ipsum habetur § *Hæc autem.* Instit. *de Pœna temere litigant.* illis verbis : « Improbus litigator et damnum, et impensas litis inferre adversario suo cogatur. » Accedit jus canonicum c. *Finem litibus.* 5. *de Dolo et contumac.* et c. *Contumaciam.* 4, *de Pœnis*, memoratas sanctiones imperiales comprobans.

177. *Et hoc tam in causis civilibus, quam criminalibus, etc. Excepto reo in causa criminali criminaliter intentata.* — Atque hæc regula procedit non solum in causis civilibus, sed etiam in criminalibus; sive procedatur per viam accusationis, sive denuntiationis, aut inquisitionis : nam jura allegata indistincte loquuntur. Glossa fin. c. *Cum dilecti.* 6. *de Dolo et contumac.* et Abbas, ibid. n. 17. Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 152. n. 1. allegans alios. Siquidem refectio expensarum judicialium est debita tanquam species pœnæ, injunctæ temere litigantibus ex depositione juris; ut inquit Card. de Luca, discurs. 39. *de Judiciis*, n. 7. sicque merito locum habet in omni causa, ubi talis temeritas litigatoris intervenit. Quanquam loquendo de causa criminali criminaliter intentata, Henricus Temmen, tract. *de Litium expensis*, cap. VIII. sect. 6. n. 17. et seqq. non immerito distinguendum censeat, an reus, vel actor succubuerit. Quia enim reo ignoscendum est, si sanguinem suum qualitercunque redemptum voluerit, l. I. ff. *de Bonis eorum, qui ante sent.* : idcirco, quod condemnatus ad pœnam corporis, afflictivam non debeat condemnari in expensis, resolvit idem Temmen, d., n. 17 et seqq. citans Carpzovium, *Definit forens.* part. I, const. 31, def. 24, n. 7, et alios. Secus, ait, esse dicendum de Actore, seu Accusatore; nisi docuerit, se probabilem, legitimamque accusandi causam habuisse, juxta mox dicenda. Unde

178. *Fallit data regula, quando victus justam causam litigandi habuit.* — Resp. II. Fallit nihilominus data regula cumprimis, quando victus justam causam litigandi habuit: quo casu expensæ compensantur, l. *Qui solidum.* § *Etiam.* ff. *de Legat II.* juncta Glossa ℣. *In litis sumptibus*, inde inferente, quod « justa ignorantia excusat a litis sumptibus.» Idem tradit Glossa c. *Finem litibus.* ℣. *Expensas.* et Abbas, ibid. n. 22 et Barbosa, n. 6 *de Dolo et Contumac.* cum aliis. Socinus, in *Fallentiis.* reg. 139. fallent. 1. Card. Tuschus, litt. E. concl. 626. n. 7. et seqq.; Jason cit. l. *Properandum.* § *Sive autem alterutra.* n. 2. c. *de Judiciis.* Gailus, ead. observat. 152. n. 3. allegans communem. Accedit ratio, quia, ut proxime dictum, refectio expensarum est debita tanquam species pœnæ, temere litigantibus a jure impositæ : atqui probabilis causa litigandi, excusat litigantem a temeritate; ergo etiam excusare debet a pœna reficiendarum expensarum. Quidquid sit de stylo curiæ, ac Rotæ Romanæ, ubi in quacunque causa, quantumvis dubia, semper fit condemnatio in expensis, etiamsi victus justam habuerit causam litigandi; prout refert Card. de Luca cit. discurs. 39. *de Judiciis*, n. 10. et 11. citans alios, sed memoratum stylum reformatione dignum asserens in Relatione Rom. curiæ, disc. 32. n. 101. et 103.

179. *Quando quis censeatur habere justam causam litigandi, judicis arbitrio relinquitur.* — Quando autem quis censeatur habere justam causam litigandi, non potest dari certa regula (dependet enim a particularibus cir-

cumstantiis), juncta notitia juris communis, cujus ignorantia non excusat, juxta reg. 13. jur. in 6.) Atque ideo relinquendum est arbitrio judicis, qui ex qualitate facti, et conditione personarum, istud habet arbitrari. Abbas cit. c. *Finem litibus.* n. 25. et 26. et Barbosa, in *Collectan.* ibid. n. 7. *de Dolo et contumac.*; Menochius, lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 177. n. 2. et seqq.; Jason cit. § *Sive autem alterutra*, n. 8. c. *de Judiciis*, cum aliis, quod citant.

180. *Afferuntur plures casus, in quibus litigans censetur habere justam causam litigandi; adeo ut si succumbat non sit condemnandus in expensis.* — Nihilominus, ut aliqualiter cognosci possit, quando litigans censeatur habuisse justam causam litigandi, sicque non sit condemnandus in expensas; sciendum est quod Jason, et Menochius ll. cc. istud conentur declarare, afferendo in specie novem, vel decem tales casus. I. Quando is, qui succubuit, habuit opinionem doctoris, qui pro ea sensit: quod intelligit Menochius, quando doctor ille fuit vir eruditus, et in sua opinione fuerat sine contradictione. II. Quando is, antequam litem ingrederetur, habuit consilia doctorum viventium, præsertim scripta et sigillata; dummodo ipsemet litigans, ac succumbens, doctor non fuisset; nam turpis ignorantia suæ professionis non excusaret. III. Quando in aliquo articulo sunt diversæ doctorum opiniones, nec reperitur, quæ vere communis sit.

181. IV. Quando is, qui succubuit, semiplene probavit. V. Quando is intentionem suam probavit testibus, qui postea reprobati sunt ratione suæ personæ, v. g. ut excommunicati, infames, etc. dummodo non subsit suspicio contra producentem. VI. Cum testes extra judicium jactitabant, rem ita esse, et se in illius favorem testimonium dicturos, postea vero producti, contrarium deposuerunt. VII. Quando is, qui succubuit, probat se a pluribus fide dignis audivisse, quod justam causam foveret. VIII. Quando quis litigat ob suum pudorem servandum; ut l. *Quæ omnia.* ubi Bartolus notab. 3. ff. *de Procurat.* Nam parcitur verecundiæ alicujus, juxta Glossam ibid. ℣. *Convicium*, pluribus Juribus istud corroborantem. IX. Cum actor petiit plus debito: nam tunc reus habet justam causam litigandi super toto. X. Quando is, qui succubuit, ex jussu superioris, v. g. summi pontificis, litem suscepit. Verum de horum singulis plura Jason, et Menochius, ubi supra, citantes alios, ac novissime. Henric. Temmen, d. tract. *de Litium Expensis.* cap. IX. sec. 3. per totum.

182. Alium casum ponit Abbas cit. c. *Finem litibus.* n. 22. *de Dolo et contumac.* ubi cum præmisisset, quod probabilis ignorantia aliter probata, quam per juramentum, excuset a condemnatione expensarum : istud exemplificando post Hostiensem, subjungit, quod si filius in arca paterna inveniat instrumentum debiti, cui jam satisfactum erat, sed ipse ignorabat, excusetur ab expensis. Ex quo enim alteri successit, præsumitur justam ignorantiæ causam habuisse, juxta reg. 46. jur. in 6. « Is, qui in jus succedit, » etc. juncta l. ult. ff. *Pro suo*, ibi : « In alieni facti ignorantia error tolerabilis est. »

183. *Solum juramentum calumniæ antea præstitum, non excusat victum a condemnatione expensarum.* — Porro solum juramentum calumniæ antea præstitum, non excusat victum a condemnatione expensarum. Potest enim bene esse, quod quis non calumniose litigaverit, bene tamen temere, quia prosiluit inconsultus: atqui condemnatio in expensas fit etiam propter temeritatem litigatoris, l. *Eum, qui temere.* ff. *de Judiciis.* Accedit, quod alioquin frustra mandassent legislatores, victum victori condemnari in expensis : quia bene sciverunt, juramentum calumniæ esse præmittendum litibus, l. *Cum et Judices*, juncta Auth. *Principales.* c. *de Jurejurand. propter calumn.* cum similibus, Abbas cit. c. *Finem litibus.* n. 21. *de Dolo et Contumac*, quidquid Glossa ibid. ℣. *Expensas*, in contrarium sentiat, nisi evidenter de calumnia pateat.

184. *Quid, si victus in una parte judicii habuerit justam causam litigandi, et non in alia?* — Notandum tamen, quod si victus in una parte judicii habuerit justam causam litigandi, et in reliqua non (ut puta, post exhibitum in judicio instrumentum præstitæ satisfactionis) tunc judex debeat eum condemnare in expensis, quæ ab altera parte factæ sunt a die v. g. productionis dicti instrumenti citra, in aliis vero non; ut l. *Si quis inficiatus.* ff. *Depositi*: ac notat Bartolus, l. *Properandum.* § *Sive autem alterutra.* vers. *Item potest.* et Jason, ibid. n. 12. c. *de Judiciis.* Abbas cit. c. *Finem litibus.* n. 23. *de Dolo et Contumac.* istud intelligens, quando quis potuit desistere ab actione sine abolitione; ut in omnibus causis civilibus.

185. *In dubio non censetur victus habuisse justam causam litigandi.* — Cæterum in dubio,

qui victus est, præsumitur non habuisse justam causam litigandi: atque ideo stante dubio, seu nisi justam ignorantiæ causam probare valeat, in expensis condemnari debet. Glossa in Auth. *Generaliter autem.* ✝. *Injuste.* c. *de Episc. et cleric.* Jason d. l. *Properandum.* § *Sive autem alterutra.* n. 10. c. *de Judiciis*, citans Baldum, Angelum, et Salycetum ibid. Barbosa, ubi supra, n. 9. Henric. Temmen cit. cap. IX. sect. III n. 16. cum aliis, quos allegat.

186. *Si judex videat, victum non esse condemnandum in expensis ob justam causam litigandi, debet istud in sententia declarare.* — Addit Speculator, tit. *de Expensis*, § *Nunc videndum.* n. 3. quod si judex videat, victum ex errore probabili succubuisse sicque non esse condemnandum in expensis, debeat in sua sententia istud declarare; ut Auth. *Post jusjurandum.* c. *de Judiciis;* et Auth. *de Judicibus.* § *Oportet.* collat. 6. juncta Glossa ✝. *Sua*, asserente, quod declaratio ista possit fieri dicendo : « Ab expensis absolvo : » vel, si in aliquibus victum condemnavit, possit dicere : « Ab aliis absolvo. »

187. *An etiam in sententiam teneatur exprimere causam illam litigandi?* — Fatendum quidem, quod Joan. Andreas d. c. *Finem litibus*, n. 17. *de Dolo et contumac.* et Jason cit. n. 10. pluresque alii per Henric. Temmen cit. cap. IX. sect. 3. n. 84. allegati velint, si judex absolvit victum ab expensis, quia habuit justam causam litigandi, quod teneatur etiam in sententia exprimere causam illam. Verum hanc sententiam ex professo rejicit Abbas, in c. *Examinata.* n. 8. *de Judiciis*, et ipsemet Temmen, loc. cit. n. 85. et seqq. cum aliis ; tum quia ea ex nullo jure probatur : nam in cit. § *Oportet*, in quo se fundant præallegati auctores, solum dicitur, quod si judex vult absolvere ab expensis, debet istud exprimere : puta, dicendo : quod absolvat ab expensis, ob rationabilem videlicet causam sibi cognitam ; tum quia in contrarium stat regula, quod judex non teneatur in sententia exprimere causam ipsius ; eo quod propter auctoritatem judiciariam præsumantur omnia legitime facta, c. *Sicut nobis.* 16. h. t. estque jam dictum supra n. 98. et seqq. Concordat Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 151. n. 20. asserens, quod in camera verbis duntaxat generalibus, puta, ex justis causis animum judicis moventibus (vulgo, *aus bevveglichen Ursachen*) fiat declaratio compensationis expensarum ob justam causam litigandi.

188. *Regula illa, quod victus condemnetur victori in expensis, fallit in nonnullis casibus; et quibus?* — Resp. III. Fallit ulterius data n. 176. regula in nonnullis aliis casibus : Videlicet, in casu cit. l. *Properandum.* § *Sin autem reus*, et § *Et si quidem.* c. *de Judiciis:* ubi actor, vel reus contumaciter absens, ob suam contumaciam condemnatur alteri parti in expensis, haud obstante, quod in causa victor existat : estque jam dictum supra partim tit. XIV. *de Dolo et contumac.* § 3. n. 85. partim tit. XV. *De eo, qui mittitur in possessionem*, etc. n. 14. Alius consimilis casus habetur in Auth. *de Defensorib. civitat.* § *Et judicare.* collat 3. quem Glossa ibid. ✝. *Omni litis*, appellat specialissimum, quod victo victor damnatur in expensis.

189. *Fallit etiam, si persona succumbens in lite, sit valde honesta, et magnæ fidei, aut religiosa.* — Fallit quoque in persona valde honesta, et magnæ spectatæ fidei, aut valde religiosa, quæ si succumbat in lite, non debet in expensis condemnari : quia non præsumitur, quod calumniose seu temere litigaverit. Glossa can. *Expedit.* 12. q. 1. ✝. *Si scirent.* Hostiensis, c. *Finem litibus.* et Joan. Andreas; ibid. n. 17. et Abbas, n. 22. et Barbosa n. 4. *de Dolo et contumac.* Socinus, in *Fallentiis*, reg. 139. fallent. 3. Jason, ubi supra, n. 10. et l. *Jubemus.* n. 12. c. eod. pluresque alii ab his allegati.

190. *Atque in casu, quo pars semiplene probavit et judex ei detulit juramentum necessarium, sicque ipsa vicit. Secus dicendum in juramento judiciali, seu a parte parti delato.* — Fallit insuper in casu, quo pars aliqua semiplene probavit, et judex ei detulit juramentum necessarium, sicque ipsa vicit; tunc enim altera pars non debet condemnari in expensis. Ita Jason cit. § *Sive autem alterutra.* n. 10. post Alexandrum ibid. et Baldum in Auth. *Generaliter.* c. *de Episcop. et cleric.* Secus dicendum de juramento judiciali litis decisivo, seu delato a parte parti in judicio : quia si reus detulit juramentum actori, et hic jurat, debet Reus in expensis condemnari. Jason d. n. 10. allegans plures alios.

191. *An judex teneatur victum condemnare in expensis, etiam si hæc non sint petitæ?* — Quæritur II. Utrum judex debeat condemnare victum victori in expensis, sive hæ fuerint petitæ, sive non? Resp. I. Certum est, quod judex teneatur victum victori condemnare in expensis, quando hæ fuerant petitæ :

alias judex litem faciet suam, ipsasque expensas de suo resarcire tenebitur. Ita textus in l. *Properandum.* § *Sive autem alterutra.* et tradit Bartolus, ibid. et Baldus, c. *de Judiciis.* Maranta, part. VI. *Speculi aurei.* tit. *de Libelli oblation.* n. 18. cum communi. Idque patet ex cit. § *Sive autem alterutra*, cujus verba n. 176. jam sunt relata: juncta l. IV. § *Hoc autem judicium.* ff. *de Damno infecto*, cum similibus.

192. *Expensæ, quibus modis censeantur petitæ?* — Cæterum expensæ censentur petitæ, non solum, quando verbis expressis per litigantem petuntur, judice pro tribunali sedente; sed etiam, quando in libello facta est protestatio de expensis: nam per talem clausulam censetur interpellatus judex, ut victum victori condemnet ad expensas. Maranta cit. n. 18. Idem dicendum de clausula illa generali, ac libello incerta: « Super his omnibus peto mihi jus, et justitiam administrari omni meliori modo ac forma, qua de jure, statuto vel consuetudine fieri potest, » etc. nam per hujusmodi clausulam imploratur officium judicis super omnibus causam ipsam contingentibus, et sic etiam super expensis. Engel, tit. *de Libelli oblatione*, n. 6; Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 61. n. 8. allegans alios. Addit Jason cit. § *Sive autem alterutra.* n. 32. post Baldum, et Paulum de Castro, et Alexandrum ibid. sufficere quoque petitionem implicitam expensarum; puta, quod litigans petat ferri sententiam pro se: quia censetur petiisse, quod judex ferat sententiam nedum super causa principali, sed etiam super omnibus accessoriis, arg. l. ult. c. *de Fructib. et litium expens.*

193. *Judex non condemnans victum victori in expensas, quando hæ fuerunt petitæ, potest ipsum post latam sententiam toto die in eas condemnare. Alias tenebitur expensas resarcire de suo.* — Porro, si judex victum (cessante justa causa) non condemnavit victori in expensas petitas, non potest post latam sententiam amplius in eas victum condemnare, nisi adhuc « comminus partibus constitutis; » ut loquitur textus in l. *Terminato.* c. *de Fructib. et litium expens.* Ubi Glossa ℣. *Comminus.* et Bartolus, ibid. istud intelligunt de toto illo die, quo judex tulit sententiam; ut l. *Paulus.* ff. *de Re judicat.* Unde, quo toto illo die possit judex condemnare victum in expensas, tradit etiam Abbas, c. *Finem litibus.* n. 35. *de Dolo et contumac.* et Jason cit. § *Sive autem alterutra.* n. 32. inde concludens, quod expensæ non petitæ, possint peti a parte totam illam diem, qua judex tulit sententiam, utpote qui per totam illam diem potest supplere sententiam, cit. l. *Paulus.* ff. *de Re judicat.* Idem tradit Gailus, lib. I. *Practic.* observ. 151. n. 19. quamvis addat, istud in camera non observari.

194. *Si expensæ nullo modo fuerunt petitæ, potest quidem judex ex officio victum in eas condemnare.* — Resp. II. Quando expensæ nullo modo fuerunt petitæ, potest quidem judex ex officio victum, et temere litigantem, condemnare victori in expensas, non tamen tenetur condemnare. Ita Abbas, d. c. *Finem litibus.* n. 34. *de Dolo et Contumac.* citans Glossam fin. cap. ult. *de Rescript.*; Bartolus, l. *Properandum.* § *Sive autem alterutra.* quæst. ult.; et Jason, ibid. n. 30. c. *de Judiciis.*; Maranta, ubi supra, n. 18; Engel, h. t. n. 13. cum aliis. Ratio partis prioris est, quia condemnare in expensas, emergit in lite, atque pertinet ad officium judicis: ergo, si vult, potest ex officio in expensas, etiam non petitas, condemnare victum, cit. § *Sive autem alterutra*, et l. *Non ignoret.* c. *de Fructib. et lit. expens.*

195. *Non tamen tenetur condemnare. Nec postea expensas resarcire de suo.* — Altera vero pars ex eo probatur, quia judex non tenetur officium suum impendere ad privatam alterius utilitatem, nisi fuerit petitum; ut l. IV. § *Hoc autem judicium.* ff. *de Damno infect.* Simulque, « non quidquid judicis potestatis permittitur, id subjicitur Juris necessitati, » ut loquitur textus in l. *Non quidquid.* ff. *de Judiciis.* Unde consequens est, quod judex non teneatur condemnare victum victori in expensis, neque hujusmodi expensas resarcire de sua: haud obstante, quod secus foret dicendum, si expensæ fuissent petitæ, et tamen in ea non condemnasset Judex litigatorem temerarium, cit. § *Sive autem alterutra.* Abbas cit. n. 34. Bartolus, ubi supra et alii.

196. *Expensarum nomine, quid intelligatur?* — Quæritur III. Quid nomine expensarum intelligatur, et quotuplices sint? Resp. I. Expensarum nomine in proposito intelliguntur impensæ necessariæ, seu judiciales, quæ propter ipsam causam factæ sunt. Textus est in c. *Finem litibus.* 5. *de Dolo et contumac.* ibi: « Ad solvendas alteri parti moderatas expensas in judicio faciendas: » Ubi Glossa marginalis ℣. *Expensas*, adducens plures concordantias, et Abbas n. 28. amplius istud

declarant. Concordat textus in l. *Properandum.* § *Sin autem ex gestis.* c. *de Judiciis*, ibi : « Expensis tantummodo litis, quas reus legitime se expendisse juraverit, condemnatione excipiendis : » cum similibus.

197. *In taxatione expensarum judicialium non attenduntur arrhæ, neque annuum salarium advocatis per nonnullos dari solitum.* — Hinc, quod in taxatione expensarum judicialium non sit habenda ratio earum impensarum, quas arrharum nomine clientes suis advocatis sub litis initio dare consueverunt, sicut nec annum salarium pro navanda sibi in posterum opera advocatis, vel procuratoribus, per nonnullos dari solitum : censet, atque in camera conclusum refert Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 151, n. 1. Quia (inquit) hæ expensæ sunt delicatæ, atque voluntariæ, quarum rationem judex habere non debet, arg. l. *Inter quos*, § fin. et l. *Ex damno.* § 1. ff. *de Damno infect.* et l. *Si servos.* ff. *de Pignorat. action.* Quid enim ad partem victam , quod victor tam liberales expensas in arrhis, seu annuo salario fecerit? Similiter ea, quæ dantur pro muneribus, etiam licitis et solitis, hoc loco non veniunt nomine expensarum Card. de Luca discurs. 39. *de Judiciis*, n. 17.

198. *Expensæ necessariæ, atque judiciales, sunt in quadruplici differentia.* — Resp. II. Expensæ necessariæ, atque judiciales, quarum ratio habenda est in condemnatione expensarum, sunt in quadruplici differentia. Ita Speculator, tit. *de Expensis.* § *Postremo*, n. 21. et Gailus cit. observat. 151. n. 2. et seqq. allegans alios. Idque patet inductione. Imprimis enim expensæ hujusmodi sunt eæ, quæ fiunt in judicio : puta, ad instituendum processum, seu pro opera advocatorum in concipiendo libello, aliisque scripturis, atque productis ad ipsam causam pertinentibus conficiendis, quæ debent taxari secundum qualitatem personarum, et magnitudinem causæ. Huc etiam pertinent expensæ, quæ dantur procuratoribus in proponendis, et exhibendis partium juribus ; item et notariis pro conficiendis instrumentis etc. Atque de his fit mentio in l. *Sancimus.* c. *de Judiciis.* et l. I. § *In honorariis.* ff. *de Variis et extraordinar. cognit.* In quo posteriori loco dicitur, quod « in honorariis advocatorum ita versari judex debet, ut pro modo litis, proque advocati facundia, et fori consuetudine, et judicii, in quo erat acturus æstimationem accipiat, dummodo licitum honorarium quantitas non excedat. » Hæc ibi.

199. *Secundo* expensæ necessariæ et judiciales censentur esse, quæ fiunt pro examine testium : puta a longe adducendorum, c. *Cum pro causa.* 6. *de Procuratorib.* et l. *Quoniam.* c. *de Testib.* et alibi. *Tertio*, inter expensas necessarias, atque judiciales, connumerantur sportulæ, quæ spectato jure civili judicibus delegatis dantur, juxta Auth. *de Judicibus.* § *Ne autem.* collat. 6. de quibus ex professo actum est supra l. I. tit. XXXII. *de Judiciis.* n. 17. et seqq. *Quarto*, inter expensas necessarias et judiciales computantur eæ, quæ dantur executoribus litium, seu apparitoribus quæ etiam sportulæ vocantur in rubric. et toto tit. c. *de Sportulis.* etc.

200. *Est distinguendum inter expensas contumaciæ, et expensas victoriæ.* — Resp. III. Insuper est distinguendum inter expensas contumaciæ, seu quas pars incurrit ob contumaciam partis adversæ ; et inter expensas victoriæ, seu in quas victus victori condemnandus est. Ita Abbas cit. c. *Finem litibus.* n. 35. *de Dolo et contumac.* Jason, l. *Properandum.* § *Sive autem alterutra.* n. 3. ff. *de Judiciis.* ; Gailus, l. I. *Practic.* observat. 151. n. 13. et alii. Idque ostenditur inductione, declarando hujusmodi differentias.

201. *Et quales expensæ sub utriusque veniant?* — Imprimis enim appellatione « Expensarum ratione contumaciæ, » veniunt non solum impensæ litis ; et retardati processus ; verum etiam damna, interesse, et deteriorationes, quas una pars ob contumaciam, v. g. ob contumacem absentiam alterius, perpessa fuit, arg. c. *Cum dilecti.* 6. § fin. *de Dolo contumac.* ubi pars ob suam contumaciam condemnatur ad legitimas et moderatas expensas, quas adversarius ejus fecerat, et non tantum ad necessarias litis expensas. Glossa in l. I. ỷ. *Tenebitur.* et Bartolus, ibid. n. 2. ff. *de Alienation. judicii mutand.* caus. ; Jason cit., n. 13. Secus est in « Expensis victoriæ : » quia tunc veniunt expensæ ratione litis tantum, l. *Sancimus.* juncta Glossa ỷ. *Damna.* ff. *de Judiciis.* Bartolus, et Jason, ubi supra. Gailus, d. observat. 151. n. 13. allegans alios.

202. *Advocatus, vel doctor in propria causa conficiens instrumenta, nihil eo nomine exigere valet.* — Et hoc adeo verum est, ut si advocatus, vel doctor in propria causa litiget, atque instrumenta sua ipsemet conficiat, nihil eo nomine pro sua navata opera exigere valeat : tantum enim expensas litis petere po-

test, quales tamen in dato casu non fecisset. Idemque dicendum, si alius mihi gratis servisset, aut ex privilegio mihi sportulæ remissæ fuissent. Glossa in l. ult. ℣. *Cum quidam.* c. *de Fructib. et litium expens.* et Bartolus, ibid. n. 7; Baldus, n. 12; Speculator, tit. *de Expensis.* § *Postremo.* n. 8; Abbas cit. c. *Finem litibus.* n. 30. *de Dolo et contumac.;* Jason, ubi supra. n. 14; Card. Tuschus, litt. E. concl. 632, n. 6; Henric. Temmem cit. tract. *de Litium expensis*, cap. x, n. 38. et 39; Gailus, d. observat, 151. n. 15. allegans alios, atque in camera ita decisum referens.

203. *Nisi propter hoc perdiderit aliud lucrum, vel incurrerit damnum personale.* — Quod ipsum tamen cum aliquo moderamine intelligendum est: videlicet, nisi advocatus ille propter hoc perdiderit aliud lucrum, vel damnum personale incurrerit: ut puta, quia propter istam litem non potuit aliis operam suam locare, sicque damnum in persona sua ex patrocinio propriæ causæ passus fuit: hoc enim casu damnorum ratio est habenda.

204. *Solvitur instantia contra hoc ultimum.* — Nec obstat, quod in expensis victoriæ veniant tantum expensæ circa litem factæ, et non damna circa alias res ipsius victoris; ut n. 201. dictum. Nam istud singulariter limitatur, quando damnum in persona, quæ ex arte sua vivit siquidem per assistentiam in lite repetit quis lucrum personale, quod perdidit; nam damna personalia non sunt extrinseca liti, sicut alia damna. Bartolus, l. I. ff. *de Alienat Judic. mutand. caus.;* Jason, loc. cit. n. 13; Abbas, n. 19. et 30; Gailus, ubi supra, et alii.

205. *Aliæ differentiæ inter expensas contumaciæ et expensas victoriæ, referuntur.* — Deinde differunt, quia in expensas contumaciæ potest judex non expectata diffinitiva condemnare incontinenti, postquam constat de contumacia partis; ut c. *Cum dilecti.* 6, *de Dolo et contumac.* et c. *Auditis.* 8. *de Procuratorib.* et alibi: ita tamen, ut si velit expectare, possit judex differre, et condemnare quandocunque, etiamsi proferretur pro contumace; semper enim durat officium judicis a prima citatione usque ad sententiam. Innocentius, in c. *Sæpe.* 44. *de Appellation.* Abbas, loc. cit. n. 35; Gailus, ubi supra, n. 14. Secus dicendum de expensis victoriæ: quia in has nequit condemnari pars victa, nisi per sententiam diffinitivam, et toto die illo, quo hæc lata est. l. *Terminato.* juncta Glossa verb. *Comminus.* c. *de Fructib. et litium expens.* et l. *Paulus.* ff. *de Re judicat.*

206. *Tertio* differunt, quia expensæ contumaciæ debentur actione in factum, l. un. § fin. ff. *Si quis jus dicenti non obtemp.* ubi Glossa verb. *Hoc judicium*, Bartolus, et Baldus, et Abbas cit. c. *Finem litibus.* n. 32. *de Dolo et contumac.* Quamvis addat, quod judex ex officio suo, etiam absque partis petitione, possit contumacem condemnare in expensis, juxta c. *Cum dilecti.* § fin. eod. ubi nulla præcessit petitio partis, et tamen contumax fuit ipsi condemnatus in expensis. Expensæ victoriæ e contra debentur officio Judicis; uti notatur cit. l. *Terminato.* c. *de Fructib. et litium expens.;* Gailus, d. observat. 151. n. 13.

207. *Sententia super expensis potest esse incerta, et quomodo?* — Quæritur IV. Utrum sententia super expensis possit esse incerta; et qualiter hæ sint probandæ? Resp. I. Sententia super expensis lata, potest esse incerta, hoc est, lata absque taxatione ipsarum expensarum, consimili modo: « Condemnamus talem (puta, Titium victum) in expensas alteri (v. g. Cajo victori) quas hic fecit, vel se fecisse probabit. » Ita Innocentius c. *Finem litibus.* circa finem. et Abbas, ibid. n. 8. *de Dolo et Contumac.* Idque clare desumitur ex c. *Auditus.* 8. *de Procuratorib.* ubi talis sententia condemnatoria in expensas habetur, illis verbis: « Condemnandum tibi duximus in expensas, quas fecisti, » etc. Concordat textus in cit. c. *Cum dilecti.* 6. § fin. *de Dolo et contumac.* et l. *Terminato.* juncta Glossa ℣. *Competere.* c. *de Fructib. et lit. expens.* cum similibus, ubi judex comminus, seu intra diem potest victum condemnare in expensas, licet non fuerint taxatæ in sententia: quia taxabuntur in executione, ut ibidem in *Summario* loquitur Paulus a Castro. Quod ut melius intelligatur,

208. *Qualiter expensæ sint probandæ? Hæ probantur per solum juramentum victoris. Juramentum expensarum in parva summa non exigitur.* — Resp. II. Quando alteruter litigantium in expensis condemnatus fuit, tunc victor expensas, quas fecerat, tenetur probare (hoc est, eas descriptas judici exhibere, atque adversario postulante liquidare) quas deinde judex taxare, et tantum necessarias, rejectis immodicis, aut voluptariis, victori adjudicare debet, delato tamen prius ipsi juramento, quod expensæ sint veræ; seu, quod tantum, et non minus expenderit. Textus est, in Auth. *de Judicibus.* § *Oportet.* col-

lat. 6. et l. *Sancimus*. c. *de Judiciis* : atque in simili dicitur cap. ult. *De eo, quod vi metusve causa*, etc. ac notat Glossa in c. *Finem litibus* verb *Expensas*. et Abbas, ibid. n. 36 *de Dolo et Contumac.*; Engel, h. t. n. 13; Jason, l. *Properandum*. § *Sive autem. alterutra*. n. 25. c. *de Judiciis*. exinde inferens, quod expensæ factæ in lite, probentur per solum juramentum victoris : intellige, præstitum eo modo, quo dicitur in conclusione. Gailus, lib. I. *Practic*. observat. 151. n. 10 et 11. eo tamen addito, quod juramentum expensarum in camera in parva summa (puta, quæ est infra viginti florenos Rhenanos) a parte victrice, non exigatur : siquidem in modicis cessat præsumptio perjurii; simulque de modico non curat Prætor, l. *Scio*. juncta Glossa verb. *Summam*. ff. *de Restitut. in integr.*

209. *In causa appellationis, appellans et denuo victus, indistincte victori condemnandus est in expensis.* — Quæritur V. Utrum non solum appellans, sed etiam appellatus, si in causa appellationis succumbat, in expensis condemnandus sit? Resp. 1. Loquendo nunc de causa appellationis, appellans a priori sententia contra ipsum lata, et denuo victus, indistincte victori in expensis condemnandus est : quia præsumitur malam fidem prosecutus. Ita Glossa cit. c. *Finem litibus*. verb. *Expensæ*. et Abbas, ibid. n. 24. *de Dolo et contumac*. Speculator, tit. *de Expensis*. § *Nunc videndum*. n. 2. istud intelligens, ubi quis calumniose appellavit : secus, si possit ostendere, quod juxtam causam habebat appellandi. Gailus, d. lib. I. *Pract*. observat. 152. n. 4. asserens, de appellante non esse dubium, quin indistincte condemnandus sit : ut c. *Sæpe contingit*. 44. et c. *Ut debitus*. 59. *de Appellation*. et l. *Eos qui*. § *Ne temere*, c. eod Henric. Temmen cit. tract. *de litium expensis*, cap. VIII. sect. 4. n. 33. allegans alios.

210. *Quando appellavit temerarie, aut frustratorie : secus, si probabilis causa excuset appellantem.* — Atque istud indubie verum est, quando quis temerarie, aut frustratorie, seu non legitime appellavit, et denuo succubuit. Quod si vero probabilis causa excusaret appellantem (ut quia habebat pro se opinionem communem, quæ non erat evidenter injusta; aut erat dubium circa intellectum alicujus legis, vel hujusmodi) etiam in appellante limitandam esse datam Regulam, censet non solum Speculator, ubi supra, sed etiam Abbas cit n. 26. ac novissime Temmem cit. cap. VIII. sect. 4. n. 36. Licet enim unus judex judicasset contra eum, non tamen semel succumbens tenetur statim quiescere, data tanta dubitatione doctorum. Textus est in c. *Sacro*. 48. § *Verum si de Sentent. excommunicat*. ubi appellans, et succumbens, condemnandus dicitur in expensis, ea tamen addita limitatione : « Nisi forsan, et ipsam probabilis error excuset : » atque amplius tradit Glossa ibid. verb. *Probabilis error*. Simile quid habetur, cap. I. in fin *de Election*. in 6.

211. *Appellatus, et succumbens, an pariter sit condemnandus in expensis?* — Resp. II. In appellato (seu in eo, contra quem pars victa appellat) major est difficultas, graviorque ratio dubitandi, an si in judicio appellationis succumbat, sit condemnandus in expensis. Siquidem ex una parte appellatus præsumitur habere juxtam causam litigandi, hoc ipso, quod judicis sententiam pro se reportarit; et ab appellante citatus, nunc necesse habeat comparere, seque defendere. Ex altera vero parte urget, quia per appellationem tollitur præsumptio, quæ stabat pro justitia prioris sententiæ, atque omnia reponuntur in eo statu, in quo antea fuerant post litem contestatam, ut l. I. § fin ff. Ad S. C. Turpillianum, estque jam dictum supra tit. XXV. *De Exceptionibus*. § 2. n. 28 et 29.

212. *Respondetur sub distinctione, affirmando, si ex iisdem actis in causa appellationis succubuit.* — Verum communis opinio distinguendum censet, utrum appellatus ex iisdem actis in causa appellationis succumbat; an vero ex novis probationibus noviter allegatis, et probatis. In priori casu concludit, Appellatum, si in judicio appellationis succumbat, in expensis condemnandum; cum non censeatur habere juxtam causam litigandi (nisi hanc probaverit, justa limitationem n. 210. datam) eo quod præsumptio pro justitia prioris sententiæ, per appellationem elidatur, omniaque quasi in pristinum statum reponantur; atque appellans post auditas adversæ partis rationes solum laboret ignorantia juris, quæ non excusat, juxta reg. 13. jur. in 6. quamque is potuisset, ac debuisset, superare interrogando peritiores. Abbas cit. c. *Finem litibus*. n. 25. vers. *Secundo membro. de Dolo et contumac*. Jason, l. *Properandum*. § *Sive autem alterutra*. n. 23. et Bartolus, ibid. c. *de Judiciis*. Gailus, de lib. I. *Practic*. observat. 152. n. 5. citans alios, atque communem.

213. *Et negando, esse condemnandum in expensis quando succubuit ex novis probationibus per appellantem productis.* — In altero casu, seu quando, appellatus succumbit ex novis probationibus per appellantem productis, asserunt doctores præallegati, quod facienda sit compensatio expensarum; adeoque appellatus succumbens evitet condemnationem in expensas. Ratio disparitatis inter hunc, et priorem casum est: quia hic habuit appellatus ignorantiam facti (non enim potuit prævidere novas probationes, v. g. per instrumenta de novo reperta, ab appellante productas, cum sint quid facti) et cæteroquin habuisse præsumitur justam causam litigandi, etiam agnitam a judice *a quo* in favorem ipsius ferente sententiam: secus est in priori casu, ubi intervenit ignorantia juris. Atqui juxta reg. 13. jur. in 6. « Ignorantia facti non juris excusat. » Abbas, Jason, Gailus, ubi supra, cum aliis, quos allegant.

214. *In praxi judicis arbitrio relinquitur, utrum appellatus habuerit justam causam litigandi.* — In praxi tamen, utrum appellatus habuerit justam causam litigandi super negotio principali, et appellationis, relinquendum esse arbitrio, et discretioni Judicis, censet Abbas cit. n. 25. et Baldus, in l. *Generaliter.* § *Sed juramento.* c. *de Rebus credit.* Cujus opinionem (inquit Gailus, d. Observat. 152. n. 5.) ut plurimum camera sequitur: « et communiter succumbente appellato, fit expensarum compensatio; adeo, ut non meminerim aliter observatum. » Hæc Gailus. Similia habet Henric. Temmen, ubi supra, cap. VIII. sect. 4. n. 26 et 27.

215. *Si plures judices concurrant, standum est majori parti concordantium in eamdem sententiam.* — Quæritur VI. Quid dicendum de sententiis, per duos judices contraria pronuntiantes datis? Et additur notanter, « per duos judices. » Nam si plures judices concurrant, vel assumantur, præsertim in impari numero, standum est majori parti concordantium in eamdem sententiam; ut tradit Glossa, communiter recepta, cap. ult. vers. *Diversas* h. t. istud intelligens, sive plures illi judices sint ordinarii, sive delegati, sive arbitri, can. 1. et 2. dist. 65. et l. *Duo ex tribus.* ff. *de Re judicat.* Idemque probat textus in cap. I. *De his quæ fiunt a major.* part. capit. ubi semper prævalet, suumque effectum consequitur, quod a majori et saniori parte capituli fuerit constitutum.

216. *Ex tribus arbitris statur sententiæ duorum concordantium. Et quid, si omnes tres discordent, v. g. in taxanda aliqua quantitate?* Concordat cap. I. *de Arbitris*, ubi ex tribus arbitris electis, standum decernitur sententiæ duorum concordantium: et si omnes tres discordent, puta in taxanda aliqua quantitate pecuniaria, obtinebit pars minima, utpote in qua omnes concordant, cap. I. eod. in 6. estque jam dictum supra lib. I. tit. XLIII. *de Arbitris*, § 2. n. 51. et 52. Verum loquendo de duobus judicibus concurrentibus, et in judicando discordantibus, specialis est difficultas; quæ quia cap. ult. h. t. reperitur decisa, haud immerito pro complemento præsentis tituli nunc proponitur: unde.

217. *Si duo judices ordinarii contraria pronuntiant, cujus sententiæ est standum?* — Resp. I. Si duo judices ordinarii contraria pronuntiant, tenet sententia lata pro reo: præterquam in causa favorabili. Ita communis; estque expressum d. cap. ult. § 1 h. t. illis verbis: « Duobus judicibus, ut accepimus, diversas sententias proferentibus, si ex jurisdictione ordinaria processerunt, tenet pro reo, non pro actore sententia: nisi in causa favorabili, puta matrimonio, libertate, dote, seu testamento, pro ipso fuerit promulgata. » Ubi tamen Abbas, in *Summario.* et Barbosa, n. 1. et 7. addit ly, « cum similibus » (intellige) causis favorabilibus, puta, alimentorum, et in causa fisci: nam in dubio semper pro his ferenda est sententia. In cæteris autem causis eligitur via favorabilior, ut teneat sententia pro reo, non vero pro actore: nam « favorabiliores rei potius, quam actores habentur, » uti dicitur l. *Favorabiliores.* ff. *de Reg. jur.* juncta reg. 11. eod. in 6. cum similibus.

218. *Et quid agendum, si duo judices delegati discordent in sententiando?* — Resp. II. Quod si duo judices delegati discordent in sententiando, tunc delegans est adeundus, ut ipse pronuntiet pro alterutra parte, sicque ex ejus arbitrio pendet sententia. Textus est in cit. cap. ult. § *Si vero.* h. t. et l. *Duo judices.* ff. *de Re judicat.* uni in tali casu respondetur, « utramque sententiam in pendenti esse, donec competens judex (sive, qui alios delegavit) unam earum confirmaverit. » Ratio disparitatis inter hanc, et priorem conclusionem, est: quia delegati non habent jurisdictionem jure proprio, sed beneficio delegantis, et cujus locum repræsentant: unde unus eorum non potest valide sine al-

tero judicare, c. *Causam*. 16. *de Offic. delegat.* E contra ordinarii habent jurisdictionem propriam, eamque suo jure exequuntur : unde etiam horum jurisdictio et naturalis, et favorabilis, sicque ei per leges magis defertur, quam jurisdictioni delegatæ, quæ est accidentalis et odiosa ; prout amplius dictum est supra lib. I. tit. 29. *De Offic. et potestat. judic. delegat.* § 2. n. 42. et 52. ac seqq.

219. *Si duo arbitri contrarias ferant sententias; neutra tenet.* — Resp. III. Si tandem duo arbitri contrarias ferant sententias, neutra harum tenet. Textus est in cit. cap. ult. § fin. h. t. illis verbis : « Quod si ex compromisso, neutra debet habere vigorem. » Neque in tali casu recurritur ad superiorem : quia partes compromittendo in arbitros, recesserunt a provisione superioris, sibique providere voluerunt ; unde superior non curat de tali laudo, sive sententia arbitrorum. Vivianus, in *Rationali juris*, cap. ult. § fin. h. t.

TITULUS XXVIII.

De Appellationibus, Recusationibus et Relationibus.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Viso de sententia, et ejus effectu, recte subjungitur præsens rubrica : tum quia appellatio impedit effectum rei judicatæ, atque executionem sententiæ : tum quia ipsa est opportunum remedium contra sententiam iniquam, seu per quam pars litigans sentit se injuste gravatam. Cum vero materia præsentis tituli sit longior, scituque necessaria, juvabit ipsam majoris claritatis gratia in paragraphos dividere : unde sit.

§ I.

DE APPELLATIONE, SUPPLICATIONE, AC OPPOSITIONE NULLITATIS SENTENTIÆ, HARUMQUE DIFFERENTIIS.

2. *Appellatio vi nominis quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit appellatio? Resp. I. *Appellatio* vi nominis idem est, ac nominatio, compellatio, et allocutio alicujus : uti videre est apud Calepinum ℣. *Appello*, et *Appellatio*. Verum apud jurisconsultos appellatio significat provocationem, qua ob sententiam injustam, vel gravamen indebitum, majoris judicis imploramus auxilium. Atque in hac posteriori acceptione loquendo.

3. *Appellatio, quantum ad propositum, quid?* — Resp. II. « Appellatio, » quantum ad propositum, est provocatio ab inferiori judice ad superiorem ratione gravaminis illati, vel inferendi facta. Ita Abbas, ad rubric. n. 3. h. t. Maranta, part. VI. *Speculi aurei.* tit. *de Appellation.* n. 1. Sigism. Scaccia, *de Appellation.* quæst. 2. n. 1. ℣. *Quinta.* Engel, h. t. n. 9. ac in re communis. Et notanter additur, « ratione gravaminis illati, vel inferendi : » quia non solum a gravamine injuste illato, sed etiam ab inferendo sive judicialiter, sive extrajudicialiter, appellari potest : ut c. *Bonæ memoriæ*. 51. et c. *Cum teneamur*. 17. ac seqq. h. t. et c. *Præterea*. 40. eod. cum concordantiis.

4. *Judex* a quo, et *judex* ad quem, *seu* judex appellationis, *quis?* — Porro judex inferior, a quo per appellationem fit transitus ad superiorem, dicitur « Judex a quo : » alter vero, nempe judex superior, vocatur « Judex ad quem, » vel absolute « Judex appellationis. »

5. *Appellatio debet fieri gradatim ad proximum superiorem.* — Addit Zoesius h. t. n. 1. cum nonnullis aliis, in definitione appellationis ly, « gradatim facta provocatio. » Siquidem appellatio debet fieri gradatim ad proximum superiorem : adeo, ut omisso medio non recte appellatur immediate ad principem, l. *Imperatores*. ff. *de Appellationib.* Et idcirco, si fiat ejusmodi appellatio omisso medio ad superiorem, non sit quidem omnino inutilis ; nihilominus ea ad proximum judicem remitti debeat, l. I. § *Si quis*. ff. eod. Secus, si quis in appellatione ita errasset; ut a superiore ad inferiorem provocasset : nam talis error noceret, atque inutilem redderet appellationem, text. clar. cit. § *Si quis*.

6. *Ad Papam tamen potest immediate appellari in causis spiritualibus, etc. Imo et in prima instantia lis coram eo inchoari; et cur?* — Verum dicta clausula una cum Abbate, Maranta, Engel, ubi supra, et aliis, de industria omittitur in data appellationis definitione. Nam imprimis, spectato jure canonico, aliter res se habet; cum secundum istud a quovis inferiore judice ecclesiastico, atque ex omnibus mundi partibus, immediate ad summum pontificem possit appellari; ut can. *Si qui vestrum*. et can. *Ad Romanam*. 2. q. 6. et c. *Si*

duobus. 7. h. t. Idque merito : tum quia summus pontifex immediate a Deo suam accepit jurisdictionem, estque pastor universalis omnium christianorum; unde merito his omnibus licitum est, in causis spiritualibus, atque ecclesiasticis, immediate ad ipsum appellare; ab eoque, si se gravatos senserint; remedium quærere; tum quia Papa est judex ordinarius omnium christianorum, can. *Cuncta per mundum.* 9. q. 3. Atque ordinarius ordinarium, Glossa c. *Cum nullus.* ℣. *In eadem. de Temporib. ordinat.* in 6. Habens concurrentem potestatem cum omnibus ordinariis, cit. can. *Cuncta per mundum.* 9. q. 3. et cap. ult. *de Foro compet.* cum similibus. Hinc etiam in prima instantia, quoad memoratas causas, potest a quocunque lis coram Papa inchoari. Zoesius h. t. n. 2. et alii. Secus est in inferioribus judicibus, ac etiam principibus sæcularibus.

7. *Valet etiam consuetudo, quod ab inferiore appellatur ad superiorem, omisso medio. Quin et cessante consuetudine valet hujusmodi appellatio, si non opponatur exceptio.* — Deinde clausula illa, « gradatim facta provocatio, » ex eo censetur omittenda in definitione appellationis, quia non pertinet ad hujus substantialia, sed accidentalia solum; ut inquit Abbas, ad rubric. h. t. n. 2. Unde valet consuetudo, quod ab inferiore appellatur ad superiorem, omisso medio, arg. c. *Referente.* 7. juncta Glossa verb. *Archiepiscopum appellavit. de Præbend.* estque textus expressus in c. *Romana.* § *Ab Archidiaconis.* eod. in 6. ubi de subdito episcopi ad episcopum, non vero ad archiepiscopum dicitur appellandum, « nisi aliud, huic de consuetudine competat in hac parte. » Quinimo cessante etiam consuetudine, valet appellatio omisso medio, si non fuerit opposita exceptio; uti tradit Glossa magna in c. *Dilecti filii.* prior. 66. h. t. et Joan. Andreas, ibid. n. 7. post Innocentium, et Hostiensem, et Abbas cit. n. 2.

8. *Appellatio est duplex, judicialis, quid?* — Resp. II. Appellatio est duplex, judicialis nimirum, et extrajudicialis. Ita communis. Et quidem « Appellatio judicialis » dicitur, quæ fit ab actibus judicialibus, quibus se gravatum quis existimat : qualis est illa, quæ fit a sententia tum diffinitiva, tum interlocutoria ; item, si quis citatus fuit a judice, dato nimis brevi termino peremptorio, sicque appellat; ut cap. I. *de Dilationib.* Aut quando appellatur, eo quod judex delegatus justam exceptionem partis admittere nolit; puta, quod non possit conveniri vi rescripti pontificii, vel hujusmodi. Pirhing, h. t. n. 2.

9. *Appellatio extrajudicialis, quid?* — « Appellatio extrajudicialis » e contra est, quæ fit ab actibus extrajudicialibus, quibus aliquis se gravatum queritur, vel probabiliter gravandum timet : ut si quis injuste sit captus, et incarceratus, vel nominatus ad tutelam; item appellatio extrajudicialis est, quæ fit contra electiones, collationes et provisiones, ex quibus se quis gravatum sentit, c. *Concertationi.* h. t. in 6.

10. *Appellatio extrajudicialis non est proprie appellatio, sed potius dicitur provocatio. Provocatio est quid generalius appellatione.* — Differt autem hæc duplex appellatio in nonnullis. Imprimis enim appellatio judicialis proprie dicitur appellatio : extrajudicialis vero non est proprie appellatio (hæc enim stricte sumpta supponit judicium esse cœptum, cum fiat ab inferiore judice ad superiorem) sed potius dicitur *Provocatio*, juxta textum notabilem in c. *Cum sit Romana.* 5. h. t. ibi : « Sacri canones etiam extra judicium, passim appellare permittunt : nec solent hujusmodi dici appellationes, sed provocationes ad causam. » Siquidem provocatio est quid generalius appellatione : nam provocatio dicitur omnis ille actus, per quem judicum officium, vel auxilium imploratur; ac proinde, veluti latius patens, non immerito in definitione appellationis ponitur loco generis.

11. *Appellatio judicialis et extrajudicialis differunt; et quomodo?* — Deinde, appellatio judicialis supponit judicem *a quo*, et judicem *ad quem* : extrajudicialis vero non necessario supponit judicem *a quo*, cum possit extrajudicialiter appellari etiam contra alium, qui gravamen infert. Pirhing, h. t. n. 3. et alii. Rursum differunt : quia appellatio judicialis etiam male et simpliciter proposita, suspendit executionem, et facit in contrarium attentata revocari, can. *Post appellationem.* § *Appellatione.* 2. q. 6. et c. *Dilectis filiis.* 55. h. t. cum concordantiis. E contra in appellatione extrajudiciali oportet rationabilem causam appellandi exprimere, quæ si per superiorem fuerit admissa, tunc primum attentata medio tempore revocantur, alias non; prout liquet ex c. *Cum inter.* R. 17. *de Election.* ibi : « Appellationem illam dicimus legitimam non fuisse, unde per eam electio non potuit impediri. » Simile quid habetur c. *Constitutis.* 46. h. t. et notat Engel, eod. tit. n. 10.

12. *Appellatio judicialis subdividitur in eam,*

quæ fit ab interlocutoria; et quæ a diffinitiva sententia. — Resp. III. Appellatio judicialis subdividitur in eam, quæ fit ab interlocutoria; et in eam, quæ fit a sententia diffinitiva. Ita communis.

13. *Inter has duas appellationes quatuor potissimum sunt differentiæ. Appellatio a diffinitiva potest fieri in continenti, seu stante pede: altera debet fieri in scriptis.* — Porro inter has duas appellationes, præter diversos effectus, quos habent, juxta dicenda inferius. § 7. et 8. quatuor potissimum sunt differentiæ. *Primo*, siquidem Appellatio a diffinitiva potest in continenti, sive ut loquuntur « stante pede, » fieri oretenus, per verbum *appello*, aut hujusmodi, l. II. et l. *A sententia.* ff. *de Appellation.* Appellatio ab interlocutoria e contra debet fieri in scriptis, cap. I. h. t. in 6. Et idem dicendum de appellatione a diffinitiva, quando interponitur ex intervallo, puta, post unum vel alterum diem: tunc enim et ipsa debet fieri in scriptis, seu per porrectum libellum appellatorium, cit. l. *A sententia.* § fin. ff. *de Appellat.*

14. *In illa non est necesse, causam appellationis in specie exprimere: secus in altera.* — Deinde in appellatione a diffinitiva non est necesse, causam appellationis in specie exprimere; sed sufficit dicere, « appello ab hac sententia, » juxta textum expressum cit. l. II. ff. *de Appellat.* ac sequitur Glossa cap. I. vers. *Statuit.* h. t. in 6. E contra vero appellans interlocutoria, vel gravamine aliquo, tenetur causam appellationis in scriptis exhibere, cit. cap. I. h. t. in 6.

15. *In causa appellationis in diffinitiva licet novis probationibus uti: secus in causa appellationis ab interlocutoria. Appellans potest non deducta deducere, et non probata probare: et quomodo?* — *Tertio*, in causa appellationis a diffinitiva licet utrique parti, tam actori scilicet quam reo, novis probationibus, atque instrumentis, uti; dummodo causam principalem antiquam, et non novam respiciant: unde habet ibidem locum illud vulgatum juristarum: « Non deducta deducam, non probata probabo: » ac patet ex l. *Per hanc* c. *de Temporib. appellat.* et l. *Eos qui.* § *Si quid autem.* c. *de Appellation.* Dummodo hinc excipiatur novæ probationes per testes: nam hi publicatis semel attestationibus, propter periculum subornationis, non possunt amplius in causa appellationis produci super eisdem articulis, vel directe contrariis, juxta textum expressum Clem. ult. *de Testib.* etsi super novis articulis, causam principalem antiquam respicientibus, bene produci valeant, c. *Fraternitatis.* 17. *de Testib.* ubi Glossa verb. *Novis.* Joan. Andreas n. 13. Abbas, n. 3. et Barbosa, in *Collectan.* ibid. n. 2. et 3. citans plurimos alios; et concordant dicta superius tit. XIX. *De Probation.* § 6. n. 149. et seqq. E contra vero « appellanti ab interlocutoria, vel a gravamine judicis, non licet alias causas prosequi, quam in appellatione sua nominatim duntaxat expressas: nec processus primi judicis ex novis, aut de novo probandis justificari potest, vel etiam impugnari, sed tantum ex illis, quæ acta fuerunt, vel exhibita coram ipso; » prout loquitur textus expressus in Clem. *Appellanti.* 5. h. t.

16. *Appellatio a diffinitiva potest semper proponi; non sic appellatio ab interlocutoria, saltem spectato jure civili, et concilio Tridentino. Gravamen per sententiam diffinitivam irreparabile, exemplificatur.* — *Quarto* differunt, qua quamvis olim de jure canonico a quavis sententia, tam diffinitiva videlicet quam interlocutoria, appellare permissum fuerit; ut c. *De appellationibus.* 11. et c. *Super eo.* 12. h. t. (non obstante, quod de jure civili ab interlocutoria non fuisset permissa appellatio, exceptis certis duntaxat casibus, l. *Ante sententiæ.* c. *Quorum appellatione*, etc. juncta Glossa ibid.) Nihilominus concilium Tridentinum, sess. 13. cap. I. *de Reform.* et rursum, sess. 24. cap. XX. *de Reform.* ad coercendas frivolas, atque frustratorias appellationes, novissime decrevit, quod deinceps ab interlocutoria, vel alio quocunque gravamine non appelletur, neque interposita appellatio per superiores recipiatur, nisi ejusmodi sententiæ habeat vim diffinitivæ; vel nisi gravamen illud per appellationem a diffinitiva reparari nequeat. Concordat decretum sac. congregationis infra § 9. n. 267. referendum, atque gravamen per sententiam diffinitivam irreparabile, exemplificans in indebita incarceratione, tortura et excommunicatione: hæc enim, et alia his similia, secum trahunt executionem, postea amplius irreparabilem. E contra appellatio a diffinitiva (extra casus in jure exceptos) potest semper proponi, quoties per ejusmodi sententiam sese quis gravatum senserit.

17. *Appellationes rationabiles, seu legitimæ; et appellationes frustratoriæ, frivolæ ac leves, quæ?* — Resp. IV. Ulterius appellationes aliæ sunt rationabiles, sive legitimæ; aliæ

frustratoriæ, frivolæ, inanes et leves. « Appellationes rationabiles, seu legitimæ » sunt, quæ fiunt justa de causa, ac servatis de jure servandis. « Frustatoriæ vero appellationes » dicuntur, quæ solummodo morandæ solutionis; aut protrahendæ litis causa interponuntur; ut l. *Tutor*. ff. *de Usuris*. Tandem «appellationes frivolæ ac leves sunt,» quæ ex minimis, ac futilibus rationibus fiunt : et tales ut temerariæ merito rejiciuntur; haud obstante, quod pro levioribus, ac minimis etiam causis, sive rebus, appellari possit, c. *De appellationibus*. 11. h. t. juncta Glossa fin. ibid.

18. *Supplicatio proprie dicta, quid?* — Quæritur II. Quid sit supplicatio, quomodo differat ab appellatione? Resp. I. Supplicatio proprie dicta, et quantum ad propositum, est quædam precum porrectio facta principi, ut is ex quadam benignitate restituat supplicantem adversus sententiam, contra quam non competit medium ordinarium. Ita Abbas, c. *Ex litteris*. n. 6. *De in integr. restitut*. Et de supplicatione taliter accepta fit mentio in l. *Si quis adversus*. juncta Auth. *Quæ supplicatio*. c. *de Precib. Imperat. offerend*. estque non infrequens, præsertim in supremis tribunalibus principum, ubi locum non habet ulterior appellatio, bene tamen supplicatio pro revisione Actorum judicialium : unde et *Revisorium* originem traxit.

19. *Supplicatio large accepta, quid. Revisorium, unde traxerit originem?* — Dicitur notanter, « supplicatio proprie dicta. » Nam largo modo, ea accipitur pro quibuscunque precibus Principi, alterive superiori porrectis, sive ad justitiam, sive ad gratiam obtinendam : in quo sensu passim in curiis loquuntur libelli supplices, hanc clausulam continentes, « Supplicatur dominationi vestræ, » etc.

20. *Supplicare quilibet potest, quantumcunque remota sit appellatio. Ubi potest appellari, non debet supplicari. In dubio tamen potest intentari utrumque remedium.* — Aliæ particulæ in data definitione adduntur ad declarandam naturam supplicationis proprie dictæ, utpote quæ innititur benignitati superioris, ad porrectas sibi preces retractantis ea, quæ credit male acta, ipsamque sententiam, quando ex aliqua causa contra hanc non admittitur appellatio. Supplicare enim quilibet potest, quantumcunque remota sit appellatio, l. *Si quis adversus*. c. *de Precibus Imperat. offerend.* ac notat Glossa c. *Ex litteris*. vers. *Supplicavit*. et Barbosa, in *Collectan*. ib. n. 4. *De in integr. restit*. citans alios. Ubi autem potest appellari, non debet supplicari : quia ubi competit remedium ordinarium, cessat extraordinarium, l. *in causæ cognitione etiam*. § 1. ff. *de Minorib*. Quod si vero quis dubitet, an adhuc possit appellare, potest ad cautelam intentare binum remedium, appellando videlicet, et supplicando; uti legitur factum in c. *Ex litteris*. 4. *De in integrum restitut*. ibi : « Postmodum appellavit ad Sedem apostolicam, et etiam supplicavit. » Abbas cit. c. *Ex litteris*. n. 4. et seqq. *De in integr. restit*.

21. *Supplicatio differt in pluribus ab appellatione.* — Resp. II. Supplicatio differt in pluribus ab appellatione. Ita Glossa cit. c. *Ex litteris*. vers. *Supplicavit*. et Abbas, ibid. n. 6. et seqq. *De in integr. restitut*. Menochius, lib. I. *de Arbitrar. judic*. quæst. 70. n. 21. et seqq. Supplicationem hujusmodi vocans recursum ad principem; et alii. Idque probatur inductione.

22. *Et in quibus?* — Imprimis enim supplicatio est remedium extraordinarium, et appellatio ordinarium : ac proinde non debet interponi supplicatio, ubi adhuc potest appellatio fieri, ut proxime dictum. Deinde supplicatio potest in quacunque causa interponi, non sic appellatio : nam hac remota adhuc locum habet supplicatio, cit. l. *Si quis adversus*. c. *de Precib. Imperat. offerend.* Rursus differunt, quia appellatio debet fieri intra decem dies : supplicatio autem, si fiat principi, potest proponi intra biennium, l. un. c. *de Sententiis præfectorum prætorio;* si vero porrigatur judici, intra decem dies, cit. Auth. *Quæ supplicatio*. c. *de Precib. Imperat. offerend.* Tandem differunt, quia appellatione interposita nihil est innovandum : e contra pendente supplicatione sententia mandatur executioni, præstita tamen cautione, quod si retractetur sententia, omnia restituantur, cit. Auth. *Quæ supplicatio*. Glossa d. c. *Ex litteris*. et Barbosa, ibid. n. 7. et 8. cum aliis.

23. *Oppositio nullitatis sententiæ, quid? Hæc solet fieri per viam querelæ.* — Quæritur III. Quid sit oppositio nullitatis sententiæ, et quomodo differat ab appellatione? Resp. I. « Oppositio nullitatis sententiæ, » est legitima ostensio, sententiam a judice latam, esse ipso jure nullam. Atque hujusmodi oppositio nullitatis sententiæ solet fieri « per viam querelæ, » juxta dicta superius tit. præced. § 4. n. 135 et seqq. Siquidem pluribus de causis accidere potest, quod sententia ipso jure sit nulla : ut puta, ob defectum

jurisdictionis, si nimirum sententia fuit lata a judice non competente, c. *At si clerici*. 4. *de Judiciis*. Item ob defectum substantialis ordinis judiciarii : puta, si non observentur solemnitates illæ substantiales, de quibus supra tit. præced. § 2. et 3. n. 57. et seqq. dictum fuit. Item, si sententia feratur a judice delegato post terminum delegationi præfixum, vel post recusationem judicis suspecti, aut contra reum indefensum, seu contra priorem sententiam, quæ jam transivit in rem judicatam, et plurimis aliis modis. Generaliter enim « sententia contra leges canonesve prolata, licet non sit appellatione suspensa, non potest tamen subsistere ipso jure, » ut dicitur, cap. I. *de Sentent. et re judicat.*

24. *Appellatio, et oppositio nullitatis sententiæ, differunt varie. Atque remota appellatione; non censetur nullitas sublata.* — Resp. II. Appellatio, et oppositio nullitatis sententiæ, in pluribus differunt; suntque diversa, et separata juris remedia : atque ideo appellatione remota, non censetur nullitas sublata. Ita habetur c. *Inter cœteras*. 9. *de Sentent. et re judicat.* ubi pontifex sic loquitur « Cum aliqua causa appellatione remota committitur, et sententia fertur iniqua, eam evacuari oportet : nec ei debet stari, si iniquitatem contineat manifestam : » puta, quia lata est contra jus scriptum, scilicet contra leges, vel canones, prout explicat Glossa ver. *Manifestam*. ibid. Concordat c. *Licet*. 14. in fin. *de Sentent. et re judicat.* in 6. ac notat Abbas cit. c. *Inter cœteras*. n. 4. et Barbosa, ibid. n. 2. *de Sentent. et re judicat.* et Andreas Gailus, lib. I. *Practic. observ.* 135. n. 4. cum aliis. Et hæc est prima differentia, consistens in hoc, quod appellatione remota non censeatur sublata oppositio, seu querela nullitatis sententiæ.

25. *Solvuntur instantiæ.* — Nec obstat, quod privilegium, quo causa sub clausula « appellatione remota » committitur, debeat accipi cum effectu, neque reddi elusorium : prout fieri videretur, si tunc locum haberet oppositio nullitatis sententiæ. Neque etiam obstat, quod, « cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debeat admitti, » juxta reg. 84. jur. in 6. Resp. enim, ista neutiquam obstare. Non imprimis privilegium ejusmodi non redditur elusorium : quia diversa sunt juris remedia, appellatio, ac nullitatis oppositio; atque illo per clausulam : « appellatione remota, » sublato (qualis proinde clausula hoc ipso sortitur quemdam effectum) non tollitur alterum remedium, scilicet oppositio nullitatis sententiæ.

26. *Appellatione interposita non potest judex exequi sententiam : secus, si solum opponatur nullitas, nisi hæc foret notoria.* — Accedit, quod sententia, quæ in rem transiit judicatam, statim executioni mandetur, non obstante nullitatis exceptione; ut Clem. 1. *de Sentent. et re judicat.* junctis dictis supra n. 22. Nisi nullitas illa foret evidens, ac notoria; puta, si manifestis probationibus constet, sententiam esse latam ex falsis instrumentis, l. ult. c. *de Falsis instrument.* Unde hac etiam ratione clausula illa, « appellatione remota, » sortiretur aliquem effectum : haud obstante, quod probata postmodum nullitate sententiæ, executio hujus foret retractanda. Et per hoc simul habetur altera differentia inter appellationem, atque oppositionem, seu exceptionem nullitatis sententiæ : nam appellatione interposita, et pendente, non potest judex exequi sententiam, secus, si solum opponatur nullitas.

27. *Appellatio debet fieri intra decem dies : non sic oppositio nullitatis sententiæ.* — *Tertio* differunt : quia appellatione debet fieri inter decem dies, c. *Quod ad consultationem*. 15. *de Sentent. et re judicat.* cum similibus. Nullitas vero potest opponi usque ad triginta annos, juxta communen, et tradit Engel, h. t. n. 7; Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 127. n. 8. estque jam dictum, atque uberius declaratum tit. præced. § 4. n. 107. et 114.

28. *Appellatio semper coram superiore proponenda est : secus, si opponatur nullitas sententiæ.* — *Quarto*, differunt, quia appellatio semper coram superiore proponenda est. Nullitas vero sententiæ potest opponi vel coram eodem judice (dummodo ordinarius sit) qui sententiam tulit; vel si principaliter intentetur, etiam coram judice superiore, adeo, ut hoc sit in arbitrio gravati, per textum, in l. *Si accusatoribus* 4. juncta Glossa ver. *Eumdem*. c. *de Accusation.*, et l. *Si præses* c. *Quomodo et quando*, etc., juncta l. I. ff. *Quæ sententiæ sine appellat. rescind.* atque tradit Bartolus, l. *Si expressim*. § *Quæro coram quo judice*. ff. *de Appellation. et relation.*; Abbas, c. *In litteris*, n. 6; et Felinus, ibid. n. 4. *de Offic. delegat.*; Sigism. Scaccia, *de Appellat.* quæst. 19. remed. 1. concl. 6, n. 73. citans alios; Gailus, lib. I. *Practic.* observat 127. n. 6. hanc appellans communem opinionem.

29. *Judex ordinarius potest reformare sententiam suam de jure nullam.* — Additur tamen notanter, « vel coram eodem judice, dummodo ordinarius sit. » Nam hic distinguendum est inter judicem ordinarium, et delegatum: et ordinarius quidem, si adeatur a gravato, et querelante super nullitate sententiæ, potest reformare sententiam suam de jure nullam, ac rursus super illa causa pronuntiare, conformiter dictis supra tit. præced. n. 138. Sive dein nullitas intentetur principaliter: hoc est, quando ipsa deducitur separatim, et de per se, v. g. petendo sententiam pronuntiari nullam, ac reformari: sive nullitas intentetur solum incidenter, ut quia una partium petit iterum pronuntiari in causa, et sic deducit nullitatem sententiæ incidenter nam istud utrumque potest fieri per judicem ordinarium, secundum jura n. præced. citata; et tradit Abbas, et Bartolus, ubi supra, et Scaccia, d. quæst. 19. remed. 1. concl. 6. n. 87. allegans alios. Qui tamen notanter addunt, quód si nullitas sententiæ solum incidenter deducatur, petendo nimirum iterum pronuntiari in causa, tunc isto modo non possit adiri superior: quia causa ad ipsum non devolveretur per appellationem, aut per aliud remedium æquivalens, puta per querelam nullitatis principaliter intentatam. Atque ob istud n. præced. additum fuit ly, « vel si principaliter intentetur, etiam coram judice superiore: secus enim, si nullitas intentetur solum incidenter, ut dictum.

30. *Secus dicendum de judice delegato; quod tamen limitatur.* — E contra judex delegatus (quod intellige de delegato ad causam particularem) postquam semel pronuntiavit, sive bene, sive male, functus est officio suo, sicque cessat ejus auctoritas et jurisdictio; ac proinde non potest amplius reformare sententiam suam nulliter prolatam, sed oportet adire superiorem, seu delegantem; ut c. *In litteris. de Offic. delegat.* et l. *Si (ut proponis) pars.* c. *Quomodo et quando judex*, etc.; Bartolus cit. l. *Si expressim.* § *Quæro, coram quo judice.* ff. *de Appellation. et relation.*; Gailus, d. observat. 127. n. 5. et 6. et alii. Quanquam Abbas cit. c. *In litteris.* n. 4. et Felinus, ibid. n. 1. vers *Tertio fallit. de Offic. delegat.* istud intelligant, nisi sententia sit nulla ex defectu formæ mandati: non enim dicitur judex pronuntiasse, si non servavit formam mandati, arg. l. *Quod tamen.* ff. *de Arbitris*; ubi arbiter iterum pronuntiat, si non servavit formam compromissi.

31. *Hodie ex usu fori ubique ferme solet adiri superior, sive judex appellationis, super nullitate principaliter cognoscenda.* — Notat tamen Gailus cit. observat. 127. n. 7. Quod hodie ex usu fori ubique ferme obtinuerit, quod superior, sive judex appellationis, super nullitate principaliter cognoscenda adeatur: præsertim, si nullitas ex malitia, vel turpitudine judicis inferioris provenerit, et non aliunde, puta ex errore aliquo. Quinimo in tali casu iniquum foret, ut idem ipse suæ iniquitatis, aut turpitudinis cognitor existeret, et forsan hanc malitiose occultando ulterius reum gravaret: nam cæteroquin etiam gravatus, non debet remitti ad judicem gravantem. l. *Eos qui.* c. *de Appellation.*

§ II.

QUI, ET A QUIBUS JUDICIBUS, APPELLARE POSSINT?

32. *Regulariter quilibet potest appellare, si se injuste gravatum existimet.* Quæritur I. An omnibus sit permissum appellare, vel appellans faciat injuriam judici *a quo*? Resp. I. Regulariter loquendo quilibet potest appellare tum a gravamine sibi extrajudicialiter illato, tum a sententia contra ipsum lata, si per hanc se injuste gravatum existimet. Ita communis. Ratio est, quia appellatio est species quædam defensionis, c. *Cum speciali.* 61. § *Porro.* h. t. sicque jure naturæ omnibus regulariter permissa esse debet. Additur tamen, « regulariter, » propter nonnullos casus specialiter hinc exceptos, de quibus infra § 10. et 11. per totum.

33. *Appellans non facit injuriam judici a quo.* — Resp. II. Appellans non facit injuriam judici, a cujus sententia appellat, utitur enim legitima defensione, sibi de jure concessa. Ita Glossa fin. l. *Illud sciendum.* l. I. ff. *de Appellat.* istud intelligens, dummodo appellans non inferat judici convicium; alioquin enim infamia notaretur, l. *Judici.* ff. *de Injuriis.* Vallensis, h. t. § 2. n. 1. post Rebuffum, tract. *de Supplicat.* n. 49. Idque præter rationem jam allatam patet ex l. *Et in majoribus.* c. *de Appellat.* et relat. ibi: « Et in majoribus, et in minoribus negotiis appellandi facultas est: nec enim judicem oportet injuriam sibi fieri existimare, eo quod litigator ad provocationis auxilium convolavit. »

34. *Saltem non tantam, ex qua agi possit; aut judex a quo moveri debeat. Nemo videtur*

facere injuriam, qui utitur jure suo. Per appellationem iniquitas prioris judicis arguitur. — Dices. Appellatio fuit introducta principaliter, ut per eam iniquitas prioris judicis corrigatur, l. I. § 1. *de Appellat. et relat.* ibi : « Appellandi usus iniquitatem judicantium, vel imperitiam corrigit : » ergo appellans ipso facto arguit judicem *a quo* alicujus iniquitatis, vel imperitiæ; ut c. *Interposita.* 70. fin. h. t. ibi : « Cum in hoc casu » appellationis a gravamine, « iniquitas prioris judicis principaliter arguatur. » Resp. neg. consequent. Quia, licet judici, a quo appellatur, fiat aliqualis injuria, arg. *Litigatores.* ff. *de Receptis arbitris*, et l. ult. § fin. c. *Quando provocare non est necesse*, non tamen fit ei tanta injuria, ex qua agi potest, per jura n. 32. et 33. allegata, et notat Hostiensis in *Summa*, tit. *Ut lite pendente nihil innovetur.* n. 2. Quinimo nec judex, a quo appellatur, ex hoc moveri debet : siquidem appellans utitur jure suo : atque nemini videtur facere injuriam qui utitur jure suo, c. *Cum Ecclesia Vulterana.* 31. *de Election.* et amplius tradit Hostiensis in *Summa.* tit. *de Appellat.* n. 5.

35. *Excommunicatus, si injuste condemnetur, appellare potest. Imo et rescriptum apostolicum impetrare.* — Quæritur II. Utrum excommunicatus, vel utraque pars, aut etiam aliquid tertius appellare possit a judiciali sententia? Resp. I. Excommunicatus, si injuste condemnetur, appellare potest. Textus est in c. *Cum inter.* 5. et c. *Dilecti.* 8. et c. *Significaverunt.* 11. *de Exceptionib.* cum similibus. Quinimo excommunicatus non solum potest appellare, sed etiam « super appellationis articulo » rescriptum apostolicum impetrare, cap. I. *de Rescript.* in 6. estque uberius dictum supra lib. I. tit. III. *de Rescriptis.* § 2. n. 39. 43. et 44. Nec immerito : nam etiam excommunicatis non est deneganda omnis legitima defensio, et consequenter nec appellatio.

36. *Potest interdum utraque pars appellare ab eadem sententia.* — Resp. II. Potest interdum contingere, quod utraque pars appellet ab eadem sententia, quatenus hæc utrique parti contraria est. Ita Glossa communiter recepta in cit. c. *Significaverunt.* ỳ. *Absolvit. de Exception.* Idque patet ex c. *Si duobus.* 10. ubi Abbas, n. 2. et Barbosa in *Collectan.* n. 2. h. t.; Scaccia, quæst. 10. *de Appellat.* n. 5. cum aliis, istud intelligens, quando utraque pars potest prætendere gravamen : nam absque gravamine locum non habet appellatio. Id ipsum constat ex c. *Raynutius.* 16. et c. *Raynaldus.* 18. *de Testament.* ubi a sententia prolata utraque pars provocasse legitur. Quando enim sententia sunt plura membra, seu capitula, bene contingere potest, quod eadem utrique parti quoad aliquid videatur præjudicium generare : sicque petatur infirmari, quatenus contra se fuerat promulgata, et quatenus sibi favebat, executioni mandari. Hinc in simili habetur c. *Auditis.* 3. *De in integr. restitut.* quod utraque pars Ecclesia, atque in eadem causa, petierit restitui in integrum, fueritque restituta.

37. *Quilibet tertius potest appellare contra sententiam, si per eam se gravatum senserit.* — Resp. III. Non solum ille, contra quem sententia lata est, sed etiam quilibet tertius, si per hujusmodi sententiam se gravatum senserit, atque exinde aliquod præjudicium sibi obventurum judicet, appellare potest. Ita communis; et patet ex can. *Non solent.* 2. q. 6. ac l. 1. ff. *de Appellation. recipiend.* quo utroque in loco dicitur : « Non solent audiri appellantes, nisi hi, quorum interest, vel quibus mandatum est, vel qui negotium alienum gerunt, quod mox ratum reus habeat. » Et consequenter hi omnes, imo et singuli, « quorum interest, » possunt appellare; cum exceptio firmet regulam in oppositum, arg. l. *Quæsitum.* § *Denique Neratius.* ff. *de Fundo instructo*, cum similibus.

38. *Quod exemplificatur.* — Declaratur id amplius inductione. Sic quippe ratione affectionis, et necessitudinis, potest pater, vel etiam mater, in causa deserta filii sui appellare, cit. l. I. ff. *de Appellat. recipiend.* canonizata d. can. *Non solent.* 2. q. 6. Item potest appellare procurator in causa sui principalis, sicut et negotii alieni gestor, dummodo id dominus mandaverit, aut postea ratum habeat, per jura jam allegata. Item tutor, et curator appellat nomine pupilli, vel minoris, l. *Tutor.* ff. *de Appellat.* Item Fidejussor in causa ejus, pro quo intervenit, l. *A sententia.* ff. eod. Item potest appellare episcopus pro suo clerico, Abbas pro monacho, civitas pro cive, dominus pro subdito; ut c. *Cum super.* 17. *de Sentent. et re judicat.* et c. *Dilectis filiis.* 55. *de Appellat.* ubi tertio interesse habenti, permittitur appellare ; ac notat Innocentius et Abbas cit. c. *Dilectis filiis.* in 6. per textum ibidem, Se ac suos, etc. et Gailus lib. I. *Practic.* observat. 125. n. 6. et 7, allegans alios,

39. *Appellatio unius prodest alteri, si communi jure juventur.* — Quinimo si una eademque sententia plures condemnentur, et cæteris non appellantibus unus solus appellare voluerit; non solum is audiri debet appellans, sed etiam, si ipse in causa appellationis vincat, ejus victoria cæteris prodest: dummodo communi jure juventur, idemque negotium, atque eadem defensionis causa quoad omnes existat, text. clar. c. *Una sententia.* 72. h. t. Ubi proinde Summarium breviter ait: « Appellatio unius prodest alteri, si communi jure juventur, » etc. Concordant dicta superius tit. præced. § 5. n. 158.

40. *Illis, quorum non interest, appellatio concessa non est.* — Resp. IV. Illis nihilominus, quorum non interest, appellatio concessa non est. Patet hoc ex l. I. ff. *de Appellation. recipiend.* quæ est canonizata in can. *Non solent.* 2. q. 6. cujus verba n. 37. referuntur. Concordat c. *Cum inter.* R. 16. *de Election.* ibi: « Cum nisi quorum interest, audiri non soleant appellantes, appellationem illam dicimus legitimam non fuisse. » Accedit ratio: quia gravamen est causa appellationis, eoque cessante cessat appellatio: atqui is, cujus non interest, nullum patitur gravamen; ergo.

41. *Excepta causa sanguinis.* — Fallit istud in causa sanguinis. Nam si quis post latam sententiam ad ultimum supplicium ducatur, quem quis innocentem esse novit, aut probare velit, tunc cuilibet, etiam extraneo, et non rogato, appellare licet, quamvis cæteroquin ejus non intersit: idque exemplo Danielis prophetæ, castam Susannam e manibus iniquorum judicum hoc modo liberantis, *Daniel*, cap. XIII. Hoc ipsum, dictante lumine naturali, agnovit Ulpianus, et habetur expressum l. *Non tantum.* ff. *de Appellation. et relation.* Idque humanitatis ergo, sive ne sanguis innoxius offundatur, ibidem expresse statuitur: haud obstante quod damnatus resistat, et cito perire festinet. Unde Bartolus in *Summario* cit. l. *Non tantum*, sic loquitur: « Cuilibet licet provocare pro eo, qui ad supplicium ducitur, etiam eo invito. »

42. *Regulariter a quibuslibet judicibus appellare licet.* — Quæritur III. An a quibuslibet judicibus appellare liceat? Resp. I. Regulariter loquendo id esse licitum; nisi judex fuerit princeps supremus. Prior pars sequitur ex dictis n. 32. et seqq. Siquidem appellatio est species quædam defensionis, quæ datur oppressis contra injuriam judicis; estque remedium institutum ad præsidium innocentiæ, c. *Cum speciali.* § 6. *Porro.* h. t. Simulque « appellandi usus iniquitatem judicantium, vel imperitiam corrigit, » uti dicitur l. I. ff. eod. Concordat can. *Omnis.* 2. q. 6. cum similibus: « Neque enim judicem oportet injuriam sibi fieri existimare, quod litigator ad provocationis auxilium convolavit, juxta textum notabilem in l. *Et in majoribus.* c. h. t. estque superius jam dictum.

43. *Nisi judex fuerit princeps supremus.* — Altera pars conclusionis, sive limitatio illa, « nisi judex fuerit Princeps supremus, » ex eo patet: quia appellatio est de minore judice ad majorem provocatio; sicque debet fieri ab inferiori ad superiorem: atqui princeps supremus, hoc ipso, quod sit supremus, non habet superiorem; ergo. Et hinc textus in l. I. ff. « A quibus appellare non licet, » notanter inquit: « Stultum est illud admonere, a principe appellare fas non esse; cum ipse sit, qui provocatur. » Ubi Glossa ỹ. *Stultum*, exponit: « id est, supervacuum: quia omnes sciunt. »

44. *Appellari non potest a sententia Summi Pontificis.* — Unde imprimis appellari non potest a sententia sacrosanctæ romanæ Ecclesiæ, sive Summi Pontificis, can. *Ipsi sunt*, et can. *Cuncta per mundum*, 9. q. 3. cum veluti vicarius Christi, superiorem in terris non recognoscat: quinimo appellantes a sententiis et mandatus Summi Pontificis ad futurum concilium generale, ipso facto excommunicantur excommunicatione in bulla *Cœnæ Domini* reservata.

45. *Appellari non potest a concilio generali, aut a sententia totius congregationis cardinalium. Idem procedit in imperatore, ac regibus, etc.* — Deinde non appellantur a concilio generali legitime congregato, et approbato: quia una cum Romano Pontifice, qui illud approbavit, repræsentat Ecclesiam universalem. Addit Pirhing, h. t. n. 81. et Sannig, eod. tit. cap. v. n. 3. post Dianam in *Summa.* ỹ. *Appellatio.* 3. n. 6. et doctores communiter, neque appellari a sententia totius congregationis cardinalium. Id ipsum procedit in imperatore, a regibus, et aliis hujusmodi, superiorem in terris quoad temporalia non recognoscentibus.

46. *Quod etiam competit quibusdam inferioribus principibus, ex speciali privilegio.* — Insuper non tantum a supremis, sed etiam a quibusdam inferioribus principibus, ex spe-

ciali privilegio eisdem concesso, prohibitum est appellare. Sic olim a sententia præfecti prætorio, appellare non licuit; sed solum poterat supplicari principi, l. un. c. *de Sententiis præfectorum prætorio.*

47. *Puta, electoribus, sac. rom. imperii, ac supremis horum dicasteriis.* — Atque istud privilegium hodie competit electoribus sac. rom. imperii, juxta Bullam auream. Engel. h. t. n. 21. Philipp. Andr. Oldenburgerus in *Lymnæo enucleato*, lib. II. cap. I. n. 27. et 28. latius istud electorum privilegium contra nonnullos alios propugnans. Et quia sententia a supremis horum dicasteriis lata, censetur esse sententia ipsius imperatoris, regis, vel electoris, utpote nomine ipsius prolata; hinc neque a supremis eorum dicasteriis appellare licet, sed solum Principi supplicari potest, saltem spectato jure communi.

48. *Hodie usus supplicandi propemodum ab aulis recessit, et in ejus locum successit revisio. Revisores, qui?* — Additur notanter, « saltem spectato jure communi. » Siquidem hodie usus supplicandi propemodum ab Aulis recessit, atque in ejus locum successit revisio: nam de facto communiter Principes illi, a quibus appellare non licet, erectis *Revisoriis* (ut vocant) habere solent commissarios deputatos, quos appellant *Revisores*, in ordine ad priora acta judicialia, si petatur, revidenda, ipsamque sententiam, si opus fuerit reformandam. Idque fieri consuevit æquitate sic suadente: cum etiam in supremis dicasteriis, ob negotiorum multitudinem, quandoque aliquid minus bene apprehendi; sicque sententiam contra jus litigatoris proferri contingere valeat. Engel, h. t. n. 25.

49. *Revisio ejusmodi, quæ habeat specialia? Et quomodo differat a supplicatione, et appellatione?* — Cæterum revisio hujusmodi nonnulla habet specialia, et quæ in appellatione non reperiuntur. Primo enim in revisione unico duntaxat scripto possunt exprimi causæ gravaminis; neque licitum est aliquid novi, atque in actis prioribus non contentum inserere; quia permittitur solum revisio actorum priorum: secus est in appellatione, ubi licitum est puribus uti scripturis: simulque non deducta deducere, et non probata probare, l. *Per hanc.* c. *de Temporib. Appellat.* Deinde is, qui revisionem postulat, tenetur certam pecuniæ quantitatem deponere, quam amittet, si causam in revisorio perdiderit; recipiet vero, si ibidem obtinuerit: talis autem depositio pecuniæ non requiritur in appellatione. Engel cit. n. 25. addens, quod revisio suspendat executionem causæ, seu latæ circa eam sententiæ: per quod ipsa differt a Supplicatione, quæ non suspendit executionem sententiæ, conformiter dictis supra n. 22. convenit autem cum appellatione, utpote quæ pariter suspendit executionem latæ sententiæ.

50. *Regula illa, quod liceat appellare a quocunque judice, nisi fuerit princeps supremus, patitur nonnullas limitationes.* — Resp. II. Etsi regulariter loquendo licitum sit appellare a quocunque judice, nisi fuerit princeps supremus, ut dictum: tamen hæc ipsa regula patitur nonnullas alias limitationes. Ita communis; et patet inductione, ostendendo tales fallentias.

51. *Fallit enim, si quis ante sententiam professus fuerit, se a judice non provocaturum; et quando?* — Fallit enim *primo*, « Si quis ante sententiam professus fuerit, se a judice non provocaturum: » tunc enim « indubitate provocandi auxilium perdidit, » per textum expressum l. I. ff. *A quibus appellare non licet.* Quamvis Glossa ib. ỿ. *Perdidit*, recte observet, hoc procedere, si quis taliter professus fuerit in judicio: secus, si extra; ut l. *Cum falsa.* c. *de Juris et facti ignorant.* Nisi forsan extra jus pacisceretur quis cum adversario de non appellando a sententia electi judicis: quia tunc pariter non licebit ad provocationis auxilium pervenire, l. ult. § fin. c. *de Temporib. appellat.*

52. *Fallit quoque in episcopo, judicante inter laicos ex prorogatione jurisdictionis circa causam civilem.* — Fallit *secundo* in episcopo, ex prorogatione jurisdictionis judicante inter laicos circa causam civilem. Etsi enim cæteroquin a sententia episcopi possit appellari, c. *Romana. de Appellat.* in 6. tamen si laici in causis civilibus episcopo se committant, ejus jurisdictionem prorogando, tunc a sententia per episcopum lata appellare non possunt, l. *Episcopale.* c. *de Episcopal. audient.* Et hoc est speciale in episcopis, ipsisque ob dignitatem episcopalem ex singulari privilegio concessum ab imperatoribus, sed quoad laicos solum: nam quoad clericos, atque in ipsorum præjudicium, non potuit imperator privilegiare episcopum. Abbas c. *Causam*, n. 3. *de Sentent. et re judicat.*

53. *Item in judice delegato cum clausula. Appellatione remota, et hujusmodi. Remissive.* — Fallit *tertio*, quando judici delegato

causa commissa fuit sub clausula, « appellatione remota. » Verum de hoc casu, sicut et nonnullis aliis, in quibus appellare non licet, commodius dicetur infra § 10. n. 279. et seqq.

§ III.

DE JUDICE AD QUEM APPELLATIONIS.

54. *Regula est, quod appellatio debeat fieri gradatim ad proximum superiorem.* — Quæritur I. Utrum appellatio gradatim sit instituenda ad proximum judicem superiorem; et quando secus? Resp. I. Regula est, quod appellatio debeat fieri gradatim ad proximum judicem superiorem ejus, a quo appellatur; non autem omisso medio ad remotum, sive mediatum. Ita Socinus, in *Fallentiis*, reg. 23. et communis. Idque patet ex c. *Dilecti filii.* 66. h. t. ubi appellatio, quæ omisso diœcesano episcopo fuit facta ad archiepiscopum, ad quem gradatim appellari debuisset, exceptione partis adversæ opposita non habuit effectum. Id ipsum patet ex c. *Romana.* § *Ab Archidiaconis.* h. t. in 6. et can. *Anteriorum.* § *Ita tamen.* 2. q. 6. et l. *Imperatores.* ff. *de Appellation.* et l. *Præcipimus.* c. eod. cum similibus; ubi appellationem gradatim esse faciendam, et alioquin remittendam ad inferiores judices, decernitur. Concordant dicta superius § 1. n. 5. Nec immerito ita fuit statutum: quia jurisdictiones non debent confundi, sed cuilibet sua jurisdictio conservari, can. *Pervenit ad nos.* 11. q. 1. et l. *Nemo.* juncta Glossa ℣. *Auxilium.* c. *de Jurisdict. omn. Judic.* Sigism. Scaccia tract. *de Appellation.* q. 7. n. 1. et 2. cum aliis.

55. *Ea tamen fallit in pluribus casibus.* — Resp. II. Nihilominus data regula fallit in pluribus casibus. Ita Glossa cit. c. *Dilecti filii.* ℣. *Post hujusmodi appellationem.* et Abbas, ibid. n. 6. ac seqq. et Barbosa, in *Collectan.* n. 3. h. t. Socinus, in *Fallentiis.* Reg. 23. Sigism. Scaccia, *de Appellation.* quæst. 7. n. 36. et seqq. novemdecim tales casus adducens, eosque fusissime declarans. Idque probatur inductione, enumerando principaliores casus illos, in quibus fallit dicta regula.

56. *Ad papam potest appellari, omisso medio, ex toto orbe in causis ecclesiasticis, ac spiritualibus.* — Et primus quidem casus exceptus est in papa: nam ad papam appellari potest omisso medio, vel mediis, ex toto orbe in causis ecclesiasticis, ac spiritualibus, et quoad eos, qui temporali jurisdictioni ipsius subsunt, etiam in temporalibus. Siquidem ad sanctam et apostolicam sedem, quasi ad caput, suffragium habere, atque appellare, omnibus liberum est, can. *Si quis vestrum.* et can. *Ad Romanam.* et can. *Quoties.* 2. q. 6. cum similibus. Nam papa est ordinarius ordinariorum, et habet concurrentem potestatem cum omnibus inferioribus judicibus; estque jam dictum supra cit. §. 1. n. 6.

57. *Haud obstante, quod secus sit in imperatore: et cur?* — Nec obstat, quod appellatio immediate facta ad imperatorem non admittatur, sed remitti jubeatur ad inferiores judices, l. *Imperatores.* ff. *de Appellat.* Idque ea de causa (etiam militante suo modo in summo pontifice) ne imperatoriam majestatem occupatam publicis causis, propter tot appellationes, quandocunque super minimis rebus interpositas, nimium inquietari contingat, cit. can. *Anteriorum.* 2. q. 6. Resp. enim, illud privilegium, quod ad papam immediate appellari possit omissis mediis, esse specialiter concessum sanctæ Sedi apostolicæ, can. *Ideo.* 2. q. 6. junctis concordantiis jam allegatis. Neque urget nimia appellationum frequentia, et ingens negotiorum moles. Nam summus pontifex, utpote Christi in terris vicarius, et communis omnium pater, erectis compluribus sacris congregationibus abunde satagit, potestque satisfacere singulorum necessitatibus: secus contingit in imperatore. Accedit, quod « non ita in ecclesiasticis agendum est negotiis, sicut in sæcularibus; » uti loquitur pontifex relatus can. Non ita, 2. q. 6.

58. *Excipitur unius casus, in quo non appellatur ad papam.* — Excipe tamen unicum casum, in quo non appellatur ad papam: si nempe appelletur a subdelegato delegavit papæ, atque is subdelegavit non in totum, sed aliquid sibi de jurisdictione reservando. Quia enim delegatus papæ repræsentat personam ipsius papæ, merito ab ejus subdelegato non debet appellari ad papam, sed ad ejus delegatum, sive ipsum subdelegantem: idque tum ob honorem illius delegati, utpote repræsentantis personam papæ; tum ad parcendum gravioribus partium laboribus atque expensis. Patet hoc per textum notabilem in c. *Cum te consulente.* 18. *de Offic. delegat.* juncto Summario, et doctoribus ibid. et c. *Super quæstionum.* 27. § *Porro.* eod. ac notat Abbas cit. c. *Dilecti filii.* n. 11. h. t. et Pirhing, eod. n. 90. cum aliis; estque ex professo declaratum supra lib. I. tit. XXIX. *de Offic. et*

potestat. Judicis delegati. § 7. n. 159. 160. et seqq. addendo nonnullas exceptiones hujus ipsius limitationis.

59. *Etiam ad legatum papæ potest appellari immediate, omissis mediis.* — Secundus casus habetur in legato papæ. Nam ad legatum papæ in ejus legatione, sive provincia, potest immediate appellari omissis mediis; ut cap. I. *de Offic. legat.* quia legatus ejusmodi in provincia sua vices papæ gerere comprobatur, prout ibidem dicitur. Abbas cit. c. *Dilecti filii*. n. 12. et 19. Speculator, tit. *de Appellationibus*. § *Nunc tractemus*. n. 15. Felinus, c. *Super quæstionum*. n. 14. *de Offic. delegat.* Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. tit. *de Appellation*. n. 371. Scaccia cit. quæst. 7. *de Appellation*. n. 103. allegans alios, etiam attestantes de communi : quidquid nonnulli apud Speculatorem loc. cit. olim tenuerint in oppositum.

60. *Ampliatur istud ad patriarcham.* — Ampliatur istud ad patriarcham, ad quem potest etiam appellari omisso intermedio. Glossa 1. can. *Renovantes*. dist. 22. istud concedens de patriarcha Constantinopolitano, per textum in can. *Si Clericus*. 11. q. 1. Scaccia, d. quæst. 7. *de Appellat*. n. 104. addens patriarcham Alexandrinum. Socinus in *Fallentiis*, reg. 23. fallent ult. post Innocentium in c. *Archiepiscopus. de Privileg.*; Felinus d. c. *Super quæstionum*. n. 14. *de Offic. delegat.* Maranta, ubi supra, n. 371. et ipsemet Scaccia cit. n. 204. postmodum cum aliis istud concedens generaliter in quolibet patriarcha, nempe quod ad ipsum possit appellari omisso medio.

61. *A subdelegato in totum appellatur ad primum delegantem : secus, si subdelegans sibi aliquid de jurisdictione reservavit.* — Tertius casus est in subdelegato in totum. Etsi enim a subdelegato non appelletur ad primum delegantem, sed ad ipsum delegatum subdelegantem (dummodo hic non subdelegaverit totam causam, sed solum partem, aut certum articulum ipsius, sibi quantum ad alia reservando jurisdictionem) si tamen is totam causam alteri subdelegaverit, omnem jurisdictionem suam circa eam transferendo in alium, jam non ad eum, sed ad primum delegantem appellandum erit : sicque videtur quodammodo appellatio fieri omisso medio, per textum in c. *Super quæstionum*. 27. § *Porro. de Offic. delegat.*

62. *A vicario generali episcopi non appellatur ad episcopum, sed duntaxat ad superiorem.* — Quartus est in vicario generali, sive officiali episcopi nam ab hoc non potest appellari ad episcopum, sed duntaxat ad superiorem; neque valet consuetudo in contrarium, c. *Non putamus*. 2. *de Consuetud.* in 6. Nam cum sit idem auditorium utriusque nempe episcopi et officialis sui, videretur appellatio interponi ab eodem ad se ipsum; estque amplius declaratum supra lib. I. tit. IV. *de Consuetudine*. § 5. n. 75. et seqq.

63. *Non obstante quacunque consuetudine in contrarium; et cur?* — Nec obstat, quod valeat consuetudo appellandi ad superiorem mediatum omisso medio. Nam, quod appelletur ab officiali ad episcopum, est contra substantialia appellationis; cum hæc essentialiter sit provocatio de minore ad majorem. Sed quod appelletur omisso medio, non est contra ejus substantialia, sed contra accidentalia duntaxat; unde non mirum, quod possit valere consuetudo in contrarium quantum ad hoc posterius, non vero quantum ad prius. Abbas cit. c. *Dilecti filii*. 66. n. 16. h. t. Concordant dicta superius § 1. n. 7.

64. *Valet appellatio ad superiorem omissis mediis, ubi id admittit consuetudo.* — Quintus casus, in quo valet appellatio ad superiorem omissis mediis, est, si alicubi id admittat consuetudo legitime præscripta. Patet hoc ex c. *Romana*. h. t. in 6. ubi dicitur, appellationem esse faciendam ab Archidiacono, et aliis inferioribus prælatis ad episcopum, et non immediate ad archiepiscopum, « nisi aliud Archiepiscopo de consuetudine competat in hac parte. » Concordant dicta superius § 1. n. 7.

65. *Idem procedit ratione privilegii.* — Sextus casus habetur ratione privilegii, utpote vi cujus potest quis appellare ab inferiore ad superiorem, omisso medio. Tum quia privilegium est lex privata, c. *Abbate*. 25. § *Contra*. ff. *de Verb. signif.* Tum quia consuetudo, et privilegium æquiparatur, can. *Conquestus est*. 9. q. 3. et c. *Duo simul*. 9. *de Offic. iudic. ordinar.*; Glossa c. *Romana*. §. *Consuetudine*. h. t. in 6; Socinus cit. reg. 23. fallent. 7; Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. tit. *de Appellation*. n. 372; Scaccia cit. quæst. 7. de Appellat. n. 95 et 99. cum aliis, quos citat.

66. *Scholares possunt appellare ad superiorem, omisso medio.* — Sic quippe, tacendo alia specialia privilegia quibusdam personis, aut communitatibus concessa, possunt scholares indebite gravati appellare ad superiorem, puta imperatorem, omisso medio; idque

ex speciali privilegio, scholaribus concesso, in Auth. *Habita*. c. *Ne filii pro parentibus*, etc; Socinus, loc. cit. fallent. 5; Maranta, d. n. 372. post Baldum in d. Auth. et alios.

67. *Simile privilegium competit viduis, pupillis, aliisque miserabilibus personis.* — Simile privilegium competere viduis, pupillis, aliisque miserabilibus personis; adeo, ut eis permissum sit appellare omisso medio, imo et principem adire in prima instantia: tradit Scaccia, d. quæst. 7. *de Appellation*. n. 113. 114. et seqq. id probans ex l. un. c. *Quando Imperator inter pupillos*, etc. atque pluribus aliis, pro hac sententia allegatis, refundens originem hujus privilegii (fusius ab eodem declarati) in jus naturale, ac divinum; juxta illud *Exodi*, XXII, 22-24. *Viduæ et pupillo non nocebitis: si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum; et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio: et erunt uxores vestræ viduæ, et filii vestri pupilli.* (ADNOTATIO XX.)

68. *Potest appellari ad superiorem, quando judex intermedius est inhabilis; puta, quia est excommunicatus, suspensus, etc.* — Septimus casus est, quando Judex intermedius est inhabilis: puta, quia est excommunicatus, hæreticus, suspensus, aut hujusmodi: quia tunc poterit, eo omisso, appellari ad Judicem superiorem, c. *Si is, cui*. 10. *de Offic. delegat.* in 6; Abbas cit. c. *Dilecti filii*. 66. n. 15. h. t.; Socinus, d. reg. 23. fallent. 11; Felinus cit. c. *Super quæstionum* n. 14. *de Offic. delegat.*; Maranta, ead. part. VI. *Speculi aurei*. tit. *de Appellation*. n. 375. Scaccia, ubi supra, n. 37. allegans alios. Nec immerito: nam, ex quo per excommunicationem, aut aliam hujusmodi inhabilitatem, sublatum est medium (nempe judex intermedius excommunicatus etc.) consequens est, ut pateat accessus ad superiorem; alioquin quippe subtraheretur cuipiam necessario defensio appellationis, omni jure concesso gravato; simulque quis prægavaretur odio alterius, contra reg. 22. jur. in 6. cum similibus.

69. *Aut suspectus, sicque recusatus.* — Atque istud ampliatur ad eum casum, quo judex proximus est suspectus, sicque recusatus. Socinus cit. reg. 23. fallent. 12; Speculator, tit. *de Appellation*. § *Nunc tractemus*. n. 5; Maranta, ubi supra, n. 387; Scaccia cit quæst. 7. n. 40. cum aliis, qui istud exemplificant in casu, quando ordinarius recusatus ut suspectus, delegavit causam alicui delegato: nam si ab ipso delegato appellari contingat, non ad illum ordinarium, v. g. episcopum, sed ad ejus superiorem, puta, ad archiepiscopum, erit appellandum; sicque procedit appellatio omisso medio. Nisi dicere velis cum speculatore cit. n. 5. quod, cum ordinarius sit recusatus, non amplius censeatur facere medium, arg. can. *Placuit, ut presbyteri*. 2. q. 6.

70. *Vel absens longe impedimento detentus.* — Ampliatur ulterius ad eum casum, quo proximus superior foret absens, longo impedimento detentus; quia tunc appellatur ad superiorem judicis impediti, secus, si impedimentum modico tempore esset duraturum, quia tunc deberet expectari cessatio impedimenti. Scaccia, d. quæst. 7. n. 111. post Francum in rubric. n. 40. vers. *Quæritur. de Appellat.*; Maranta, ubi supra, n. 379.

71. *Aut denegat justitiam, vel sponte remittit causam ad superiorem.* — Ampliatur rursus, quando immediatus, seu proximus judex denegat justitiam, vel sua sponte causam remittit ad superiorem. Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 119. n. 2; Scaccia, loc. cit. n. 43, allegans insuper Mynsinger. *Singul. observat.* cent. 1. observat. 67. 2.

72. *Item, quando episcopus litigat cum suo subdito.* — Octavus casus est, quando episcopus litigat cum suo subdito; puta, cum clerico aliquo: quo casu eligendi sunt Arbitri, can. *Si Clericus adversus clericum*, 11. q. 1. et postea, si a sententia arbitrorum appellari contingat, appellandum est ad Papam, omisso medio. Textus et Glossa fin. c. *Ab arbitris. de Offic. delegat.* in 6. Abbas c. *Dilecti*. 66. n. 14. h. t.; Maranta, loc. cit. n. 376. Scaccia, d. quæst. 7. n. 107. citans plures alios.

73. *Quando per errorem appellatur ad superiorem omisso medio, non vitiatur appellatio; secus si ad minorem.* — Nonus casus est, quando per errorem appellatur ad superiorem, omisso medio: nam talis error appellationem non vitiat, quamvis excipiente contra eam adversario remitti debeat ad judicem competentem. Secus, si per errorem quis appellaverit ad minorem: quia talis error est contra substantiam appellationis; sicque hanc vitiat, l. I. § *Si quis in appellatione*. et ibi Bartolus, n. 1. et 5. ff. h. t.; Abbas, d. c. *Dilecti*. 66. n. 8. h. t.; Scaccia, loc. cit. n. 96. citans alios; atque n. 98. subjungens, quod in dubio semper præsumatur error.

74. *Generaliter valet appellatio ad superiorem omisso medio, si contra eam pars adversa*

non excipiat. — Decimo tandem, ut omittantur alii casus, apud auctores proxime citatos videndi, fallit generaliter allata regula, quando contra appellationem omisso medio factam, non opponitur exceptio per partem adversam : quia tunc ejusmodi appellatio, ad superiorem mediatum facta, non est ipso jure nulla, sed valet una cum gestis per superiorem istum; argumento a sensu contrario desumpto, ex cit. c. *Dilecti filii.* 66. h. t. ibi : « Fuit excipiendo propositum : » et tradit Glossa ibid. ℣. *Post hujusmodi appellationem.* Abbas, numer. 7. et Barbosa, numer. 4. h. t. Maranta, cit. part. VI. tit. *de Appellation.* n. 373. post Rotam decis. 387. in c. *Si tres*, etc. in novis.; Scaccia cit. quæst. 7. n. 18. 19. et 26. allegans alios, qui attestantur de communi, saltem loquendo secundum canones : quidquid nonnulli contradicant, quorum opinionem procedere secundum leges, censet idem Scaccia, n. 17. et 20. Accedit ratio, quia pars adversa, si non excipiat coram illo superiore, censetur in appellationem consentire, atque ejus jurisdictionem in se prorogare ipso facto, ac tacito suo consensu. Concordant dicta superius § 1. n. 7.

75. *Quid juris, si uterque litigantium appellet, sed ad diversos judices? Appellans ad superiorem, si citetur a judice inferiore, ad quem alter appellavit, tenetur comparere, vel saltem responsalem mittere : alioquin judex ille contra eum poterit procedere, veluti contumacem, etc.* — Quæritur II. Quid juris, si uterque litigantium appellet, sed ad diversos judices, v. g. unus ad papam, alter ad inferiorem aut unus ad episcopum, alter vi consuetudinis eo omisso ad archiepiscopum? Resp. I. Si appellans ad superiorem citetur a judice inferiore ad quem alter appellavit, tenetur is coram judice inferiore comparere, aut responsalem mittere allegando appellationem suam ad superiorem interpositam; alioquin inferior judex contra eum veluti contumacem procedere poterit, valebitque excommunicatio in ipsum per contumaciam promulgata : nisi judex ille inferior sciverit appellationem ab eo interjectam ad superiorem. Ita habetur c. *Si duobus.* 7. h. t. ubi Abbas in *Summario.* Barbosa, in *Collectan.* n. 1. et 2. h. t., Scaccia, *de Appellation.* quæst. 10. n. 10. et seqq. et alii.

76. *Et quæ hujus ratio?* — Ratio est, quia judex inferior habet jurisdictionem ordinariam in talem, donec ea per exceptionem, sive oppositionem appellationis ad superiorem elidatur; et consequenter hac non opposita, vel saltem sibi non patefacta, potest contra legitime citatum, nec comparentem neque mittentem pro se responsalem, procedere veluti contra contumacem, juxta textum d. *Si duobus.* h. t.

77. *Dummodo aliunde judex ille non sciverit. appellationem ad superiorem ab altera parte fuisse interpositam.* — Additur tamen, « nisi judex ille sciverit, » etc. Quia si aliunde sit notorium, sciaturque a judice inferiore, appellationem ad superiorem ab altera parte fuisse interpositam, frustra eam ulterius allegati desideraretur : nam juxta reg. 31. jur. in 6. « Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet. » Atqui hic casus expresse exceptus est in cit. c. *Si duobus.* 7. h. t. illis verbis : « Nisi judex cognoverit, eum ad audientiam Romani pontificis appellasse. »

78. *Appellatio, ad judicem superiorem prævalet alteri, quæ facta est ad inferiorem.* — Resp. II. Appellatio ad judicem superiorem prævalet alteri, quæ facta est ad inferiorem, quando hic desuper certificatus est. Desumitur hoc ex cit. c. *Si duobus.* 7. h. t. et notat Abbas, ibid. n. 2. et Barbosa, n. 2. citans alios. Etsi enim ibi sermo sit de appellatione a duobus facta, quorum unus appellavit ad summum pontificem, et alter super eodem negotio ad inferiorem judicem : idem tamen juris est, si unus non ad papam, sed ad quemcunque alium judicem superiorem appellet; prout notat Abbas d. n. 2. cum aliis. Nec immerito : quia, cum una, eademque causa non possit tractari coram diversis judicibus, prævalet tribunal superius; eique cedit minus dummodo desuper fuerit certificatum, juxta dicta n. præced.

79. *Appellatio a judice sæculari ad Papam, de rigore juris non tenet.* — Quæritur III. An appellatio a judice sæculari ad papam interposita teneat? Resp. I. Gravatus coram judice sæculari non potest injustitiam illam per viam appellationis deferre ad papam, nisi litigantes illi etiam sint de temporali jurisdictione ecclesiæ : et si secus fiat, spectato rigore juris communis non tenet appellatio; licet de consuetudine speciali secus esse possit. Ita habetur cit. c. *Si duobus.* 7. § *Denique* h. t. ubi pontifex desuper consultus, sic respondet : « Denique, quod quæris, si a civili judice ante judicium, vel post; ad nostram audientiam fuerit appellatum, an hujusmodi appellatio teneat : tenet quidem in his, qui sunt nostræ temporali jurisdictioni subjecti :

in aliis vero, et si de consuetudine Ecclesiæ teneat, secundum juris rigorem credimus non tenere. » Hæc pontifex.

80. *Ecclesia se non intromittit quoad causas civiles, in præjudicium judicis sæcularis.* — Hinc quantum attinet priorem partem conclusionis, Glossa fin. ibid. patere inquit, quod jurisdictio temporalis non pertineat ad Ecclesiam, nec de ea debeat se intromittere in præjudicium judicis sæcularis : ut c. *Novit.* § 1. *de Judiciis.* et c. *Lator.* et c. *Causam.* quæ. 7. *Qui filii sint legitimi*, cum similibus. Accedit ratio : quia potestas civilis et ecclesiastica, sunt potestates distinctæ, can. *Cum ad verum.* et can. *Duo sunt.* dist. 96. ergo hoc ipso potestas ecclesiastica, non debet se intromittere quoad causas civiles in præjudicium potestatis civilis.

81. *Nisi laici litigantes sint de temporali jurisdictione Ecclesiæ. In terris temporali jurisdictioni Ecclesiæ subjectis, debent etiam inter laicos servare canones, non leges civiles, ubi discrepant.* — Intellige; nisi laici litigantes sint etiam de temporali jurisdictione ecclesiæ : nam tunc utraque potestas coalescit in unam; et facta ad papam appellatione in civilibus, nulli alii fit præjudicium. Concordat textus proxime allegatus, ibi : « Tenet quidem in his, qui sunt nostræ temporali jurisdictioni subjecti. » Quinimo ex hoc textu desumitur argumentum optimum, et quasi expressum, quod in terris temporali jurisdictioni Ecclesiæ subjectis, debeant etiam inter laicos servari canones, et non leges civiles, data inter hos aliqua discrepantia. Abbas cit. c. *Si duobus.* n. 6. et Barbosa, ibid. n. 6. h. t. et alii.

82. *De consuetudine speciali potest tenere appellatio a judice sæculari ad Papam.* — Altera pars datæ conclusionis, asserens, aliud esse posse de consuetudine speciali alicubi vigente, ex eo patet. Quia talis consuetudo rationabilis est, simulque favorabilis; ut c. *Si Clericus.* 5. et c. *Licet.* 10. *de Foro compet.* Unde nihil impedit quominus possit introduci, ac legitimo tempore præscribi, cap. ult. *de Consuetud.* cum concordantiis.

83. *Non tamen valet consuetudo, appellandi a foro ecclesiastico ad sæcularem. Et cur?* — Nec obstat, quod non valeat consuetudo, ut teneat appellatio a foro ecclesiastico ad sæcularem. Resp. enim, disparitatem esse: quia hoc est contra essentiam appellationis, quæ est provocatio a minore judice ad majorem. Atqui majus, et dignius tribunal est ecclesiasticum, quam sæculare, can. *Duo sunt.* dist. 96. etc. *Solitæ.* 6. *de Majorit. et obed.* et Extravag. *Unam sanctam.* eod *inter Communes*, cum similibus. Unde non mirum, quod vi consuetudinis possit a foro sæculari appellari ad ecclesiasticum, non autem e converso.

84. *Casus, in quibus a judice sæculari videtur provocari ad ecclesiasticum, referuntur.* — Dices. Etiam seclusa consuetudine, et spectato jure communi, potest a judice sæculari provocari ad Ecclesiasticum; ergo. Antecedens probatur multipliciter. Sic enim imprimis in c. *Novit.* 13. *de Judiciis*, rex Angliæ denuntiavit papæ regem Franciæ, quod venisset contra compositionem juramento firmatam, et facta occasione feudi super comitatu Pictaviæ; quod erat quid temporale. Deinde c. *Ex parte.* 15. *de Foro compet.* dicitur, quod vidua, vel alia persona miserabilis, si in bonis suis, etiam feudalibus, aut sæcularibus opprimatur, seu spolietur, possit immediate ad judicem ecclesiasticum recurrere. Ulterius c. *Ex tenore.* 11. § fin. eod. conceditur, quod si judex sæcularis negligit facere justitiam, possit ecclesiasticus adiri. Tandem hoc ipsum admittitur in casu, quo superior judex sæcularis non invenitur, v. g. vacante imperio, c. *Licet.* 10. juncta Glossa ỳ. *Vacante imperio. de Foro competent.* ergo data conclusio non videtur subsistere. Resp. neg. consequent. Nam allegata jura loquuntur in casibus specialibus, atque omnino diversis : idque ostenditur inductione.

85, 86 et 87. *Ac resolvuntur. Viduæ, pupilli, et aliæ miserabiles personæ rebus suis spoliatæ, possunt spoliatores suos convenire coram judice sæculari.* — Imprimis enim in cit. c. *Novit de Judiciis*, non agitur principaliter de aliquo temporali, puta, de feudo super comitatu Pictaviensi; sed ibi agitur principaliter de causa spirituali, nempe de juramento, sive perjurio a rege Franciæ in fractione compositionis juratæ commisso. Quia, ut protestatur ibidem pontifex; is non intendebat judicare de feudo; sed de peccato in fractione pacis commisso, cujus cognitio indubitanter pertinet ad judicium ecclesiæ.

Ad alterum, sive ad c. *Ex parte.* 15. *de Foro compet.* dicitur, id procedere solum, si viduæ, aut pupilli, vel ejusmodi personæ miserabiles ab aliis injuste graventur, vel bonis suis spolientur, sicque spoliatores suos convenire velint coram judice ecclesiastico interdicto *Unde vi* : nam causæ hujusmodi miserabilium personarum, per vim oppressa-

rum, sunt misti fori, sicque earum defensio spectat etiam ad Ecclesiam saltem comulative, per textum ibid. juncto can. *Licet.* et can. *Defensionis.* dist. 87. cum similibus. Verum istud duntaxat procedit, si agatur Interdicto *Unde vi*, sive ad repellendam violentiam ipsis illatam, aut recuperandam possessionem eisdem violenter ablatam : nam si vidua, vel alia persona miserabilis, velit agere contra laicum petitorio tantum, sive de proprietate circa rem temporalem, non auditur coram judice ecclesiastico, nisi in defectum judicis sæcularis, c. *Ex tenore.* 11. *de Foro compet.* estque jam dictum supra eod. tit. 2. *de Foro competenti*, § 7. n. 154. et seqq. ubi plura de hoc.

Ad alia duo capitula dicitur, ea in illis specialibus casibus procedere, ne alioquin actor indebite privetur jure suo, dum nullus alius adest, qui justitiam administrare valeat: vel hanc judex sæcularis malitiose recusat administrare, sicque merito propter ejus peccatum jurisdictio devolvitur ad judicem ecclesiasticum. Plura de hoc videri possunt supra lib. I. tit. X. *De supplenda negligentia prælatorum.* § 3. a n. 45. usque ad n. 49. inclusive.

§ IV.

CORAM QUIBUS, ET QUOMODO PROPONI DEBEAT APPELLATIO?

88. *Appellatio regulariter est proponenda coram judice a quo.* — Quæritur I. Coram quo judice appellatio sit proponenda? Resp. I. Regulariter loquendo, appellatio debet proponi ab appellante coram judice *a quo;* alioquin ea est nulla, nec habebit effectum suspensivum, et devolutivum. Ita Speculator tit. *de Appellation.* § *Nunc dicamus.* n. 10; Scaccia, tract. *de Appellat.* quæst. 6. n.1. et seqq.; Barbosa, c. *Ut debitus.* n. 5. h. t. post Rotam in una Salernitana contributionis. 14. novemb. 1614. coram domino Dunozello, et alios; et idem Barbosa, cap. ult. n. 17. h. t.; Pirhing, eod. n. 83. et alii communiter. Idque desumitur tum ex d. cap. ult. juncta Glossa ibid. ℣. *Coram judice a quo.* h. t. tum ex c. *Ut debitus.* 59. eod. In quo posteriori loco dicitur : « Cum autem ex rationabili causa putaverit appellandum, coram eodem judice causa probabili appellationis exposita, etc. Superior de appellatione cognoscat. » Accedit ratio, quia per appellationem principaliter agitur ad suspendendam, ad rescindendam sententiam judicis : unde merito coram eo appellandum est, et non solum in præsentia partis, ne alioquin judex, ignarus interpositæ appellationis, ulterius causæ illi sese immisceat.

89. *Quid, si copia judicis a quo haberi nequeat, bene tamen judicis ad quem?* — Resp. II. Fallit nihilominus data Regula in nonnullis casibus. Et primo quidem, si copia judicis *a quo* haberi nequeat, possit tamen haberi copia judicis *ad quem.* Nam tunc coram isto erit proponenda appellatio, dummodo postea hoc ipsum intimetur judici *a quo*, ne amplius sese immisceat tali causæ : et si secus fiat, postea revocari valeant attentata per ipsum; juxta textum notabilem in l. 1. § *Dices autem.* ff. *Quando appellandum sit*, quæ est canonizata in can. *Biduum.* § *Si quis.* 2. q. 6.

90. *Quando censeatur copia judicis non haberi?* — Censetur autem copia judicis, sive facultas ipsum adeundi tunc haberi, si in publico sui copiam fecerit. Non enim judex ab appellare volente est necessario requirendus in horto, aut in villa suburbana; sed satis est, quod perquiratur in loco publico, per textum cit. l. 1. *Dices autem.* ff. *Quando appellandum sit.* et can. *Biduum.* § *Adeundi.* 2. q. 6. et notat Barbosa, c. *Ut debitus.* n. 5. h. t. Sigism. Scaccia, *de Appellat.* quæst. 6. n. 18. et 19. citans Rotam decis. 50. alias 29. *Si appellatur a diffinitiva*, sub n. 1. *de Appellation.* in nov. Mynsinger, in *Sing. Observat.* cent. 2. observat. 1. cum aliis.

91. *Si neutrius judicis copia haberi potest, sufficit appellare coram viris honestis.* — Quod si neutrius judicis copia, seu præsentia haberi possit, tunc appellari potest coram viris honestis, aut una saltem persona authentica, puta notario, adhibitis ei testibus, arg. c. *Ut circa.* 4. *de Election.* in 6. et notat Abbas, cap. ult. n. 3. h. t.; Scaccia cit. quæst. 6. n. 18. 20. et seqq. Tamen in hoc casu necesse est, vel saltem consultum, ut quis coram viris illis protestetur, se coram judice appellare voluisse, sed copiam ejus habere non potuisse.

92. *Quid agendum, si quis justo metu impeditur, quominus appellet?* — Fallit insuper data regula in casu, quo quis justo metu, sive cadente in virum constantem impeditur, quominus appellet. Nam si is coram judice *a quo*, aut si hoc fieri nequeat (eo quod ejus copiam habere non possit, vel ob ejusmodi gravem metum non audeat) coram viris honestis intra decem dies protestetur, se appel-

lare velle (exprimendo simul causas appellationis, saltem in genere, ut puta, quod iniqua sententia contra eum lata fuerit) nec tamen audere appellare, atque hoc ipsum sese coram ipsis protestari: tunc ejusmodi protestans habetur pro appellante, atque intelligitur hoc ipso appellasse. Ita habetur expressum cap. ult. h. t. juncta Glossa, Abbate, in *Summario*, Barbosa, n. 1. et aliis doctoribus ibid. Et merito: ne medium justæ defensionis, quale censetur appellatio, cuipiam per metum gravem, atque injuste incussam præcludatur.

93. *Non valet appellatio generalis super omni causa, vel gravamine.* — Quæritur II. Utrum valida sit appellatio generalis super omni causa vel gravamine? Resp. I. Non valet appellatio generalis super omni causa, quæ adversus appellantem quovis tempore moveri posset, text. clar. c. *Inter cætera*. 2. h. t. Neque etiam valet generalis et vaga appellatio respectu cujuscunque gravaminis, quod sibi posset contingere; per textum expressum in c. *Consuluit*. 18. § 1. h. t.

94. *Bene tamen appellatio generalis, quæ est restricta ad certam causam.* — Resp. II. Valet nihilominus appellatio generalis, quæ est restricta ad certam causam: ut puta, si quis appellet ab aliquo judice super omni gravamine, quod in una causa sibi posset inferri. Ita habetur expressum cit. c. *Consuluit*. 18. h. t. et notat Abbas, ibid. n. 1. et 3; Barbosa, n. 1. et alii communiter. Ratio diversitatis inter hanc, et priorem conclusionem est: quia appellatio non habet locum, nisi possit prætendi gravamen de præsenti: ipsa enim est inventa ad removendum gravamen cuipiam illatum. Atqui in duobus illis casibus, de quibus loquitur conclusio præcedens, nullum potest prætendi gravamen de præsenti; ergo nec potest in illis locum habere appellatio: nam cessante causa cessat effectus, c. *Cum cessante*. 60. h. t. Secus accidit in casu hujus conclusionis, ubi fit appellatio super omni gravamine respectu certæ causæ, circa quam jam præcessit, vel præcessisse putatur gravamen aliquod de præsenti, saltem quoad unum articulum: nam istud totam quodammodo causam contingere censetur, ob ejus connexionem, atque unitatem cum tota causa.

95. *Appellans an teneatur exprimere causam appellationis in specie?* — Quæritur III. Utrum appellans teneatur exprimere causam appellationis in specie? Resp. I. Hic est distinguendum inter appellationem a sententia interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali; et inter appellationem a sententia diffinitiva. Ita Abbas, c. *Cum in Ecclesia*. 38. n. 6. h. t.; Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. tit. *de Appellation*. n. 153. et seqq. Scaccia, quæst. 14. *de Appellat*. n. 25. et alii. Unde

96. *Appellatio ab interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali, debet fieri exprimendo causam in specie.* — Resp. II. Appellatio ab interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali, debet fieri exprimendo in specie causam appellationis: alioquin appellatio non valet, et appellator istud non observans, reputabitur non appellans, et ad prioris judicis examen redibit, in legitimis tamen expensis condemnandus. Ita habetur expressum cap. I. h. t. atque procedit non solum in appellatione ad Papam, sed etiam in appellatione ab interlocutoria ad inferiores judices directa, ob rationes illico afferendas, junctis dicendis infra n. 116. et 117. ac seqq. Concordat c. *Cum speciali*. 61. § *Porro*. h. t.

97. *Nec sufficit, eam duntaxat exprimere in genere, idque exemplificatur.* — Additur notanter, « exprimendo in specie causam appellationis. » Quia non sufficit, hanc exprimere duntaxat in genere, puta dicendo: « Appello ab iniqua interlocutoria, quia me gravasti. » Item non sufficit dicere, « Appello, quia interlocutoria est injusta. » Hæc enim est nimis generalis causa: atqui jura volunt, « appellationis causam exprimi, » ut loquitur textus cap. I. h. t. in 6. Adeo, ut de ejus rationabilitate possit judex cognoscere, c. *Ut debitus*. 59. h. t. Idque eo magis, quia appellatio ab interlocutoria non potest justificari ex alia causa, quam « in appellatione nominatim duntaxat expressa, » juxta textum in Clem. *Appellanti*. h. t. Quinimo in tantum causa gravaminis, seu appellationis, debet nominatim exprimi, ut non sufficiat illam exprimere generaliter per relationem ad acta, v. g. dicendo: « Appello ab iniqua sententia interlocutoria, et pro causa gravaminis allego omnes causas, quæ ex actis colligi possunt. » Maranta, ubi supra, n. 153. Scaccia cit. quæst. 4. *de Appellation*. post Rotam decis. 2. alias 7. *Si appellatur*. n. 1. *de Appellat*. in nov. et plurimos alios, quos allegant.

98. *Referuntur casus, in quibus causa gravaminis potest dici nominatim expressa.* — Secus est dicendum, si fieret appellatio ab interlocutoria, per relationem ad certam

partem actorum, in qua diceretur apparere de gravamine: quia tunc causa gravaminis posset dici nominatim expressa; et ideo sufficeret. Scaccia, loc. cit. n. 32. post Rotam, Baldum, et Francum, c. *Ut debitus.* quæst. 12. n. 23. h. t. Similiter causa gravaminis censetur sufficienter expressa, si dicatur: « Appello, quia non attendisti exceptionem pacti, de qua constat ex actis. » Scaccia cit. n. 32. Idem dicendum in similibus.

99. *Appellans ab interlocutoria non potest alias causas in appellatione prosequi, quam nominatim in ea expressa.* — Cæterum, ut probatio n. 97. allata melius intelligatur, est sciendum, quod appellans ab interlocutoria non possit alias causas in appellatione prosequi, nisi nominatim duntaxat antea in ea expressas; prout habetur decisum cit. Clem. *Appellanti.* h. t. illis verbis: « Appellanti ab interlocutoria, vel gravamine judicis, non licet alias causas prosequi quam in appellatione sua nominatim duntaxat expressas. » Hæc ibi. Concordat c. *Cum causam.* 61. juncta Glossa ℣. necesse est, ab initio exprimere causas appellationis in specie; uti patet consideranti.

100. *Nec tunc processus primi judicis potest justificari vel impugnari ex actis novis, aut de novo producendis.* — Insuper sciendum est, quod in causa appellationis ab interlocutoria, non possit justificari, neque etiam impugnari ex actis novis, vel de novo producendis, sed ex illis duntaxat, quæ coram eo acta fuerunt, vel exhibita. Ita cit. Clem. *Appellanti.* h. t. post verba proxime allegata sic subjungens: « Nec processus primi judicis ex novis, aut de novo probandis justificari potest, vel etiam impugnari: sed tantum ex iis, quæ acta fuerunt, vel exhibita coram ipso. » Hæc pontifex. Atqui ad hujus observantiam rursus necesse est, ut ab initio exprimantur causæ appellationis in specie; ergo.

101. *Regula illa, quod in appellatione ab interlocutoria debeat exprimi causa ipsius in specie, patitur plures limitationes?* — Resp. III. Nihilominus data conclusio, asserens, quod in appellatione ab interlocutoria debeat exprimi causa ipsius, seu illati gravaminis in specie; patitur plures limitationes, juxta illud vulgatum; « Nulla regula sine exceptione. »

102. *Fallit enim in appellatione ab interlocutoria habente vim diffinitivæ. Sententia interlocutoria habens vim diffinitivæ, regulatur secundum naturam diffinitivæ.* — Et *primo* quidem ipsa fallit in appellatione a sententia interlocutoria habente vim diffinitivæ: quia hæc regulatur secundum naturam diffinitivæ. Alexander, consil. 182, n. 1, lib. VI; Gailus, lib. I. *Practic.* observat. n. 4. et 6; Pirhing, *de Sentent. et re judicat.* n. 2; Scaccia, d. quæst. 4. *de Appellat.* n. 28. et 37. post Francum, in cit. c. *Pervenit.* 28. et c. *Ut debitus.* 59. q. 14. n. 25. *de Appellation.* intelligendo tamen istud sub limitatione data superius tit. præced. §. 1. n. 24. et 25. Atque ideo, sicut in appellatione a diffinitiva regulariter non est necesse, exprimere in specie causam ipsius, ita nec est necesse, hanc exprimere in appellatione ab interlocutoria habente vim diffinitivæ. Ita præter proxime citatos, Maranta, part. VI. *Speculi aurei.* tit. *de Appellation.* n. 142. et 157. allegans insuper Baldum, in l. *Minoribus.* col. 3. c. *de his, quibus ut indignis,* etc. et alii. Atque ob eamdem rationem, si ab interlocutoria habente vim diffinitivæ appelletur in continenti, potest appellari viva voce, sicut a diffinitiva. Scaccia cit. quæst 4. n. 12. post Francum, d. c. *Ut debitus.* quæst. 7. n. 16. h. t.

103. *Fallit etiam in causis, in quibus proceditur summariter, ac de plano.* — Fallit *secundo* in causis, in quibus proceditur summariter, ac de plano: quia in his potest appellatio ab interlocutoria fieri non solum in continenti viva voce, seu sine scriptis, sed etiam valet, etiamsi non fuerit expressa causa gravaminis. Scaccia cit. quæst. 4, n. 10. et 11, et n. 37; Maranta, d. tit. *de Appellat.* n. 154. in Addit. *Folleri.* post Philipp. Francum, c. *Ut debitus.* n. 15. h. t.; Angelum consil. 267. et alios. Accedit ratio, quia causa appellationis est ejusdem naturæ, qualis est causa principalis; ergo, sicut in hac potest procedi positivis solemnitatibus juris non servatis, Clem. *Sæpe contingit, de Verb. signif.* ita dicendum de appellatione respectu causarum summarie, ac de plano tractandarum.

104. *Item, quando causa gravaminis consistit, in mero jure.* — Fallit *tertio*, quando causa gravaminis consistit in mero jure, adeo, quod nullam requirat probationem in facto; puta quando ex forma, tenore, et inspectione ipsius sententiæ, constat de gravamine: prout fieret, si in ea exprimatur causa a jure reprobata; vel saltem de gravamine appareat præsumptione juris; ut si judex interloquatur, sequestrum esse faciendum, quod tamen de jure regulariter est prohibi-

tum. Quia tunc valet appellatio ab interlocutoria absque alia expressione causæ, utpote quæ ex allegationibus juris deduci potest. Maranta cit. tit. *de Appellation.* n. 156. post Baldum in l. *Minoribus.* c. *De his, qui ut indigni*, etc.; Philipp. Francum, c. *Ut debitus.* quæst. 11. h. t. et alios; Scaccia, d. quæst. 4. n. 34. allegans plurimos alios.

105. *Aut, quando ea antea non opposita, adhuc exprimitur ante elapsum decendium.* — Fallit *quarto,* quando causa gravaminis non fuit quidem apposita in ipsa appellatione a sententia interlocutoria, adhuc tamen exprimitur postea ante elapsum decendium : nam quia hoc tempus concessum est appellandum, sufficit intra illud causam appellationis exprimere. Scaccia, loc. cit. n. 37. post Francum, d. c. *Ut debitus.* quæst. 15. h. t. et Angelum de Aretio, in l. I. § ult. n. 10. ff. *de Appellat. et relation.*

106. *Vel, si de consuetudine aliter sit receptum.* — Fallit *quinto,* si aliter de consuetudine alicubi receptum sit : puta ; quod ab interlocutoria possit in continenti viva voce appellari : nam talis consuetudo valet, eo quod solemnitas appellandi sit juri duntaxat positivi humani. Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 130. n. 3. allegans Ferrariensem in *Forma appellat. ab interlocut.* ℣. *Causis.* n. 4; Angelum Concl. 267. n. 1. Philipp. Francum, d. c. *Ut debitus.* n. 17. h. t. et praxin cameræ.

107. *Et quando nemine excipiente, judex defert tali appellationi.* — Fallit tandem, quando nemine excipiente contra talem appellationem, judex defert eidem : quia tunc appellatio ab interlocutoria, etiam non expressa causa ipsius valet, ac devolvit causam ad Superiorem ; cum judex inferior deferendo tali appellationi, quantum in se fuit, a se jurisdictionem abdicaverit, et causæ totius decisionem in Superioris potestatem transtulerit, c. *Cum appellationibus.* h. t. in 6; Scaccia cit. cap. I. § *Post hoc.* n. 14. *de Appellat.* in 6.

108. *In appellatione a diffinitiva non est necesse, causam appellationis in specie exprimere. Si ea fiat in continenti, sufficit dicere:* Appello. — Resp. IV. E contra in appellatione a sententia diffinitiva, non est necesse causam appellationis in specie exprimere ; sed sufficit dicere in genere, se esse gravatum, aut appellare a sententia iniqua : et si in continenti post latam sententiam diffinitivam fiat appellatio, satis est dicere, « Appello : » quo facto tenetur judex appellationi deferre. Ita communis ; estque expresse decisum in l. II. ff. *de Appellation.* juncto cap. I. h. t. in 6. et Glossa hic ℣. *Statuit.*

109. *Ratio disparitatis inter appellationem a diffinitiva, et interlocutoria quoad hoc.* — Ratio hujus, simulque diversitatis inter appellationem a diffinitiva et interlocutoria, est : quia in appellatione a diffinitiva frustra allegaretur causa in specie, cum de hac judex *a quo*, utpote jam functus suo officio, amplius cognoscere non valeat. Secus est in appellatione a gravamine, vel ab interlocutoria : nam tunc judex *a quo* potest de gravamine cognoscere, et illud suadente æquitate remittere, eoque revocato in causa principali procedere; prout habetur decisum c. *Cum cessante.* 60. h. t. Æquum proinde est, ut in hac appellatione causæ ejus in specie exprimantur, ipsique judici *a quo* proponantur, ut deliberare possit, num gravamen ob ejusmodi causas revocare, vel appellationi deferre velit.

110. Accedit, quod appellans ab interlocutoria, non possit alias causas in appellatione prosequi, quam nominatim duntaxat expressas, Clem. *Appellanti.* h. t. E contra vero in appellatione a diffinitiva, licitum est utrique parti, novis probationibus uti, ac prius non deducta deducere, non probata probare, l. *Per hanc.* c. *de Temporib. appellat.* Unde consequens est, ibi causas appellationis necessario esse exprimendas, conformiter dictis supra numer. 99. et 100. Secus loquendo de appellatione a diffinitiva, argumento a contrario desumpto.

111. *Limitatur istud in certis casibus. Appellans a diffinitiva tenetur exprimere causam appellationis in omnibus casibus, in quibus de jure prohibitum est appellare, et cur?* — Resp. V. Patitur tamen etiam hæc conclusio quasdam limitationes, seu fallentias. Et primo quidem ipsa est limitanda in omnibus illis causis seu casibus, in quibus de jure prohibitum est appellare a diffinitiva : tunc enim, si nihilominus quis injuste se gravatum senserit, ac proinde ad Superiorem provocare voluerit, debet exprimere causam appellationis, atque illati gravaminis ; alioquin appellatio non valebit. Ita Glossa in c. *Romana.* § *Si autem.* ℣. *Mandetur.* h. t. in 6; Abbas, c. *Cum speciali.* 61. § *Porro.* n. 6. h. t.; Maranta, d. tit. *de Appellat.* n. 155 ; Pirhing, h. t. n. 123. et alii. Ratio est, quia si appellatio est de jure prohibita, stat con-

tra appellantem juris præsumptio ideoque judex non tenetur ei deferre, nisi ejusmodi præsumptio allegata justa causa elidatur.

112. *Vel, quando causa committitur delegato sub clausula*, Appellatione remota. — Atque istud ampliatur, sive appellatio sit prohibita a lege, sive ab homine : ut quando causa committitur delegato sub clausula, « Appellatione remota : » quia in appellatione contra sententiam diffinitivam tunc latam debet exponi causa; Scaccia cit. quæst. 4. *de Appellat.* n. 29; Maranta, d. n. 155. allegans alios ; de quo plura inferius § 10. n. 290. et 293.

113. *Item in appellatione ab executione sententiæ, et a correctione, ac hujusmodi.* — Limitatur eadem conclusio in appellatione ab executione sententiæ diffinitivæ. Cum enim appellatio ab executione generaliter sit prohibita, l. *Ab executione.* c. *quorum appellationes*, etc. et can. *Ei, qui.* § *Ab executione.* 2. q. 6. cum concordantiis : hinc appellans ab executione sententiæ diffinitivæ debet dicere causam, quare appellat ; alias appellatio non valet. Speculator, tit. *de Executione sententiæ.* § *Nunc dicendum.* n. 9; Scaccia, d. quæst. 4. n. 20. hoc ipsum tenens de appellatione a correctione. Nam etiam a correctione de jure prohibitum est appellare, nisi modus excedatur, c. *Ad nostram.* 3. h. t. juncto summario, et doctoribus ibid. ac proinde appellans a correctione sibi per superiorem facta, tenetur causam appellationis exprimere : alioquin stat præsumptio juris contra appellantem, sicque non tenetur judex hunc admittere, donec præsumptionem hujusmodi allegata justa causa elidat. Atque hoc ipsum, servata proportione, est dicendum de cæteris casibus, in quibus jura litigantibus appellationem denegarunt, de quibus ex professo dicetur infra cit. § 10. n. 268. et seqq.

114. *In appellatione interposita per tertium a diffinitiva, debet exprimi causa ipsius; et cur?* — Limitatur tandem dicta conclusio in appellatione interposita per aliquem tertium a sententia diffinitiva propter suum interesse : quia, nisi exprimat causam rationabilem, per quam doceat summarie, et aliqualiter de suo interesse, non auditur appellans; ut l. *A sententia.* ff. h. t. et notat Bartolus, ibid. n. 9. et Abbas c. *Cum super.* n. 5. *de Sentent. et re judicat.* Scaccia cit. n. 29. et quæst. 17. n. 106. et seqq. allegans doctores communiter. Siquidem appellatio a sententia non admittitur, nisi propter gravamen ex ea cuipiam illatum : atqui ex sententia inter alios lata non præsumitur gravamen cuipiam tertio inferri, nisi ostendatur ratio, seu causa talis gravaminis; alioquin enim procedit regula illa : « Res inter alios acta aliis non nocet, » juxta textum l. I. c. *Res inter alios acta*, etc., et cap. penult. *de Sentent. et de re judicat.* cum similibus.

115. *Appellatio an necessario debeat fieri in scriptis? Affirmatur, si fiat appellatio ab interlocutoria ad Papam.* — Quæritur IV. An appellatio debeat necessario fieri in scriptis vel etiam aliis modis fieri possit? Resp. I. Appellatio a sententia interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali per judicem illato, si fiat ad papam, necessario debet fieri in scriptis. Textus est in cap. I. h. t. in 6. ubi appellans ad papam ab interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali, jubetur appellare in scriptis, et causam exprimere, et apostolos petere : atque amplius declarat Glossa ibid. ℣. *Vel extra.* et ℣. *Interlocutoria.* et Vivianus, in *Rational. jur.* eod. cap. I. et Barbosa, ibid. n. 1. et seqq. et alii.

116. *Utrum hoc ipsum procedat in appellatione ab interlocutoria ad inferiores judices directa, dubitatur; et cur?* — Additur tamen, « si fiat ad papam. » Utrum enim decretalis illa, quæ expresse loquitur de appellatione ad papam, etiam locum habeat in appellatione ab interlocutoria, vel gravamine ad inferiores judices interposita, dubitat Glossa, ibid. ℣. *Ad nos.* et Pirhing, h. t. n. 109; Vivianus, loc. cit. et alii. Ratio dubitandi est, quia Decretalis illa solum loquitur de appellatione ad papam, simulque est pœnalis; ac proinde videtur restringenda potius, non amplianda ad inferiores judices.

117. *Affirmativa sententia magis placet.* — Verum affirmativa sententia magis placet Glossæ et aliis; videlicet, item esse dicendum de appellatione hujusmodi interposita ad inferiorem judicem ordinarium, qui per simplicem querelam audiri, et cognoscere potest. Neque obstat, quod dicta decretalis expresse loquatur solum de appellatione ad papam : quia textus ille intelligitur quidem, atque procedit, « maxime si ad Papam appelletur; » non tamen excluduntur hujusmodi appellationes, quæ fiunt ad inferiores judices, cum de istis eadem ratio militet.

118. *Quod ab interlocutoria debeat indistincte appellari in scriptis, plures tradunt. Fallit hoc in nonnullis casibus.* — Atque ideo,

quod ab interlocutoria debeat indistincte appellari in scriptis, tradit Speculator, tit. *de Appellation.* § *Qualiter autem.* n. 1. istud probans ex eod. cap. I. h. t. in 6; Maranta cit. tit. *de Appellat.* n. 138; Scaccia, quæst. 4. *de Appellation.* n. 9. post Francum c. *Ut debitus.* q. 7. n. 16. h. t. et alios. Dummodo hinc excipias appellationem ab interlocutoria habentem vim diffinitivæ, sicut et appellationem in causis summariter et de plano tractandis, ac hujusmodi, conformiter dictis supra n. 102. et seqq. Nam in his appellari potest in continenti viva voce, ob rationes superius altaras.

119. *Appellatio a sententia diffinitiva potest fieri vel in continenti, sive stante pede.*—Resp. II. Appellatio a sententia diffinitiva potest fieri dupliciter. Primo quidem in continenti, sive (ut alii loquuntur) « Stande pede, » et judice adhuc pro tribunali sedente : et tunc ea fit viva voce, « et satis erit, si dicat appello, » per textum expressum in l. II. ff. *de Appellat. et Litigatoribus.* c. eod. Quamvis hoc ipsum mox sit inserendum actis publicis; et procedat solum in appellatione a sententia diffinitiva : nam appellatio interlocutoria, vel a gravamine aliquo semper debet fieri in scriptis, cap. I. h. t. in 6.

120. *Vel ex intervallo; et debet sic fieri in scriptis.*—Deinde appellatio a diffinitiva potest interponi ex intervallo, tamen intra decem dies : et tunc ea est facienda in scriptis, sive per libellum, quem vocant *Appellatorium;* quique debet continere personam appellantis, personam judicis a quo appellatur, et sententiam a qua fit appellatio, l. 1. § fin. ff. h. t. personam vero adversarii, contra quem fit appellatio, etsi bonum sit addere, tamen libellus appellatorius de necessitate non debet continere, l. *Scio.* 3. ff. eod.

121. *Potest fieri non solum per verbum* Appello, *sed etiam per verba æquipollentia : idque exemplificatur.* — Resp. III. Non solum per verba expressa « Appello, » vel « Provoco, » sed etiam per verba æquipollentia potest interponi appellatio. Ita Scaccia, *de Appellation.* quæst. 4. n. 19. et alii. Idque clare desumitur ex c. *Ad audientiam.* 34. h. t. ubi gravatus a judice, si se subjiciat protectioni superioris, censetur appellasse, licet non fuerit usus hoc verbo, « Appello. » Quod intellige cum Abbate, ibid. n. 1; Barbosa, n. 2; Scaccia, loc. cit., n. 22. et aliis, dummodo exprimantur, atque serventur omnia necessaria ad appellationem, in tali submissione, puta dicendo : « Domine, contra gravamen mihi illatum nolo amplius coram vobis litigare, sed submitto me, meaque omnia protectioni papæ : » petendo postmodum apostolos, et alia observando, quæ ad appellationem requiruntur. Accedit ratio : quia quando non requiritur certa verborum formula ad substantiam actus sufficit, mentem exprimere verbis æquipollentibus, c. *In his de Verb. Signif.* Pirhing, h. t. n. 103. Unde ulterius ad appellationem sufficit dicere « Proclamo, » vel « Provoco » a tali sententia, seu « conqueror » de ea, aut hujusmodi : quia non refert, quid de æquipollentibus fiat, arg. ult. ff. *Mandati.* Scaccia cit. n. 18. istud cum aliis intelligens, quando per verba æquipollentia constat de mente appellantis.

122. *Imo potest etiam facto fieri. Plus est facto provocare, quam verbo.* — Resp. IV Non verbis duntaxat, sed etiam ipso facto potest appellatio fieri : sic enim itineris arreptio ad superiorem habet vim appellationis, dummodo serventur ea, quæ cæteroquin requiruntur ad appellationem. Ita communis; et habetur derisum c. *Dilecti filii.* 52. h. t. addita ea ratione : « Quia plus est facto provocare, quam verbo : » nam plus est, factis declarare animum suum, quam verbis; imo verba quandoque sunt falsa, non facta.

123. *Dummodo serventur ea, quæ cæteroquin ad appellationem requiruntur.* — Additur, « dummodo serventur ea, quæ cæteroquin requiruntur ad appellationem. » Hoc est, ut appellare volens iter arripiat ad legitimum judicem, petat apostolos, exprimatque causas gravaminis, v. g. dicendo superiori : « Domine episcope, vos me gravastis in tali articulo, circa quem nolo amplius litigare coram vobis, sed volo ire ad papam; et hinc instanter peto apostolos. » Tunc enim, quamvis non exprimat verbum, « Appello, » itinerando tamen ad papam habetur pro appellante : quia non refert, quid de æquipollentibus fiat, ut proxime dictum. Abbas cit. c. *Dilecti filii.* 52. n. 4. *de Appellat.;* Pirhing, h. t. n. 95. et 96. et alii. Quod si prædicta non serventur, censetur quis renuntiasse appellationi, nec sufficit sola itineris arreptio, aut missio ad superiorem pro appellatione prosequenda, c. *Ab eo.* h. t. in. 6.

§ V.

DE APOSTOLIS, SEU LIBELLIS DIMISSORIIS APPELLATIONUM.

124. *Apostoli in proposito, qui; et unde sic dicantur?* — Quæritur I. Quid et quotuplices sint apostoli? Resp. I. *Apostoli* in proposito, dicuntur libelli dimissorii (ut vocantur in rubric. ff. *de Libellis dimissoriis*), seu litteræ dimissoriæ, quas judex a quo appellatum est; transmittit ad judicem *ad quem*, sive ad eum, qui de appellatione cogniturus est; in eisque testatur, Titium v. g. appellasse a sententia sua, quam inter ipsum et Cajum circa talem causam tulerat. Textus est in l. I ff. *de Libellis dimissor.* Et tales libelli dimissiorii appellationum, vulgo dicuntur *apostoli*, hoc est, *missi*: quia mittuntur ad judicem *ad quem*, ut de causa appellationis instruatur. Unde impræsentiarum per *apostolos* non intelliguntur Petrus et Paulus, vel alii et collegio apostolico Christi Domini. Glossa in cap. I. ✝. *Petat apostolos*. h. t. in 6.

125. *Apostolorum hujusmodi quinque sunt species.* — Resp. II. Hujusmodi apostolorum quinque sunt species. Ita Speculator, tit. *de Appellationibus*. § *Sequitur videre*. n. 1; Abbas c. *Bonæ memoriæ*. 51. n. 9. h. t.; Scaccia, quæst. 13. *de Appellation*. n. 3. et alii. Ratio est, quia apostoli possunt peti, ac dari tum in judicio, tum extra judicium : ex quibus illi, qui dantur in judicio, sunt vel dimissorii, vel reverentiales, vel refutatorii : qui vero extra judicium, generatim extrajudiciales dicuntur; et sunt vel conventionales, vel testimoniales. Idque patebit explicando singula membra : Siquidem.

126, 127 et **128.** *Apostoli dimissorii, Apostoli reverentiales et apostoli recusatorii, qui et quomodo hi dandi?* — « Apostoli dimissorii » dicuntur litteræ ad judicem superiorem directæ, in quibus judex *a quo* appellationi deferens testificatur de appellatione interposita, et a se admissa. Et de his fit mentio can. *Ab eo*. 2. q. 6. ibi : « Ab eo, a quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est, dimissoriæ litteræ dirigantur, quæ vulgo Apostoli appellantur. » Similia habentur l. I. ff. *de Libell. dimissor.* Et hi libelli, sive apostoli, dicuntur dimissorii : quia, ut notatur l. *Dimissoriæ*. ff. *de Verb. signif.* per hujusmodi litteras « causa ad eum, qui appellatus est, dimittitur : » nam judex concedendo apostolos dimissorios, hoc ipso exprimit, quod deferat appellationi, sicque appellantem a sua potestate, et jurisdictione dimittat. Scaccia, *de Appellation.* quæst. 13. n. 10. cum aliis.

« Apostoli reverentiales » vocantur, quando judex a quo defert appellationi, eamque admittit, non ob justitiam causæ, sed ob reverentiam judicis superioris, ad quem fuit appellatum. De hac fit mentio cap. I. h. t. in 6. ibi; « Vel sit appellationi forsan ex superioris reverentia sit delatum. » Ubi Glossa ✝. *Delatum*. in addit. ait, hoc fieri solere in dubio, quando nimirum dubitatur de veritate appellationis, aut de ejus justitia; puta, propter diversitatem sententiarum inter doctores.

« Apostoli refutatorii » sunt, quos dat judex non deferens appellationi, experimendo simul causam, cur appellationem non admiserit. Debet enim hujusmodi causa exprimi, cap. I. h. t. in 6. et l. *Sciendum*. ff. *de Appellat. recipiend.* Alias, si absque causa judex appellationem non admittat, punitur, l. *Quoniam*. C. h. t.

129. *Non obstante, quod appellatio per judicem inferiorem non fuerit admissa, nequit is procedere ad executionem.* — Cæterum his non obstantibus, seu non obstante, quod appellatio per judicem inferiorem non fuerit admissa, nequit is ea interposita procedere ad executionem sententiæ. Nam ut l. un. ff. *Nihil novari appellatione interposita*, dicitur, « Appellatione interposita, sive recepta sit, sive non, medio tempore nihil novari oportet. » Ne videlicet interim, dum per superiorem deliberatur, an appellatio recipienda sit, nec ne, per executionem judicis inferioris fiat præjudicium appellanti.

130. *Notabilis differentia inter apostolos dimissorios, atque reverentiales; et inter apostolos refutatorios. Judex* a quo *deferens appellationi abdicat a se jurisdictionem et transfert causam in superiorem.* — Interim est notabilis differentia inter memoratos apostolos. Nam si judex *a quo* detulit appellationi ab interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali (prout fit per apostolos dimissorios, ac reverentiales) censetur a se omnem jurisdictionem abdicare, et causam in superiorem transferre : unde poterit iste, si velit, in causa procedere, etiamsi judicaverit appellationem esse frivolam, et frustratoriam; per textum in c. *Cum appellationibus*. § *Si vero*. h. t. in 6. ubi istud sequentibus verbis statuitur : « Si vero judex admittat eamdem, licet tam

appellatio, quam ipsius judicis delatio a supereriore valeat refutari; quia tamen judex ipse, quantum in se fuit, a se jurisdictionem abdicavit eamdém, appellationi deferens minus justæ, totius causæ decisio in superioris est potestatem transfusa : nec est illi causa de necessitate ulterius remittenda, » etc. Hæc ibi.

131. *Secus, si judex* a quo *non deferat appellationi, dando apostolos refutatarios.* — Secus est, si judex *a quo* appellationi, tanquam minus legitimæ, non deferat, dando videlicet apostolos refutatorios. Nam tunc judex, ad quem est appellatum, si cognoscat appellationem esse minus legitimam, tenetur appellantem remittere ad priorem judicem; ita tamen, ut talem appellatorem antea, seu eadem adhuc die, alteri parti in expensis condemnet. Textus est in cit. c. *Cum appellationibus*. § 1. h. t., sic loquens : « Cum appellationibus frivolis nec justitia deferat, nec sit a judice deferendum : si judex inferior appellationem minus legitimam non admittat, eam appellatore nihilominus prosequente, superior de ipsa cognoscens causam ad priorem judicem (juxta sanctiones canonicas) sine difficultate remittat, eadem die condemnationem faciens expensarum. » Ubi Glossa, et doctores, atque infra § 8. n. 235 et seqq. ulterius dicetur.

132. *Apostoli, testimoniales, qui?* — « Apostoli conventionales » dicuntur, qui dantur a parte adversa appellationem approbante, etiam si judex sit invitus, aut dentur extra judicicium, c. *Sæpe contingit*. 44. h. t.

133. *Apostoli testimoniales, qui?* Tandem « Apostoii testimoniales » sunt illi, qui dantur a notario, vel aliis honestis viris, quando coram illis copia judicis non existente appellatio proposita fuit, sicque de hoc iidem testantur, conformiter dictis supra § 4. n. 91.

134. *Apostoli, de facto sunt petendi intra triginta dies.* — Quæritur II. Intra quod tempus, et quo modo petendi, dandique sint apostoli? Resp. 1. De facto, et spectato jure communi, apostoli intra triginta dies a tempore interpositæ adversus judicem appellationis sunt petendi. Ita habetur l. *Judicibus*. c. *de Appellat.* estque clarius expressum c. *Ab eo*. h. t. in 6. ubi dicitur : « Ab eo, qui appellat, infra triginta dies instanter apostoli peti debent, et eidem infra dictum tempus a judice exhiberi : alias præsumitur appellationi suæ renuntiare appellans, si eos infra idem tempus petere prætermittat, etiamsi vadat, aut mittat ad appellationem hujusmodi prosequendam. » Hæc ibi. Concordat Clem. *Quamvis*. h. t. ubi istud amplius declaratur.

135. *Olim intra quinque dies peti debebant.*— Dicitur imprimis, « De facto : » Nam olim de jure antiquo apostoli intra quinque dies peti debuerunt, can. *Ab eo*. 2. q. 6. Sed istud jure recentiori fuit immutatum, atque appellare volentibus, pro petitione apostolorum est concessum tempus triginta dierum : per textus jam allegatos, cum concordantiis.

136. *Apostoli alicubi, ac in camera imperiali, non necessario petuntur.* — Dicitur ulterius « spectato jure communi » Siquidem etiam de facto in camera imperiali, ac in nonnullis aliis tribunalibus, isthæc apostolorum petitio non est in usu, neque necessaria; sed valet appellatio, quamvis apostoli petiti non fuerint. Sigism. Scaccia, quæst. 13. de *Appellation.* n. 56. asserens, ita esse constitutum in regno Franciæ. Engel. h. t. n. 46. ubi ait; in camera imperiali hodie apostolorum petitionem non esse in usu. Maranta, part, VI. *Speculi aurei*. tit. *de Appellation.* n. 221. et alii.

137. *Secus spectato iure communi.* — Verum spectato jure communi appellans necessario debet petere apostolos, can. *Post appellationem*. 2. q. 6. et d. c. *Ab eo*. h. t. in 6. cum similibus. Scaccia cit. quæst. 13. n. 24. allegans alios. Adeo, ut si non petantur debito modo proxime declarando, censeatur appellans renuntiasse factæ suæ appellationi. Clem. *Quamvis*. h. t. Sive dein appelletur a sententia diffinitiva, sive ab interlocutoria. Scaccia, in quæst. 13. n. 91, et alii.

138. *Judex an teneatur tradere apostolos non petenti.* — Nec obstat textus in l. *Eos, qui de*. § *Apostolos*. c. h. t. ubi dicitur : « Apostolos autem post interpositum provocationem, etiam non petente appellatore, sine aliqua dilatione judicem dare oportet. » Nam, ut concordentur jura juribus, dicendum est, textum istum procedere, quando judex recipit appellationem : quia tunc tenetur tradere apostolos, etiam non petitos. Petrus de Ancharano cap. I. h. t. in 6; Scaccia cit. quæst. 13. n. 37, allegans insuper Geminianum in cap. I. n. 12, et Francum n. 11, h. t. in 6. Alias secus, per jura priora.

139. *Quando appellatur a judice, sunt petendi apostoli.* — Dicitur tertio, « interposita adversus judicem, » etc. Nam quando ap-

pellatur a judice, sive judicialiter, sive extrajudicialiter procedente, de jure communi semper peti debent apostoli! cum adsit, qui eos dare possit, quin et dare teneatur, videlicet judex ille, a quo appellatur : ut cap. I. juncta Glossa ℣. *Vel extra.* h. t. in 6.

140. *Et quid, si appelletur a gravamine extrajudiciali, et non per judicem illato?* — Quod si vero appelletur a gravamine extra judicium, et non per judicem, sed aliunde illato, puta, in electione, non est necesse petere apostolos; cum non adsit, qui illos dare valeat, vel teneatur. Consultius tamen est, etiam tunc ipsos petere sub conditione, si adsit, qui eos dare possit. Glossa cit. cap. I. ℣. *Vel extra.* h. t. in 6; Maranta, part. VI. *Speculi aurei.* tit. *de Appellation.* n. 227; Pirhing, h. t., n. 142. et alii.

141. *Apostoli etiam congruo loco, et tempore, instanter et sæpius sunt petendi; idque exemplificatur.* — Resp. II. Non solum intra tempus triginta dierum, sed etiam « congruo loco, et tempore, instanter et sæpius, » petendi sunt apostoli. Ita communis: atque his ipsis verbis habetur expressum in cit. Clem. *Quamvis.* h. t. Unde non sufficit, apostolos petere a judice, dum equitat, vel per viam transit : quia sunt petendi « congruo loco. » Nec etiam satis est, eos petere de nocte, aut sub missa, sive sub prandio, vel alio tempore incongruo, prout exemplificat Glossa c. *Ab eo. qui.* ℣. *Loco.* h. t. in 6. Neque sufficit, apostolos petere leviter solum, vel semel duntaxat : sed debent peti « instanter, et sæpius ; » ut loquitur citata Clement. *Quamvis.* post textum expressum in can. *Post appellationem.* 2. q. 6. Idque merito statutum fuit : tum ut judici, a cujus sententia appellatur, debitus deferatur honor, ab ipso instantius petendo apostolos : tum ut judex ille moveatur ad revocandum gravamen, si gravavit, atque sententiam adhuc revocare potest (prout accidit in appellatione a sententia interlocutoria) forte enim alias gravamen illud non revocaret, si non fieret talis instantia. Sigism. Scaccia, d. quæst. 13. *de Appellation.* n. 25. post Rotam decis. 46. alias 351. *de Appellat.* in novis.

142. *Alioquin appellans censetur renuntiasse suæ appellationi.* — Quod si secus fiat, atque appellans non petat apostolos modo jam memorato, censetur ipse renuntiasse suæ appellationi. Glossa can. *Post appellationem.* ℣. *Tempus.* 2. q. 6. id probans ex can. *Ab eo, a quo,* ead. caus. 2. q. 6. Concordat textus in c. *Ab eo, qui appellat.*, h. t. in 6. argumento a sensu contrario desumpto, ibi : « Apostolos appellanti non tribuat requisitus, » etc. Estque clarius decisum in cit. Clem. *Quamvis.* § *Verum*, h. t. illis verbis : « Verum si judex, a quo appellatur, certum terminum ad recipiendos apostolos appellanti assignet, et appellans in assignato sibi termino non compareat coram eo, nec petat apostolos sibi tradi, appellationi suæ renuntiasse videtur. Similiter si judex appellandi responderit, intra juris terminum apostolos se daturum, appellationi renuntiasse appellans intelligitur, nisi intra dictum terminum congruo loco, et tempore instanter, et sæpius, saltem uno contextu, petat apostolos ab eodem judice sibi dari, vel si recideret, recusat oblatos. » Hæc ibi.

143. *Sufficit tamen, apostolos petere sæpius in uno contextu.* — Additur notanter, « saltem uno contextu. » Quamvis enim antiquitus petitio apostolorum fuerit facienda interpolatis, seu renovatis vicibus; prout scribit Scaccia, d. quæst. 13. n. 26. post Rotam decis. 57. alias 460. *de Appellation.* in novis. et alios. De facto tamen, juxta cit. Clem. *Quamvis.* h. t. sufficit, uno contextu sæpius, et instanter. apostolos postulare; puta dicendo, « Domine judex, appello, et peto apostolos, et quidem instanter, eosque iterum atque iterum postulo. »

144. *Possuntque peti intra triginta dies, et viva voce.* — Insuper necesse non est, ut apostoli petantur tempore appellationis, dummodo petantur intra triginta dies, a die factæ appellationis numerandos ; ut cit. can. *Post. Appellationem.* 2. q. 6. juncta Glossa ibid. ℣. *Tempus.* Possuntque viva etiam voce postulari ; licet consultius sit eosdem petere in scriptis, ut sic melius facta illorum petitio probari valeat : ipsa tamen datio apostolorum, per judicem necessario in scriptis expediri debet. Pirhing, h. t. n. 142.

145. *Sunt petendi, ac præsentandi judici ad quem, sumptibus ipsius appellantis.* — Quæritur III. Cujus expensis apostolis concedantur, et an in eorum concessione possit judex *a quo* præfigere appellanti terminum ad se præsentandum cum apostolis coram judice *ad quem?* Resp. I. Apostoli sunt petendi, atque præsentandi judici *ad quem*, sumptibus ipsius appellantis. Ita Glossa in Clem. *Quamvis.* ℣. *Oblatos* h. t.; Maranta, part. VI. *Speculi aurei.* tit. *de Appellation.* n. 224, hanc appellans communem, et veram conclusionem

Scaccia cit. quæst. 13. *de Appellat.* n. 114. post Baldum in Aut *Hodie.* § *Apostolos* n. 13. c. *de Appellation.* et alios.

146. *Judex a quo potest appellandi præfigere terminum præsentendi apostolos; adeo, ut alioquin appellatio efficiatur deserta.* — Resp. II. Potest judex *a quo* dando apostolos præfigere appellanti certum terminum, competentem tamen, præsentandi apostolos coram judice *ad quem*: adeo, ut si appellans intra tempus illud se coram superiore judice non præsentaverit, una cum datis apostolis appellatio efficiatur deserta. Ita Glossa l. *Præses.* ỷ. *Præscriptum.* Scaccia c. h. t. cit. quæst. 13. n. 38. et quæst. 15. n. 15; Maranta, d. tit. *de Appellat.* n. 205 (Pirhing, h. t. n. 145; et alii communiter. Idque desumitur ex c. *Personas.* 4. h. t., ubi dicitur posse judicem *a quo,* præfigere terminum appellanti ad se præsentandum : adeo, ut alias censeatur appellatio deserta, et appellans cogatur stare priori sententiæ. Nec immerito : tum ut præcludatur via malitiis hominum, causam appellationis alioquin diutius protrahentium; tum quia qualitas negotii principalis, quandoque ob varias circumstantias majorem requirit accelerationem, ac breviorem finem litis.

147. *Pendente appellatione sunt ligatæ manus judicis a quo; et quomodo?* — Nec obtat, quod pendente appellatione censeantur ligatæ manus judici *a quo.* Nam istud procedit solum quoad causam principalem, cui non potest se immiscere, neque sententiam suam exequi : non vero, quominus possit statuere terminum competentem, et abbreviare tempus juris, infra quem terminum si appellans non se præsentet judici *ad quem*, vel non prosequatur appellationem, remaneat appellatio deserta, et priorem suam sententiam possit judex ille exequi : ut cit. c. *Personas.* h. t. Cui simile quid habetur c. *Cum sit Romana.* 5. et Clement. *Quamvis.* eod.; Maranta cit. n. 205. et alii.

148. *Judex tenetur debite petenti apostolos exhibere intra triginta dies : alias punitur et quomodo?* — Quæritur IV. Quid juris, si apostoli debito petantur, aut petiti non dentur a judice *a quo?* Resp. I. Quando apostoli per appellantem debite, ut supra, petiti fuerunt, tenetur judex eosdem intra tempus triginta dierum, a die sententiæ numerandorum exhibere, text. clar. c. *Ut super.* 4. et c. *Ab eo.* 6. h. t. in 6. cujus posterioris verba n. 134. relata sunt. Alias ipsemet judex una cum officio, seu officiali suo non contradicente, mulctæ, subjacebit, l. *Judicibus.* c. h. t. Qualis mulcta de rigore juris civilis, ac loquendo in causis civilibus, est punitio in triginta libris auri, l. *Quoniam.* c. eod. De jure canonico tamen, si causa est civilis, imponitur pœna arbitraria : si vero causa est criminalis, judex est deponendus. Maranta, part. VI. *Speculi aurei.* tit. *de Appellation.* n. 210; Scaccia, d. quæst. 13. n. 101.

149. *Etsi post denegatos apostolos procedat in causa, processus est invalidus.* — Resp. II. Insuper, si judex post denegatos, vel non datos appellanti, debiteque petenti apostolos, ex tunc forsan in causa procedat, nisi appellationi renuntiatum fuerit (expresse, vel saltem tacite) processus est invalidus, et irritus. Ita textus expressus in cit. c. *Ut super.* 4. h. t. in 6. juncta Glossa ỷ. *Renuntiatum.* et ỷ. *Irritus.* istud ampliante ad eum casum, quo alias de jure valeret processus : puta, quia frustratoria est appellatio, cui deferendum non est, c. *Cum appellationibus.* 5. h. t. in 6.

150. *Et quo modo?* — Et quidem loquendo de appellatione a sententia diffinitiva, si judex *a quo* procedere attentaverit in causa post denegatos, vel saltem non datos rite petenti apostolos; ejusmodi processus ipso jure nullus existit, atque retractatur per viam attentati : nam pendente appellatione (ut hæc semel facta pendet intra terminum petendi apostolos) conquiescit officium judicis *a quo* Scaccia cit. quæst. 13. *de Appellation.* n. 76. et seqq. et n. 91. referens alias doctorum sententias : quamvis oppositum merito teneat in appellatione a sententia interlocutoria; tunc enim nullitas processus pendet a futuro eventu : quia, si appellans obtinebit in causa appellationis ab ipsa interlocutoria, retractabitur processus; alias non juxta textum in c. *Non solum.* 7. § *Illa vero.* h. t. in 6.

151. *Si judex non dederit apostolos, potest appellans absque istis prosequi appellationem.* — Resp. III. Ulterius si judex debite, instanterque, ac sæpius requisitus, ut supra, expresse deneget apostolos, aut saltem statuto a se, vel a jure tempore, malitiose sive negligenter eosdem tradere prætermittat tunc appellans absque apostolis poterit prosequi appellationem suam; dummodo id ipsum contestetur. Textus est in l. un. C. *de Libellis dimissor.* quæ est canonizata can. *Post appellationem.* 2. q. 6. Ubi ratio hujus refunditur in naturalem æquitatem, seu quia

« æquum est, si per judicem steterit, qui debebat dare litteras, quominus det, ne hoc accipire volenti noceat. » Concordat textus in Clem. *Quamvis*. § fin. h. t. uberius hoc ipsum declarans.

§ VI.

DE FATALIBUS APPELLATIONUM.

152. *Fatalia appellationum; quid?* — Quæritur I. Quid sint, et quotuplicia Fatalia appellationum? « Fatalia appellationum » dicuntur tempora illa, intra quæ debet inchoari et terminari causa appellationis : alias quippe appellatio fit deserta. Ita Sigism. Scaccia quæst. 15. *de Appellat.* n. 2. et in re communis.

153. *Unde sic dicantur?* — Et dicuntur fatalia, a *fato*, sive a morte, juxta l. II. c. *de Temporib. in integ. restitut.* ibi: « Pater tuus in fata concessit, » cum similibus. Unde tempora illa, intra quæ debet inchoari, et terminari causa appellationis, appellantur *Fatalia*, id est, mortem inferentia ipsi appellationi; adeo, ut hæc sit deserta, nisi intra tempora illa fiat, ac terminetur, et rata maneat prior sententia : quia sicut mors extinguit hominem, ita lapsus illius temporis extinguit appellationem. Abbas c. *Ex ratione*. 8. n. 8. h. t.; Maranta, part. VI. *Speculi aurei.* tit. *de Appellation.* n. 232; Scaccia, ubi supra, n. 1. et alii.

154. *Generatim sunt in triplici differentia.* — Resp. II. Fatalia appellationum generatim sunt in triplici differentia : nam quædam sunt ad interponendam appellationem; quædam ad eam introducendam coram Superiore, seu Judice *ad quem;* alia vero spectant ad finiendam appellationem. Ita Gailus, lib. I. *Pract.* observat. 139. n. 1. et alii. Nec in re discordat Pirhing, h. t. n. 131. cum nonnullis aliis asserens, quatuor esse fatalia appellationum. Nam hi auctores, præter tria jam enumerata, addunt Fatale petendi apostolos, de quo jam proxime dictum est : neque proprie ac immediate est unum ex fatalibus appellationum, sed solum mediate, ac in consequentiam, imo alicubi nec est in usu. Porro per ordinem prosequendo alia tria fatalia appellationum.

155. *Fatalia interponendæ, quid?* — Quæritur II. Quæ sint fatalia interponendæ appellationis; et qualiter computentur? Resp. I. Per « Fatalia interponendæ appellationis » intelligitur tempus illud, intra quod gravatus per sententiam judicis, vel aliunde appellare potest ab illato sibi gravamine : adeo, ut elapso tali tempore facultas appellandi pereat, atque extinguatur. Ita in re communis. Quæ quidem fatalia interponendæ appellationis passim appellantur « Decendium ad appellandum » concessum : de quo jam breviter dictum est tit. præced. § 4. n. 110. et 111. nunc autem amplius declarabitur : unde.

156. *Hæc olim fuerunt duo vel tres dies : nunc sunt decem dies.* — Resp. II. Hujusmodi fatalia interponendæ appellationis, de jure antiquo fuerunt duo, vel tres dies, l. I. § *Biduum*. ff. *Quando appellandum sit.* ac refertur can. *Biduum*. 2. q. 6. Verum spectato jure novo sufficit appellare intra decendium : hoc est, intra decem dies a die latæ sententiæ, vel illati gravaminis, ejusque scientiæ numerandos. Ita communis; atque habetur decisum in Auth. *Hodie*. juncta Glossa ibid. c. *de Appellation.* Concordat textus in c. *Quod ad consultationem*. 15. *de Sentent. et re judicat.* ibi : « Cum post decem dierem spatium sententia in auctoritatem rei transeat judicatæ, qui ad provocationis subsidium infra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit. »

157. *Decendium ad appellandum concessum, quando currere incipiat?* — Resp. III. Prædictum decendium ab appellandum concessum, seu continens fatalia interponendæ appellationis, est computandum ab hora latæ sententiæ, seu illati gravaminis, hujusque scientia : atque a principio est utile, et non currit ignoranti; sed in progressu est continuum, et fit computatio ejus de momento in momentum. Ita Glossa c. *Concertationi* ℣. *Sciverit*. h. t. in 6. et favet textus ibidem illis verbis : « Quisquis ex eis (actibus extrajudicialibus, v. g. Electionibus, provisionibus etc.) gravatum se reputans, per appellationis beneficium gravamen illatum desideravit revocari, infra decem dies (postquam sciverit) si velit, appellet : post decendium vero eidem aditus non pateat appellandi. » Concordant dicta superius cit. tit. præced. § 4. n. 110. et 111. ubi plures auctores pro hac sententia allegantur.

158. *Non currit ignoranti, se esse gravatum.* — Quinimo non sufficit scire solummodo, actum factum; sed etiam est necesse scire, sese ex eo esse gravatum. Sic v. g. non sufficit, quod sciam, te esse electum ad tale

Beneficium, sed requiritur etiam, me scire, quod prius de Beneficio illo Papa mihi providerit, sicque per electionem tuam sim gravatus. Glossa cit. c. *Concertationi.* ỿ. *Sciverit* h. t. in 6. istud desumens ex jam allegato textu ibi : « Infra decem dies, postquam sciverit, si velit, appellat. » Accedit ratio, tum quia appellatio conceditur ad justam defensionem; nemo autem potest defendere, nisi sciat, se ab alio gravari; tum quia hoc decendium jure concessum est ad deliberandum, num quis velit stare sententiæ, aut gravamen illatum sustinere, nec ne : et consequenter est computandum a tempore scientiæ ejus, cum ignorans non possit deliberare.

159. *Decendium istud currit de momento in momentum : idque declaratur. Cautela pro notario quoad hoc.* — Igitur hoc tempus decendii incipit currere a tempore notitiæ, et postea currit de momento in momentum : adeo, ut si contra præsentem proferatur sententia, prima dies non tota computetur in termino decendii, sed solum ab hora latæ sententiæ; et horæ priores sint ex alio die, puta, undecimo supplendæ. Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 139. n. 5; Pirhing, h. t., n. 135. Qui idcirco monent, ut notarius in instrumento appellationis non solum diem, sed etiam horam appellationis apponat, ad hoc, ut rite cognoscatur, an, et quando decendium sit elapsum.

160. *Decendium hoc a principio est utile, sed in progressu continuum.* — Quod autem in progressu hoc tempus decendii sit continuum, patet l. I. c. *de Feriis*, ubi propter ferias, censentur fatalia non prorogari. Unde Summarium in l. I. § *Dies autem.* ff. *Quando appellandum sit*, juncto textu ibid. notanter inquit: «Tempus appellationis interponendæ, est utile quoad initium : continuum quoad processum. »

161. *Procurator, contra quem fertur sententia, debet appellare.* — Resp. IV. Quod si quis absens per procuratorem steterit in judicio, et contra ipsum, vel potius contra procuratorem ejus lata fuerit sententia, tunc procurator ille tenetur appellare : vel, si justa causa impeditus, puta ob metum gravem, appellare nequeat, debet domino suo id denuntiare, ut is, si voluerit, appellare valeat. Textus est in c. *Non injuste.* et Abbas, ibid. n. 13. *de Procurator.* et l. *Invitus.* c. eod.

162. *Alias nocet domino suo.* — Si vero neutrum horum fiat, negligentia procuratoris nocet domino suo (quamvis hic regressum habeat contra procuratorem) et sententia transit in rem judicatam. Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 139. n. 9; Engel, h. t. n. 43. et alii. His adde dicta superius tit. præced. § 4, n. 111. et quæ fusius habentur supra lib. I. tit. XXXVIII, *de Procuratoribus.* § 5. n. 121. 122. et seqq.

163. *Fatalia introducendæ, ac prosequendæ appellationis, sunt duplicis generis; videlicet.* — Quæritur III. Quid sit sentiendum de fatalibus introducendæ coram superiore appellationis? Resp. I. Fatalia hujusmodi, sicut et fatalia prosequendæ, ac finiendæ appellationis, sunt duplicis generis; alia legis, et alia hominis. Ita textus in c. *Cum sit Romana.* 5. et Glossa ibid. ỿ. *Recisius.* h. t.; Scaccia, quæst. 15. *de Appellat.* n. 13. Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 140. n. 2. et alii. Atque patebit declarando terminos : siquidem.

164 et 165. *Fatalia legis et fatalia hominis.* — Fatalia legis dicuntur, quando lex ipsa, vel commune statutum, ponit certum terminum introducendæ v. g. appellationis : hoc est, ad eam post præsentatos apostolos effectualiter introducendam coram Judice *ad quem*, præsentando nimirum ipsi appellationem, eumdemque desuper informando, prout explicat Scaccia, loc. cit. n. 13. vers. *Quartum tempus.* Et talia Fatalia legis respectu interponendæ appellationis, consistunt in decendio : et respectu petendorum apostolorum, sunt triginta dies, ut paulo superius dictum est : et quale sit respectu introducendæ, ac finiendæ appellationis, dicetur in quæst. seqq.

Fatalia hominis e contra sunt, quæ vel judex a quo, vel ipsemet appellans præfigit, statuendo certum terminum introducendæ v. g. coram superiore, aut etiam finiendæ appellationis. Sic. c. *Personas.* 4. juncta Glossa ỿ. *Præfixerit.* h. t. dicitur, quod appellans possit sibi statuere terminum ad appellationem prosequendam. Similiter c. *Ad hæc.* 20. h. t. jubetur servari juramentum præstitum de stando Ecclesiæ judicio, vel intra quadraginta dies post interpositam appellationem inter arripiendo ad eam prosequendam : talem enim terminum appellans, mediante proprio juramento, sibi ipsi præfixit.

166. *Idque ostenditur.* — Clarior utrorumque fatalium mentio habetur. c. *Cum sit Romana.* 5. § 1. h. t. illis verbis : « Si ante sententiam, vel postea fuerit appellatum, hujusmodi appellantibus annus indulgetur, aut ex necessaria et evidenti causa, biennium (En!

fatalia legis). Nisi forte judex, a quo appellatum fuerit, secundum locorum distantiam, et personarum, et negotii qualitatem, recisius tempus fuerit moderatus. (En! fatalia hominis). Infra quod, si is, qui appellaverit, causam appellationis non fuerit prosecutus, tenebit sententia; si post sententiam appellaverit, et a causa cecidisse videtur, nec amplius super eodem negotio audietur appellans, » etc. Hæc ibi.

167. *De jure civili fatalia legis introducendæ coram judice* ad quem *appellationis, sunt sex menses.* — Resp. II. Spectato rigore juris civilis, fatalia legis præsentandi apostolos, atque introducendæ coram judice *ad quem* appellationis, est tempus sex mensium, a die interpositæ appellationis computandum. Ita Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 140. n. 1 et 3. allegans ordinationem cameræ. Pirhing. h. t. n. 145. Sonnig h. t. cap. VI. n. 9. Idque desumitur ex l. II. et III. c. *de Temporib. appellation.* juncta Clem. Sicut. h. t. ubi dicitur, hujusmodi tempus esse computandum a die interpositæ appellationis.

168. *Et quid de jure canonico?* — Fatendum tamen, quod Ludov. Engel, h. t. n. 48. citans Hostiensem in *Summa.* eod. asserat, quod fatale istud, sive tempus præsentandæ, seu introducendæ appellationis coram judice *ad quem*, de jure communi, saltem canonico (quidquid olim fuerit de jure civili) non sit determinatum : sed judex *a quo* terminum præfigere debeat; ut c. *Ad aures.* 33. h. t. ibi : « Appellanti ad prosecutionem appellationis, terminus congruus præfigatur, etc. Concordat Scaccia, quæst. 15. *de Appellat.* n. 12. post Baldum, in l. fin. n. 1 c. *de Temporib. appellat.* et alios dicens, quod tempus præsentandi apostolos judici *ad quem* sit arbitrarium, sicut et tempus ad prosequendam appellationem, dummodo fiat intra annum.

169. *Fatalia prosequendæ ac finiendæ appellationis, de jure sunt annus, ac ex causa biennium.* — Quæritur IV. Quæ sint fatalia prosequendæ, ac finiendæ appellationis? Resp. I. Ad prosequendam, et finiendam appellationem, de jure conceditur integer annus; atque ex causa necessaria, et evidenti, biennium : nisi forte judex *a quo* secundum locorum distantiam, et personarum, negotiique qualitatem, brevius tempus præfixerit. Ita communis; et habetur expressum c. *Cum sit Romana.* 5. h. t. verbis supra n. 166. jam relatis. Concordat Auth. *Ei qui appellat.* c. *de Temporib. appellat.* et Clem. *Sicut appellationem.* 3. h. t.

170. *Hoc tempus computandum a die interpositæ appellationis.* — Porro hoc tempus est computandum a die interpositæ appellationis; prout desumitur ex cit. Clem. *Sicut appellationem.* h. t. ibi : « Intra annum a die interpositionis ipsius appellationis prosequi, et finire tenetur appellans. » Et si quis tali tempore suam appellationem, cessante justo impedimento, non fuerit prosecutus, neque finiverit, debet ejus appellatio censeri deserta, prout subjungitur cit. Clem. *Sicut appellationem,* illis verbis : « Quod si justo impedimento cessante non fecerit, debebit ejus appellatio deserta censeri. » Ac proinde tenebit sententia prius lata; ut Auth. *Ei qui appellat.* c. *de temporib. appellat.* quæ est canonizata can. *Ei qui appellat.* 2. q. 6. juncto c. *Cum sit Romana.* 5. h. t.

171. *Lapsus horum fatalium non obstat illi, qui propter justum impedimentum non prosequitur, vel non finit tunc appellationem.*— Resp. II. Quod si quis propter justum impedimentum non prosequatur, vel non finiat causam appellationis intra annum, aut biennium, non obstat ipsi lapsus prædictorum fatalium prosequendæ, et finiendæ appellationis. Ita textus in c. *Ex ratione.* 8. juncta Glossa un. h. t. et tradit Hostiensis in *Summa.* n. 10. h. t.; Abbas, d. c. *Ex ratione.* n. 4. et seqq.; Pirhing, eod. n. 165. et alii, qui in specie sex talia justa impedimenta, seu causas afferunt, ratione quarum appellans primo anno impeditus debeat habere secundum; imo etiam post biennium sit admittendus ad ipsam prosequendam. Et sunt sequentia.

172. *Enumerantur sex hujusmodi justa impedimenta.* — Primum impedimentum prosequendi appellationem intra annum, vel etiam biennium, tenet se ex parte Appellantis, videlicet propter ejus impotentiam: puta, quia propter infirmitatem, vel propter inopiam, aut hujusmodi, non potuit tam cito absolvere prosecutionem appellationis, v. g. Romam interpositæ, sicque indigentis majoribus expensis. Textus est in d. c. *Ex ratione.* 8. ubi Glossa fin. Innocentius, Abbas, n. 5. h. t. et alii.

173. Secundum impedimentum provenire solet ex parte Appellati : puta, si is per se, aut per alios, vel interponendo frustratorias appellationes etc. impedit, ne Appellator intra annum, aut biennium, possit finire causam appellationis. Abbas cit. c. *Ex ra-*

tione. n. 8. vers. « Quandoque impedimentum provenit ex facto solius appellati. » Scaccia, quæst. 15. *de Appellat*. n. 61. citans alios.

174. Tertium impedimentum intervenit ex facto mixto; hoc est, ex facto tam appellantis, quam appellati. Quia si « appellationis prosecutio per compromissum, vel alias de partium expresso consensu differatur, tempus ad prosequendum eamdem ab homine, vel a jure præfixum, non currere appellanti; textus est expressus in Clem. *Quandiu*. 4. h. t.

175. Quartum impedimentum procedit ex facto judicis; quia, nolentis appellantem audire, vel tam cito causam cognoscere, atque expedire. Quintum oritur ex facto tertii, v. g. procuratoris, negligentis debito tempore prosequi appellationem. Sextum tandem impedimentum provenit ex casu fortuito : puta, quia appellans ab hostibus captus, vel inundatione aquarum præpeditus, aut hujusmodi appellationem debito tempore prosequi, atque finire non potuit.

176. *Onus probandi tale impedimentum prosequendæ appellationis, incumbit appellanti. Facta sunt sui natura incerta. Nec præsumantur, nisi probentur.* — Porro onus probandi ejusmodi impedimentum prosequendæ appellationis, incumbit appellanti text. clar. l. ult § *Illud etiam*. c. *de Temporib. appellat.* ibi : « Nisi appellator evidentissimis probationibus possit ostendere, se quidem summa ope nisum, voluisse litem exercere, per judicem autem stetisse, vel aliam inexorabilem causam subsecutam, propter quam hoc facere minime valuit. » Accedit, quod generaliter affirmanti incumbat probatio, l. 2. ff. *de Probation.* Nam facta, sunt sui natura incerta, l. *In omnibus.* ff *de Juris et facti ignorant.* sicque non præsumuntur, nisi probentur, l. *In bello.* § *Facta.* ff. *de Captivis et postlim.* revers. Barbosa, Axiomat. 93. n. 27. et 28. cum aliis.

177. *Non sufficit probare duntaxat impedimentum, nisi etiam probetur diligentiam in eo removendo adhibitam esse.* — Addit Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 143. n. 1. et Pirhing. h. t. n. 171. quod non sufficiat probare duntaxat impedimentum; verum insuper appellans probare debeat, se non fuisse in mora, sed diligentiam adhibuisse ad removendum impedimentum, et appellationem prosequendam; per textum allegatum ex cit. l. ult. c. *de Temporib. appellat.* Alioquin enim probatio non concluderet, et consequenter nec relevaret, arg. l. *Qui commeatus.* ff. *de Re militari.* Unde Scaccia cit. quæst. 15. n. 156. concludit, ac pluribus firmat, quod si appellans potuisset removere impedimentum, et non removit, non obtineat secundum annum, neque evitet desertionem causæ.

178. *Stante legitimo impedimento prosequendi appellationem intra annum, conceditur appellanti secundus annus ipso jure.*—Resp. III. Stante, ac probato, ut supra, legitimo impedimento prosequendi appellationem, ipsamque finiendi intra primum annum, conceditur appellanti ad hoc ipsum secundus annus; et quidem ipso jure. Ita desumitur ex Auth. *Ei qui appellat.* juncta Glossa ℣. *Indulgeatur.* c. *de Temporib. appellat.* et c. *Cum sit Romana.* 5. h. t. et c. *Ex ratione.* 8. ubi Glossa ℣. *Impotentiam.* et c. *Oblatæ.* 57. eod. atque tradit Barbosa cit. c. *Cum sit Romana.* n. 3. h. t. et Pirhing, eod. n. 165. cum aliis.

179. *An tunc appellans debeat intra annum protestari de impedimento?* — Et hoc adeo procedit, ut licet non pauci velint, appellantem tunc debere intra annum protestari de ejusmodi impedimento, juxta doctores per Sigism. Scacciam, d. quæst. 15. n. 181. relatos : nihilominus talem protestationem non esse necessariam, teneat idem Scaccia n. 182, post Rotam apud Caputaq. decis. 73. p. 2; Crescent. decis. 5. n. 2. *de Exception.* et plures alios. Unde Barbosa cit. c. *Cum sit Romana.* n. 3. post. Guido Pap. tract. *de Appellat.* q. 101. n. 64. inquit, quod finito primo anno debeat appellans probare causam impedimenti; quæ si justa fuerit, declarabit judex, ei competere secundum annum datum a lege.

180. *Et an ipsi impedito solum ex parte anni, concedatur secundus annus totus ipso jure?* — Certum, an juste impedito prosequi appellationem primo anno solum ex parte anni, concedatur totus annus secundus ipso jure ad prosequendam appellationem, variant doctores. Et quidem non pauci volunt, concedi duntaxat tantum tempus secundi anni, quanto duravit impedimentum prioris anni : sic enim (ajunt) sufficienter suppletur id spatium temporis, quod ei per justum illud impedimentum fuerat sublatum. Alii vero distinguunt : et istam sententiam de rigore juris quidem procedere censent ; addunt tamen, quod si appellans toto primo anno fuit diligens in prosequenda appellatione, ac removendis impedimentis, conce-

datur ipsi de jure integer annus secundus, etsi impedimentum ejusmodi duntaxat duraverit per partem anni. Scaccia, d. quæst. 15. *de Appellat.* n. 148. citans alios. Atque hanc sententiam secundum praxin, et usum fori, præsertim ecclesiastici, magis obtinuisse, refert Pirhing, n. 172. h. t.

181. *Ulterius tempus puta tertius annus, conceditur legitime impeditis per restitutionem in integrum.* — At vero tempus ulterius, puta tertius annus, conceditur legitime impeditis per restitutionem in integrum; ut inquit Abbas in c. *Ex ratione.* 8. n. 5. et 6. h. t. post Bartolum in Auth. *Item si appellatione.* c. *de Temporib. appellat.* et alios : qui tamen addunt, hujusmodi restitutionem posse fieri per judicem sine libello, v. g. pronuntiando, quod, quia appellans tali, vel tali facto fuit impeditus, ideo ipsum restituimus etc. Hinc Summarium in d. c. *Ex ratione.* h. t. sic loquitur : « Lapsus biennii non præjudicat appellanti, quominus ex causa legitima audiatur, saltem per beneficium restitutionis in integrum; secundum veriorem intellectum. »

182. *Si per judicem stetit, quominus debito tempore finiatur appellatio, tempus fatalium non currit.* — Solum adde, quod si per judicem stetit, quominus debito tempore finiatur appellatio, tempus Fatalium appellationis ipso jure non curat; juxta Hostiensem in *Summa*, cit. n. 10. h. t. Idque patet ex Auth. *Sed et lis.* et Auth. *Si appellatione.* c. *de Tempor. appellat.* in quo posteriori loco Bald. in *Summario* sic ait : « Si stat per judicem appellationis, non currunt Fatalia. »

183. *Fatalia prosequendæ, finiendæ appellationis, hodie non attenduntur in majoribus tribunalibus.* — Unde Engel, h. t. n. 49. observat, quod ista fatalia prosequendæ, ac finiendæ appellationis, hodie non attendantur in majoribus tribunalibus; ubi propter multitudinem causarum, appellationes plerumque in plures annos pendent. Et merito : nam, ut in Auth. *de Appellationibus.* §. *Ad hæc.* collat. 4. quæ est canonizata can. *Anteriorum.* 2. q. 6. notanter dicitur : « Quod vitium est litigantium, si culmen imperatorium occupetur? vel quis tantæ est auctoritatis, ut nolentem principem possit ad convocandos Patres, cæterosque proceres coarctare? » Concordat c. *Ex insinuatione.* 50. h. t.

184. *Appellans a gravamine extrajudiciali adhuc post memoratum tempus auditur, saltem per remedium juris communis.* — Resp. IV. Etsi post memoratum tempus non amplius super eodem negotio audiatur appellans a sententia diffinitiva, vel interlocutoria, sed teneat prior sententia, ut hactenus explicatum : secus tamen est dicendum, si a gravamine extrajudiciali, et ante litis ingressum, quis appellaverit; nam hujusmodi appellans adhuc postea audietur, saltem per remedium juris communis, etsi non per remedium appellationis. Ita textus in cit. c. *Cum sit Romana.* 5. § *Infra quod.* h. t. et amplius declarat Glossa ibid. ℣ *Si vero a gravamine.* et Abbas, n. 18. inter alia dicens. Quod si fuit appellatum a gravamine extra judicium, audiatur appellans post terminum, licet appellationem non fuerit prosecutus in termino : quia licet tunc deserta sic appellatio extrajudicialis, nihilominus auditur appellans super jure suo per viam appellationis; ut c. *Concertationi.* 8. h. t. in 6. Ubi proinde Joan. Andreas in *Summario*, breviter sic loquitur : « Qui appellat extra judicium, infra decem dies, quo scivit gravamen, appellare debet : postea per remedium juris communis audietur, sed non per appellationis remedium. » Accedit ratio : quia facta extrajudicialia non transeunt in rem judicatam, hoc ipso, quod necdum sint in judicium deducta, neque sententia super eisdem lata, ergo nihil obstat, quominus in posterum revocari valeant per contradictionem debitam (puta instituendo actionem, aut querelam, vel exceptionem contra illatum gravamen, aut alia juris remedia intentando) dummodo appellans medio tempore eisdem non consenserit, juxta textum cit. c. *Concertationi.* h. t. in 6.

185. *An, et per quem terminus fatalium a jure concessorum possit restringi? judex a quo non potest statuere terminum finiendæ appellationis.* — Quæritur V. An, et per quem, terminus Fatalium a jure concessorum possit restringi? Resp. I. judex *a quo* potest certum tempus præscribere ad appellationem prosequendam, etiam ex rationabili causa coarctando terminum a lege concessum : non tamen potest statuere terminum ad eam finiendam. Ita habetur c. *Ex insinuatione.* 50. h. t. ubi Summarium, et Abbas, n. 1. et seqq. Barbosa, n. 4. h. t. Scaccia, *de Appellat.* quæst. 15. n. 218; Pirhing, h. t. n. 151. et alii. Ratio posterioris partis est : quia judex *a quo*, utpote inferior, non potest legem ponere superiori, sive judici *ad quem*; videlicet præfigendo appellanti terminum fi-

niendi coram eo appellationem, adeo ut alioquin causa appellationis ad ipsum revertatur. Hoc enim modo arctaretur etiam judex *ad quem*, et imponeretur ipsi per inferiorem necessitas terminandi causam intra prædictum tempus; quod repugnat ordini hierarchico.

186. *Et si hoc fecerit, censetur præfixisse terminum prosequendæ appellationis.* — Quod si vero judex inferior id fecerit seu appellanti præfixerit terminum finiendi appellationem, censetur præfixisse terminum ad se præsentandum Superiori, seu ad prosequendam appellationem, non vero ad eam finiendam summarium, et Abbas cit. c. *Ex insinuatione.* n. 1. et 2. h. t.

187. *Potest terminum ad prosequendam appellationem concessum, abbreviare secundum exigentiam negotii, etc.* — Prior vero pars patet ex c. *Cum sit Romana.* ubi Glossa ℣. Recisius et Abbas, ibid. n. 2. et 12. et 17. et Barbosa, n. 1. h. t. et alii communiter, docentes, quod judex *a quo* possit terminum ad prosequendam appellationem concessum (videlicet unum annum, vel ex legitima causa biennium) abbreviare secundum qualitatem seu exigentiam negotii, ac personarum, locorumque distantiam, per textum cit. c. *Cum sit Romana.* h. t. Idem probatur ex eo : quia judex a quo potest appellanti præfigere terminum ad iter arripiendum; ut c. *Ad hæc.* 20. h. t. juncta Glossa ibid. ℣. *Infra quadraginta.* Item ad petendum apostolos, Clem. *Quamvis.* h. t. ac hujusmodi : licet non possit præfigere terminum respectu appellationis finiendæ, cit. c. *Ex insinuatione.* 50. h. t. estque proxime dictum.

188. *E contra judex ad quem non potest istum terminum abbreviare, nisi immineat periculum.* — Resp. II. E contra judex *ad quem* non potest abbreviare terminum a jure concessum ad prosequendam appellationem, nisi forsan ex mora, seu longiori dilatione, periculum immineat animarum, vel damnum Reipublicæ. Ita Hostiensis, in *Summa.* h. t. n. 10. vers *Sed et judex ad quem.* Abbas c. *Oblatæ.* 57. n. 6. h. t.; Pirhing, eod. n. 153. et alii. Ratio disparitatis inter judicem *a quo*, et judicem *ad quem*, quantum ad propositum, est hæc : quia, ut notat Abbas ibid. judici *a quo* fit præjudicium per appellationem : nam sæpe appellatur frustratorie, ad differendum negotium principale; sicque merito potest is, quando ita ob qualitatem causæ, atque personarum expedire judicaverit, appellationi prosequendæ terminum breviorem præfigere, ut fraudibus obvietur. E contra judici *ad quem* nullum fit præjudicium; ac proinde nec potest restringere terminum prosequendæ appellationis a Jure concessum, juxta reg. 17. jur in 6. « Indultum a jure beneficium, non est alicui auferendum. » Intellige, nisi juxta causa, puta, commodum publicum, aut evitandum periculum animarum, aliud fieri deposcat: prout dicta regula limitari solet, conformiter alteri parti datæ conclusionis.

189. *Judex a quo nequit minuere terminum decem dierum ad appellandum concessum; et cur?* — Nec obstat, quod Judex *a quo* non possit minuere terminum decem dierum, concessum ad appellandum; ut inquit Glossa d. c. *Cum sit Romana.* ℣. *Recisius.* h. t. Resp. enim, disparitatem esse : quia istud nulla lege reperitur judici concessum, præsertim cum ex tam modico termino haud facile possit præjudicium aliquod generari. Secus dicendum in fatalibus prosequendæ appellationis, utpote ad integrum annum, aut ex necessaria et evidenti causa ad biennium sese extendentibus : nam quod tale tempus secundum causæ, et personarum qualitatem, judex *a quo* moderari possit, si ita expedire judicaverit, expresse conceditur ipsi cit. c. *Cum sit Romana.* 5. et c. *Oblatæ.* 57. h. t. cum concordantiis.

190. *Disparitas inter judicem* a quo, et ad quem, *quoad propositum. Ubi imminet periculum reipublicæ, vel animarum, potest etiam judex* ad quem *restringere tempus prosequendæ appellationis.* — Atque ex his elicitur alia probatio præmissarum conclusionum, et disparitatis inter judicem *a quo*, et *ad quem*. Nam illi expresse concessum est a Jure, posse juxta exigentiam causarum, locorum, atque personarum moderari, seu restringere tempus prosequendæ appellationis : e contra judici *ad quem* istud nullibi reperitur concessum, nisi ubi imminet periculum, puta commune reipublicæ, vel animarum, sicque, argumento a sensu contrario desumpto, censetur ipsi istud denegatum respectu causarum, in quibus tantum versatur utilitas privata. Abbas cit. c. *Oblatæ.* 57. n. 6. h. t. et favet textus ibid. § *Superior*, in hæc verba loquens : « Superior quoque Judex, si viderit ex dilatione periculum imminere, potest, et debet neutro prosequente appellationem, occurrere, ut periculum evitetur : puta, si a sententia lata super confirmatione alicujus

electi fuerit provocatum et utraque pars velit etiam ad annum prosecutionem appellationis differre, potest utique, imo debet, superior judex, ad quem fuerat appellatum, terminum provide moderari, ne gregi dominico diu desit cura pastoris. » Hæc ibi.

191. *Istud exemplificatur in conjugio spirituali, et carnali, etc.* — Porro, quod textus allegatus statuit de conjugio spirituali, existente inter Ecclesiam et Prælatum, intelligit Hostiensis cit. n. 10. etiam de causa appellationis in controversia conjugii carnalis, ob periculum animarum. Et quia exempla declarant, dispositionem de similibus esse intelligendam, l. I. § *Quod vulgo.* ff. *de Vi et vi armat.* Fagnanus c. *Non minus.* n. 30. *de Immunitat. Eccles.* consequens est, idem esse dicendum in periculo damni reipublicæ, imo et in causa alimentorum necessariorum, ac hujusmodi, ubi pariter ex dilatione immineret periculum vitæ esurientis, aut communitatis. Pirhing cit n. 153.

192. *Qualiter in aliis causis possit judex* ad quem, *finire fatalia appellationum?* — Quin etiam in aliis causis, licet judex *ad quem* non possit imponere terminum instantiæ appellationis, hujusque fatalibus : tamen, si ei liquet de causa, potest partibus præsentibus quandocunque pronuntiare, seu ferre sententiam ; sicque imponere terminum causæ, ac finire fatalia appellationum. Scaccia cit. quæst. 15. n. 217. post Baldum in Auth. *Ei qui appellat.* n. 12. C. *de Temporib. appellat.* et Francum c. *Cum cit. Romana.* n. 11 h. t.

193. *Appellans potest sibi ipsi restringere fatalia hujusmodi.* — Resp. III. Appellans potest sibi restringere, seu abbreviare fatalia appellationum, juxta c. *Personas.* 4. § fin. h. t. et c. *Ad hæc.* 20. eod. non tamen potest se solo eadem prorogare. Hunc enim redundaret in præjudicium tertii, seu appellati, contra reg. 22. in 6. « Non debet aliquis alterius odio prægravari : juncta l. *Non debet.* ff. eod. cum similibus.

194. *Utrum hæc mutuo partium consensu possint prorogari?* — Utrum autem mutuo partium consensu possint fatalia appellationum prorogari, controvertunt doctores; uti videre est apud Scacciam, quæst. 15. *de Appellation.* n. 188. referentem plurimos auctores pro et contra. Probabilior tamen et communior sententia est, posse talem prorogationem fatalium communi partium consensu fieri, dummodo adhuc durent tempora fatalium : alias secus; nam quod non est, prorogari nequit, Scaccia, loc. cit. n. 189. et 196. et seqq.; Pirhing, h. t. n. 167; Maranta, part. VI. *Speculi aurei.* tit. *de Appellation.* n. 225; Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 41. n. 6. et alii. Idque probatur ex l. ult. § fin. c. *de Temporib. appellat.* ubi partes permittuntur pacisci, ut nullum fatale observetur. Concordat Clem. *Quandiu.* h. t. ubi dicitur, quod de expresso partium consensu differatur, neque appellanti currat tempus a jure, vel homine præfixum ad prosequendam appellationem; nisi judex, ob imminens ex dilatione periculum, jubeat in illa procedi : ergo, si præceptum judicis non obstet, hoc ipso possunt prorogare fatalia appellationum. Concordat c. *De causis.* 4. *de Offic. delegat.* ubi simile quid statuitur de prorogatione jurisdictionis delegati.

195. *Quid sit judex in causa desertæ appellationis ob lapsum fatalium? Praxis notabilis deserviens appellato, quando appellans intra delectum tempus non petivit apostolos, vel non est prosecutus appellationem.* — Quæritur IV. Quis sit judex in causa desertæ appellationis ob lapsum fatalium ? Resp. I. Quando appellans nunquam petivit apostolos, aut debito tempore causam appellationis non introduxit, vel saltem eam non est prosecutus coram judice *ad quem;* tunc appellatus, seu victor in causa potest adire judicem *a quo,* qui sententiam tulit, ab eoque petere, et mandet illam executioni, citato tamen appellatore ad contradicendum, si habeat, cur non debeat executioni mandari : et tunc appellator ille tenetur comparere, atque docere, vel a se factam fuisse legitimam prosecutionem appellationis, vel justum intervenisse impedimentum, ratione cujus non potuerit eam prosequi : quod si vero appellator non comparuerit, vel saltem alterum dictorum non docuerit, potest judex ille ad executionem suæ sententiæ venire ; nec tunc opus est alia pronuntiatione super desertione appellationis. Ita Felinus, c. *Ex parte.* 12. n. 9, *de Rescriptis,* citans Angelum in l. *Si contra majorem.* C. *de Appellation.* Alexander consil. 95. n. 3. vol. II; Sigism. Scaccia, quæst. 11. *de Appellat.* 149. et 167. allegans insuper card. Alexandrum c. *Ex ratione.* n. 44. et Francum, ibid. n. 95. *de Appellat.* asserentes, per hoc evitari magnum circuitum.

196. *Et hujus ratio.* — Conclusio hæc probatur per textum singularem in d. l. *Si contra majorem.* C. *de Appellation.* quem infinitis vicibus se practicasse, dicit Angelus,

ubi supra; et sic sonat: « Si contra majorem viginti quinque annis sententia prolata, provocationis secutæ tempore præfinito causas non esse repræsentatas, nec appellatione pendente, transactione finitum negotium rector provinciæ animadverterit, res judicatas exequi curabit. » Hæc ibi; juncta Glossa, per « res judicatas » intelligente primam sententiam. Concordat c. *Ad hæc.* 27. h. t. et Clem. 2. et 3. et 6. eod. ubi appellatio censetur deserta, et prior sententia in rem transire judicatam, si appellationem appellans rite non fuerit prosecutus: sicque non est opus alia pronuntiatione super desertione appellationis, hoc ipso, quod appellans ejus prosecutionem non probet, et fatalia sint elapsa.

197. *Si appellans nunquam comparuit coram superiore, tunc judex* a quo *cognoscit super causa desertæ, vel non desertæ appellationis.* — Resp. II. Quod si vero appellatore veniente, et aliquid allegante, dubium remaneat, an causa appellationis ab eo fuerit deserta, nec ne; tunc est distinguendum inter duos casus. Quia vel appellans nunquam comparuit coram superiore; et tunc indubitanter discussio, atque pronuntiatio super causa desertæ, vel non desertæ appellationis, spectat ad judicem *a quo*: siquidem judex *ad quem* non habet cognitionem aliquam, nisi per viam appellationis negotium ad ipsum deferatur; hoc autem in casu posito (puta, si non fuissent petiti apostoli, vel saltem causa ipsa nunquam fuisset delata ad superiorem) non contingeret; ergo. Felinus cit. c. *Ex parte.* 12. n. 9. *de Rescriptis;* Scaccia, ubi supra, n. 149. et 150. et n. 166, post Francum, c. *Romana.* § fin. n. 3. *de Appellat.* in 6; Vestrius in *Praxi.* lib. VIII. cap. ult. n. 9. et alios.

198. *Alias de hoc cognoscit judex ad quem.* — Vel appellans jam comparuit aliquando coram superiore, seu judice *ad quem*, et coram ipso introducta fuit causa appellationis: et tunc in dubio, an appellatio fuerit deserta, nec ne (puta, an appellans legitime fuerit impeditus a prosecutione appellationis) debet judex *ad quem* cognoscere, atque pronuntiare super desertione quia is jam semel fuit aditus: ubi autem semel cœptum est judicium, ibi debet finiri, l. *Ubi acceptum.* ff. *de Judiciis;* Felinus cit. n. 9. Scaccia, d. quæst. 11. n. 151. et seqq. post Francum, c. *Ex ratione.* n. 67. et 99. h. t. alios.

§ VII.

DE EFFECTIBUS APPELLATIONUM: AC PRÆSERTIM DE HARUM EFFECTU SUSPENSIVO, ET REVOCATIONE SENTENTIÆ.

199. *Effectus appellationis legitime interpositæ principaliter est duplex; suspensivus ac devolutivus.* — Quæritur I. Qui sint effectus appellationis? Resp. I. Effectus appellationis legitime interpositæ, principaliter est duplex, nimirum suspensivus, ac devolutivus: quamvis non semper appellatio operetur ambos istos effectus. Ita Abbas ad rubric. h. t. n. 4. et alii passim. Et quidem altera pars, seu quod appellatio non semper operetur ambos hosce effectus, patebit ex dicendis n. 210. et 211. ac seqq. ubi plures referuntur hujusmodi casus. Prior autem pars ostenditur declarando terminos: nam.

200. *Effectus ejus suspensivus in quo consistat?* — « Effectus suspensivus appellationis » consistit in hoc, quod per ipsam suspendatur sententia judicis *a quo*, ejusque jurisdictio, quantum ad illam causam, in qua fuit appellatum: adeo, ut ad executionem sententiæ suæ procedere non possit. « Nam appellatione interposita medio tempore nihil novari oportet, » ut dicitur l. un. ff. « Nihil novari appellatione interposita. » Unde.

201. *Operatur tria, et quæ?* — Effectus suspensivus tria operatur. *Primo* enim suspendit pronuntiatum, sive sententiam judicis *a quo*. *Secundo* suspendit ejus executionem quantum ad illam causam; adeo, ut pendente appellatione judex ille non possit circa eam procedere absque vitio attentati. *Tertio* suspendit etiam præsumptionem alioquin stantem pro sententia judicis, c. *Cum ad Sedem.* 15. § fin. *de Restitut. spoliat.* cum similibus.

202. *Suspendit pronuntiatum, etc., non vero extinguit.* — Dicitur notanter, « suspendit pronuntiatum, etc., non vero, extinguit. » Nam appellatore non prosequente appellationem, rata manet prior sententia, et assumit vires suas, c. *Cum sit Romana.* 5. et c. *Personas.* 4. h. t. cum concordantiis. Hoc autem fieri non posset, si sententia judicis *a quo* per appellationem interpositam simpliciter extingueretur, et non tantum suspenderetur; prout argumentatur Abbas cit. n. 4. Unde dum l. I. § fin. ff. Ad S. C. *Turpilian.* dicitur: « Provocationis remedio condemnationis extinguitur pronuntiatum: » ly « Extin-

gnitur » exponendum est pro ly, « Suspenditur; » ut explicat Glossa fin. ibid.

203. *Effectus devolutivus appellationis quis?* — « Effectus devolutivus appellationis » consistit in hoc, quod tota causa devolvatur ad judicem superiorem, seu judicem *ad quem* : ita, ut is non solum de justitia appellationis cognoscere valeat; sed etiam, hac probata, causam principalem examinare, eamque sententialiter definire possit, ac debeat. Textus est in l. *Eos qui*. § 1. C. *de Appellation.* et c. *Dilectis filiis*. 55. h. t. ubi. Summarium sic loquitur : « Per appellationem legitime interpositam principale cum accessoriis ad judicem appellationis defertur. » Verum de hoc plura inferius n. 230. et seqq.

204. *Possunt distingui plures alii effectus appellationis, minus tamen principales.*—Resp. II. Etsi duo sint effectus principales appellationis, nempe suspensivus, et devolutivus, ut dictum : nihilominus præter hos possunt distingui plures alii affectus appellationis, minus tamen principales, vel ad unum prædictorum commode reducibiles. Ita Sigism. Scaccia, tract. *de Appellation.* quæst. 2. n. 3. et seqq. enumerans universim septem effectus illius; et n. 85. notans, quod card. Alexand. in rubric. *de Appellation.* a n. 69. usque n. 82. conetur cumulare duodecim effectus appellationis. Et quidem, præter duos jam enumeratos.

205. *Puta, quod possit impetrari judex appellationis per rescriptum.* — Tertius appellationis effectus est, quod ea legitime interposita possit impetrari judex appellationis, seu desuper expediri commissio; puta, per rescriptum apostolicum, ut cap. II. et seqq. et c. *Significaverunt de Exceptionib.* cum similibus. Alioquin enim, si causa appellationis committatur, seu delegetur non interposita prius appellatione, commissio est invalida, utpote data super eo, quod non est. Scaccia cit. n. 3. asserens, hunc effectum esse notum in Cura, ex vulgata Bellamaræ decis. 28. et 100. ubi ait : « Commissio facta super appellatione nondum interposita, est nulla ipso jure. » Verum effectus iste commode reducitur ad devolutivum, de quo proxime dictum.

206. *Quod pendente appellatione, nihil sit innovandum.* — Quartus appellationis effectus, sed ad effectum ejus suspensivum reducibilis, est; quod pendente appellatione nihil sit innovandum : ut l. un. ff. « Nihil novari appellatione interposita. » Ubi Ulpianus sic loquitur : « Appellatione interposita, sive recepta sit, sive non, medio tempore nihil novari oportet, » cum similibus.

207. *Imo nec intra decendium ad appellandum concessum possit aliquid innovari, etiam ante factam appellationem.* — Concordat textus notabilis in c. *Non solum*. 7. h. t. in 6. Ubi non solum innovata post appellationem a diffinitiva, jubentur (exceptis certis casibus) statim revocari per judicem appellationis; sed etiam illa, quæ medio tempore decem dierum intra sententiam et appellationem gesta fuerunt, illis verbis : « Non solum innovata post appellationem a diffinitiva sententia interjectam, debent semper (exceptis casibus, in quibus jura post sententiam prohibent appellare) ante omnia per appellationis judicem penitus revocari : sed etiam ea omnia, quæ medio tempore inter sententiam et appellationem (quæ postmodum infra decendium interponitur ab eadem) contingit innovari, ac si post appellationem eamdem innovata fuissent. » Ubi Glossa ℣. *Innovata. fuissent*, hujus posterioris partis rationem assignat, dicens : Quia sicut post appellationem a diffinitiva nihil attentari debet; sic nec pendente jure, quod condemnato competit ad appellandum, scilicet usque ad decem dies. Sicut enim indultum a jure beneficium, non est alicui auferendum, juxta reg. 17. juris in 6. ita nec spes ad illud, puta, facultas appellandi intra decendium, arg. l. *Si ususfructus mihi legatus*. ff. *Usufructuarius quemadmodum caveat*. Concordant dicta superius tit. præced. § 6. n. 160.

208. *Quod suspendat judicatum. Atque reponat appellantem in pristino statu; et quomodo?* — Quintus appellationis effectus est, ut suspendat judicatum, non tamen extinguat, conformiter dictis paulo superius n. 201. et 202. Sextus ejus effectus est, ut reponat appellantem in pristinum statum; intellige in eum, quo prius fuerat post litem contestatam, non vero in illum, in quo fuerat ante litis contestationem. Scaccia, quæst. 11. *de Appellat.* n. 46. estque jam dictum supra tit. XXV. *de Exceptionibus*. n. 28. et n. 74.

209. *Et quod judex* ad quem *debeat revocare, aut confirmare sententia judicis a quo.* — Septimus appellationis effectus est, ut si appellatio sit legitima, talisque appareat in fine, teneatur judex *ad quem* revocare sententiam judicis *a quo* : sin minus, debeat hanc confirmare, simulque calumniose, vel temere

appellantem condemnare alteri parti in expensis. Scaccia, *de Appellation.* quæst. 3. n. 85 et quæst. 2. n. 52. et alii: atque concordant dicenda inferius n. 231. Verum hi etiam appellationis effectus commode reducuntur vel ad suspensivum, vel ad devolutivum ejus effectum; uti facile patebit consideranti.

210. *Quando appellatio a sententia diffinitiva habeat, vel non habeat effectum suspensivum? Appellatio a diffinitiva regulariter habeat effectum suspensivum.* — Quæritur II. Quando appellatio a sententia diffinitiva habeat, vel non habeat effectum suspensivum? Resp. I. Etsi regulariter per appellationem a diffinitiva suspendatur jurisdictio judicis *a quo*; ut dicitur c. *Si a judice.* 10. h. t. in 6. ibi: « Cum per appellationem sit suspensa ipsius jurisdictio, » cum similibus. Simulque appellatione pendente nihil sit innovandum; cit. l. un. ff. « Nihil novari appellatione interposita, » et alibi. Hæc tamen ipsa Regula fallit in pluribus casibus, juxta illud vulgatum: « Nulla regula sine exceptione. »

211. *Fallit istud in casibus exceptis, seu in quibus jura prohibent appellari.* — Et *primo* quidem fallit ipse in casibus exceptis, seu in quibus jura post sententiam prohibent appellari. Textus est in c. *Non solum.* 7. h. t. in 6. ubi dicitur: « Innovata post appellationem et a diffinitiva sententia interjectam, debent semper (exceptis casibus, in quibus jura post sententiam prohibent appellare) ante omnia per appellationis judicem penitus revocari. » Ubi limitatio illa, « exceptis casibus, » etc. aperte tradit præsentem fallentiam. Nec immerito: nam appellatio, quæ contra juris prohibitionem interponitur, habetur pro infecta, can. *Imperiali.* 25. q. 2. juncta reg. 64. jur. in 6. cum concordantiis, quod autem nullum est, atque infectum, nullum producit effectum; ut c. *Illud.* 8. *de Jure patronat.* et l. 4. § *Condemnatum.* ff. *de Re judicat.* cum similibus. Qui vero sint illi casus excepti, seu in quibus jure prohibente non licet appellare, dicetur § 10. et 11. per totum.

212. *Ac in appellatione a censuris ecclesiasticis absolute prolatis. Excommunicatus, etiamsi appellet ab excommunicatione absolute prolata, eadem ligatur. Excommunicatio executionem secum trahit.* — Fallit *secundo* data regula in censuris ecclesiasticis absolute inflictis. Nam si ab istis jam latis appelletur, appellatio non sortitur effectum suspensivum, seu non impedit, neque suspendit valorem censuræ. Patet hoc ex c. *Pastoralis.* 53. h. t. ubi dicitur, quod excommunicatus, etiamsi appellet ab excommunicatione in ipsum absolute prolata, nihilominus eadem ligetur adeo, ut non obstante appellatione possit denuntiari, ut ab aliis evitetur, nec non et proventibus ecclesiasticis spoliari. Siquidem « excommunicatio executionem secum trahit » (prout loquitur textus ibid.) id est, prolata sententia excommunicationis statim aliquis est excommunicatus, nec est opus alia executione, qualis tamen executio requiritur, quando quis condemnatur ad solvendum, vel tradendum alteri rem suam.

213. *Item dicendum de aliis censuris ecclesiasticis absolute prolatis.* — Et quia etiam aliæ censuræ ecclesiasticæ absolute prolatæ executionem secum trahunt, idem juris est in illis prout habetur expressum in c. *Is cui.* 20. *de Sentent. excomm.* in 6. ibi: « Sane sicut excommunicatio, sic ab officio, vel ab ingressu ecclesiæ lata suspensio, aut ipsius effectus, per appellationem sequentem minime suspenduntur. » Id ipsum tradit Abbas, c. *Sæpe contingit.* 44. n. 15. h. t.; Scaccia, *de Appellat.* quæst. 17, limitat. 22. n. 3; Pirhing, h. t. n. 237. et communis aliorum. Ratio ulterior est: quia censuræ ecclesiasticæ sunt medicinales, et veniunt principaliter ad corrigendum, c. *Cum medicinalis.* 1. *de Sentent. excommun.* in 6. unde, ne prætextu frivolæ appellationis quandoque impediatur correctio, fuit in eis inducta isthæc specialitas, quod per appellationem subsequentem non suspendantur.

214. *Secus, si appelletur a censura solum comminata, vel lata sub conditione, si ante hujus eventum appelletur.* — Dicitur notanter n. 212. « fallit in censuris Ecclesiasticis absolute inflictis. » Nam secus est dicendum, si censura nondum fuerit lata, sed solum comminata, atque in posterum ferenda: aut si fuisset lata duntaxat sub conditione, v. g. nisi inter certos dies satisfecerit, sciat Sempronius se esse excommunicatum, suspensum, aut interdictum: siquidem appellatione ante eventum conditionis interposita (et multo magis, si censura nullo modo lata est, sed solum facta ejus comminatio) suspenditur hujusmodi censura, ejusque effectus impeditur, per textum expressum in c. *Præterea.* 40. ubi Abbas, num. 1. et 2. Barbosa, num. 1. et 4. h. t. et communis. Ratio disparitatis inter hunc, et priorem ca-

sum, est : quia ibi excommunicatio, seu alia censura, utpote lata absolute, jam arctat excommunicatum ante interpositam appellationem : secus in altero casu, ubi lata fuit sub conditione, atque ante hujus eventum existit appellatum. Quod si vero post eventum conditionis primum appellaretur, tunc revera conditione impleta jam ligaret censura ; ut c. *A nobis*. 21. *de Sentent. excommunicat.* Ac proinde non amplius suspenderetur per subsequentem appellationem, cit. c. *Pastoralis*. 53. h. t. et notat Glossa fin. d. c. *Præterea*. 40. h. t.

215. *Appellans in una causa si committat grave crimen, potest de eo puniri per judicem ordinarium* a quo. — Fallit *tertio* data regula in casu, quo quis appellat a judice ordinario in una causa, et postea committit grave crimen, aut de crimine antehac commisso coram eo accusatur : nam hujusmodi appellans potest de illo crimine puniri per judicem illum ordinarium, a quo in alia causa appellavit, non obstante priori appellatione. Textus est in c. *Præterea*. 22. h. t. juncto Summario, et doctoribus ibid. Et merito : tum quia appellatio est quidem species justæ defensionis, non tamen debet delinquentem tueri in sua iniquitate ; cum remedium istud sit concessum, ut relevet ab iniquo gravamine, non ut justitiam pervertat ; tum quia appellatio non extenditur ad ea, quæ fiunt post appellationem : neque per eam suspenditur jurisdictio judicis *a quo*, nisi in ea solum causa, super qua appellatum extitit.

216. *Sicut et appellans in una causa, v. g. civili, potest conveniri coram ordinario judice* a quo *in alia causa.* — Atque istud procedit non solum in causis criminalibus, sed etiam in aliis : adeo, ut si appellans in una causa, puta civili ; conveniatur coram judice ordinario *a quo* super alia re, seu causa, de qua appellatum non est, debeat stare ejus judicio, nisi voluerit eum recusare ut suspectum ; per textum in cit. c. *Ad hæc*. 6. h. t. et c. *Proposuit*. 24. h. t. ubi dicitur, quod appellans « non minus teneatur in aliis, super quibus appellatum non est, respondere. » Accedit ratio, quia appellatio non eximit appellantem a jurisdictione judicis ordinarii, nisi in eo tantum casu, super quo appellatum fuit, c. *Romana*. § *Cum vero is*. h. t. in 6. Quod intellige, dummodo appellans judicem, *a quo* appellavit in una causa, non recusaverit ut suspectum etiam in alia causa.

217. *Nisi hunc recusaverit ut suspectum etiam in alia causa.* — Et notanter hoc ultimum additur : quia appellans in una causa, potest judicem *a quo*, si voluerit, recusare ut suspectum etiam in alia causa : juxta textum cit. c. *Ad hæc*. 6. h. t. ibi : « Eum potest, si voluerit, tanquam suspectum vitare » in aliis causis. Adeo, ut Barbosa, ibid. n. 2. cum aliis, inde inferat, ex sola appellationis interpositione in una causa (gravamine etiam non probato) posse judicem *a quo* recusari ut suspectum in alia causa. Rationem dat, quia aliqualis injuria videtur inferri judici, *a quo* appellatur, sicque iste non nihil offendi : et quia multi alii judices solent provocari ad aliquam indignationem contra appellantem, dubitari potest, ne judex ille, utpote aliqualiter offensus, velit in alia causa se ulcisci contra appellantem ; et consequenter debet posse recusari ut suspectus. Id ipsum confirmatur ex textu cit. c. *Ad hæc*. 6. h. t. ponderando ly, « si voluerit : » et consequenter videtur esse in libertate appellantis a judice in una causa, ipsum in alia causa recusare ut suspectum, si voluerit.

218. *Et quando talis recusatio fieri possit ?* — Fatendum tamen est, quod Joan. Andreas, in d. c. *Ad hæc*. n. 1. h. t. et Abbas, ibid. num. 3 ; Pirhing, eod. num. 221. et Scaccia, quæst. 17 ; *de Appellat.* limit. 47. memb. 3. n. 4. allegans communem aliorum, prædictam sententiam non admittant indistincte. Unde volunt, quod memorata sententia, et textus cit. c. *Ad hæc*. 6. h. t. tunc demum procedat, quando suppetit alia causa recusandi judicem *a quo*, ut suspectum (puta, quia iste aliquod aliud gravamen intulit appellanti, vel huic minitatus fuit) ratione cujus proinde appellans velit ipsum recusare, atque recuset ut suspectum : non autem præcise ex eo, quod quis in aliqua alia causa ab ipso appellaverit, etiam nullo cæteroquin probato gravamine. Rationem dant, tum quia judex discretus non provocatur, seu non irritatur ex appellatione, ut inquit Abbas, c. *Ut debitus*. 59. n. 32. h. t. sicque ex hoc solo non præsumitur velle se vindicare ; tum quia sententia judicis, bono animo judicantis, non debet obesse ipsi, can. *Hoc etiam placuit*. 2. q. 6. Obesset autem, si ipse posset libere recusari ut suspectus in alia causa : quia per hoc minueretur jurisdictio ipsius ; tum tandem, quia alioquin posset appellans recusare judicem *a quo* in alia causa ut suspectum, etiamsi temere, et frustratorie appellasset :

hoc autem videtur absurdum, et contra textum apertum in l. un. ff. « Apud eum, a quo appellatur, aliam causam agere, » etc. illis verbis: « Nec utetur (appellans) hoc prætextu, quasi apud offensum judicem non debeat experiri : cum possit denuo provocare. »

219. — Illud est in confesso, quod judex ordinarius, a quo in alia causa appellatum fuit, non possit recusari in crimine manifesto. Patet enim istud ex c. *Proposuit.* 24. h. t. ubi pontifex desuper consultus, respondit in hæc verba: « Licet pro illa appellatione non minus teneatur in aliis, super quibus appellatum non est, respondere : judex tamen, a quo appellatur (quia illi omnino suspectus est) cum non debet ad respondendum super aliis compellere : nisi pro crimine adeo gravi, et manifesto, quod ipso actu merito sit dammandus. » Ratio hujus est, quia in notoriis non est locus recusationi, sicut nec appellationi : nam appellatio, et recusatio æquiparantur, c. *Super eo.* 12. h. t.

220. *Appellatio non habet effectum suspensivum in iis, quæ tendunt duntaxat ad faciliorem causæ exitum.* — Fallit *quarto* regula memorata, atque appellatio non habet effectum suspensivum in iis, quæ tendunt ad favorem, seu faciliorem causæ appellationis exitum; dummodo judex *a quo* abstineat a cognitione ipsius causæ appellationis. Ita Abbas, c. *Cum teneamur.* 17. n. 1. et Barbosa, ibid, n. 3. h. t.; Maranta, part. VI. *Speculi aurei.* tit. *de Appellation.* num. 194; Scaccia, ubi supra, quæst. 3. n. 20; Sannig, h. t. cap. VIII. n. 2. et alii. Idque clare desumitur ex cit. c. *Cum teneamur.* 17. h. t. ubi habetur, quod judex *a quo* appellationis possit reformare possessionem, a qua appellans pendente appellatione fuerat turbatus, sive dejectus. Concordat textus in c. *Ex litteris.* juncta Glossa ℣. *Districtius interdixit de Matrimon. contracto contra interdict.* ubi dicitur, quod licet judex deferat appellationi, nihilominus interdicere possit, ne appellans faciat id, propter quod appellavit, v. g. ne appellans a valore matrimonii nubat alteri, donec causa ipsius matrimonii debitum finem sortiatur.

221. *Sicut et in nonnullis aliis casibus.* — Præter hos casus, in quibus appellatio non sortitur effectum suspensivum, plures alii adducuntur a Barbosa, in c. *Ut debitus.* 59. n. 15. *de Appellat.* allegantes alios doctores. Sic quippe fit, ac proinde non obstante appellatione proceditur ad executionem sententiæ, in causa dotis, in causa mercedis, in alimentis futuris (secus, in alimentis jam decursis ante litem motam) item in causis piis, atque in illis causis, quæ celeritatem requirunt : prout ulterius deducit citatus Barbosa, probatque, in ipsis non dari appellationem in ordine ad effectum suspensivum. Et hæc procedunt de appellatione a sententia diffinitiva : nunc ulterius.

222. *Appellatio a sententia interlocutoria, vel gravamine, habet effectum suspensivum respectu illius articuli, etc., a quo appellatur.* — Quæritur III. An pariter appellatio a sententia interlocutoria, vel gravamine, habeat effectum suspensivum? Resp. I. Etiam appellatio a sententia interlocutoria, vel gravamine, sortitur effectum suspensivum, saltem respectu illius articuli, sive gravaminis, super quo appellatum fuit : dummodo istud per judicem *a quo* postea non revocetur. Ita patet ex c. *Si a judice.* h. t. in 6. Generaliter enim « appellatione interposita medio tempore nihil novari debet; ut dicitur : l. un. ff. « Nihil novari appellat. interposit. »

223. *An si appelletur super incidenti solum, possit judex* a quo *procedere in causa principali?* — Additur notanter, « dummodo istud (videlicet gravamen per sententiam interlocutoriam illatum) per judicem *a quo* postea non revocetur: » nam quod judex *a quo* possit istud revocare, et tunc in causa procedere, non obstante facta appellatione, patet ex c. *Cum cessante.* 60. h. t. et amplius dicetur infra n. 229. additur ulterius, « saltem respectu illius articuli, etc. » Nam controversia non modica est, an si appelletur super incidenti solum, possit judex *a quo* procedere in causa principali.

224. *Quando sine incidenti illo potest causa principaliter expediri nequit judex* a quo *in ea procedere.* — Et quidem satis convenit inter doctores, quod, quando appellatur super aliquo articulo, sive quæstione incidenti, vel gravamine tali, sine quo causa principalis expediri nequit: tunc judex *a quo* supersedere debeat non tantum a cognitione illius quæstionis incidentis, super qua appellatum fuit, sed etiam a cognitione ipsius causæ principalis. Ita siquidem habetur expressum c. *Super eo.* 10. h. t. verbis illis : « Si de aliqua exceptione quæstio oriatur, et exinde appellationem fieri contingat, eidem exceptioni erit merito supersedendum : et si principalis causa sine illa terminari non poterit, ei nihilominus supersedeatur. » Concordat

in simili c. *Dator.* 5. et c. *Causam quæ inter.* 7. *Qui filii sint legitim.* Ubi si incidat quæstio spiritualis, v. g. super valore matrimonii, ac legitimate prolis, hac ad judicium Ecclesiæ remissa, interim quiescit causa petitionis hæreditatis coram judice sæculari intentata : quia nimirum hæc sine illa decidi non potest. Concordant dicta superius tit. X. *de Ordine cognitionum*, n. 13. et n. 30. ac seqq.

225. *Alias id fieri posse, censent nonnulli; et horum fundamentum.* Non vero pariter appellatio ab interlocutoria, vel articulo quodam incidente, sine quo tamen causa principalis terminari potest, suspendat jurisdictionem judicis *a quo* in totum, variant doctores. Negat Zœsius h. t. n. 27. et Pirhing, n. 178. id probantes ex cit. *Super eo.* 10. h. t. ubi dicitur : « Et si principalis causa sine illa terminari non poterit, ei nihilominus supersedeatur : » ergo, argumento a sensu contrario desumpto (inquiunt) si sine illa causa incidente, v. g. exceptione aliqua, a qua appellatum extitit, potest terminari, seu decidi causa principalis, non est necesse, ut per judicem *a quo* huic supersedeatur. Accedit, quod appellatio in una causa non impediat, quominus judex *a quo* (nisi recusetur ut suspectus) possit judicare in alia causa, c. *Ad hæc.* 6. et c. *Proposuit.* 24. h. t. estque paulo superius dictum. Atqui in proposito videntur esse duæ causæ, cum causa principalis uti supponitur) possit terminari sine altera incidenti : puta, si appelletur ratione contumaciæ, postulando, ut propter eam pars litigans condemnetur in expensas : vel si appelletur ab exceptione compensationis, aut hujusmodi ; ergo.

226. *Opposita sententia est retinenda.* — Oppositam sententiam, ac in praxi merito retinendam, videlicet judicem *a quo* tunc non posse procedere in causa principali, tenet Glossa cit. c. *Super eo.* 10. ℣. *Terminari.* et Abbas, ibid. n. 4. et seqq. h. t. hanc opinionem appellans communem, eamque probans ex c. *Si a judice*, etc. *Non solum.* h. t. in 6. Accedit, quod durum sit, eumdem litigantem arctari ad comparendum in eadem causa coram diversis Judicibus, contra illud vulgatum : « Causæ continentia non debet dividi : » ut dicitur l. *Nullum*, juncto Summario, et doctoribus ibid. c. *de Judiciis*, et c. *Dispendia.* 3. *de Rescript.* in 6.

227. *Solvuntur rationes prioris sententiæ.* — Neque multum urgent rationes in oppositum n. 225. allatæ. Nam imprimis argumentum a sensu contrario non procedit, quando exinde resultat jurium correctio; prout uberius dictum est supra lib. I. tit. II. *de Constitutionibus.* § 16. n. 406. et 408. Talis autem correctio jurium, puta de continentia causæ non dividenda, accideret juxta contrariam sententiam. Deinde in isto casu non duæ, sed una duntaxat causa, saltem principalis, foret; quamvis huic accessorie adjungatur altera incidens : unde negatur assumptum confirmationis.

228. *Judex* a quo *nequit revocare sententiam diffinitivam valide prolatam.* — Quæritur IV. Utrum post interpositam appellationem judex *a quo* possit revocare sententiam a se latam? Resp. distinguendo inter sententiam diffinitivam, et interlocutoriam. Et quidem loquendo de sententia diffinitiva, conveniunt doctores, quod eam semel valide prolatam judex *a quo* revocare nequeat : siquidem sententia diffinitiva imponit finem controversiæ; ut patet ex definitione ipsius; ac proinde ea semel valide lata, desinit quis esse judex in tali causa. « Semel enim sive male, sive bene, officio functus est, » prout dicitur l. *Judex.* ff. *de Re judicat.* Concordat textus c. *In litteris.* 9. *de Offic. delegat.* junctis dictis supra « semel valide prolatam, » etc. Nam quod judex ordinarius possit reformare sententiam suam invalide prolatam, seu de jure nullam, jam dictum est cit. tit. præc. n. 36. et 37. et amplius supra h. t., § 1, n. 28. 29. et seqq. Ibi videatur.

229. *Potest tamen revocare sententiam interlocutoriam, vel gravamen, ac deinde in causa principali libere procedere.* — Loquendo e contra de sententia interlocutoria, certum est, quod judex *a quo*, si ita expedire viderit, possit eamdem revocare, seu reformare; atque sublato gravamine, per ipsam parti appellanti illato, in causa libere procedere. Ita quippe expresse habetur decisum in concilio generali (hoc est, Lateranensi, celebrato sub Innocentio III.) atque refertur c. *Cum cessante.* 60. h. t. illis verbis : « Cum cessante causa, cesset effectus : Statuimus, ut sive judex ordinarius, sive delegatus aliquid comminando, vel interloquendo protulerit, quo executioni mandato alter litigantium gravaretur : et sano usus consilio ab hujusmodi interlocutionis, vel comminationis effectu destiterit, libere in causæ cognitione procedat : non obstante, si a tali comminatione vel interlocutione fuerit appellatum, dum-

modo non sit ex alia causa suspectus : ne processus negotii frivolis occasionibus retardetur. » Hæc ibi : Concordant dicta superius tit. præced. § 1. n. 33. 34. et seqq. ubi additur, rationem disparitatis inter hanc, et priorem partem esse, quod per prolationem sententiæ interlocutoriæ nondum quis desinat esse judex in tali causa, sicuti per sententiam diffinitivam, quæ terminat totam causam.

§ VIII.

DE EFFECTU DEVOLUTIVO APPELLATIONUM : UBI ET DE TRANSPORTATIONE ACTORUM, AC DECRETO SAC. CONGREGATIONIS CIRCA MATERIAM APPELLATIONUM.

230. *Appellatio parit etiam effectum devolutivum; et quomodo?* — Quæritur 1. Quid sentiendum sit de effectu devolutivo appellationis? Resp. I. Certum est, quod appellatio legitime interposita pariat etiam effectum devolutivum : ita videlicet, judex *ad quem* non solum de justitia appellationis, sed etiam de meritis causæ cognoscere valeat. Patet istud ex c. *Dilectis filiis*. 55. h. t. et c. *Ut debitus*. 59. eod. cum similibus. Concordant dicta superius § præced. n. 203.

231. *Quando appellatur a diffinitiva judex* ad quem *debet judicare, ac pronuntiare;* Bene judicatum, male appellatum; *aut e contra.* — Resp. II. Quando appellatur a diffinitiva, tunc judex *ad quem,* utpote cognoscens de meritis causæ, debet judicare, an bene vel male fuerit judicatum : et si quidem bene, confirmabit priorem sententiam, pronuntiando, quod sit « Bene judicatum, male appellatum; » sin autem male, cassabit illam priorem sententiam, pronuntiando, « Bene appellatum, male judicatum : » neque licebit eidem causam ad judicem *a quo* ullatenus remittere, sed tenetur eam propria sententia terminare. Ita Glossa c. *Ut debitus*. ỿ. *Alioquin*. h. t. idque patet ex l. *Eos qui*. c. h. t. can. ult. § *Ab eo autem*. 2. quæst. 6.

232. *Vel priorem sententiam reformare, ei aliquid addendo, aut detrahendo, etc.* — Poterit etiam judex *ad quem*, si ita judicaverit, priorem sententiam plura capitula continentem reformare, eidem aliquid addendo, vel quid detrahendo ab ea; aut ipsam ex una parte cassando, ex altera confirmando, secundum quod justum fuerit; ut c. *Raynutius*. et c. *Raynaldus de Testament*. ac notat Glossa cit. c. *Ut debitus*. ỿ. *Alioquin*. h. t.

233. *Tunc devolvuntur ad judicem* ad quem, *tam causa principalis, quam ejus accessoria, et consequentia.* — Resp. III. Insuper quando appellatur a diffinitiva, non solum causa principalis, sed etiam ejus accessoria, ipsamque consequentia devolvuntur ad judicem appellationis, seu judicem *ad quem*. Ita desumitur ex cit. c. *Dilectis filiis*. 55. h. t. ubi Summarium, et Abbas, n. 1. et Barbosa, in *Collectan*. n. 1. citans alios, sic habet : « Per appellationem legitime interpositam, principale cum accessoriis ad judicem appellationis, defertur. » Et merito : nam idem juris debet esse in accessorio, quod in principali; prout multipliciter probat Glossa ibid. ỿ. *Principale.;* Pirhing, h. t. n. 238.

234. *Utrum appellatio ab interlocutoria, vel gravamine, devolvat causam principalem ad superiorem judicem est distinguendum. Devolvit si pronuntiatur esse legitima.* — Resp. IV. Loquendo nunc de appellatione ab interlocutoria, vel gravamine, num etiam hæc causam principalem devolvat ad superiorem judicem, est distinguendum. Nam imprimis judex *ad quem* debet cognoscere de ipsamet appellatione, an sit legitima, atque ex rationabili causa proveniens, nec ne : et si quidem cognoscat, atque pronuntiet, bene esse appellatum, tota causa, ejusque cognitio ad ipsum devolvitur; neque tunc is causam remittere debet ad judicem *a quo*, sed ipsemet de causa principali cognoscere, eamque definire. Textus est in c. *Ut debitus*. 59. h. t. ibi: « Alioquin ipse procedet; » id est, judex appellationis ab interlocutoria, vel gravamine, cognoscens ex rationabili causa fuisse appellatum : ac notat Glossa ibid. ỿ. *Alioquin*. Pirhing, h. t. n. 237. et alii.

235. *Sin minus, tunc judex* ad quem *tenetur remittere causam principalem judici* a quo. — Quod si vero judex *ad quem* pronuntiaverit, appellationem ejusmodi, non fuisse legitimam, sed frivolam, ac minus rationabilem: tunc judex *ad quem* tenetur causam principalem remittere judici *a quo;* simul tamen frivole appellantem in expensis alteri parti condemnare. Textus est in cit. c. *Ut debitus*. 59. h. t. ita loquens : « Cum autem quis ante sententiam ex rationabili causa putaverit appellandum, coram eodem judice causa probabili appellationis exposita, tali videlicet, quæ si foret probata, deberet legitima reputari, superior de appellatione cognoscat. Et si minus rationabiliter eum appellasse constiterit (puta, quia appellans non probavit alle-

gatam causam) illum ad inferiorem remittat, et in expensis alteri parti condemnet : Alioquin ipse procedet, » etc. Concordat textus expressus in c. *Cum appellationibus.* § 1. h. t. in 6. junctis dictis supra n. 131.

236. *Dummodo judex* a quo *non detulerit appellationi.* — Intellige tamen istud, dummodo judex *a quo* non detulerit appellationi. Nam deferendo appellationi, puta, concedendo apostolos dimissorios, vel reverentiales, censetur judex *a quo* abdicasse a se omnem jurisdictionem quoad causam illam : ita ut tota causa (haud obstante, quod appellatio cæteroquin fuerit frustratoria, et frivola) ad judicem *ad quem* devolvatur, atque in hujus potestatem decisio ejusdem causæ transferatur; proindeque judex appellationis non teneatur causam illam remittere ad judicem *a quo.* Textus est expressus in cit. Clem. *Cum appellationibus.* § *Si vero.* h. t. illis verbis : « Si vero judex admittat, licet tam appellatio (minus legitima) quam ipsius judicis delatio a superiore valeant refutari : quia tamen judex ipse, quantum in se fuit, a se jurisdictionem abdicavit eamdem, appellationi deferens minus juste, totius causæ decisio in superioris est potestatem transfusa; nec est illi causa de necessitate ulterius remittenda, » etc. Hæc ibi.

237. *Quamvis etiam tunc judex* ad quem *possit eam remittere.* — Additur notanter in relato textu : « nec illi causa de necessitate ulterius remittenda. » Quia, si judex ille superior sponte velit, bene poterit eam remittere ad judicem *a quo;* uti notat Glossa ibid. ℣. *Remittenda.* Non enim superior tenetur de necessitate appellationem frivolam recipere, quantumcunque judex *a quo* voluerit a se abdicare jurisdictionem, frivolæ illi appellationi deferendo; cum hujus culpa, vel imperitia, alteri nolenti præjudicare non possit, nec debeat. Ancharanus ad cit. c. *Cum appellationibus.* n. 2. h. t. in 6. Id ipsum probant præcedentia verba allegati textus, ibi : « Licet tam appellatio, quam ipsius judicis delatio a superiore valeant refutari. »

238. *Executio sententiæ in causa appellationis, an spectet ad judicem* ad quem, *vel* a quo? *non conveniunt doctores.* — Quæritur II. Utrum executio sententiæ in causa appellationis spectet ad judicem *ad quem*, vel *a quo?* Resp. I. Licet in resolutione hujus quæstionis doctores non undequaque conveniant; communior tamen, et magis recepta opinio tenet, quod judex *ad quem,* qui vel in tribus conformibus, vel alias in causa appellationis ultimam tulit sententiam, eamdem mandet executioni. Ita Glossa in c. *Pastoralis.* § *Præterea.* ℣. *Discussa. de Offic. delegat.* referens simul contrariam quorumdam opinionem. Bartolus, l. *A divo Pio.* n. 15. ff. *de Re judicat.* Sigism. Scaccia, quæst. 11. *de Appellat.* n. 162. citans alios; atque asserens, hanc Bartoli opinionem sequi doctores communiter; Gailus, lib. I. *Pratic.* observat. 113. n. 14. hanc appellans receptam, et communem doctorum opinionem : quamvis oppositum teneat Glossa c. *Cum in Ecclesia.* 38. ℣. *Alioquin.* h. t. ubi pro regula ponit, quod judex appellationis, qui confirmat sententiam priorem, non debeat ipsam mandare executioni. Quod tradit Abbas, ibid. n. 8. et in c. *Pastoralis.* § *Præterea.* n. 6. et Felinus, n. 14. concl. 2. *de Offic. delegat.* istud tenentes saltem in eo casu, quo judex appellationis nihil addidit, vel detraxit de priori sententia : sed motus isdem rationibus solum pronuntiavit, « Bene judicatum, male appellatum. » Atque ex his patet prior pars conclusionis, nempe doctores in resolutione hujus quæstionis non undequaque convenire.

239. *Communior sententia tenet, eam spectare ad judicem* ad quem. — Altera pars desumitur ex c. *Dilectis filiis.* 55. h. t. ubi dicitur, per legitimam appellationem deferri ad judicem superiorem principale negotium cum accessoriis : atqui inter accessoria connumeratur executio sententiæ; ergo. Concordat textus in l, *Præcipimus.* § *In his autem.* c. h. t. ubi officiales judicum appellationis jubentur exequi sententias in causa appellationis latas, illis verbis : « Officiis videlicet eorum exequentibus judicata. » Simile quid habetur l. ult. § fin. c. *de Judiciis.* Accedit ratio, quia, quando in causa appellationis prior sententia fuit confirmata, tunc agitur ad executionem ex sententia confirmante (quæ est sententia judiciis *ad quem*) non vero ex sententia confirmata, seu judicis *a quo*, utpote per appellationem suspensa. Quod si vero prior sententia judicis *a quo* per judicem superiorem reformata, seu cassata fuit, hoc ipso judex *a quo* ad ejus executionem procedere nequit.

240. *Limitatur hæc sententia, quando judex* a quo *dedit apostolos refutatorios, et appellatio pronuntiatur frivola.* — Resp. II. Patitur nihilominus data conclusio nonnullas limitationes. Et *primo* quidem, quando judex *a quo* dedit appellanti apostolos refutatorios, allegata justa causa, cur non deferat appella-

tioni interpositæ : tunc enim judex *ad quem* cognoscit quidem super justitia, vel illegitimitate appellationis; si tamen hanc illegitimam seu frivolam pronuntiaverit, oportet, ut causam ejusque executionem ad judicem *a quo* remittat, juxta c. *Ut debitus*. 59. h. t. etc. *Cum appellationibus*. eod. in 6. estque jam dictum supra n. 131. et 235.

241. *Et quid observetur in curia romana?*— In curia tamen Romana, utpote ad quam ex universo orbe christiano, in causis spiritualibus immediate potest appellari, imo et in prima instantia negotium principale proponi, can. *Cuncta per mundum*. 9. q. 3. cum similibus, talis remissio locum non habet. Etenim stylus habet, ut litigator, prætendens ex quovis capite habere rem judicatam, adeat signaturam justitiæ, eique porrigat supplicem libellum executionis, seu commissionis executorialis : qualis postea expediri consuevit datis executoribus, qui sententiam in curia Romana latam, postea exequantur in partibus. Scaccia, d. quæst. 11. n. 472. et alii.

242. *Limitatur etiam*, *quando sententia transiit in rem judicatam ob non præsentatam superiori appellationem inter legitima tempora.* — Limitatur *secundo*, quando sententia, a qua fuit appellatum, transiit in rem judicatam ob non præsentatam superiori appellationem inter legitima tempora : quia tunc judex *a quo*, qui tulit sententiam, pronuntiabit causam esse desertam, conformiter dictis supra n. 195. et deinde exequitur sententiam. Scaccia cit. quæst. 11. n. 166. post Francum c. *Romana*. § fin., n. 3. *de Appellat.* in 6; Mandosium in *Formul. Commiss.* in commiss. 23. ỷ. *Ob non prosecutionem*, et alios.

243. *Et quando appellatio fuit deserta per lapsum fatalium, ad ejus prosecutionem statutorum.* — Atque istud ampliatur ad eum casum, quo judex *ad quem* declarat, appellationem esse desertam per lapsum termini, seu fatalium ad ejus persecutionem statutorum : quia tunc potest judex *a quo* reassumere causam, ipsamque exequi. Ratio est, quia in tali casu sententia non confirmatur ex declaratione judicis *ad quem* (seu per sententiam interlocutoriam declarantis, appellationem esse desertam) sed ipsa confirmatur ex lapsu temporis dierum fatalium; ut loquitur Bartolus, in l. *A divo Pio*. n. 15. *de Re judicat.* et Scaccia cit. quæst. 11. n. 167. et seqq. allegans alios.

244. *Acta prioris instantiæ, quæ? Sub his etiam comprehenditur sententia.* — Quæritur III. A quo, hujusque expensis, acta prioris instantiæ transportanda sint ad judicem appellationis? Ubi sciendum, quod per « Acta prioris instantiæ » intelligantur scripturæ de his factæ, quæ apud priorem judicem acta sunt, vel dicta. Glossa in l. *Acta apud.* ỷ. *Acta.* ff. *de Re judicat.* Atque de his fit mentio in c. *Quoniam contra.* 11. *de Probation.* illis verbis : « Qui fideliter universa judicii acta conscribant : videlicet, citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, et interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renuntiationes, conclusiones, et cætera, quæ occurerrint. » Atque istis addendam esse sententiam, ita ut etiam hæc appellatione *Actorum*, seu processus comprehendatur; monet Abbas cit. c. *Quoniam contra*. n. 5. eod. et Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. actu 10. tit. *de Actorum editione*, ponderando in relato textu ly, « Et cætera quæ occurrerint. » Concordat Glossa in l. *In fraudem*. § *Nihil* ỷ. *Neque acta*. et Bartolus, ibid. ff. *de Jure fisci*. Quo prænotato.

245. *Regestum, sive extractus actorum primæ instantiæ, fit ad instantiam partis, ejusque expensis.* — Resp. I. Regestum, sex extractus actorum primæ instantiæ, fit ad instantiam partis, et præcedente mandato judicis, atque expensis illius, ad cujus instantiam fit regestum. Ita Baldus et Paulus de Castro, l. *Is apud quem*. 2. n. 2; et Decius, n. 10, c. *de Edendo;* Maranta cit. part. VI. actu 10. n. 55. istud probans per textum in cit. l. *Is apud quem*, et alii; quamvis Scaccia, quæst. 20. *de Appellation*. n. 34. istud judicis præceptum notario faciendum, de necessitate non requiri asserat.

246. *Acta prioris instantiæ, et quidem omnia, debent per appellantem suis sumptibus transportari ad judicem appellationis.* — Resp. II. Non solum acta illa, quæ justificant validitatem appellationis; puta, quod quis intra legitima tempora appellaverit, et apostolos petierit : sed etiam acta omnia, quæ facta sunt circa merita causæ in prima instantia, debent per appellantem suis sumptibus transportari ad judicem appellationis. Ita Scaccia cit. quæst. 20. n. 8. post Baldum in l. *Is apud quem*. c. *de Edendo*, et alios. Ratio est, quia judex appellationis non potest judicare ex actis primæ instantiæ, nisi producantur : et si judicaret eisdem non vi-

sis, perverteret ordinem judicii. Quinimo, si judex appellationis ferret sententiam non visis, neque transportatis, actis, sententia foret nulla; uti cum aliis notat Scaccia, loc. cit. n. 11. ac loquendo in actis probatoriis, tenuit Rota die 13. februarii 1689 : in una Anconitata pecuniaria, coram R. P. D. Sacrato.

247. *Notabilis textus concilii Tridentini quoad hoc.* — Concordat concilium Tridentinum sess. 24. cap. xx. *de Reformat.* id ipsum expresse statuens, illis verbis : « Præterea, si quis in casibus a jure permissis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit, seu alias ob lapsum biennii, de quo supra, ad alium judicem recurrerit; teneatur acta omnia, coram episcopo gesta, ad judicem appellationis expensis suis transferre; eodem tamen episcopo prius admonito, ut si quid ei pro causæ instructione videbitur, possit judici appellationis significare. » Et infra : « Porro ipsam actorum copiam teneatur notarius, congrua mercede accepta, appellanti quanto citius, et ad minus inter mentem exhibere, » etc. Hactenus concilium Tridentinum.

248. *Solvitur instantia.* — Nec obstat contraria quorumdam sententia apud Scacciam cit. quæst. 20. n. 8. asserentium, quod absurdum sit, appellantem suis sumptibus teneri ad producenda acta, quæ faciunt pro adversario, et contra se. Resp enim, istud neutiquam esse absurdum in casu, quos is appellat : quia non tenetur simpliciter ac præcise ad hoc, ita ut cogi possit ad transportanda acta sibi contraria; sed solum causative, ac ex hypothesi, quod a judice *ad quem* velit obtinere revocationem prioris sententiæ, contra ipsum latæ a judice inferiori.

§ IX.

DE ATTENTATIS APPELLATIONE PENDENTE, HORUMQUE REVOCATIONE.

249. *Attentatorum nomine, quid intelligatur?* — Quæritur I. Quid intelligatur nomine *Attentatorum*, præsertim appellatione pendente? Resp. I. *Attentata* in proposito idem sunt, ac innovata contra jus lite, seu appellatione pendente. Ita desumitur ex rubrica, totoque titulo, « Ut lite pendente nihil innovetur : » juncta rubrica, et l. un. ff. « Nihil novari appellatione interposita; » cum similibus. Quanquam ly, « Attentata, » esse vocabulum interpretum, non jurisconsultum, notet Spiegelius in *Lexico Juris.* ℣. *Attentata* : nam in jure talia appellantur, « Innovata post appellationem; » ut c. *Non solum.* 7. h. in 6. non vero « Attentata. »

250. *Attentatum potest accipi et pro facto, et pro jure.* — Additur vero, « Attentata in proposito, » videlicet, prout attentatum sumitur pro facto, quo aliquid appellatione, seu lite pendente, innovatur contra jus. Siquidem attentatum potest etiam accipi pro jure, prout in simili ususfructus, usus, servitus, ac hujusmodi, possunt accipi et pro facto, et pro jure. Atque in hac acceptione « Attentatum » est jus revocandi innovata, lite, seu appellatione pendente. Franciscus Herculanus, tom. V. *Tractatuum.* tract. *de Attentatis.* cap. III, n. 1. et 3. Abbas c. *Bonæ* memoriæ. 51. n. 6. et 20. istud appellans « Remedium attentati; » et alii. In proposito tamen, attentata præcipue sumuntur pro facto innovato contra jus lite, vel appellatione pendente.

251. *Ubi nihil innovatur non dicitur* Attentatum. *Attentare non dicitur, qui facit actum continuativum.* — Et dicitur « innovato. » Quia si nihil innovatur (hoc est, si non aliquid novi fiat, quod antea incœptum non fuerat) non vocatur « Attentatum, » sed magis continuatum. Herculanus cit. cap. III. n. 4. et 5. Concordat Sigism. Scaccia, quæst. 3. *de Appellat.* n. 70. post Rotam decis. 44. alias 344. n. 1. *de Appellat.* in nov. Francum c. *Cum teneantur.* 17. n. 1. h. t. et alios, dicens, quod « attentare » non dicatur is qui facit actum continuativum, hoc est qui continuat actum præcedentem : quia lis seu appellatio, non debet quemquam sua possessione privare; neque tenetur quis dimittere jus suum, vel desistere a continuatione sui juris, aut possessionis propter aliquam appellationem : imo desiperet, si hoc faceret. Rota cit. decis. 44. n. 2. *de Appellat.* in nov. Herculanus d. cap. III. n. 6. et alii.

252. *Attentata, lite, vel appellatione pendente an differant?* — Conjunguntur autem simul, « Attentata lite, vel appellatione pendente. » Quia in effectu non differunt, licet possit aliqua differentia notari quoad suam causam efficientem. Nam attentata pendente appellatione, respiciunt personam judicis, cum scilicet adeo attentata sunt : quæ vero fiunt pendente lite, respiciunt personam adversarii, quia nimirum ab ipso sunt inno-

vata. Menochius *de Recuperanda possessione.* remed. 17. n. 43. post decium in c. *Consuluit* il. 2. n. 5. *de Appellationibus.*

253. *Attentatum dici nequit, quod fit lege permittente.* — Additur ulterius n. 249. in definitione attentati, *contra jus.* Quia, quod fit lege permittente, pœnam non meretur, l. *Grachus.* C. *de Adulteriis* : sicque nec « Attentatum » dici potest, utpote quod sonat in malam partem. Unde quando judex *a quo* statuit appellandi terminum ad recipiendum apostolos, vel ad prosequendum appellationem, aut hujusmodi, juxta c. *Personas.* 4. h. t. et Clem. *Quamvis.* eod. non censetur attentare; haud obstante, quod innovet aliquid post appellationem : quia jure permittente istud facit. Idem dicendum de aliis, quæ juvant ad faciliorem expeditionem causæ appellationis : nam ista expediendo post interposita appellationem, non censetur judex aliquid innovare, seu attentare; juxta c. *Cum teneamur.* 17. ubi. Abbas, Imola, Francus, Decius h. t. junctis dictis supra n. 220.

254. *Idque exemplificatur.* — Insuper, si post appellationem interpositam timeatur de dilapidatione fructuum, rei actori adjudicatæ, non dicitur innovare, seu attentare judex, qui facit eos sequestrari : possunt enim tunc sequestrari fructus jure permittente, can. *Quoties,* post. 2. q. 6. et l. *Ab executione* c. *Quorum appellat. non recip.* et cap. ult. *de Sequest. possess.* Speculator, tit. *de Appellation.* § *Novissime.* n. 1. Herculanus ubi supra n. 7. et seqq. apud quos nonnulli alii tales casus reperiri possunt.

255. *Attentata pendente appellatione a sententia diffinitiva, sunt ipso jure nulla.* — Quæritur II. Utrum attentata pendente appellatione sint nulla, et qualiter revocentur? Resp. I. Licet attentata pendente appellatione a sententia diffinitiva, ipso jure sint nulla : istud tamen intelligitur parte adversa volente nullitatem eorum, seu revocationem attentatorum legitime urgente. Ita desumitur ex c. *Non solum.* 7. h. t. in 6. ponderando verba illa, « penitus revocari : » ac notat Barbosa, ibid. n. 5; *Dilectis.* 55. n. 13. et 14. h. t.; Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 56. n. 63. et seqq. et alii. Accedit ratio, quia appellatio eximit appellantem a jurisdictione judicis *a quo* quoad causam illam, a cujus sententia appellatum est; ergo, quidquid interim judex *a quo* circa eam innovat, seu attentat, censetur factum a judice incompetente; sicque ipso jure invalidum, c. *At si Clerici.* 4. *de Judiciis,* cum similibus.

256. *Dummodo pars adversa debite petat revocationem ipsorum.* — Intellige tamen datam conclusionem de appellatione a sententia diffinitiva, non de appellatione ab interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali ob dicenda n. 263. et 264. Insuper ipsam intellige « parte adversa volente : » hoc est, dummodo pars adversa velit nullitatem hujusmodi attentatorum, ac proinde debite petat ipsorum revocationem. Alioquin enim censeretur tacite eadem approbare, atque juri suo renuntiare : quod facere non prohibetur, c. *Si diligenti.* 12. *de Foro competent.* cum similibus.

257. *Ad revocationem attentatorum duplici via proceditur.* — Resp. II. Ad revocationem attentatorum duplici via principaliter proceditur; ordinaria videlicet, ac extraordinaria. Ita Herculanus cit. tract. *de Attentatis,* cap. XIV, n. 16. et 17; Maranta, part. VI. *Speculi aurei,* tit. *de Appellat.* n. 407. hoc ipsum, sed sub aliis terminis tradens, dicendo, quod « attentata revocantur duplici via : uno modo, implorando principaliter officium judicis super ipsorum revocatione. Secundo modo, accessorie, prosequendo appellationem. » Ita Maranta.

258. *Via ordinaria.* — Porro « via ordinaria » proceditur ad revocationem attentatorum, quando instituitur directa petitio revocationis attentatorum simul cum causa principali : et tunc non illico revocantur attentata, sed expectatur finis litis. Atque hæc via ab Herculano, ubi supra, post Vestrium in *Practic.* lib. VIII. tit. « Ut lite pendente, » etc. dicitur « Modus revocandi attentata per viam injustitiæ : » atque etiam locum habet appellatione deserta; quanquam tunc requiratur oblatio libelli, una cum aliis requisitis ad processum judiciarium. Habet quoque locum, quando petitur accessorie revocatio innovatorum, prosequendo appellationem, juxta Marantam, loc. cit.

259. *Via extraordinaria seu per remedium attentati. Appellans potest simul prosequi causam appellationis, et attentatorum; ac potest etiam prosequi solam causam attentatorum.* — At vero « via extraordinaria » proceditur ad revocationem attentatorum, principaliter implorando officium judicis super eorum revocatione. Atque istud dicitur fieri per « Remedium attentati, » quo proceditur extra ordinem, seu judici ordine non servato; dum

magis properantes ad ipsorum revocationem, petunt, per officium judicis mercenarium attentata ante omnia revocari. Atque per hanc viam resultat effectus suspensivus, ut interim taceatur in negotio principali, donec attentata post sententiam diffinitivam, ante omnia fuerint revocata; ut cit. c. *Non solum*. h. t. in 6. et notat Herculanus, d. n. 17. citans alios. Accedit Sigism. Scaccia, quæst. 15. *de Appellat*. n. 65. asserens, quod licet appellans possit appellationem suam, et negotium principale, atque causam attentatorum simul prosequi, juxta dicta n. præced. tamen ad hoc non arctetur: imo a lege sibi indultum existat, ut ante omnia audiatur super attentatis. Rota decis. 15. alias 102. *de Appellat*. in nov. et decis. 79. alias. 448. *de Appellat. in antiq*. Abbas c. *Ex ratione*. n. 8. et Decius, ibid. n. 38. et Felinus, n. 4. h. t. et alii.

260. *Petens revocari attentata, quæ tenetur probare?* — Notandum tamen cum Glossa in d. c. *Non solum*. ỹ. *Ante omnia;* Mascardo *de Probation*. concl. 1285. n. 1. et seqq.; Pirhing, h. t. n. 242. et aliis, quod petens revocari. Attentata, teneatur tria conjunctim probare. I. Quod fuerit diffinitive pronuntiatum; hoc est, quod si lata sententia diffinitiva. II. Quod ab hac fuerit appellatum, et quidem jure non prohibente : ut in textu ibid. III. Quod postea aliquid fuerit innovatum, sicque attentatum. Quibus adde post Marantam cit. tit. *de Appellation*. n. 403. et Herculanum, d. cap. XIV. n. 17. et aliis, quod ad revocationem attentatorum etiam requiratur partis citatio. Hinc quippe Attentata dicuntur revocari causa cognita; ut post Innocentium in c. *Cum M. de Constitut*. et Albericum, in *Dictionar*. ỹ. *Attentatorum revocatio*, tradit Hieron. Manfredus, tom. V. *Tractatuum*, tract. *Super attentatis*, et. lib. IV. concl. 59.

261. *Attentata pendente appellatione a diffinitiva, revocantur ante omnia per remedium attentati*. — Resp. III. Attentata pendente appellatione a diffinitiva, revocantur ante omnia per « Remedium attentati; » intelligendo istud etiam de illis, quæ medio tempore inter sententiam et appellationem ante lapsum decendii innovata, seu mutata fuerunt : dummodo hinc excipiantur casus, in quibus jura post sententiam appellare prohibent. Ita Covarruvias *Practic*. quæst. cap. XXIV, n. 1; Scaccia, quæst. 3. *de Appellation*. n. 47. et 48; Pirhing, h. t., n. 241 et alii. Idque probat textus in c. *Non solum*. 7. § 1. h. t. in. 6. cujus verba superius n. 207. referuntur, atque amplius declarantur.

262. *Secus, quando ad eorum revocationem proceditur per viam ordinariam*. — Additur tamen, per « Remedium attentati : » sive, quando ad eorum revocationem proceditur via extraordinaria. Secus enim dicendum, quando ad revocationem attentatorum proceditur via ordinaria; sive post appellationem jam desertam agendo ad ipsorum revocationem per viam injustitiæ; seu accessorie prosequendo videlicet appellationem, sicque eorum revocationem petendo. Tunc enim attentata non revocantur ante omnia, sed debet expectari finis litis, ut jam dictum n. 258.

263. *Et loquendo de attentatis post appellationem ab interlocutoria; vel gravamine*. — Additur ulterius, « attentata pendente appellatione a diffinitiva, » etc. Quia secus est dicendum de appellatione, quæ fit ante diffinitivam sententiam; puta, si appelletur ab interlocutoria, vel a gravamine : quia tunc innovata, vel attentata non revocantur ante omnia, sed debet prius justificari causa appellationis, et hac probata demum revocantur : nisi forsan post inhibitionem, debito modo a judice superiore factam, attentata fuissent. Textus est in cit. c. *Non solum*. § *Illa vero*. h. t. in 6. sic loquens : « Illa vero, quæ post appellationem interpositam ante diffinitivam sententiam innovantur, donec appellationis causam veram esse constiterit, revocari non debent: nisi judex appellationis (postquam sibi constiterit per appellationem emissam, ex causa probabili fore ad se negotium devolutum) inhibeat canonice judici, a quo appellatum est, ne procedat : tunc enim quidquid post inhibitionem hujusmodi fuerit innovatum, est (licet causa eadem non sit vera) per eundem appellationis judicem, ante omnia in statum pristinum reducendum. » Hæc ibi.

264. *Disparitas notabilis inter appellationem a sententia diffinitiva, et ab interlocutoria, vel gravamine*. — Ratio disparitatis est. Quia per sententiam diffinitivam, atque interpositam appellationem ab ea, expirat, vel saltem suspentitur officium judicis *a quo* respectu illis causæ; atque hæc tota statim devolvitur ad judicem *ad quem*, absque alia justificatione causæ appellandi : unde si judex *a quo* ulterius se immisceret causæ illi, procederet sine jurisdictione, sicque invalide ageret. Secus

est in sententia interlocutoria, atque appellatione ab ea : tum quia per hanc non expirat officium judicis *a quo* respectu illius causæ, quinimo potest adhuc in ea procedere, dummodo revocaverit gravamen, c. *Cum cessante*. 60. h. t.; tum quia in appellatione ab interlocutoria debet exprimi, causa rationabilis, ob quam appellatur, c. *Ut debitus*. 59. h. t. Unde sicut hac non expressa non valet appellatio ab interlocutoria, ita nec habet virtutem irritandi postea innovata, nisi fuerit justificata; vel saltem præcesserit inhibitio judicis *ad quem*, juxta textum proxime allegatum.

265. *Attentata pendente appellatione a diffinita, sunt revocanda per judicem* ad quem — Quæritur. III. Per quem judicem attentata pendente appellatione sint revocanda? Resp. 1. Attentata pendente appellatione a diffinitiva, sunt revocanda per judicem *ad quem*. Ita textus cit. c. *Non solum*. h. t. in 6. ibi : « Innovata post appellationem a diffinitiva sententia interjectam, debent semper ante omnia per appellationis judicem penitus revocari. » Concordat textus in l. *Ei cujus*. ff. *de Appellation. recipiend.* Abbas, in c. *Sollicitudinem*. 54. n. 1 not. 3. et Francus, ibid. n. 3. h. t. et Sigism. Scaccia, quæst. 11. *de Appellation.* n. 18. istud extendentes, adeo, ut alius judex non possit cognoscere de innovatis post appellationem, si attentata tangant articulum appellationis, etiamsi hoc ageretur ad petitionem appellantis, et favet textus in cit. c. *Sollicitudinem*. Nec immerito : nam qui de principali cognoscit, potest, ac debet etiam cognoscere de accessorio, c. *Accessorium*. 42. *de Reg. jur.* in 6. Atqui causa revocandi attentata, est accessoria ad causam appellationis, utpote a qua dependet ergo.

266. *Limitatur istud in certis casibus; et quibus?* — Intellige, nisi appellans velit renunciare appellationi : ut cit. c. *Sollicitudinem*. § fin h. t. ac notat Abbas, et Francus, et Scaccia, ubi supra. Vel nisi attentata, sint notorie injusta. Abbas, ibid. Scaccia, d. quæst. 11. n. 20 et 21. Quibus adde casus illos, in quibus jure permittente potest judex *a quo* aliquid innovare, non obstante appellatione, juxta dicta paulo superius n. 253. et 254. Ulterius datam conclusionem intellige de « appellatione a diffinitiva, » utpote de qua expresse loquitur : nam quod judex *a quo* possit revocare sententiam interlocutoriam, et consequenter etiam attentata post appellationem ab eadem interpositam, si saniori velit uti judicio; patet ex c. *Cum cessante*. 60. h. t. estque jam sæpius dictum, præsertim supra § 7. n. 229. Tandem diverso modo revocanda esse attentata post diffinitivam, et attentata post interlocutoriam sententiam, constat ex c. *Non solum*. 7. h. t. in 6. juncto summario, et doctores ibid. et proxime dictis n. 261. 263. et 264.

267. *Refertur decretum sac. congregationis circa materiam appellationum.* — Quæritur IV. Quid censendum sit de decreto sac. congregationis circa materiam appellationum emanato? Resp. Circa materiam præsentis tituli, præter alia hactenus dicta, et in posterum dicenda, simulque ad majorem eorumdem confirmationem, vel maxime observanda est declaratio sacræ episcoporum congregationis, die 16 octobris, 1600. edita, et a Clemente VIII. approbata : eamque per extensum refert Quaranta, in *Summa Bullarii*. ℣. *Archiepiscopi auctoritas*. in Addit. Piasecius in *Praxi Episcopali*. part. II. cap. IV. art 15. *de Appellat.* n. 5. Aloys. Riccius, part. 1. *Praxis Rerum Ecclesiast.* resol. 414. Tenor ejusdem est, ut sequitur.

« Ad tollendas ambiguitates, et controversias jurisdictionales, quæ inter appellationum et prioris instantiæ judices, non sine partium dispendio, cursusque justitiæ impedimento, et sæpe cum scandalo oriuntur; Sacra congregatio causis episcoporum præposita, facta prius relatione sanctiss. D. N. Clementi papæ VIII ac de Sanctitatis suæ mandato, vivæ vocis oraculo desuper habito, in hunc, qui sequitur, modum, ab omnibus ad quos spectat, in posterum servari debere mandavit, et mandat.

« Metropolitani, archiepiscopi, primates, aut patriarchæ, suffraganeos eorumque subditos non judicent, nisi in casibus a jure expressis.

« Iidem et alii, quivis superiores, etiam nuncii, vel legati de latere specificam facultatem majorem non habentes, causas in curiis ordinariorum, vel aliorum, inferiorum judicum pendentes ad se non advocent, nisi per viam legitimæ appellationis ad ipsorum tribunalia deferantur : tuncque appellantes ab inferiorum jurisdictionibus, quoad alias causas eximi non possint.

« Appellationes nunquam recipiantur, nisi per publica documenta, quæ realiter exhibeantur, prius constiterit, appellationem a sententia diffinitiva, vel habente vim diffinitivæ, aut gravamine, quod per diffinitivam

reparari non possit in casibus a Jure non prohibitis, per legitimam personam, et intra debita tempora fuisse interpositam, ac prosecutam.

« Dum causæ coram inferioribus judicibus pendent, ante diffinitivam sententiam, vel habentem vim diffinitivæ, de gravamine illato superiores cognoscere non valeant, licet citra præjudicium cursus causarum se id facere contestentur; nec ad hunc effectum liceat eis inhibere, aut simpliciter mandare ut ipsius copia processus transmittatur etiam expensis appellantis.

« Inhibitiones post appellationem, sicut præmittitur receptam, non concedatur, nisi cum insertione tenoris sententiæ, aut decreti diffinitivi, aut vim diffinitivi habentis, vel damnum per diffinitivam irreparabile continentis : alias inhibitiones, et processus, et inde secuta quæcunque sint ipso jure nulla, eisque impune non parere liceat.

« Si appellans asserat, sententiæ, aut appellationis exemplum culpa judicis a quo, aut actuarii haberi non posse, non ideo recipienda erit appellatio, aut aliqua inhibitio concedenda : sed eis tantum, ad quos pertinet, injungi poterit, ut soluta condigna mercede, actorum exemplum authenticum appellanti intra brevem aliquem competentem terminum tradatur. Caveat tamen judex a quo, ne si vere appellatum fuerit in casu appellabili, interim aliquid in præjudicium appellantis attentet; et si per actum publicum, aut per testium depositiones constiterit, acta denegari appellanti, judex appellanti, judex appellationis mandato tradendi acta possit adjicere, ne interim aliquid novi contra appellantem attentetur.

« A sententia autem diffinitiva contra verum contumacem prolata, appellatio non recipiatur; nec inhibitio, aut alia quævis provisio, quandiu appellans in hujusmodi vera contumacia perstiterit, concedatur.

« Ab executione decretorum sac. conc. Trident. aut visitationis apostolicæ, appellationes a Metropolitanis non recipiantur neque etiam quando Episcopi virtute ejusdem sac. concilii Trident. procedunt, ubi Sedis apostolicæ delegati in causis, quæ sub eorum jurisdictione ordinaria non comprehendantur; salva tamen in hoc casu Legatorum, et Nunciorum apostolicorum auctoritate.

« In causis vero visitationis ordinariorum, aut correctionis morum, quoad effectum devolutivum tantum appellationes admittantur; nisi de gravamine per definitivam irreparabili agatur, vel cum visitator citata parte, et adhibita causæ cognitione judicialiter procedit; tunc enim appellationi locus erit, etiam quoad effectum suspensivum.

« Cum a gravamine, quod per diffinitivam reparari nequit, ut indebitæ incarcerationis, vel torturæ, aut excommunicationis etiam comminatæ appellatur, non nisi visis, ex quibus evidenter appareat de gravamine, appellatio admittatur, aut inhibitio, vel provisio aliqua concedatur.

« Causa appellationis pendente appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit, quoad judex. ad quem appellatum est, visis actis, et causa cognita, aliter decreverit. Et tunc, si a judicis ad quem decreto, vim diffinitivæ habente fuerit appellatum, is nihil mandare, aut pro sui decreti executione attentare poterit, donec per judicem superiorem aliud fuerit ordinatum.

« Acta originalia possessum primæ instantiæ, ad judicem appellationis notarius mittere non cogatur, nisi probabilis aliqua falsitatis causa et suspicio incidat, quæ judicialiter objiciatur; et tunc terminata causa, remittenda sunt ad ordinarium, ut in suo archivio conserventur.

« Censura ecclesiastica contra appellantem prolata, relaxari, aut nulla declarari per judicem non possit, nisi auditis partibus, et causa cognita; tuncque si constiterit eam justam esse, ad judicem, qui excommunicavit, appellans remittendus est, ut ab ipso, juxta sacros canones, beneficium absolutionis, si humiliter petierit, debitamque emendationem præstiterit, obtineat : si vero injustam esse clare appareat, obtineat, superior absolutionem impendat. Si autem dubitatur, honestius est, ut ad excommunicatorem, intra brevem aliquem competendum terminum eidem præfigendum, absolvendus remittatur, licet etiam superior hoc casu idipsum per se præstare jure possit.

« Absolutio ad cautelam, non nisi parte citata, et visis actis, cum dubitatur nullitate excommunicationis ab homine prolatæ dubium juris, concedenda erit, tuncque ad tempus breve cum reincidentia, et præstita per excommunicatum cautione de stando juri, et parendo mandatis Ecclesiæ tantum : et si juxta formam a jure præscriptam apparebit, aliquem ob manifestam offensam excommunicatum fuisse, debitam etiam satisfactionem præstare. Si vero ob contuma-

ciam manifestam, expensas quoque reficere, ac insuper cavere de judicio sisti coram excommunicatore quis teneatur, priusquam ad cautelam absolvatur. Romæ in sacra congregatione die 16. octobris. 1600.

« ALEX. CARD. FLORENT.

« Hieron. Agutius Secret. »

§ X.

DE CASIBUS, IN QUIBUS JURA PROHIBENT APPELLARE : UBI PLURA DE CLAUSULA, APPELLATIONE REMOTA.

268. *Dantur nonnulli casus, in quibus jura litigantibus denegant appellationem. Referuntur versiculi eosdem complectentes.* — Quæritur I. An, et qui sint casus illi, in quibus jure prohibente appellari nequit? Resp. I. Certum est, atque ab omnibus concessum, dari nonnullos casus, in quibus jura litigantibus denegant appellationem. Textus quippe expressus istud tradit in cap. *Non solum.* § 1. h. t. in 6. ibi : « Exceptis casibus, in quibus Jura post sententiam prohibent appellare. » Ubi Glossa ỷ. *Casibus.* plures tales enumerat, quos alia Glossa in c. *Romana.* eod. in 6. certis versiculis complecti nititur: qui tamen auctius, simulque melius, comprehendendo videlicet quindecim tales casus, ab aliis memoriæ gratia sic formantur.

Appellare vetant scelus, excellentia, pactum,
Arbitrium, fatale, aut si dilatio nulla,
Clausula, quæ removet, res quæ notoria constat.
Corrige, contemptus, possessio, jus quoque clarum.
Post executio, minima, et res longius acta.

269. *Hi ipsi casus patiantur quasdam limitationes.* — Fatendum tamen, quod hi ipsis casus nonnullas patiantur exceptiones, atque in ipsis locum habeat appellatio, quando quis injuste sese gravatum senserit : præsertim, si possit in continenti justam causam appellationis, atque illati gravaminis allegare, per quam elidatur præsumptio juris, quæ stat contra appellantem in dictis casibus exceptis, seu prohibitis; uti jam dictum est supra § 4. n. 111. et amplius patebit ex dicendis. Unde

270. *Declarantur singuli casus in specie. Ob* Scelus *prohibetur quis appellare, quando de eo convictus, et confessus est.* — Quæritur II. Quomodo intelligendi sint singuli casus excepti, atque in relatis versiculis comprehensi? Resp. Eosdem prosequendo, prout stant in relatis versiculis. Et *primo* quidem, per ly « Scelus, » intelligitur causa criminalis criminaliter mota : nam in hac non admittitur appellatio, postquam de crimine quis convictus est, et confessus, l. II. c. *Quorum appellationes non recipiantur.* Vel saltem in judicio sponte confessus est, et nullam in suâ appellatione allegat causam obfuscativam factæ a se confessionis; uti vult Farinacius, lib. III. *Praxis Criminal.* quæst. 101. n. 157. et seqq. citans plurimos alios : et concordant dicta superius tit. XVIII. *de Confessis.* § 3. n. 67. 68. et seqq.

271. *Secus, quando de scelere non sic constat.*— Quod si vero de scelere commisso non sic constet, tunc ille, qui de crimine impetitur, bene appellare potest; « nisi forte manifestus raptor, vel fornicator existat, » per textum in c. *Cum sit Romana.* 5. § fin. h. t. juncto c. *Pervenit.* 13. et c. *Consuluit.* 14. eod. Concordat jus civile l. *Non tantum.* ff. *de Appellat.* ubi non solum illi, qui de crimine condemnatus ad supplicium dicitur, appellare licet; verum etiam quilibet alius pro eo, etiam invito, provocare potest : idque ex ratione humanitatis, ac pietatis.

272. *Interest reipublicæ, crimina non manere impunita. De consuetudine Germaniæ non admittuntur ad appellandum damnati in causa criminali.* — Eadem regula, sive quod ob « Scelus » non admittatur appellatio, confirmatur ex l. *Constitutiones.* ff. h. t. ubi dicitur, constitutiones de recipiendis appellationibus « locum non habere in eorum persona, quos damnatos statim puniri, publice interest : ut sunt insignes latrones, vel seditionum concitatores, vel duces factionum. » Intellige cum Glossa fin. ibid. si modo sint convicti, et confessi; ut l. II. c. *Quorum appellation. non recip.* vel, ut alii volunt, saltem convicti. Nam, ut in allegato textu notanter dicitur, « publice interest » (hoc est, ad publicam Reipublicæ quietem, atque indemnitatem pertinet) crimina, præsertim tam atrocia, et communitati perniciosa non manere impunita. Et hac ratione Layman c. *Quærenti.* n. 2. *de Offic. delegat.* atque Engel, h. t. n. 26. cum aliis notant, quod ex generali, atque inveterata totius Germaniæ consuetudine non admittitur ad appellandum damnati in causa criminali, cujus pœna est corporis afflictiva : cum experientia testes compertum fuerit, Reos ordinarie tantum ad differendum judicium appellasse, pluraque crimina mansisse impunita. His adde dicta superius tit. præced. § 6. n. 161. et 162.

273. *Excellentia judicis supremi impedit*

appellationem. Remissive. — *Secundo* per ly, « Excellentia, » denotatur excellentia judicis supremi; ut puta papæ, concilii generalis, imperatoris, regis, ac hujusmodi. Nam ab his appellare non posse, constat ex dictis supra § 2. 42. et seqq.

274. *Pactum appellare vetat.* — *Tertio*, « Pactum » appellare vetat eos, qui in judicio transegerunt; ut cap. I. et ult. *de Transact.* et l. *Causas.* et l. *Non minorem.* c. eod. Item, qui causam per delationem juramenti voluntarii, aut judicialis terminarunt; de quo supra tit. XXIV. *De Jurejurando.* § 5. et 6. per totum.

275. *Appellare prohibetur, qui expresse, vel tacite appellationi renuntiat.* — Insuper ex hoc capite appellare prohibetur, qui expresse, vel tacite, appellationi renuntiavit. Expresse quidem, v. g. pacto interveniente, de acquiescendo sententiæ judicis, et non appellando; ut l. ult. § fin. c. *de Temporib. appellat.* et l. I. ff. *A quibus appellare non licet*, ibi : « Si quis ante sententiam professus fuerit, se a judice non provocaturum; indubitate provocandi auxilium perdidit; » estque jam dictum supra § 2. n. 51. Tacite vero, exercendo actum contratrium appellationi, sicque approbando ipso facto sententiam contra se latam; ut c. *Sollicitudinem.* 54. § fin. h. t. et c. *Cum venisset.* 25. *de Testib.* et c. *Gratum.* 20. *de Offic. delegat.* cum similibus. Siquidem juri suo renuntiare præsumitur, qui eidem contrarium facit; per jura citata, et fusius probat Glossa fin. in cit. c. *Gratum.* Pirhing, h. t. n. 26. et alii.

276. *Arbitrium impedit appellationem.* — *Quarto* impedit appellationem *Arbitrium.* Nam si qui, prætermisso judice ordinario, compromiserunt in arbitrium (quod intellige de arbitrio voluntario, non autem de arbitrio juris, sive necessario) tenentur stare ejus arbitrio, neque appellare possunt ab eo, dummodo non contineat manifestam iniquitatem per partes non remissibilem: uti habetur l. I. c. *de Recept. arbitris*, ibi : « Ex sententia arbitri, ex compromisso jure perfecto aditi, appellari non potest. » Concordat textus in can. *A Judicibus.* 2. q. 6. juncto c. *Non sine.* 2. § fin. *de Arbitris.* Et merito, nam tales de injuria judicis sibi facta conqueri non possunt; sed omnia suis pactionibus et compromisso voluntario, imputare debent.

277. *Fatalia tollunt potestatem postea appellandi.* — « Fatalia » appellationis tum interponendæ intra decendium, tum introducendæ, et prosequendæ, ac finiendæ tempore legitimo, si non observentur, tollunt potestatem postea appellandi; prout uberius supra § 6. per totum dictum fuit.

278. *Quando Dilatio nulla datur appellare non licet, idque exemplificatur.* — *Sexto*, appellare non licet, quando « Dilatio nulla » datur : hoc est, « quando res dilationem non recipit, non permittitur appellare : veluti ne testamentum aperiatur, ne frumentum in usum militum, in annonæ subsidia, contrabatur » et hujusmodi; prout statuitur, atque exemplificatur l. ult. ff. *de Appellation recipiend.* Talia siquidem, admissa appellatione, aut præjudicium grave inferrent, aut penitus interirent, sicque dilationem non recipiunt : et, cum sit periculum in mora, non admittunt appellationem, saltem non quoad effectum suspensivum.

279. *Clausula* Appellatione remota, *impedit appellationem.* — *Septimo*, « Clausula quæ removet » (hoc est, quando cuipiam a Principe delegatur causa cum addita clausula, ut in causa illa procedat « Appellatione remota » impedit appellationem. Textus est in l. I. § fin. ff. *A quibus appellare non licet.* et c. *Pastoralis.* 53. h. t. ubi papa desuper consultus respondet, quod per hujusmodi clausulam non solum appellatio frustratoria videatur inhibita, utpote per quam cæteroquin negotium non debet impediri : sed etiam « quælibet provocatio intelligatur removeri, quæ a jure non indulgetur expresse. »

280. *Soli principi supremo competit delegare causam sub clausula,* Appellatione remota. *Et quid de legato a latere?* — Additur notanter ly, « a principe. » Soli enim principi supremo, puta papæ, vel Imperatori competit, contra leges communes, omnibus appelationem permittentes, delegare cuipiam causam cum clausula, « Appellatione remota : » juxta l. I. fin. ff. *A quibus appellare non licet.* Adeo, ut nullus inferior Principe hac clausula uti possit; Maranta, part. VI. *Speculi aurei.* tit. *de Appellat.* n. 337. Barbosa, tract. *de Clausulis*, claus. 9. n. 2. citans alios. Ac etiam legatus a latere non possit sub illa clausula subdelegare, c. *Super quæstionum.* 27. § *Si vero. de Offic. delegat.* Nisi id specialiter ei fuerit concessum, Barbosa, loc. cit. n. 3. post Marches. *de Commiss.*, part. I. cap. VIII. n. 77.

281. *Appellatio est species defensionis. Et quomodo nihilominus a principe possit removeri?* — Dices. Appellatio est species defensionis, c. *Cum speciali.* 61. § *Porro.* h. t. Atqui de-

fensio est cuilibet concessa de jure naturali; ergo non potest tolli per principem : nam quæ sunt de jure naturali, nequit is tollere, veluti inferior, ac subjectus ipsimet juri naturali, Clem. *Pastoralis.* § *Cæterum defectus, de sentent. et re judicat.* Resp. disting. maj. appellatio est defensio judicialis, atque secundum suam formalitatem, sive modalitatem inducta per leges, ac jus positivum humanum, conced. Est defensio mere naturalis, seu inducta a solo jure naturali, neg. maj. Et eodem modo distincta minori, neg. consequent. Quia, ut inquit Abbas, ad rubric. h. t. n. 7. et Scaccia, quæst. 16. *de Appellat.* n. 22. citans alios, in appellatione sunt duo : vicelicet substantia appellationis, consistens in hoc, ut justitia reddatur adversus iniquitatem, vel imperitiam Judiciis : et formalitas, seu modalitas appellationis, secundum quam a sententia diffinitiva potest libere appellari, etiam non præallegata causa ejus. Princeps igitur per clausulam « appellatione remota » (idem dicendum de aliis hujusmodi clausulis, ac modis tollandi appellationem) removet duntaxat formalitatem, seu modalitatem appellationis, ne videlicet admittatur causa gravaminis autea non expressa, non vero tollit substantiam ipsius, quia non prohibet justitiam reddi adversus iniquitatem, vel imperitiam judicis rite probatam : haud obstante, quod ob auctoritatem judiciariam præsumat sententiam esse justam, donec hæc præsumptio elidatur per contrariam probationem. Verum pro meliori intelligentia dictæ clausulæ.

282. *Clausula* Appellatione remota, *operatur plures effectus, et quos?* — Quæritur III. Quos effectus operetur clausula, « Appellatione remota? » Resp. Operari plures effectus : ubi videre est apud Abbatem, c. *Ut debitus.* 59. n. 14. h. t. ubi decem ejus effectus enumerat : et Barbosam, tract. *de Clausulis.* claus. 9. per totum. Horum principaliores sunt, qui sequuntur. I. Quia dicta clausula non admittit appellationem, nisi in casibus a jure expressis, cit. c. *Pastoralis.* 53. h. t.

283. *Judex datus sub hac clausula, potest exequi suam sententiam, non obstante appellatione.* — II. Clausula hæc operatur, ut judex *a quo*, non obstante appellatione, possit suam sententiam mandare executioni, nisi prius appellatio ex certa scientia fuerit recepta a principe : ut c. *Super quæstionum.* 29. § *Porro. de Offic. delegat.* ac notat Abbas, loc. cit. n. 14. et Barbosa cit. Claus. 11. n. 9. allegans plures alios. Ratio est, quia judex datus cum clausula, « Appellatione remota, » non tenetur deferre appellationi, nisi in casibus a jure expressis, cit. c. *Pastoralis.* h. t. Et consequenter potest exequi sententiam suam : nisi forsan princeps ex certa scientia admiserit appellationem, c. *Pastoralis.* 28. § *Præterea. de Offic. delegat.*

284. *Ac tenet excommunicatio ab eo lata in contumacem post appellationem suam.* — Ampliatur effectus iste, ut teneat excommunicatio, quam judex datus sub clausula, « appellatione remota, » profert in contumacem post appellationem ipsius : dummodo appellatio illa non sit expresse approbata a jure. Abbas, c. *Pastoralis.* 53. n. 9. et Francus, ibid. n. 7. h. t. Scaccia, *de Appellat.* quæst. 17. limit. 22. n. 56. Barbosa cit. Claus. 9. n. 13. et alii.

285. *Judex virtute dictæ clausulæ non deferens appellationi; minime punitur.* — III. Clausula illa operatur, quod judex virtute talis clausulæ, extra casus in jure expressos, non deferens appellationi, minime puniatur. IV. Operatur, quod innovata post interpositam appellationem, non possint revocari per viam attentati. V. Quod, ubi alias appellatio operatur suspensionem jurisdictionis judicis *a quo*, virtute hujus clausulæ perdit appellatio istum effectum. Ratio est, quæ supra : quia videlicet judex sub tali clausula datus, non tenetur deferre appellationi, nisi in casibus a jure exceptis : unde istud faciens, seu auctoritate legis, aut principis non deferens appellationi, minime peccat, sicque puniri nequit, simulque valide ac licite procedit.

286. *Referuntur alii effectus memoratæ clausulæ.* — VI. Clausula illa operatur, ut rescriptum posterius non revocet prius datum sub clausula, « Appellatione remota, » nisi prioris rescripti, ac etiam hujus clausulæ, faciat expressam mentionem. Abbas cit. n. 14. istud probans ex c. *Ex conquestione.* 10. et notatis ibid. *de Restitut. spoliat.* istudque amplians ad quamlibet aliam notabilem clausulam, arg. cap. II. *de Dolo et contum.* et c. *Postulasti.* 27. *de Rescriptis.* Tacentur alii effectus memoratæ clausulæ, apud Abbatem, et Barbosam, ubi supra, et alios videndi.

287. *Clausula* appellatione remota, *an operetur effectus suos in omnibus casibus? Non impedit appellationem in casibus a jure expresse concessis.* — Quæritur IV. Utrum clausula illa, « appellatione remota, » operetur effectus suos in omnibus casibus : et quando

secus? Resp. I. Regula illa, quod clausula, « appellatione remota, » impediat appellationem, fallit in nonnullis casibus: et quidem imprimis in illis, ubi appellatio a jure conceditur expresse. Textus est in cit. c. *Pastoralis*. 53. h. t. ubi dicitur, quod per hanc clausulam, « quælibet provocatio, » seu appellatio, « intelligitur removeri, quæ a jure non indulgetur expresse: » et consequenter, ubi hæc a jure conceditur expresse, locum habebit.

288. *Referuntur tales casus.* — Porro plures sunt casus, in quibus jure expresso concedente licitum est appellare, haud obstante clausula illa, « appellatione remota, » quos refert Glossa cit. c. *Pastoralis*. 53. ℣. *Expresse*. h. t. Sic primo expresse indulgetur appellatio, non obstante illa clausula, quando judex denegat spoliato restitutionem spolii, arg. c. *Ex conquestione. de Restitut. spoliat.* Deinde quando delegatus est consanguineus ejus, qui litteras impetravit, aut fuit advocatus ipsius in eadem causa, vel ex alia justa causa suspectus est, poterit is recusari: et si non vult admittere recusationem, potest ab eo appellari, quamvis sub clausula, « appellatione remota, » fuerit ipsi negotium commissum, c. *Postremo*. 36. *de Appellat.* Ulterius potest appellari non obstante clausula illa, si partes citantur ad locum non tutum, c. *Ex parte*. 47. h. t. Tacentur alii consimiles casus.

289. *Atque istud ampliatur ad omnem appellationem, expresse a jure admissam.* — Resp. II. Non solum, quando jus expresse admittit appellationem, haud obstante clausula, « appellatione remota; » sed generaliter omnis appellatio, cæteroquin a jure approbata, videtur tunc præmissa, licet jura non exprimant casum, quod appellatio sit remota. Ita Hostiensis, in d. c. *Pastoralis*. ℣. *Expresse*. et Abbas, ibid. n. 14. citans doctores communiter; ac sequitur Pirhing, h. t. n. 70. Ratio est, quia hoc ipso, quod jura permittant appellare, gravamen videtur manifestum: atqui remotio appellationis non impedit appellationem, ubi quis manifeste gravatur, juxta Glossam c. *Ex conquestione*. 10. ℣. *Post appellationem de Restitut. spoliat.* ergo. Exempla hujus habentur in c. *Significantibus*. 49. *de Appellat.* ubi licite appellat reus, si non auditur, petens declarari rem petitam in libello, adversarii, v. g. quam terram actor petat in libello, si Reus plures terras habeat. Item c. *Ad audientiam*. 31. et c. *Significante*, 4. etc. *Rudolphus*, 35. etc. *Significavit*. 36. *de Rescript.* et alibi: ubi Papa, « si est ita, » jubet revocari in irritum, etc., sicque causam ibidem expressam gravaminis, justam agnoscit.

290. *Solvitur instantia, ostendendo, quos effectus adhuc operetur clausula illa.* — Dices. Si hæc responsio subsistit; ergo clausula illa, « appellatione remota, » nullum operabitur effectum. Nam vel appellatio est facta sine causa, et sic tanquam frivola cæteroquin nihil valet, cit. c. *Pastoralis*. 53. h. t. et c. *Cum appellationibus*. eod. in 6. Vel est facta ex causa et justo gravamine; et sic juxta proxime dicta admitti debebit appellatio, non obstante illa clausula; ergo. Resp. neg. seq. Quia imprimis hæc clausula id operatur, ut appellatio, etiam cæteroquin justa, admitti non debeat, nisi de causa gravaminis antea exprimatur, atque propter eam expresse in jure concedi appellationem reperiatur: ut d. c. *Pastoralis*. 53. h. t. Cum tamen cæteroquin a diffinitiva sententia absolute licitum sit appellare, nulla in specie expressa causa gravaminis, ut dictum supra § 4. n. 108. Engel, h. t. n. 36.

291. — Deinde clausula hæc id operatur, ut appellatio interposita (extra casus a jure expressos) non suspendat jurisdictionem judicis *a quo*: unde iste non cogitur appellationi deferre, potestque sententiam suam mandare executioni; non obstante facta appellatione; antequam a superiore ex certa scientia recipiatur ejusmodi appellatio. Abbas cit. c. *Pastoralis*. n. 9. h. t. istud ulterius probans ex c. *Pastoralis*. 28. ℣. *Præterea. de Offic. delegat.* ubi clausula illa, « appellatione remota, » suum operatur effectum, donec superior, seu papa, appellationem a diffinitiva, ex certa scientia recipiat. Idem tradit Pirhing, h. t. n. 75.

292. — Accedit tertius dictæ clausulæ effectus, sed ex præcedenti consequens: quia attentata a judice *a quo* post ejusmodi appellationem non revocantur a judice superiore per viam nullitatis, sed solum per viam querelæ. Ratio est, quia, ex quo non fuerat suspensa jurisdictio judicis *a quo* per dictam appellationem, tenuerunt gesta ab ipso; et consequenter hoc ipso nequeunt revocari per viam nullitatis: licet possint a superiore revocari per viam querelæ, ubi cognoscuntur continere aliquam iniquitatem, seu gravamen injustum. Abbas cit. c. *Pastoralis*. n. 11. h. t.; Pirhing, eod. n. 75. His adde cæteros effectus supra n. 282. et seqq. jam expressos.

293. *Quale remedium competat illi, qui per sententiam judicis dati cum clausula*, Appellatione remota, *sentit se injuste gravatum?* — Quæritur V. Quale remedium competat illi, qui per sententiam judicis dati cum clausula, « Appellatione remota, » sentit sese injuste gravatum? Resp. I. Ejusmodi injuste gravatus potest imprimis appellare, non obstante clausula illa, dummodo prius exprimat causam gravaminis. Ita desumitur ex cit. c. *Pastoralis*. 53. h. t. ubi dicitur: « Sed si appellans fuerit gravatus injuste, gravamen hujusmodi per superiorem poterit emendari. » Ubi Abbas, n. 15. recte ponderat ly, « appellans: » ac proinde infert cum communiori, quod talem injuste gravatum teneatur superior audire etiam per viam appellationis, eique succurrere; et non solum (ut nonnulli alii voluerunt) per viam querelæ gravamen illud sit revocandum. Accedit quod princeps per oppositionem dictæ clausulæ non censeatur cuipiam penitus auferre facultatem appellandi, cum appellatio sit species quædam defensionis; sed solum, ne libere possit appellari, etiam nulla prius allegata causa gravaminis; ut jam dictum est supra n. 108. et 111. et n. 269. Hinc Barbosa cit. claus. 9. n. 23. cum aliis tradit, quod clausula, « appellatione remota, » non tollat appellationem, quotiescunque in continenti quis paratus est docere de justa, et legitima causa appellandi.

294. *Enumerantur tria remedia, quibus remota, vel alias deficiente appellatione, juvari possunt injuste gravati.* — Resp. II. Insuper remota, seu alias deficiente appellatione, potest quis injuste gravatus juvari aliis remediis: atque imprimis opponendo nullitatem sententiæ. Ita Sigism. Scaccia, quæst. 19. *de Appellat.* remed. 1. Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 135. n. 7. et alii; estque jam dictum supra § 1. n. 24. et seqq. Siquidem appellatio, et nullitas sententiæ, hujusque oppositio, sunt diversa juris remedia; ac proinde sublato uno, non tollitur alterum. Hinc. c. *Inter cæteras*. 9. *de Sentent. et re judicat.* expresse dicitur, quod sententia iniqua retractetur per superiorem, licet causa fuerit commissa sub clausula, « Appellatione remota. »

295. Aliud remedium, est supplicatio: nam supplicare, quilibet potest, quatumcunque remota sit appellatio, juxta dicta superius § 1. n. 20. Quanquam hodie usus supplicandi propemodum ab aulis recesserit, atque in ejus locum successerit revisio; de qua jam dictum supra § 2. num. 48. et seqq.

296. Tertium remedium, est restitutio in integrum: hæc enim potest dari adversus sententiam inappellabilem, quando per eam quis graviter læsus fuit; ut l. *Minor*. § 2. ff. *de Minorib.* Sive dein sit inappellabilis ex natura causæ sub clausula, « Appellatione remota. » Et de hoc remedio fusissime agit Scaccia, quæst. 19. *de Appellation.* remed. 2. n. 1. et seqq. atque oportet huc applicare ea, quæ superius l. I. tit. XLI. *De in integrum restitutione,* per totum, ex professo dicta fuerunt.

§ XI.

DECLARANTUR ALII CASUS, IN QUIBUS APPELLARE NON LICET.

297. *Appellatio non admittitur*, Si res notarie constet. — *Octavo*, non admittitur appellatio, « Si res notoria constet, » sive ob notorietatem facti. Patet istud ex c. *Cum sit Romana*. 5. § fin. et c. *Pervenit*. 13. et c. *Consuluit*. 14. h. t. ubi Summarium, Glossa, et doctores. Quotiescunque enim de causa, sive delicto notorie constat, jam appellatio tantum interponeretur ad differendam litem, atque impediendam executionem justæ sententiæ. Unde tali appellationi, utpote de cujus iniquitate constat, non est deferendum: « Cum appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ institutum: » prout loquitur pontifex in c. *Cum speciali*. 61. § *Porro*. h. t. Et hinc convictus in judicio, simulque sponte confessus, appellare prohibetur, l. *Observare*. c. *Quorum appellationes non recip.* et can. *Ei, qui appellat*. § *Nullus etiam*. 2. q. 6. Ubi dicitur: « Nullus etiam homicidarum, veneficorum, maleficorum, adulterorum, itemque eorum, qui manifestam violentiam commiserunt, argumentis convictus, testibus superatus, voce etiam propria vitium scelusque confessus, audiatur appellans. » Hæc ibi.

298. *In dubio tamen ea admittitur.* — Verum tamen pontifex in cit. c. *Consuluit*. 14. h. t. notanter monet: « Cum multa dicantur notoria, quæ non sunt, providendum esse, ne quod dubium est, pro notorio habeatur. » Nam in factis, et delictis dubiis, dummodo causa probabilis coram judice exprimatur, bene admittitur appellatio: si tamen appellans hanc non prosequitur, aut causam allegatam non probat, judex *a quo* procedet in causa juxta c. *Cum speciali*. 61. h. t.

299. *Notorium quid dicatur?* — Porro, « Notorium » in proposito dicitur illud factum, sive crimen, de quo constat « vel per evidentiam rei, quæ nulla possit tergiversatione celari; » ut dicitur cap. ult. *de Cohabitat. Cleric.* et c. *Cum olim.* 24. *de Verb. signif.* Vel de quo constat per propriam confessionem rei factam in judicio; uti habetur ll. cc. et c. *Cum speciali.* 61. *de Appellat.* Quod tamen intelligendum est de confessione sponte facta, et non metu gravi, aut vi tormentorum extorta. Pirhing, h. t. n. 39. Vel de quo patet per sententiam condemnatoriam, a qua non fuit appellatum; ut cit. cap. ultim. *de Cohabitat. cleric.* juncto cap. I. *de Exception.* Aut, de quo constat per testes idoneos, aliasque legitimas probationes, si illis nihil possit opponi, sitque jam in causa conclusum cit. c. *Cum olim. de Verb. signif.* juncta Glossa in c. *Significaverunt.* ℣. *Liquere de Testib.* Pirhing, h. t. n. 55.

300. *A legitima correctione non admittitur appellatio, præsertim in regularibus.* — Nono, ly « Corrige » denotat, non admitti appellationem a legitima correctione. Textus est in c. *Licet.* 12. *de Offic. ordinar.* ibi : « Licet in corrigendis excessibus, juxta canonicas sanctiones, appellationis sit diffugium interclusum : » junctis concordantiis a Glossa ibid. ℣. *Interclusum*, relatis. Idque vel maxime procedit in regularibus, c. *Reprehensibilis.* 26. § fin. h. t. et c. *Ad nostram.* 3. eod. Ubi expresse statuitur, quod a legitima correctione prælati regularis, facta videlicet juxta regulæ præscriptum, et ordinis constitutiones; causa disciplinæ regularis, non sit admittenda appellatio : nisi modus excedatur. « Quia (ut loquitur ibi pontifex) remedium appellationis non ideo est inventum, ut alicui a religionis, et ordinis observantia exorbitanti, debeat in sua nequitia patrocinium exhibere. »

301. *Nisi modus excedatur.* — Additur notanter cum summario, et doctoribus ibidem, « nisi modus excedatur. » Nam, ut argumentatur Abbas cit. c. *Ad nostram.* n. 1. h. t. argumento a sensu contrario desumpto, etiam religiosis permittitur appellatio, quando indebite, et contra ordinis constitutiones prægravantur per superiorem suum : haud obstante, quod hic procedat per viam correctionis, arg. c. *Reprehensibilis.* 26. § fin. h. t. Ubi religiosis per superiores suos indebite excommunicatis, seu aliter gravatis, ac proinde appellantibus, rigorose præcipitur observantia dictæ decretalis : et consequenter indebite gravati contra ordinis constitutiones possunt appellare. (ADNOTATIO XXI.)

302. *Id ipsum procedit etiam in clericis sæcularibus.* — Insuper sæcularibus etiam clericis in cit. c. *Reprehensibilis.* 26. h. t. præcipitur, « ne contra disciplinam ecclesiasticam in vocem appellationis erumpant. Si vero quispiam pro suo necessitate crediderit appellandum, competens ei ad prosequendum appellationem terminus præfigatur: infra quem, si forte prosequi neglexerit, tunc episcopus libere sua auctoritate utatur, » etc. Hæc pontifex; postmodum subjungens pœnam recompensationis expensarum, in quas condemnatur appellans non prosequens suam appellationem, appellato veniente, hancque prosequente.

303. Contemptus *impedit appellationem. Et quid per contemptum hic intelligatur?* — *Decimo.* « Contemptus » impedit fieri appellationem. Ubi per « Contemptum » intelligitur contumacia judici exhibita in veniendo. Nam verus contumax (id est, ille, qui tribus edictis propositis, vel uno tribus, quod « Peremptorium vocant, legitime vel judicem citatus est, et tamen non impeditus morbo, aut alia legitima causa, præsentiam sui facere, et venire contemnit) talis, inquam, verus contumax a sententia contra eum lata appellare nequit : et appellans non auditur, postquam negotio prius summatim perscrutato super contumacia sua condemnatus fuit. Textus est in l. c. *Quorum appellation. non recipiant.* ubi proinde Bartolus in *Summario.* breviter inquit : « Verus contumax non appellat. » Idem patet ex l. *Ex consensu.* ff. *de Appellat.* et l. *Contumacia.* ff. *de re judicat.* In quo posteriori loco dicitur : « Contumacia eorum, qui jus dicenti non obtemperat, litis damno coercetur : hoc est (ut explicat Glossa ibid. ℣. Litis damno coercetur) ut non appellent; » quamvis non illico admittant causam principalem, si cæteroquin justam causam foveant.

304. Possessio, *seu sententia lata in possessorio, non admittit appellationem.* — *Undecimo*, « Possessio, » sive sententia lata in judicio possessorio, non admittit appellationem. Textus est in l. un. c. *Si de momentanea possessione*, etc. juncto canone *Ei, qui appellat.* § *De possessione.* 2. q. 6. ibi : « De possessione etiam, et ejus memento, si causa dicatur (quæ sententia interlocutoria appellatur) quamvis provocatio interposita fuerit,

tamen lata sententia sortitur effectum. » Ubi Glossa ☩. *Momento*, hoc intelligit de momentanea possessione : quia tunc non appellatur propter modicitatem præjudicii; cum istud illico, atque in momento cesset, si condemnatus in possessorio postea probet de proprietate rei. Siquidem sententia lata super proprietate rei, absorbet sententiam super ejus possessione : ut c. *Cum dilectus*. 6. *de Causa possess.* cum similibus.

305. *Fallit illud in possessorio magni præjudicii, saltem spectato jure canonico.* — Cæterum loquendo de sententia, præsertim diffinitiva, super possessorio magni præjudicii lata, spectato jure canonico habet locum appellatio; ut c. *Cum ad sedem*. 15. *de Restitut. spoliat.* et Clem. un. *de Causa possess.* ubi talis appellatio super possessorio reperitur facta, et alibi. Accedit ratio : tum quia cit. can. *Ei, qui appellat*. 2. q. 6. solum fit mentio de sententia interlocutoria super possessione lata; tum quia sententia super possessorio lata, potest etiam esse maximi præjudicii : ut si non possunt haberi aliæ probationes super proprietate rei; nam tunc ex defectu possessionis perderet quis etiam proprietatem, nisi appellare valeret : ut taceantur alia privilegia possessionis, de quibus supra tit. XII. *De causa possessionis et Proprietatis*. § 2. n. 39. et seqq. fusius agitur; tum tandem, quia de jure canonico potest appellari etiam in minimis, c. *de Appellationibus*. 11. h. 4.

306. *Et quid spectato jure civili?* — Et hinc Glossa in c. *Cum ad sedem*. ☩. *Interdictum*. *de Restitut. spoliat.* et nonnulli volunt, dictum illud, quod non possit appellari in causa possessionis, procedere solum spectato jure civili, non vero de jure canonico. Imo Abbas, in d. c. *Cum ad Sedem*. n. 30. *de Causa posses.* asserit, quod non putet, utilem esse provisionem legalem : quia licet certo respectu quæstio possessoria videatur modici præjudicii, tamen alio respectu potest esse maximi præjudicii; idque ob rationes hactenus allatas.

307. *Solvitur instantia.* — Quod si dicas, non esse recedendum a depositione juris civilis, ubi de jure canonico non reperitur contrarium depositum, arg. cap. I. *de Novi operis nuntiat.* Atqui in proposito de jure canonico non reperitur contrarium depositum, quam habetur in cit. l. un. c. *de Momentanea posses.* etc., imo hæc videtur canonizata in can. *Et, qui appellat*. 2. quæst. 6. cujus verba n. 304. referuntur; ergo. Resp. neg. min. ob sacros canones n. 305. citatos. Si vero placeat, nullam quoad propositum inter jus civile, et canonicum, admittere discrepantiam; potest dici cum Abbate cit. c. *Cum ad sedem*. n. 30. allegante pro se Bartolum, quod etiam de jure civili semper possit appellari, sed per appellationem non impediatur executio sententiæ; prout hoc ipsum videtur velle cit. un. c. *de Momentanea possess.* illis verbis : « Tamen lata sententia sortitur effectum. » Simile quid habetur l. *Ab executione*. C. *Quorum appellat. non recip.*

308. *Appellare vetat, jus clarum.* — *Duodecimo* vetat appellare « Jus clarum. » Nam censetur appellatio frivola, atque iniqua, si interponatur circa illud, quod judex secundum clarum juris textum definivit, atque præcepit. Siquidem jus commune neminem gravat, sicque ratio appellationis interponendæ; nempe injustum gravamen, ad quod tollendum inventa fuit appellatio. Quinimo deferre appellationi contra jus clarum, aut contra executionem ipsius, aliud non foret, quam præsidium subministrare inobedientiæ. Unde si episcopus mandet clerico, nullam justam excusationem habenti, ut resideat in suo beneficio, et is appellet, non est audienda ejus appellatio, c. *Relatum*. 4. *de Cleric. non resid.* Simile quid habetur c. *Consuluit* 29. *de Appellat.* juncta Glossa fin. ibid. generaliter inferente, quod appellatio, quæ fit contra leges vel canones, non sit aliquatenus admittenda. Verumtamen hoc limitare oportet, nisi quis alleget causam rationabilem; ob quam jus generale in tali casu locum habere non videatur : sed tunc hoc ipso jus non est clarum.

309. *Appellationem non admittit* Executio *sententiæ.* — *Decimo tertio*, « Executio » non admittit appellationem : siquidem ab executione sententiæ, quæ in rem transit judicatam, aut secundum clarum juris textum lata fuit, non licet appellare; nisi forsan executor, male sententiam interpretatus, excedat modum executionis. Textus est clarus in l. *Ab executione*. C. *Quorum appellatione* etc. et l. *Sed nec*. *Ab executore* ff. *de Appellat.* Concordat c. *Novit*. 43. h. t. et c. *Quod ad consultationem*. 15. § *Sed nec de Sent. et Re judicat.* et c. *Super quæstionum*. 27. § *Nos autem*. *de Offic.* delegat juncta Glossa ☩. *Executorem*. et Abbate ibid. n. 11. et aliis. Accedit ratio, quia merus executor (nisi mo-

dum excedat) non gravat exequendo sententiam judicis; cum non habeat cognitionem causæ, sed nudum ministerium : et si quod gravamen interveniret, id a sententia judicis oriretur, qui mandavit, a qua proinde appellandum erit, nisi aliud obstet; estque jam dictum supra lib. I. tit. XXIX. *de Offic. et potestat. Judic. delegat.* § 7. n. 157.

310. *Sicut nec Res minima, saltem spectatis specialibus locorum statutis.* — *Decimo quarto*, « Minima res » non admittit appellationem, saltem spectatis specialibus diversorum statutis : eo quod res minimæ, atque exigui momenti, non mereantur appellationem, atque protractionem litis. Sic in curia Romana, non admittitur appellatio in causis non excedentibus quinque ducatos auri de camera; uti refert Barbosa c. *De appellationibus*. 11. n. 3. h. t. similia de nonnullis aliis allegans. Similiter in camera imperiali, appellationes regulariter non recipiuntur, si summa appellationis sit infra centum quinquaginta florenos; teste Gailo lib. I. *Practic.* observat. 123. n. 1.

311. *De jure canonico tamen potest appellari etiam pro causis minimis.* — Cæterum de jure canonico potest appellari etiam pro causis mininis, text. clar. cit. c. *De Appellationibus*. 11. h. t. Siquidem appellatio non est fundata quantitate gravaminis; sed super injustitia sententiæ, atque iniquitate seu imperitia judicis, l. I. § 1. ff. *de Appellat.* qualis etiam in causis minoribus intervenire potest. Et ob hanc causam infert Pirhing, n. 36. h. t. etiam de jure civili posse appellari, in causis minoribus; ut l. *Et in majoribus*. c. h. t. ibi : « Et in majoribus et in minoribus negotiis appellandi facultas est. » Quamvis nonnulli contradicant, qui postmodum per causas minores, cum Glossa ibid. intelligunt civiles; et e contra per majores : intelligunt causas criminales.

312. Res longius acta *non recipit appellationem. Ab eadem sententia, et super eodem articulo, non licet eidem ter appellare.* — *Decimo quinto.* « Res longius acta » sive protelata, non recipit appellationem. Et hoc inter alia fit ex eo, quia ab eadem sententia, ei super eodem articulo, sive gravamine lata, eidem ter appellare non licet; prout habetur expressum in l. I. c. « Ne liceat in una eademque causa ter provocare, » etc. *Sua nobis*, 65. h. t. Idque merito statutum fuit : tum ne detur processus in infinitum, et lites evadant propemodum immortales : tum quia præsumptio est contra eum, qui tam in priori instantia, quam bis provocando, ter succubuit. Et hoc procedit non solum in appellatione diffinitiva, verum etiam in appellatione ab interlocutoria. Barbosa cit. c. *Sua nobis*. n. 2. h. t. allegans alios. Procedit etiam in illis causis, quæ non transeunt in rem judicatam : licet enim in his possit causa de novo inchoari, non tamen potest tertio appellari. Abbas, d. c. *Sua nobis* n. 7. h. t.

313. *Secus super diversis articulis, etiam ejusdem causæ.* — Dicitur notanter *primo*, « ab eadem sententia, et super eodem articulo, » etc. Nam si quis millies super diversis articulis, licet in eadem causa, gravaretur, posset in toties appellare; ut can. *Quoties Episcopus*. 2. q. 6. ac notat Abbas cit. c. *Sua nobis*. n. 7. h. t. Quia super appellaret super diverso gravamine, sive articulo.

314. *Et quid, si modo una, modo altera pars succumbat, et appellat?* — Dicitur *secundo*, « eidem ter appellare non licet. » Nam si modo una, modo altera pars succumbat, cuilibet bis appellare licet, sed nulli ter. Hinc si Titius contra Cajum litigans, in prima instantia condemnetur, potest Titius appellare : si dein in altera instantia Cajus condemnetur, potest etiam is appellare : quod si denuo condemnetur Titius, rursus huic appellare licebit : et si iterum Cajus damnetur, et ipsi adhuc licebit appellare. Tunc autem, ex quo quilibet bis appellavit, neutri amplius licebit appellare : atque obtinebit his, qui in ultima instantia superando, tres conformes sententias pro se reportabit, arg. Clem. 1. *de Re judicat.* ac notat Abbas cit. n. 7. Et hoc idem juris est, si quis non interpolatim, sed successive bis appellaverit : ut si Titius adversus sententiam in prima instantia contra se latam appellet, et ipsa confirmetur; sicque Titius secundo appellet : nam si sententia illa denuo confirmetur, non est locus tertiæ appellationi.

315. *Quæ remedia competant post secundam appellationem?* — Quamvis autem, juxta hactenus dicta non sit licitum tertia vice appellare; adeo quidem, ut neque papa, neque alius princeps supremus potestate sua ordinaria, mediante rescripto concedere censeatur facultatem appellandi tertia vice : potest tamen imprimis id princeps concedere per viam privilegii, ac ex certa scientia. Pirhing h. t. n. 126. Deinde, licet quis non audiatur *tertio* per viam appellationis, auditur tamen

per viam nullitatis sententiæ; ostendendo videlicet, quod prior sententia fuerit ipso jure nulla : ita tamen, ut sententia prius possit executioni mandari, Clem. 1. *de Sent. et re judicat.* estque jam dictum supra § 1. n. 26. Potest insuper tunc peti restitutio in integrum, servatis tamen aliis de jure servandis, l. *Minor.* § 2. ff. *de Minorib.* Tandem potest etiam supplicari principi, non obstante gemina appellatione; ut patet ex dictis supra § 10. n. 294. et seqq.

§ XII.

DE RECUSATIONIBUS, ET RELATIONIBUS.

316. *Recusatio judicis, quid?* — Quæritur I. Quid sit recusatio, et quomodo differat ab appellatione? Resp. 1. « Recusatio » est judicis suspecti, et jurisdictionis ipsius proposita causa suspicionis declinatio. Ita Pirhing, h. t. n. 265. et alii. Nam quia naturale quodammodo est, suspectorem judicium insidias declinare, eo quod is aut consanguineus, vel affinis partis adversæ existat, aut nimia affectione erga eam ducatur, vel proprium interesse in causa habeat, sive odio erga recusantem afficiatur : hinc jura licitum esse volunt, ei, qui suspectum judicem putat, antequam lis inchoetur, eum recusare, ut ad alium recurratur, can. *Quod suspecti.* 3. q. 5. et l. *Apertissimi.* c. *de Judiciis*, cum concordantiis.

317. *Hæc in nonnullis convenit cum appellatione.* — Resp. II. Recusatio judicis in nonnullis convenit cum appellatione; in pluribus tamen ab ista differt. Ita communis; et patet inductione. Convenit quidem cum ea : tum quia etiam recusatio suspendit jurisdictionem judicis recusati; adeo, ut pendente recusatione non possit is ad aliquem actum procedere, et alioquin processus sit nullus (ut dicetur n. 325 et seqq.) Quod ipsum accidit in appellatione : atque ob hanc convenientiam compilator juris canonici, sub eodem titulo, simul agit de appellationibus, et recusationibus etc. uti notat Glossa ad rubric. h. t. Deinde conveniunt : quia sicut appellatio ab interlocutoria non admittitur, nisi causa probabilis appellandi exprimatur, c. *Ut debitus.* 59. h. t. ita nec recusatio judici, c. *Super eo.* 12. h. t. juncta Glossa ibid. ℣. *Sicut appellationi.* et c. *Cum speciali.* 61. § 1. eod. cum concordantiis.

318. *Appellatio, et recusatio æquiparantur; et quomodo?* — Nec obstat, quod cit. c. *Super eo.* 12. h. t. absolute dicatur : « In causis ecclesiasticis, ubi appellationis remedium tollitur, sicut appellationi, ita recusationi non est aliquatenus deferendum. » Nam contra est : quia in c. *Postremo.* 36. eod. expresse habetur, quod delegatus cum clausula, « appellatione remota, » possit recusari, si est consanguineus impetrantis, vel ex alia justa causa suspectus : et tamen ab eo nequit appellari, ob memoratam clausulam. Et hinc, ut jura juribus concordentur, juxta cit. c. *Super eo.* 12 h. t. Appellatio et recusatio æquiparantur in hoc, quia sicut in appellatione requiritur causa rationabilis, ita et in recusatione; prout loquitur Summarium ibid. ac notat Pirhing h. t. n. 266.

319. *Differunt autem in pluribus.* — Differunt e contra appellatio, et recusatio in pluribus. Nam prior non habet locum, nisi postquam quis se sentiat gravatum a judice : secus in recusatione; hæc enim fit ante litem inchoatam, et consequenter, etiamsi judex nondum gravarit. Deinde, in eadem causa non licet ter appellare, tamen recusatio judicis non numeratur in hoc numero appellationum, l. un. c. *Ne liceat in una eademque*, etc. Ulterius officialis, sive vicarius generalis episcopi, potest coram eodem episcopo recusari, licet ab officiali ad episcopum appellare non liceat, text. clar. c. *Si contra.* 4. § fin. *de Offic. Jud. delegat.* in 6. juncta Glossa fin. ibid. Tandem potest quis appellare a judice, in quem consensit, c. *Causam.* 14. h. t. non tamen eum recusare, c. *Insinuante.* 15. § fin. *de Offic. delegat.*

320. *Recusatio judicis suspecti debet fieri ante litem contestatam, et intra viginti dies post oblatum libellum.* — Quæritur II. Quando, et quomodo fieri debeat Recusatio Judicis suspecti? Resp. I. Judex suspectus non nisi ante litem contestatam, ac intra viginti dies post libellum oblatum, recusari potest. Patet hoc ex auth. *Offeratur.* c. *de Litis contestation.* ibi : « Offeratur ei, qui vocatur ad judicium, libellus : et exinde viginti dierum gaudeat induciis, quibus deliberet, cedat an contendat, aut judici alium associari petat, vel recuset eum, » etc. Concordat can. *Quod suspecti.* 3. q. 1. et l. *Apertissimi* c. *de Judiciis*, in quo posteriori loco sic dicitur : « Apertissimi juris est : licere litigatoribus judices datos, antequam lis inchoetur, recusare. » Ratio ulterior, cur recusatio debeat fieri ante inchoationem judicii, sive ante

contestationem litis, hæc est : quia si quis coram judice semel litigare incœperit, hoc ipso censetur in eum consensisse; sicque ipsum, utpote semel a se approbatum, amplius recusare non potest.

321. *Nisi nova causa recusandi supervenerit.* — Intellige, nisi nova causa ipsum recusandi superveniat, juxta textum expressum in c. *Insinuante.* 25. *de Offic. delegat.* ubi judex delegatus, post litem jam contestatam, et diutius agitatam recusatur; eo quod postea alterum litigatorum in suum familiarem admiserit. Aut nisi post litis contestationem primum, recusans causæ illius notitiam acquisierit, idemque juramento deponat; ut c. *Pastoralis.* 4. *de Exception.* ac notat Covarruvias *Practic.* Quæst. cap. XXVI. n. 2. et Zoesius h. t. n. 34. Nam tunc ignorantia illius causæ recusandi, removet consensum in approbationem talis judicis.

322. *De jure canonico potest recusari judex tam ordinarius, quam delegatus.* — Resp. II. De jure canonico potest recusari judex tam ordinarius, quam delegatus; quidquid sit de jure civili. Prior pars patet ex c. *Cum speciali.* 61. h. t. juncto c. *Si contra.* 4. et c. *Judex.* 5. *de Offic. delegat.* in 6 ubi expressa fit mentio de recusatione judicis ab apostolica Sede dati, et suspecti, cum concordantiis. Idque ex eo statutum fuit, ne quoquo modo alicujus causam contingat contra justitiam in judicio lædi.

323. *Et quid spectato jure civili?* — Additur vero, « quidquid sit de jure civili. » Nam spectato rigore juris civilis, quamvis judex delegatus possit recusari ut suspectus, cit. l. *Apertissimi.* c. *de Judiciis.* Judex tamen ordinarius recusari nequit : sed si circa ipsum aliqua suspicio, atque dubitatio emerserit, tunc ejusmodi judici ordinario jubetur adjungi episcopus loci, qui una cum judice illo ordinario causam audiat; atque vel amicabiliter eam componat, vel simul cum ipso cognitionaliter dirimat, Auth. *Si vero.* c. *de Judiciis.* Notat tamen Baldus in *Summario.* ad cit. Auth. *Si vero.* et Covarruvias *Practic.* Quæst. cap. XXVI. n. 1. dictam Authenticam quoad id, ut judex recusatus assumat socium episcopum, non esse receptam de consuetudine : sed ejus loco per judicem recusatum solere recipi alium quempiam bonum, et candidum Virum ad obscurandam, quæ de illo orta fuerat, suspicionem. Atque ob hoc in n. præced. de industria additum fuit ly, « spectato rigore juris civilis. »

324. *Volens recusare judicem sibi suspectum, quid agere debeat?* — Resp. III. Volens recusare judicem sibi suspectum, debet coram eo suspicionis probabilem causam in scriptis proponere, eamque coram arbitris communiter eligendis probare : qua legitime probata, judex recusatus vel negotium principale de recusatoris consensu committat alii personæ idoneæ dijudicandum; vel illud transmittat ad superiorem, ut ipse in eo procedat, secundum quod juxtum fuerit : dicta vero causa recusationis non probata inter terminum competentem, ipsemet judex utitur sua jurisdictione, et procedit in causa principali. Ita habetur decisum in c. *Cum speciali.* 61. h. t. juncta l. *Apertissimi.* c. *de Judiciis,* ibi : « Libello recusationis ei porrecto. » Zoesius h. t. n. 37. Pirhing, n. 271. et alii. (ADNOTATIO XXII.)

325. *Effectus recusationis judicis quis?* — Quæritur III. Quis sit effectus recusationis judicis? Resp. I. Effectus recusationis est, suspendere jurisdictionem judicis recusati : unde recusatione rite proposita, ac pendente super ejus justitia cognitione (nisi manifeste pateat, eam esse frivolam) judex recusatus in causa supersedere debet, neque poterit ad ulteriora procedere. Textus est in c. *Secundo requiris.* 41. § fin. h. t. Ubi etiam hujus ratio assignatur, illis verbis : « Ipsa namque ratio dictat, quod suspecti, et inimici, judices esse non debent. »

326. *Recusatio an ita suspendat jurisdictionem judicis, recusati, ut postea gesta ab eo, sint nulla ipso jure?* — Resp. II. Utrum recusatio ita suspendat jurisdictionem judicis recusati, ut postea gesta ab eo, sint nulla ipso jure; variant doctores. Affirmat Glossa can. *Quoties.* 2. q. 6. ℣. *Appellent.* Vallensis h. t. § 19. n. 4. Zoesius n. 38. Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 33. n. 12. et quidam alii. Rationem dant : quia, cum judici recusato adimatur, vel saltem suspendatur judicandi potestas, ut lites sine suspicione procedant, l. *Apertissimi.* c. *de Judiciis;* jam hoc ipso postea ab eo gesta non possunt valere, sicque sunt irrita ipso jure : prout in simili de gestis post interpositam appellationem dici solet.

327. *Referuntur diversæ circa hoc doctorum sententiæ.* — Negativam vero sententiam, seu quod gesta post factam recusationem non sint nulla ipso jure, sed valeant, nisi etiam interponatur appellatio; tenet Pirhing, h. t. n. 277. citans Innocentium in c. *Cum spe-*

ciali. n. 7. Imolam ibid n. 18. et 21. et Alexandrum n. 46. ac seqq. Rationem affert : quia c. *Super quæstionum.* § fin. *de Offic. delegat.* dicitur, si judex tanquam suspectus merito recusetur, et tamen recusatio non admittatur, posse appellari ; « quodque post appellationem hujusmodi est præsumptum, judicari debere irritum et inane : » ergo, argumento a sensu contrario desumpto, gesta post recusationem, tamen ante appellationem, non sunt irrita ipso jure.

328. Sicut, qui distinguunt inter jus canonicum, et civile : et secundum hoc asserunt, non valere attentata post recusationem, bene tamen spectato jure canonico ; pro qua sententia plures allegat Abbas, c. *Cum speciali.* n. 12. vers. *Quarta fuit.* h. t. Alii apud Abbatem cit. n. 12. vers. *Tertia.* quos sequitur Engel, h. t. n. 57. volunt, validitatem talium gestorum post recusationem attentatorum, pendere ex futuro eventu admissæ, vel non admissæ recusationis. Nam si pronuntietur, hanc non tenuisse, valebunt (inquiunt) ejusmodi gesta : sin minus, non valebunt : sicut in simili dicitur in attentatis per judicem *a quo* post appellationem ab interlocutoria, c. *Non solum.* h. t. in 6.

329. *Relatio, quid?* — Quæritur IV. Quid sit relatio ? Resp. I. Relatio est judicis inferioris in causa de jure dubitantis, ad superiorem, sive principem transmissa consultatio, ut sciat, quid in judicando sequi debeat. Ita Vallensis, h. t. § 20. n. 3; Pirhing, n. 278. et alii. Dicitur notanter, « de jure dubitantis : » quia in dubiis de facto, sive de veritate gestorum, relatio non habet, locum, l. *Eum quem.* ff. *de Judiciis.* Quin imo, quando fit relatio, oportet totum factum plene instructum referre ad principem, et tunc ejus sententiam expectare, l. I. c. *de Relation.* Nam pendente relatione, officium inferioris Judicis conquiescit, l. ult. c. eod.

330. *Relationes de facto propemodum abierunt in desuetudinem. Judices ipsi tenentur causam sententialiter terminare, omissis relationibus.* — De facto tamen hujusmodi relationes utroque jure propemodum in desuetudinem abierunt. Nam quia teste experientia compertum fuit, lites nimium protrahi, dum post longam causæ disceptationem, tandem adhuc ad principem, plurimis aliis negotiis distentum, fiebat recursus, causaque ipsa plene prius instructa (data prius copia utrique parti litigantium) ad ipsum referebatur. Hinc in Auth. « Ut judices non expectent sacras jussiones, » etc. collat. 9. provide statutum fuit, ut ipsimet judices, omissis relationibus, causam perfecte examinatam, sententialiter terminent, eamque executioni demandent ; nisi partes, quæ per sententiam sese gravatas censent, ab eadem appellaverint.

331. *Licitum tamen est, in dubio juris principem consultare.* — Cæterum his non obstantibus licitum est, in dubio juris, præsertim ob pugnam rationum, aut verborum legis ambiguitatem subortam, principem consultare, ut respondeat super illo dubio puncto juris. Siquidem, stricte loquendo, consultatio, et relatio differunt : nam per relationem tota causa ad superiorem refertur, ut ejus judiciali sententia definiatur : sicque judex inferior sese privat potestate judicandi, totam causam transferendo in superiorem, prout olim frequenter fieri solebat. Secus fit in consultatione : nam per hanc princeps solum consulitur super dubio juris ; et tunc inferior facta consultatione, et juxta datum responsum judicat, fertque in causa sententia. Late tamen loquendo, relatio, et consultatio promiscue sumuntur ; Pirhing, h. t. n. 279. (ADNOTATIONES XXIII et XXIV.)

TITULUS XXIX.

De Clericis peregrinantibus.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Quia peregrinatio ad Sedem apostolicam, rem et effectum habet appellationis, dummodo secuta sit intra decem dies a die latæ sententiæ, seu illati gravaminis, fueritque intimata judici : cum talis, qui inter ad Sedem apostolicam arripit, censeatur ipso facto appellare ; quod plus est, quam verbis appellare, c. *Dilecti filii.* 52. *de Appellation.* Ideo post appellationes subjicitur præsens titulus *De Clericis peregrinantibus.* Qui titulus qualiter differat a tit. XXII. libri primi *Decretalium,* « De Clericis peregrinis » inscriptio, ibidem n. 1. jam dictum est.

2. *Statuta de clericis peregrinantibus etiam procedunt in laicis peregrinantibus ad Sedem apostolicam.* — Et quamvis in rubrica hujus tituli fiat mentio de solis clericis ; nihilominus, quæ de his statuantur, etiam locum habeant in laicis peregrinantibus ad Sedem præfatam. Siquidem causa dispositionis ,

quæ habetur cap. un. h. t. est generalis; ac etiam habet locum in laicis, ibi: « Tamen cum hi, qui accedunt ad præsentiam nostram, cum rebus eorum debeant esse sub Apostolica protectione securi. » Concordat can. *Si quis Romipetas.* et can. *Paternarum.* 24. q. 3.

3. *Peregrinantes ad Sedem apostolicam, constituti sunt sub hujus protectione.* — Itaque peregrinantes ad Sedem apostolicam, hoc ipso sunt constituti sub hujus protectione: et si quid eisdem post iter arreptum subtrahatur, vel auferatur, id omne ipsius restituendum est, cap. un. h. t. juncto Summario, et doctoribus ibid.

4. *Et omnia, interim contra ipsos attentata, revocantur.* — Et istud extenditur etiam ad ea, quæ interim taliter preregrinantibus in judicio per processum, et sententiam judicis auferuntur: nam omnia attentata post tale iter arreptum, sive extra judicium per privatum, sive in judicio per sententiam judicis attententur, revocari debent: adeo, ut processus per judicem contra talem peregrinantem factus, licet cæteroquin justus, ipso jure non valeat. Generaliter enim, accedentes ad papam, cum suis rebus debent sub protectione apostolica esse securi.

5. *Nisi quis eorum ab inferiori judice fuerit citatione præventus.* — Excipe, nisi accedens ad Sedem apostolicam ab inferiori judice, sive ordinario, sive delegato, fuerit citatione præventus, antequam iter arripuerit. Quia tunc, utpote ab altero jam præventus, non posset amplius ipsius Forum declinare; ut c. *Ad hæc sicut asseris.* 30. *de Appellat.* et c. *Proposuisti.* 19. *de Foro compet.* Et judex sive ordinarius, sive delegatus, procedere poterit in causa; non obstante, quod reus post citationem iter arripuerit ad Sedem apostolicam, c. *Meminimus.* 9. et c. *Suggestum est.* 15. et d. c. *Ad hæc sicut asseris.* 30. *de Appellat.* Secus, si ante factam citationem reus ejusmodi iter arripuerit: nam tunc judex inferior nequit in causa procedere; prout dicitur in juribus proxime allegatis. (ADNOTATIO XXV.)

TITULUS XXX.

De Confirmatione utili, vel inutili.

1. *Ratio continuationis rubricarum.*—Visum est duobus præcedentibus titulis de suspensione sententiæ judicialis, sive jurisdictionis judicis, quæ fit mediante appellatione, atque peregrinatione ad Sedem apostolicam. Nunc vicissim ultimo hoc secundi libri *Decretalium* titulo, agit compilator de confirmatione, tum utili, tum inutili, sententiæ judicialis; simul etiam agendo de confirmatione instrumentorum, privilegiorum, et aliarum rerum. Unde

2. *Confirmatio quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit confirmatio. Resp. I. *Confirmatio*, quantum ad propositum est juris quocunque modo quæsiti per legitimum superiorem facta corroboratio. Ita Hostiensis in *Summa* h. t. n. 1; Barbosa ad rubric. h. t. n. 5. Pirhing n. 1. Sannig eod. n. 2. et alii.

3. *Supponit jus aliquo modo quæsitum.* — Dicitur, « corroboratio: » quæ particula stat loco generis, ac sumitur hic latissime. Et additur, per « legitimum superiorem: » ad excludendas eas, quæ a personis privatis geruntur; et magis approbationes, quam confirmationes, dici possunt. Dicitur ulterius, « juris quocunque modo quæsiti: » ad complectendam utramque confirmationis speciem, videlicet tam datæ in forma communi, quam ex certa scientia: nam utraque jus aliquo modo quæsitum corroborat; illa jus legitime quæsitum; hæc jus nulliter, et de facto duntaxat quæsitum. Simulque per hanc particulam natura confirmationis magis declaratur: qui enim confirmat, nihil de novo dat, sed datum, vel aliter quæsitum corroborat, l. *Et quia.* ff. *de Jurisdict. omn. judic.* Hostiensis cit. n. 1. junctis dicendis infra n. 15.

4. *Confirmatio in forma communi, seu simplex, quæ?*—Resp. II. Confirmatio est duplex, una in forma communi; alia in forma speciali, seu ex certa scientia. Ita Barbosa, loc. cit. n. 6; Pirhing, h. t. n. 2. Sannig, eod. n. 3. et seqq. et alii communiter. « Confirmatio in forma communi (quæ et confirmatio simplex, atque ordinaria » appellatur) ea est, qua superior non præcedente alia cognitione causæ actum ab inferioribus gestum confirmat in eo statu, in qua prius fuerat.

5. *Hæc nullum jus novum tribuit, sed supponit actum jam validum.* — Et additur notanter ly, « in eo statu, in quo prius fuerat. » Siquidem confirmatio in forma communi, nullum jus novum, neque valorem tribuit illi, cui accedit; sed supponit actum jam validum, eumque approbat, quatenus de jure validus existit. Glossa cap. I. ỹ. *Confirmatio-*

nem. et Abbas, ibid. n. 6. h. t.; Pirhing, eod., numer. 3; Sannig, numer 4. et alii, istud comprobantes ex cap. I. et II. h. t. ubi satis indicatur, confirmationem in forma communi non facere actum de novo validum, qui prius erat invalidus. Id ipsum probatur claris verbis ex c. *Quia diversitatem.* 5. *de concess. præbend.* ubi dicitur: « Non obstante confirmatione a Sede apostolica obtenta sub forma communi, quæ confirmat beneficia et præbendas, sicut juste et pacifice possidentur. » Accedit textus in c. *Cum dilecta.* 4. h. t. ubi pontifex in simili sic loquitur: « Nolentes quod ex innovatione hujusmodi novum jus Monasterio acquiratur; sed antiquum (si quod habet) per innovationem privilegii conservetur. » Concordat illud, quod habetur can. *Præceptis.* dist. 12. ibi: « Non novum aliquid præsenti jussione præcipimus, sed illa, quæ olim videntur indulta, confirmamus; » cum similibus.

6. *Et cur idcirco non sit inutilis?* — Dices. Ergo confirmationes in forma communi datæ a Sede apostolica, ad nihil proderunt: quia vel supponunt actum jam validum, vel etiam ipsæ erunt invalidæ. Resp. negando sequelam. Quia, ut notat Abbas, cap. I. n. 6. h. t. licet confirmatio in forma communi cujuscunque rei facta per papam, jus novum non tribuat, adhuc tamen non est inutilis; tum quia solet impetrari ad cautelam, ne quis improvide, ac sine scientia papæ videatur procedere; tum quia confirmatio in forma communi solet impetrari, et dari, ut magis timeatur: nam solet plus timeri, quod specialiter, ac præsertim per Principem supremum disponitur, arg. can. *Quanquam.* dist. 23; tum tandem, quia confirmatio v. g. electionis, data in forma communi, tribuit electo potestatem administrandi; ut c. *Transmissam.* 15. et c. *Qualiter.* 17. *de Election.* Alioquin vero hujusmodi confirmationes in forma communi parum valent; ut ait Glossa cap. I. ỿ. *Confirmationem.* h. t.

7. *Confirmatio in forma speciali, ac ex certa scientia, quæ?* — « Confirmatio in forma speciali, atque ex certa scientia, » dicitur ea, quæ fit cum perfecta notitia totius negotii, et omnium ejus circumstantiarum. Et hujusmodi confirmatio facta ex certa scientia, novum jus tribuit actui; eumque, si forsan antea invalidus fuisset, firmum reddit, atque validum; ut cap. I. *de Transaction.* juncta Glossa fin. ibid. et notat alia Glossa in c. *Ecclesia sanctæ Mariæ.* 10. ỿ. *Ab Ecclesia. de Constitut.* Barbosa ad rubric. h. t., n. 8, Pirhing n. 4. et communis. Siquidem hujusmodi confirmatio ex certa scientia, non est nuda et simplex confirmatio; sed potius est nova concessio, atque in effectu dispensatio: ideoque vim habet, actum cæteroquin nullum, reddendi validum.

8. *Unde colligi possit, confirmationem esse factam, in forma speciali, et non tantum in forma communi?* — Quod si petas, unde colligi possit, confirmationem esse factam in forma speciali, et non tantum in forma communi? Resp. Istud colligi ex sequentibus signis. *Primo* videlicet, si tenor totius privilegii, aut instrumenti, inseritur ipsi confirmationi; vel saltem apponitur clausula, « ex certa scientia: » quia tunc principi affirmanti, se sufficientem rei notitiam habuisse, sicque non ignorasse defectum aliquem, qui ejus potestatem impedire potuisset, credendum est, Clem. un. *de Probation.* Abbas c. *Examinata*, in fin. h. t. Deinde idem est dicendum, si pontifex apponat clausulam, *Sublata*, etc.; Barbosa, tract. *de Clausulis*, claus. 175. n. 22. et seqq. Aut, si confirmatio fiat per verba æquipollentia: ut puta, sub clausula, « Ex plenitudine potestatis: » vel, « Non obstante quacunque lege, seu consuetudine in contrarium, » etc. Pirhing, h. t. n. 8. Barbosa, claus. 82. et seqq. citans alios: et multo magis, si addatur clausula illa, « Supplentes omnes juris et facti defectus. » Barbosa, loc. cit. claus. 177. cum plurimis aliis. Huc accedant dicenda inferius, n. 20. et seqq.

9. *Confirmatio alia utilis, alia inutilis; et quæ?* — Resp. III. Ulterius confirmatio alia censetur utilis, alia inutilis; ut patet ex rubric. h. t. Et quidem « Confirmatio dicitur utilis, » quando est valida: et tali nequit judex inferior contravenire, nec de ea judicare potest, cap. I. et II. h. t. E contra « Confirmatio inutilis » vocatur ea, quæ non valet: unde merito censetur inutilis, atque nullius valoris. Talis est quæ obreptitie vel subreptitie fuit obtenta: narrato scilicet falso, aut suppresso vero, quod de jure exprimi debuisset; ut c. *Bonæ.* 3. et c. *Ad nostram.* 5. cum. 2. seqq. h. t. juncto c. *Super litteris.* 20. *de Rescriptis.*

10. *In dubio an censeatur esse confirmatio in forma speciali?* — Quæritur II. Utrum si a lege, vel alia dispositione fiat mentio de confirmatione, in dubio censeatur, eam esse

confirmationem in forma speciali, vel communi? Resp. In resolutione hujus quæstionis non convenire doctores.

11. *Refertur sententia asserentium, tunc videri datam confirmationem in forma speciali.* — Et quidem Glossa fin. in cap. I. h. t. et Joan. Andreas c. *Venerabilis.* n. 9. eod. et Abbas c. *Examinata.* n. 5, h. t., asserunt, quod si papa confirmet aliquid simpliciter nulla clausula apposita, nec expresso tenore confirmati, videatur confirmare in forma speciali, ac ex certa scientia. Fundamentum hujus sententiæ est: quia (ut argumentatur Abbas, ibid.) verbum *confirmo*, alio non expresso, ex sui natura importat, ut rem faciat firmam; prout desumitur ex c. *Inter dilectos.* 6. § *Cæterum. de Fide instrument.* ubi loquendo de instrumento confirmatorio, dicitur: « Ut tamen intelligatur eo modo, quo magis posset valere. » Unde Glossa ibid. ℣. *Valere.* exinde notat, quod sic facienda sit interpretatio, ut res de qua agitur, magis valeat, quam pereat, c. *Abbate de Verb. signif.* cum concordantiis: et consequenter, stante dubio, videtur confirmatio esse specialis, et non mere data in forma communi; cum hæc parum, aut nihil valeat, bene tamen illa.

12. *Dummodo non præjudicet juri communi.* — Limitat tamen istud Abbas loc. cit. n. 5. et 6. dummodo confirmatio non sit contra jus. Nam in dubio non censetur aliquid concedi contra jus commune, nisi id specialiter exprimatur: ut c. *Nonnulli.* 28. *de Rescript.* juncto c. 1. *de Excessibus Prælat.* in 6.

13. *Opposita sententia asserens, in dubio censeri, confirmationem esse factam in forma communi, est communior et probabilior.* — Oppositam vero sententiam, sive quod in dubio censeri debeat, confirmationem esse factam in forma communi; ex professo tradit Barbosa in c. *De Confirmationibus.* n. 3. h. t. allegans Glossam penult. in l. *Ex verbis.* c. *de Donat. inter. vir. et uxor.* et Innocentium communiter receptum in c. *Dudum.* in fin. *de Decimis.*; Cardin. Tuschus litt. c. concl. 708, n. 2, ac seqq. Alexander, concl. 59. n. 8. lib. l. asserens, quod certa scientia non præsumatur, nisi probetur; Pirhing, h. t. n. 16. citans Decium ad rubric. h. t. n. 7; Gailus, lib. II. *Practic.* observat. 1. n. 17; et Jason l. *More.* n. 30. ff. *de Jurisdiction. omn. judic.* dicens cum aliis, quod in dubio præsumatur princeps confirmasse eo modo, quo potest de jure communi, non autem de plenitudine potestatis. Atque hæc sententia, sicut est communior doctorum, ita videtur probabilior, meritoque retinenda, saltem ubi agitur de præjudicio tertii. Accedit ratio, quia confirmatio ex certa scientia tunc censetur facta, quando vel istud exprimitur; ut cap. I. *de Constitut.* in 6. et c. *Si motu.* 23. *de Præbend.* in 6. vel saltem ea fit per principem cum notitia perfecta totius negotii, et omnium ejus circumstantiarum, juxta dicta n. 7. et 8. Atqui stante dubio, nullum horum habetur; ergo.

14. *Eadem probatur amplius. Concessio principis in dubio est interpretanda, ut nulli tertio irrogetur præjudicium.* — Deinde concessio principis in dubio, et nisi secus exprimatur, interpretanda est, ut nulli tertio irrogetur præjudicium, c. *Super eo.* 15. *de Offic. delegat.* estque amplius dictum lib. I. tit. III. *De Rescriptis.* n. 132.et 142. Atqui in proposito irrogaretur præjudicium tertio, si stante dubio intelligitur confirmatio facta ex certa scientia: nullum, si in forma communi, ergo. Et hinc in c. *Dudum.* 31. *de Decimis,* confirmatio Sedis apostolicæ simpliciter facta, accipitur de confirmatione in forma communi; ita, ut nulli tertio generetur præjudicium.

15. *Solvuntur rationes prioris sententiæ. Confirmatio actum ex se invalidum, non reddit validum; nisi is aliunde reddatur validus.* — Nec obstant rationes n. 10. in oppositum allatæ. Nam imprimis verbum, *confirmo,* reddit quidem actum firmum, sed juxta propriam naturam ipsius: ita videlicet, ut si actus a parte rei ante sit validus, firmior reddatur; saltem ex eo, quia plus solet timeri, quod singulariter confirmatur, arg. c. *Quanquam.* dist. 23. Non tamen verbum, *confirmo,* ex sui natura, et nisi aliud exprimatur, actum ex se invalidum reddit validum. Quin potius oppositum inde deducitur: nam quod non est, condemnari nequit; cum qualitas puta confirmatio, supponat subjectum. Intellige, nisi aliunde actus ille reddatur validus, nempe ex absoluta auctoritate principis: prout accidit in confirmatione speciali, sive facta ex certa scientia.

16. Ad cit. c. *Inter dilectos.* 6. *de Fide instrument.* dicitur, illud stare in oppositum; nam paulo inferius ejusmodi instrumentum confirmatorium Henrici (ut dicebatur) Imperatoris reprobatur, ibi: « Cum igitur privilegium Henrici confirmatorium tantum exti-

terit, si principale non tenuit, nec accessorium, quod ex eo, vel ob id dignoscitur esse secutum. » Nec urget ratio ibidem allata : accipiendo ly, « confirmo, » stante dubio, adhuc actus sustinetur, et valet, dummodo antea validus extiterit. Et quia hæc interpretatio minus præjudicat tertio, hoc ipso retinenda videtur : si enim princeps voluisset convalidare actum etiam cæteroquin invalidum, potuisset expressisse; prout in simili dicitur cap. II. § *Sed neque de Translat. episcop.*

17. *Prior, seu contraria sententia locum habet in confirmatione beneficii proprie dicti.* — Additur notanter n. 13. posteriorem sententiam merito esse retinendam, « saltem ubi agitur de præjudicio tertii. » Nam loquendo in casu, quo aliquid conceditur, seu concessum confirmatur ex mera liberalitate principis concedentis (hoc est, non ad præjudicium tertii, aut juris communis, sed vel ad nullius, vel ad concedentis duntaxat præjudicium; quod « Beneficium proprie, seu stricte sumptum » appellant) tunc prior Abbatis sententia locum habere poterit. Nam quod « Beneficia principum sint interpretanda largissime, » textus est in c. *Olim.* 16. *de Verb. signif.* et c. *Cum dilecti.* in 6. *de Donation.* et c. *Quamvis.* 4. *de Præbend.* in 6. atque ex professo declaratum est supra lib. I. tit. III. *De rescriptis.* § 5. n. 126. 128. et seqq. (ADNOTATIO XXVI.)

18. *Contra confirmationes Papæ nequit judex inferior judicare, etc.* — Quæritur III. Utrum de confirmatione per papam facta possit Judex inferior cognoscere? Resp. I. Contra confirmationes papæ super aliqua re, statuto, contractu, privilegio, sententia, aut hujusmodi facta, nullus inferior judex potest aliquatenus judicare, aut recognoscendo easdem immutare : nisi de speciali ejusdem mandato; aut nisi certum sit, confirmationem per falsi suggestionem fuisse elicitam. Ita textus in cap. I. et II. h. t. et ibi canonistæ communiter. Ratio est, quia ea, quæ per papam confirmata sunt, dicuntur papalia; juxta quod habetur c. *Si Apostolicæ. de Præbend.* in 6. ubi Pontifex inquit : « Cum provisio ipsius legati post impertitam a nobis auctoritatem nostra censeatur effecta. » Concordat textus in l. I. § *Sed neque.* c. *de Veteri jure enucleand.* referens Imperatorem sic loquentem : « Omnia etiam merito nostra facimus : quia ex nobis omnis eis imperitur auctoritas. » Atqui de judicio papæ, veluti Christi in terris vicarii, ac visibilis capitis Ecclesiæ nemini permissum est judicare, aut illius sententiam retractare, can. *Nemini est*, 17. q. 4. Nam ejus causas Deus suo judicio reservavit, can. *Aliorum.* 9. q. 3. cum similibus.

19. *Nisi de speciali Papæ mandato. Et quando Papa istud mandare soleat?* — Additur tamen in conclusione, « nisi de speciali ejusdem mandato. » Quia cum contingere possit, quod ad importunas, vel minus veras preces a papa aliquid obtineatur, aut concessum confirmetur in præjudicium, atque gravem læsionem alterius : isto recurrente ad eumdem papam, vel successorem ipsius, causæ illius examinatio solet ab eo committi rursus cuipiam sac. congregationi, aut alii judici delegato. Quanquam antea aliqua summaria cognitio justitiæ, et boni juris ex parte supplicantis, desuper haberi soleat; tum ut litigantium calumniis tempestive occurratur : tum quia princeps non debet aditum liti concedere, quam agnoscit esse injustam. Card. Luca, *De judiciis*, discurs. 20. n. 12. et 14.

20. *Clausulæ præjudiciales, quæ? Hæ claudunt in partibus, et ligant manus judicis, nisi concedatur aperitio oris.* — Atque istud etiam procedit non obstantibus « clausulis (ut in curia loquuntur) præjudicialibus, » quæ in litteris apostolicis quandoque apponi solent : uti sunt, decretum irritans, et clausula *Sublata*, etc. Quandoque de subreptione, vel obreptione, aut de defectu intentionis judicari non valeat; et hujusmodi. Etsi enim talium clausularum virtus, atque operatio sit, claudere os partibus, atque ligare manus judici : adeo, ut neutra illarum amplius audiri debeat, nec judex desuper judicare possit; et si secus attentetur scienter, aut ignoranter, nulliter agatur ex defectu jurisdictionis, quæ per papam virtute talium clausularum sublata censetur. Nihilominus, si antea debite petatur, atque concedatur aperitio oris adversus hujusmodi clausulas, tollitur rigor dictarum clausularum; et datur facultas impugnandi litteras apostolicas, non obstante confirmatione pontificia; licet idcirco non elidantur alii effectus. Barbosa, tract. *de Clausulis*, claus. 175. *Sublata*, et c. n. 6. post Rotam in Pacen. Pensionis. 20 novemb. 1609. coram Card. Marguemonio.

21. *Aperitio oris, a quo petenda? Ubi, et quomodo concedi soleat?* — Cæterum memorata aperitio oris adversus dictas clausulas præjudiciales, petenda est a summo pontifice in

signatura gratiæ. Barbosa cit. claus. 175. n. 3. Nec solet concedi, nisi prævia aliqua summaria cognitione justitiæ, et boni juris ex parte supplicantis, ob dicta n. 19. Unde aliquando simpliciter concedi solet, quandoque vero simpliciter denegari; teste Card. de Luca cit. discurs. 20. *de Judiciis*. n. 11. De facili tamen concedi solere dictam oris aperitionem, scribit Barbosa, loc. cit. n. 6. allegans alios; idque ex eo; tum ne clausulæ ejusmodi præjudiciales sint vinculum iniquitatis; atque propter ipsas jura partium maneant indefensa, et inaudita; tum quia oris aperitio non dicitur nova gratia, se tantum removet obstaculum, sicque sapit justitiam.

22. *Judex inferior potest procedere contra litteras confirmationis apostolicæ, quando sunt subreptitiæ.* — Additur ulterius in data n. 18. conclusione, « aut nisi certum sit, confirmationem per falsi suggestionem fuisse elicitam : » puta, quando de hoc constat, vel per evidentiam facti, vel per confessionem partis in judicio factam, ac hujusmodi; ut c. *Cum olim*. 24. *de Verb. signif.* cum similibus. Tunc enim judicem inferiorem posse procedere contra litteras confirmationis apostolicæ, aperte conceditur in c. *De appellationibus*. 2. h. t. Idque merito : tum ne Sedes apostolica quoquo modo videatur indulgere malitiis hominum, tum quia æquum est ut « mendax peccator carere debeat penitus impetratis, » per textum in c. *Super litteris*. 20. *de Rescript.* cum similibus.

23. *Potest etiam de litteris, etc., confirmationem Papæ continentibus, cognoscere incidenter.* — Resp. II. Etsi judex inferior de litteris, aliisve rebus confirmationem papæ continentibus, cognoscere non possit principaliter, juxta hactenus dicta : potest tamen de ipsis cognoscere incidenter. Ita Glossa fin. in c. *Cum venissent*. 12. et Abbas, ibid. n. 3. *de Judiciis ;* et alii. Idque probatur ex c. *Causa*. 9. *De in integr. restitut.* ubi in simili casu delegati ab ordinariis, qui administrationem non habent; super causa restitutionis, veluti ad majores Judices pertinente, « cognoscere nequeunt, nisi coram eis mota fuerit incidenter. » Concordat textus in l. *Quoties*. c. *de Judiciis :* Ubi judex, qui de causa status principaliter cognoscere non valet, potest istud incidenter.

24. *Idque exemplificatur.* — Declaratur conclusio inductione. Sic, ubi v. g. privilegium a papa confirmatum, ab una parte producitur contra aliam, potest judex inferior illud inspicere, ac videre, utrum sit vitiosum, vel subreptitium, nec ne. Abbas cit. n. 3. vers. *Aut quæritur, numquid inferior*. Item, si constet esse legitimum, et verba talis privilegii sint clara, seu manifesta, poterit judex inferior dicere, quod obstet, vel non obstet privilegium. Glossa fin. in d. c. *Cum venissent. de Judic.* istud probans ex c. *Accepimus*. 4. *de Fide instrument.*

25. *An privilegiatus a Papa, sit capax privilegii, potest judex inferior cognoscere.* — Insuper quando quæritur solum, an privilegiatus a papa, sit capax talis privilegii, potest judex inferior desuper cognoscere : quia tunc potius cognoscit de privilegiato, quam de privilegio per papam confirmato. Abbas loc. cit. istud inter alia probans ex c. *Super litteris*. 20. *de Rescript.* Ubi delegato datur potestas cognoscendi super capacitate impetrantis rescriptum ad lites, per simplicitatem exprimendo falsitatem, vel occultando veritatem de jure exprimendam.

26. *Non valet confirmatio papalis, quam religiosus super prioratu, vel administratione perpetuo possidenda obtinuit.* — Alius talis casus habetur in c. *Ad nostram*. 5. et c. *Porrecta*. 6. h. t. ubi non valet confirmatio papalis, quam religiosus super prioratu, vel alia administratione perpetuo, quoad vixerit, possidenda obtinuit. Quia vel in ea non fit mentio, quod impetrans sit religiosus et confirmatio est subreptitia: vel dicitur, impetrantem esse religiosum? et litteræ confirmationis sunt falsæ; cum tales, veluti perfectæ obedientiæ, et paupertati religiosorum præjudiciales; Sedes apostolica non soleat concedere. Unde hujusmodi litteras sub nomine papæ sibi porrectas, jubetur ibidem episcopus recognoscere, ac de ipsis judicare.

27. *Judex inferior, videns actum a Papa confirmatum in forma communi, fuisse invalidum, potest incidenter pronuntiare, confirmationem illam esse invalidam.* — Ulterius, quia per confirmationem in forma communi concessam a papa, non tribuitur novum jus, sed supponitur actus jam antea validus : si judex inferior videat actum, qui a papa confirmabatur in forma communi, secundum se nullum fuisse, atque invalidum; potest per consequens accessorie, atque incidenter pronuntiare, ipsam etiam confirmationem papalem esse invalidam. Pirhing, h. t. n. 15, post Suarez, lib. VIII, *de Legib.* cap. XVIII. n. 2. Unde quando aliquis rei litigiosæ confirmationem in forma communi a Sede apostolica

impetravit, potest judex de re illa, num fuerit litigiosa, cognoscere, hocque deprehenso in causa procedere : nam confirmatio illa non valebat, neque aliquid novi juris tribuebat, cap. I. h. t. Similiter litteræ confirmationis super sententia, a qua fuerat appellatum, tacita appellatione impetratæ non valent, neque confirmant sententiam latam, c. *Bonæ memoriæ*. 3. h. t. Idemque dicendum de similibus.

28. *Innovatio privilegiorum, et aliorum instrumentorum potest fieri, ne vetustate corrumpantur.* —Quæritur IV. Quid sentiendum sit de innovatione privilegiorum, aliorumque instrumentorum? Resp. I. Privilegia, et alia instrumenta antiqua possunt renovari, ne nimia vetustate corrumpantur; aut si ex alia rationabili causa timendum sit, ne pereant, sicque fortuitis casibus subtrahatur probandi facultas, et veritas occultetur. Ita habetur decisum c. *Cum dilecta*. 4. h. t. Idque per extensionem extensivam deducitur ibidem ex legibus civilibus, quibus ob rationes prædictas conceditur, etiam lite non contestata testes valetudinarios, et alios, de quibus ex aliqua rationabili causa timetur, ad testimonium admittere; ne videlicet ob eorum mortem, aut diuturnam absentiam, probandi facultas subtrahatur, et veritas occultetur.

29. *Ea tamen jus novum non tribuit, sed conservat duntaxat antiquum.* — Resp. II. Nihilominus per innovationem privilegiorum, aut aliorum instrumentorum, jus novum non acquiritur, neque antiquum confirmatur; sed tale jus antiquum duntaxat (si quod erat) conservatur. Ita cit. c. *Cum dilecta*. 4. h. t. juncto summario, et doctoribus ibid. Unde minus est, innovatio privilegii, quam ejus confirmatio : per hanc enim, etiam in forma duntaxat communi factam, major aliqua firmitas, atque auctoritas confertur actui : non sic per innovationem, utpote quæ nihil juris, aut majoris firmitatis de novo tribuit, sed solum deservit ad faciliorem probationem ejus, quod in privilegio olim concesso continebatur.

30. *Conclusio totius libri.* — Et hæc dicta sufficiant in librum secundum *Decretalium*, cedantque ad Majorem Gloriam Dei, qui est Benedictus in sæcula. Amen. (ADNOTATIO XXVII.)

LIBER TERTIUS

DECRETALIUM

PRÆFATIO.

Postquam in primo libro *Decretalium*, præmissis quatuor titulis, tum de sanctissima trinitate, utpote fonte atque origine omnis sapientiæ et justitiæ, tum de constitutionibus, rescriptis et consuetudine, veluti generalibus juris principiis, actum fuisset de prælatis et judicibus ecclesiasticis eorumque institutione et auctoritate : in secundo libro *de Judiciis*, quibus præsunt, seu de Processu judiciario, ipsumque concernentibus : subnectuntur tres alii libri, in quibus tractantur materiæ et causæ, quæ in ecclesiasticis judiciis tractari et agitari solent. Hæ autem aut criminales sunt; de quibus agitur in quinto libro *Decretalium*, agendo de vitiis, et pœnis eorum : aut civiles, quarum appellatione comprehenduntur etiam causæ spirituales atque ecclesiasticæ, in quibus non criminaliter, seu ad publicam vindictam ob crimen infligendam; sed civiliter atque ad privatum interesse super re, vel jure aliquo contenditur. Hujusmodi vero causæ vel concernunt personas ecclesiasticas earumque res aut ecclesias : et de his tractat iste tertius liber; aut personas sæculares, seu laicas; uti sunt sponsalia, et matrimonium, eorum statui proprium, de quibus in quarto libro agitur.

Igitur in hoc tertio *Decretalium* libro tractatur de clericis horumque obligationibus et rebus; puta beneficiis, decimis, ac hujusmodi, simul et de ecclesiis, atque pertinentibus ad istas. Et quia clerici in genere, alii sunt sæculares, alii regulares : de clericis sæcularibus incipit præsens liber tractare, et varia, quæ ipsos, nec non et beneficia resque ecclesiasticas eorum curæ commendatas concernunt, per priores 30 titulos resolvit. De clericis autem regularibus a 31 titulo tractare incipit : atque circa finem a titulo 40 et deinceps tractat ea, quæ ecclesiarum consecrationem, sacramentorum administrationem, venerationem sanctorum, jejuniorum observantiam, immunitatem ecclesiarum, et alia hujusmodi concernunt; prout amplius tum in textus juris, tum in progressu patebit. Unde pergendo in nomine Domini, sit.

TITULUS I.

De vita et honestate Clericorum.

1. *Ratio præcedentiæ præsentis tituli.* — Tractaturus Compilator juris canonici in hoc libro *De Clericis*, ante omnia præmittendam censuit rubricam, De vita et honestate Clericorum, utpote quæ potissimum in clericis requiritur; cum hi, veluti lucernæ positæ super candelabrum, toti populo vel maxime vitæ, morumque honestate, prælucere, necesse habeant. Quod ut melius intelligatur, sit :

§ I.

DE NOMINE ET DIGNITATE CLERICORUM.

2. *Clerici, unde sic dicantur?* — Quæritur I. Unde clerici sic dicantur; et quæ sit dignitas clericatus? Resp. I. Clerici, juxta Isidorum, relatum in can. 1. dist. 21. sic appellantur a græca voce, κλῆρος et *Sors* latine, seu

hæreditas dicitur. Et « propterea dicti sunt clerici, quia de sorte Domini sunt, vel quia Domini partem habent. » Hæc ibi. Voluit enim Deus ex toto Populo fideli aliquos sibi specialiter eligere, qui essent sors, seu pars, ac hæreditas ipsius peculiaris, quæ abjectis curis sæcularibus uni DEO prorsus vacaret, ejusque servitio, ac cultui penitus intenderet.

3. *Et qui sint? Duo sunt genera christianorum; et quæ?* — Unde clerici bene describuntur, dicendo: clerici sunt homines christiani, qui a negotiis, curisque sæcularibus remoti, servitio, cultuique divino specialiter sunt deputati. Nam, ut can. *Duo sunt genera.* 12. q. 1. legitur, « Duo sunt genera christianorum. Est autem unus genus, quod mancipatum divino officio, et deditum contemplationi, et orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit. — Aliud vero genus est christianorum; ut sunt laici. Λαὸς enim græce, est *populus* latine. His licet temporalia habere, sed non nisi ad usum (id est, non ad abusum, ut explicat Glossa ibidem). Nihil enim miserius est, quam propter nummum, Deum offendere. His concessum est, uxorem ducere, terram colere, inter virum et virum judicare, causas agere, oblationes super altari apponere, decimas reddere: et ita salvari poterunt, si vitia tamen benefaciendo evitaverint. » Hæc ibi.

4. *Clericatus est dignitas et honor.* — Resp. II. Clericatus est dignitas, et honor. Textus est in can. *Denique*, dist. 4. ibi. « Sacerdotes, et diaconi, et reliqui omnes, quos dignitas ecclesiastici gradus exornat. » Concordat can. *Admittuntur.* dist. 54. et can. *Reperiuntur.* 1. q. 1. cum similibus: fateturque Imperator in l. *Officiales.* c. *de Episcop. et Cleric.* illis verbis: « Ad clericatus honorem putaverint transeundum. » Id ipsum habetur l. *Atrocem.* c. *de Injuriis*, ibi: « Cum esses in sacerdotio, et dignitatis habitum et ornamenta præferres: » cum similibus. Ratio est: quia clerici specialiter in sortem domini vocantur, divinisque ministeriis per susceptionem sacrorum ordinum deputati existunt: adeo, ut soli in altari ministrare, atque jurisdictionem ecclesiasticam ligandi, et solvendi, a Christo Domino Ecclesiæ suæ concessam, *Matth.* XVIII, 18. et *Joan.* XX, 23. exercere valeant. Qua de causa clerici, ad differentiam laicorum, *de sacrato Catalogo* esse dicuntur in synodo septima, c. 13. ac refertur can. *Quoniam.* 19. q. 3. Hinc ulterius.

5. *Clerici specialibus merito supra laicos privilegiis, et prærogativis honorantur.* — Resp. III. Clerici omnes, ac personæ ecclesiasticæ, utpote divinis obsequiis specialiter mancipati, et in dominicis castri super alios positi, specialibus merito supra laicos privilegiis, ac prærogativis honorantur. Patet istud non solum ex sacris paginis utriusque Testamenti, verum etiam ex utroque jure, varia idcirco privilegia, et prærogativas clericis impertiente: ut l. *Omnis a Clericis.* et seqq. c. *de Episcop. et Cleric.* et can. *Generaliter.* 16. q. 1. cum innumeris concordantiis. Quia enim clerici præ laicis in sortem Domini vocantur, et potestatem celebrandi officia divina ministrandique in alteri, per receptionem sacrorum ordinum divinitus acceperunt, *Matth.* XVIII, 18. et *Joan.* XX, 23. quis neget, eos præ laicis esse reverendos? Cum etiam gentiles, quantumvis veræ fidei lumine destituti, hoc ipsum sacerdotibus suis esse præstandum censuerint, ut *Genes.* XLVII, 22. et can. *Sacerdotibus.* 11. q. 1. et c. *Non minus; de Immunit. Eccles.* et alibi.

6. *Clerici, ac præsertim sacerdotes, sunt patres et magistri populi. Imo et ipsorum regum ac principum. Constantini Magni notabile dictum pro sacerdotibus et monachis.* — Accedit, quod clerici, ac præsertim sacerdotes, dicantur, et sint patres, et magistri populi, can. *Sacerdotes.* 6. q. 1. et can. *Nolite*, dist. 21. Imo et ipsorum regum, ac principum, can. *Quis dubitet*, dist. 96. Ubi Gregorius VII. ita cuipiam rescripsisse legitur: « Quis dubitet, sacerdotes Christi, regum, et principum, omniumque fidelium patres et magistros censeri: » Concordat textus in can. *in Scripturis.* eod. dist. 96, ubi idcirco Constantinus Magnus imperator dixisse refertur: « Vere, si propriis oculis vidissem sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui monastico habitu circumamicti sunt, peccantem, chlamydem meam expoliarem, et cooperirem eum, ne ab aliquo videretur. » Hæc imperator.

7, *Clericorum dignitati, nulla sæcularis est similis. Sacerdotes in sacra Scriptura aliquando dii, aliquando angeli vocantur.* — Quinimo ratione suæ potestatis divinitus acceptæ, ea est clericorum, ac præsertim sacerdotum dignitas, atque præstantia, ut nulla sæcularis ei similis existat, can. *Duo sunt quippe*, dist. 96. Ubi sacra auctoritas pontificum, regali potestati comparata, longius hanc excedere legitur, quam si plumbi metallum ad

auri fulgorem comparetur. Quinimo in ipsis « sacris Eloquiis sacerdotes aliquando dii, aliquando angeli vocantur, » prout habetur, ac pluribus ostenditur can. *Sacerdotibus*, 11, q. 1, et can. 1, dist. 17.

8. *Et in quo sensu appellentur dii.* — Porro sacerdotes appellantur *Dii* participative solum, seu quatenus participant aliquid Divinitatis per excellentiam virtutis, atque potestatis sibi a Deo communicatæ. In quo sensu *Exod.* VII, 1, dictum fuit Moysi : *Ego constitui te Deum Pharaonis.* Concordant dicta superius lib. I. tit. 1. *de Summa Trinitate.* § 5, n. 84.

9. *Populus debet esse divisus a clero, quando celebrantur divina mysteria.* — Unde, quod populus debeat esse divisus a clero, quando celebrantur divina mysteria, neque tempore Missæ celebrandæ laicis permissum sit, in loco clericorum (quod *Presbyterium* nuncupatur) consistere : textus est in can. *Sacerdotum. de Consecrat.*, dist. 2, et cap. I, h. t. Adeo, ut sanctus Ambrosius episcopus Theodosium imperatorem, intra cancellos altaris communicare volentem, inde excluserit, dicens : « Purpuram imperatores, non sacerdotes efficere. » Nicephorus lib. XII, *Histor. Ecclesiast.* cap. XII. et alii. (ADNOTATIO XXVIII.)

10. *Clericorum nomen bifariam accipitur et quomodo?* — Quæritur II. Quot modis *Clericorum* nomen accipiatur; quique eo comprehendantur? Resp. I. *Clericorum* nomen bifariam accipitur, large videlicet, seu generaliter; et stricte, seu specialiter, magisque proprie. Ita Barbosa, lib. I. *Jur. Ecclesiast. univers.* cap. XXXIX. n. 1. et seqq. et communis; idque patet declarando terminos. Et quidem large, seu generaliter loquendo *Clericorum* nomine veniunt omnes omnino personæ quæ in sortem Domini vocatæ, atque divinis officiis obeundis, verique Dei cultui ac servitio specialiter sunt deputatæ; sive dein talis deputatio fiat per susceptionem sacrorum ordinum, sive per professionem religiosam, arg. can. *Si quis suadente.* 17. q. 4. ibi : « In clericum, vel monachum, violentas manus injecerit. » Atque in hoc sensu etiam moniales, et religiosi conversi (quos alii appellant *Fratres Laicos*) clericorum nomine intelliguntur. Posteriori modo, seu magis specialiter, et proprie loquendo, clerici sunt, atque dicuntur illi soli, qui ordine aliquo ecclesiastico, vel saltem prima tonsura sunt initiati; sicque specialiter divinis ministeriis deputati, arg. can. *Cleros.* dist. 21.

11. *In materia favorabili nomen clericorum sumitur generaliter; ac prout comprehendit etiam prima tonsura initiatos et episcopos.* — Resp. II. In materia favorabili nomen *Clericorum* sumitur generaliter, ac prout comprehendit non solum prima tonsura, aut ordinibus sacris initiatos; sed etiam monachos, et regulares, imo et moniales cujuscunque religionis ab Ecclesia approbatæ. Ita Abbas cap. I. n. 9. *de Jurament. calum.*; card. Tuschus litt. C. concl. 377. n. 2. et seqq. Barbosa lib. I. *Jur. Ecclesiast. univ.*, cap. XXXIX, n. 2. ac seqq. et communis aliorum. Prior pars liquet ex can. *Cleros* dist. 21. et c. *Cum contingat.* 11. *de Ætate et qualit. præficiend.* Ubi non solum in sacris ordinibus existentes, sed etiam prima tonsura initiati, *Clericum* appellatione veniunt. Quia igitur favores sunt ampliandi, non est, ut quis eorum a tali favore excludatur, sive simplex clericus, sive curatus, aut canonicus, vel episcopus; ut can. *Si quis suadente.* 17, q. 4, cum similibus. Dummodo materia subjecta eisdem singulis sit adaptabilis, neque aliunde de contraria dispositione, seu alia mente legislatoris pateat.

12. *Imo et monachos, atque moniales.* — Altera pars, asserens, in materia favorabili nomine *Clericum* venire monachos, imo et moniales : desumitur ex cit. can. *Si quis suadente*, 17, q. 4. Ubi clerici, et monachi, in materia favorabili, totumque statum ecclesiasticum respiciente, æquiparantur. Et cum ibidem expressa mentio de monialibus facta non fuisset, nihilominus canonem illum etiam in monialibus procedere, postea declaratum fuit c. *de Monialibus.* 33. *de Sentent. excommun.* et consequenter in materia favorabili, suoque statui adaptabili, etiam moniales nomine *Clericorum* veniunt. Id ipsum desumitur ex cap. I. *de Jurament. calumn.* ubi prior constitutio, qua cavebatur, ut « nullus clericus jurare præsumat » (præstando videlicet juramentum calumniæ sine licentia superioris) per superiorem constitutionem, quæ est interpretativa, seu declarativa prioris, intelligitur etiam de abbatibus, monachis et sanctimonialibus : et consequenter hæ personæ veniunt nomine *Clericum* in materia favorabili, sibique adaptabili. Accedit ratio, desumpta ex nominis etymologia : quia clericus dicitur a *Cleros*, quod est *sors;* seu, quia clerici sunt in sortem Domini electi, can. *Duo sunt genera*, 12, q. 1. Atqui etiam

monachi, et sanctimoniales, per assumptionem religionis ab Ecclesia approbatæ, specialiter eliguntur in sortem seu partem Domini; ergo. Abbas cit. n. 9.

13. *Appellatione tamen monachorum non veniunt clerici sæculares, et cur? Sicut et appellatione monasterium, nunquam veniunt ecclesiæ sæculares.* — Appellatione *Monachorum* non veniunt clericis sæculares, ne quidem in materia favorabili; ut notat Abbas, cap. I. n. 9. *de Jurament. calumn.* Sylvester ℣. *Clericus.* 1. n. 2; Belletus, *Disquisit. clerical.* part. I. § 2. n. 9. et alii : ergo nec vicissim nomine *Clericum* venire debent Monachi, quamvis materia sit favorabilis. Resp. Concesso antecedente, negando consequentiam, et paritatem. Disparitas est, quia monachis competit etymologia nominis *Clericorum*, ut proxime dictum : e contra vero clericis sæcularibus non competit etymologia vocabuli *Monachus;* uti liquet ex can. *Placuit communi;* 16, q. 1. ubi legitur, quod juxta nominis interpretationem « dicitur *Monachus*, id est, unus tristis. » Unde eadem ratione (subdit Abbas cit. n. 9.) appellatione *Monasteriorum*, nequaquam veniunt ecclesiæ sæculares.

14. *In materia odiosa clericorum nomine soli inferiores clerici sæculares comprehenduntur; non autem episcopi, canonici, etc.* — Resp. III. Nihilominus in materia odiosa, sive strictæ interpretationis, nomine *Clericorum* soli inferiores clerici sæculares comprehenduntur; non autem episcopi, neque canonici, aut alii in dignitate ecclesiastica constituti : nisi secus exprimatur, vel aliunde de opposito constet. Ita Barbosa, cit. lib. I. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. XXXIX. n. 6. et seqq.; Bellettus, d. § 2. n. 4. 5. et seqq.; card. Tuschus, lit. c. concl. 377. n. 4. et seqq.; Fagnanus, c. *Bonæ memoriæ.* lib. I. n. 12. *de Postulat prælat.* et alii. Concordant dicta superius lib. I. tit. II. *de Constitutionibus.* § 17. n. 427. et seqq. et n. 433. et 436. ubi plura huc pertinentia videri possunt.

15. *Idque probatur.* — Conclusio hæc desumitur ex illa vulgata reg. 15. jur. in 6. *Odia restringi, et favores convenit ampliari.* Item ex reg. 49. eod. in 6. *In pœnis benignior interpretatio est facienda*, cum concordantiis. Accedit ratio : quia in materia restringibili, ubicunque species ponit aliquid ultra genus suum, tunc appellatione generis non venit illa species : atqui in episcopis, canonicis, et aliis in dignitate ecclesiastica constitutis ponitur, seu reperitur aliquid ultra genus suum; nempe qualitas superioritatis, præcellentiæ, seu dignitatis supra simplicem clericatum; ergo. Major est Abbatis, et Fagnani, ubi supra : atque desumitur tum ex c. *In generali.* 81. *de Reg. jur.* in 6. tum etiam ex l. *Item apud.* § *Hoc edictum.* ff. *de Injuriis;* ubi ea, quæ speciali nota digna sunt, nisi exprimantur, censentur omissa de industria.

16. *Atque declaratur inductione. Episcopi non comprehenduntur sub ulla sententia suspensionis, aut interdicti, nisi exprimantur.* — Id ipsum probatur, atque declaratur inductione. Sic imprimis episcopos, eorumque superiores in materia odiosa, seu pœnali, non comprehendi nomine clericorum, clare desumitur ex c. *Quia periculosum.* 4. *de Sentent. excommunicat.* in 6. ubi expresse declaratur, episcopos, et alios superiores prælatos, puta archiepiscopos, patriarchas et primates, non comprehendi sub ulla sententia suspensionis, aut interdicti, nisi de ipsis expressa mentio habetur : « propter executionem pontificalis officii, quod frequenter incumbit; » prout loquitur Pontifex ibid.

17. *Secus dicendum de pœna excommunicationis, et cur?* — Fatendum tamen, quod cit. c. *Quia periculosum. de Sentent. excommunic.* in 6. procedat quidem in pœna supensionis, et interdicti, de qua loquitur : non item in pœna excommunicationis; prout notat Glossa ibid. ℣. *Suspensionis*, et Ancharanus n. 1. post Innocentium, Hostiensem, Joan. Andream, Pirhing, eod. tit. n. 196. et alii. Unde episcopi non sunt liberi a pœna excommunicationis generaliter lata a canone, vel alias : ipso jure inflicta percussoribus clericorum, can. *Si quis suadente.* 17. q. 4. et cap. I. juncta Glossa ℣. *Prælatus de Homicid.* in 6. et c. *Sciant cuncti.* 12. *de Election.* in 6. cum similibus. Ratio disparitatis est : quia, licet excommunicatio pluribus bonis privet, quam suspensio vel interdictum? nihilominus « excommunicatio est medicinalis, non mortalis; disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non condemnat, » uti loquitur textus cap. I. *de Sentent. excommun.* in 6. ac proinde nunquam infligitur ad certum tempus; sed præstita satisfactione, atque emenda, protinus relaxari, seu absolvi debet. Secus accidit in suspensione, quæ nonnunquam infligitur ad certum tempus, puta ad triennium; ut cap. I. § fin. *de Election.* in 6. et c. *Cupientes.* 16. § *Cæterum.*

eod. in 6. cum similibus. Atque idcirco, quod Papa noluerit episcopos etiam quoad pœnam excommunicationis in cit. c. *Quia periculosum.* 4. *de Sentent. excommunic.* in 6. quinimo ex littera ipsius subtrahendum censuerit ly, *Excommunicationis*, quod in prima editione jam fuerat positum : notat Glossa ibid. ℣. *de Episcopis*, et Joan. Andreas in d. c. *Quia periculosum*, citans Hostiensem.

18. *Canonici, et alii in dignitate ecclesiastica constituti, nomine clericorum in materia odiosa non comprehenduntur.* — Deinde, quod canonici, et alii dignitate ecclesiastica constituti, non *Clericorum* absolute posito, et in materia odiosa, non comprehendantur; probat Fagnanus cit. n. 12. ex c. *Sedes apostolica.* 15. *de Rescriptis :* ubi dicitur, quod « Majores et digniores personæ sub generali clausula non intelligantur includi : et amplius declarat Glossa ibid. ℣. *Majores.* Accedit alius textus valde notabilis in c. *Statutum.* 22. *de Election.* in 6. ubi in materia pœnali et odiosa, appellatione ecclesiæ parochialis, et assumptorum ad eam, non veniunt ecclesia collegiata, et assumpti ad ipsius regimen (id est, canonici ejus) etiamsi sit parochialis : idque propter eminentiam, quam habent canonici supra alios clericos; et quia canonici habent qualitatem collegii supra curam, ut addit Abbas ad rubric. h. t. n. 12.

19. *Neque religiosi utriusque sexus : nisi exprimantur.* — Resp. IV. Insuper in materia odiosa nomine *Cleri* non comprehenduntur religiosi utriusque sexus : nisi istud exprimatur, vel ex subjecta materia, aliisque circumstantiis secus appareat. Ita Abbas c. *Non amplius.* n. 3. et Fagnanus, ibid. n. 7. *de Institut.* qui asserunt, quod nomine *Clericorum*, seu ecclesiarum, non veniant monachi, seu ipsorum monasteria, in stricta materia : alias secus. Suarez, disp. 32. *de Censuris.* sect. 2. n. 17; Layman, lib. I. *Theol. mor.* tract. V. part. IV. cap. IV. n. 3. cum aliis docens, quod interdicto clero, non censeantur interdicti religiosi utriusque sexus, nisi exprimantur, vel ex materia subjecta, vel causa ferendi, aliisque circumstantiis contrarium appareat; contra Navarum cap. XXVII. *Manual.* n. 167. et Covarruviam c. *Alma.* part. II. § 1. n. 8. ℣. *Quinto his addendum*, qui volunt, interdictum cleri comprehendere religiosos. Ratio conclusionis est : qui in jure canonico passim ista ponuntur, tanquam diversa : ut can. *Si quis suadente.* 17. q. 4. et c. *Super specula.* 10. *Ne clerici vel monachi*, etc. juncta rubrica ibid. Quod ipsum alibi sæpius contingit, ac præsertim libro III. *Decretalium;* ubi ista clare non ponuntur tanquam diversa, agendo in prioribus titulis *de Clericis*, et tit. XXXI. ac seqq. specialiter tractando *de Regularibus*, ergo in materia, saltem odiosa, nomine clericorum non veniunt religiosi, nisi exprimantur, vel ex subjecta materia secus appareat. Cæterum, qui omnes nomine *Regularium* comprehendantur, commodius dicetur infra tit. XXXI. *de Regularibus, et transeuntibus ad religionem*, inscripto : solummodo de eremitis remanet specialis difficultas; unde

20. *Eremitæ, an veniant nomine clericorum? Eremitæ, qui antiquitus?* — Quæritur II. Utrum eremitæ veniant nomine clericorum? Ubi prænotandum, quod antiquitus eremitæ dicebantur, qui primo in solitudine, sive eremo habitabant, ibique duriter, subducto cibo, et in omni rerum asperitate corpus exercendo, sub obedientia episcoporum virtuosæ vitæ studebant. Et horum vita commendatur in concilio Chalcedonensi, relato in can. *Qui vere.* 16. q. 1. illis verbis : « Qui vere pureque solitariam eligunt vitam, digni sunt convenienti honore. »

21. *Anachoretæ, quid?* — Atque hujusmodi eremitæ differebant ab anachoretis, et cœnobitis. Nam anachoretæ proprie erant illi, qui sine certa habitatione per deserta vagantes, ne a populis inviserentur, ibi quiescebant, ubi nox ipsos invenisset. De quibus fit mentio in Auth. *de Monachis.* § *Cogitandum.* juncta Glossa ℣. *Anachoretas*, collat. I. ibi : « Quos vocare anachoretas, id est, discendentes, et hesychastas, id est, quiescentes, consueverunt. »

22. *Cœnobitæ ac cœnobium, quid?* — Porro *Cœnobitæ* appellabantur illi, qui simul viventes in cœnobiis, seu monasteriis, monachalem vitam ducebant. Et dicebantur *Cœnobitæ*, id est, simul viventes : unde originem traxit ly *Cœnobium*, sive locus religiosorum communem vitam ducentium; de quo fit mentio cap. II. § 1. *de Ordine cognit.* Et hi omnes generali nomine vocabantur *Monachi*, id est, soli : quamvis magis proprie istud nomen sortirentur, qui in eremis, seu solitudinibus habitarunt; ut can. 1. caus. 16. q. 1. et can. *Si cupis.* et can. *Placuit communi*, 16. q. 1; Barbosa, lib. I. *Jur. ecclesiast. univ.*, cap. XLI, n. 13. et seqq. Atque ita procedunt juxta antiqua tempora.

23. *Eremitæ præsentis temporis, sunt in*

triplici differentia. — Verum loquendo pro statu præsentis temporis, est distinguendum inter eremitas. Nam aliqui horum emittunt tria vota substantialia cujuspiam religionis, ab Ecclesia approbatæ : et de his fit mentio in cap. un. § fin. juncta Glossa ℣. *Licentia de Excessib. prælat.* in 6. ubi permittitur religiosis mendicantibus, quod de licentia prælatorum suorum possint vitam eremiticam eligere. Alii vero, quamvis non sint professi alicujus religionis per emissionem trium votorum substantialium ; tamen auctoritate episcopi fuerunt deputati pro servitio alicujus ecclesiæ, vel oratorii, atque de manibus episcopi susceperunt habitum eremiticum, et sub illius obedientia vivunt : prout multos se vidisse in statu ecclesiastico, et alibi, refert Fagnanus, c. *Nullus*, n. 61. *de Foro compet.* Tandem nonnulli sunt eremitæ, qui non sunt deputati servitio cujuspiam ecclesiæ auctoritate prælati ecclesiastici, sed voluntarie suscipiunt, atque pro libito suo deferunt habitum eremiticum. Quibus prænotatis.

24. *Eremitæ quamdam religionem professi, etc., veniunt nomine clericorum.* — Resp. I. Certum est, quod eremitæ quamdam religionem ab Ecclesia approbatam sub emissione trium votorum substantialium professi, in materia favorabili veniant nomine clericorum ; sicque gaudeant privilegio fori, et canonis, cum similibus. Ratio est clara : quia tales eremitæ sunt veri, et proprie dicti religiosi ; ut cit. cap. un. *de Excessib. prælat.* in 6. et c. *Privilegium.* 4. *de Verb. signif.* in 6. In quo posteriori loco monachi, sive fratres in cellis ad monasterium aliquod spectantibus residentes « hoc est, loca secreta et solitaria, quæ ab hominum separata convictu, aut ad contemplandam, et Deo vacandum specialiter deputata, inhabitantes, » non solum reputantur veri religiosi, sed etiam singulari donantur privilegio exemptionis.

25. *Idem dicendum de eremitis, qui de manu episcopi receperunt habitum eremiticum pro servitio alicujus Ecclesiæ.* — Resp. II. Illi etiam eremitæ, qui, licet non sint professi cujuspiam religionis, tamen de manu episcopi receperunt habitum eremiticum, atque sub ejus obedientia vivunt deputati pro servitio alicujus ecclesiæ, vel oratorii, censentur personæ ecclesiasticæ ; sicque in favorabilibus veniunt nomine clericorum. Ita Glossa can. *Qui vere.* 16. q. 1. ℣. *Vero*, asserens, quod eremitæ privilegium clericorum habeant, licet non renuntient propriis. Fagnanus cit. c. *Nullus.* n. 61. *de Foro compet.* post Cardinal. in Clem. *Per litteras.* n. 9. *de præbend.* Anton. de Butrio consil. 19. n. 19. vers. *Unde ex hoc* et alios. Idem tradit Innocentius c. *Cum monasterium.* 13. *de Election.* dicens, quod, « licet eremitæ possint habere proprium, quia non abrenuntiant, tamen ecclesiasticæ personæ sunt, etc. Quod ipsum tradit Joan. Andreas c. *Cum Monasterium.* n. 12. *de Election.* et Aloys. Riccius in *Praxi*, part. II. resol. 149. n. 1. allegans plurimos alios ; atque asserens, esse communem doctorum, quod hujusmodi eremitæ gaudeant privilegio fori ; et si delinquant, remittendi sint ad judicem ecclesiasticum.

26. *Hujusmodi vita eremitica, non est mere laicalis, sed ecclesiastica.* — Conclusio hæc desumitur ex cit. can. *Qui vere.* 16. q. 1. Ubi dicitur, quod veri eremitæ (ut puta, recepti auctoritate episcopi, etc.) « Digni sunt convenienti honore : » sicque præferuntur personis mere laicalibus. Accedit, quod can. ult. § *Item Joannes.* 2. q. 7. dicatur, sanctum Joannem Baptistam duxisse vitam eremiticam ; ergo hæc non est vita mere laicalis, sed ecclesiastica. Idem amplius probatur ex can. *Duo sunt genera.* 12. q. 1. Ubi illud christianorum genus reputatur inter clericos, « Quod mancipatum divino officio, et deditum contemplationi, et orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit. » Atqui his enumerantur eremitæ, recepti auctoritate episcopi loci ad servitium cujuspiam Ecclesiæ, vel oratorii ; ergo.

27. *Idem dicendum de tertiariis, religionum, quando sub obedientia prælatorum inserviunt ordini, aut Ecclesiæ.* — Et quæ hactenus dicta sunt de eremitis, ex manibus episcopi habitum eremiticum recipientibus, atque sub ejusdem obedientia servitio cujuspiam ecclesiæ, vel oratorii incumbentibus : procedunt pariter de tertiariis, seu de illis, qui habitum tertiæ regulæ cujuspiam ordinis de manu prælatorum regularium, ad hoc auctoritate pontificia facultatem habentium recipientes, sub ejusdem, vel episcopi loci obedientia vivunt, atque ordini, vel alteri ecclesiæ inserviunt ; quamvis tria vota substantialia religionis non emittant, atque idcirco proprium habere possint. Ratio est, quæ supra. Accedit, quod tales eremitæ, etsi non sint proprie religiosi, ob defectum votorum substantialium, profiteantur nihilomi-

nus aliquem vivendi modum ab Ecclesia permissum, imo et approbatum : ergo, cum deferant habitum eremiticum, legitima auctoritate a prælatis ordinis sibi concessum, atque a secularium vestibus patenter distinctum ; simulque ordini, vel Ecclesiæ inservientes, divinis officiis specialiter sint mancipati, nequeunt censeri esse professionis mere laicalis ; sicque in materia favorabili veniunt nomine clericorum, gaudentque privilegio tum fori, tum canonis.

28. *Secus dicendum de eremitis, qui sine auctoritate prælatorum, voluntarie deferunt habitum eremiticum.* — Resp. III. E contra eremitæ illi, qui non sunt professi quamdam religionem, neque deputati Ecclesiæ servitio auctoritate prælati ecclesiastici, sed voluntarie suscipiunt, atque ad libitum deferunt habitum eremiticum, neutiquam sunt personæ ecclesiasticæ ; nec ullo modo gaudent privilegio clericali. Ita Joan. de Lignano in Clem. *Per litteras de Præbend.* asserens, quod sicuti eremitæ (hujusmodi videlicet) ex utero matris exierunt laici ; ita perseverent laici, et sub potestate imperatoris. Cardinalis in ead. Clem. *Per litteras.* n. 9 ; Riccius cit. resol. 149, n. 9 ; Fagnanus d. c. *Nullus.* n. 63. *de Foro compet.* citans alios atque asserens, in hoc convenire doctores. Ratio est, tum quia tales non sunt adstricti ulli regulæ, nec subsunt speciali ratione præ laicis episcopo loci, vel alicui superiori regulari ; neque ad ullum usum pium, sive ecclesiasticum auctoritate Ecclesiæ, hoc est, prælati facultatem habentis, sunt deputati. Quinimo vivunt sicuti locustæ sine rege, ut inquit Glossa can. *Qui vere.* 16. q. 1. ℣. *Vero.* vagantes hinc inde sine certo duce, atque etiam ad libitum recedentes : unde nihil eis supervenit, ex quo desinant esse meri laici, atque eripiantur a jurisdictione imperatoris; tum quia absurdum foret, quod tales pro sola voluntate sua possent se eximere a jurisdictione sæculari. Abbas c. *Nullus.* n. 10. et Fagnanus, ibid. n. 63. *de Foro compet.* cum aliis.

29. *Nisi alicubi vigeret contraria consuetudo.* — Fatendum tamen, quod si alicubi vigeret consuetudo, ut tales etiam eremitæ gauderent privilegio fori, aut hujusmodi, dicta consuetudo foret observanda : cum neque sit contraria legi divinæ, aut bonis moribus ; nec aliunde irrationalibus, vel a jure communi reprobata inveniatur. Fagnanus, loc. cit. n. 64. allegans alios, atque n. 70, declarationem cardinalium sac. concilii Tridentini interpretum desuper factam adducens.

§ II.

DE HONESTATE VITÆ CLERICALIS IN GENERE, ET QUOAD NONNULLA IN SPECIE.

30. *Duplex in clericis requiritur vitæ honestas, interior et exterior.* — Quæritur I. Ad quam generatim vitæ, morumque honestatem clerici obligentur ? Resp. I. Generatim loquendo, duplex in clericis requiritur vitæ honestas, interior videlicet, ac exterior. Harum prior consistit in munditia cordis, atque interno cœlestium virtutum exercitio, : nam clericos, utpote specialiter in sortem Domini vocatos, atque divino officio mancipatos, « convenit cessare ab omni strepitu temporalium, et deditos esse contemplationi, et orationi, » juxta textum can. *Duo sunt genera.* 12. q. 1. Concordat illud propheticum Isaiæ cap. LII, 11. *Mandamini, qui fertis vasa Domini*, cum similibus. Exterior autem honestas clericorum consistit præcipue in tribus ; videlicet in recta probitate morum, ac honesta conversatione ; in honesto, ac decenti habitu ; atque in debito, convenientique exercitio officiorum, et negotiorum statui suo convenientium, fugaque non convenientium : de quibus plura singillatim in progressu.

31. *Debentque quoad utramque laicos antecellere.* — Resp. II. Clerici, utpote specialiter vocati in sortem Domini, atque divinis obsequiis mancipati, et in castris dominicis supra alios positi, debent quoad utramque memoratam vitæ, morumque honestatem laicos antecellere. Textus est in can. *Beatus Petrus.* § *Infames.* 6. q. 1, ubi sanctus Petrus, apostolorum princeps, præcepisse legitur, « Cunctorum sacerdotum vita superiorem, sanctioremque, ac discretam a secularibus, et laicis hominibus esse. » Id ipsum, atque universaliter de omni gradu clericorum loquendo, habetur. c. *Qualis enim.* 8. q. 1. illis verbis : « Unde non solum episcopi, presbyteri, et diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui præsident, conversatione, sermone et scientia præcedant : verum etiam, et inferior gradus, exorcistæ, lectores, æditui, acolythi, et omnes omnino, qui domui Dei inserviunt. Quia vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores laicos esse, quam clericos ; » cum similibus.

32. *Afferuntur notabiles textus quoad hoc.* — Hinc concilium Tridentinum sess. 22. cap. I. *de Reform.* saluberrime decrevit in hæc verba : « Nihil est, quod alios magis ad pietatem, et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt : cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam speculum reliqui oculos conjiciunt, ex eisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum, præ se ferant : levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum dictiones cunctis afferant venerationem. » Hactenus concilium : quibus similia habet, sess. 25. cap. I. *de Reform.* et alibi.

33. Atque hæc procedunt non solum de clericis inferioribus, sed vel maxime in episcopis, aliisque prælatis ecclesiasticis. Nam, ut idem œcumenicum concilium, sess. 25. cap. I. *de Reform.* observat : « Totius familiæ Domini status, et ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. Etenim prælati debent esse duces gregis, et pastores, can. *Sciscitaris.* 7. q. 1. Atqui vita pastoris, debet esse exemplar subditis, can. *Cum pastoris.* 2. q. 7. Unde, qui præsunt, non ex locorum, vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debent, can. *Nos qui præsumus*, dist. 40. et l. *Si quempiam.* c. *de Episcop. et cleric.* Alioquin « vilissimus computandus est, nisi præcellat scientia, et sanctitate, qui est honore præstantior » prout inquit Symmachus papa, relatus can. *Vilissimus.* 45. caus. 1. q. 1.

34. Pulchre ad propositum sanctus Gregorius papa Homil. 7. *in Luc.* 10. sic loquitur. « Nullum puto, Fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium, quam a sacerdotibus tolerat Deus : quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit ; dare de se exempla pravitatis cernit ; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus : nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vocamus, terrena concupiscimus humanam gloriam intenta mente captamus, » etc. Hæc ille, pluribus in progressu deplorans miserandam quorumdam pastorum malitiam, qui quærentes, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, mercenarium agunt, veniente lupo fugientem ; non pastorem, oves sibi commissas in necessitate deferentem. Unde idem sanctus Gregorius papa Homil. 14. *in Evang.* sic ait : « Non pastor, sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit : terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reverentia lætatur : » cum similibus. Atque istud « maximæ malitiæ genus est, et plurimorum causa malorum, » teste sancto Chrysostomo Homil. 59. in *Joan.* Qua de causa æternum *Væ* talibus impiis, atque indignis pastoribus, imprecatur Dominus apud *Ezechiel.* XXXIV, 2. dicens. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges a pastoribus pascuntur ?*

35. *Vitæ honestas episcoporum describitur a divo Apostolo* ad Titum, I, 6 *et seqq.* — Resp. III. Integritatem vitæ, morumque honestatem, præsertim in episcopis requisitam, paucis complectitur sanctus Apostolus cap. I. *ad Titum*, scribens : *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem : non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum : sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, etc.* Atque de hisce virtutum prærogativis ad longum, et ex professo, agitur in Decreto Gratiani, dist. 40. 41. et seqq. Singulas hasce qualitates, specialiter in episcopis requisitas, pluribus conciliorum, atque sanctorum Patrum auctoritatibus exornando, et declarando.

36. *Quæ suo modo etiam in clericis inferioribus desideratur.* — Resp. IV. Prædicta virtutum ornamenta, licet specialiter requirantur in episcopis, veluti perfectionis magistris, suo tamen modo etiam in clericis inferioribus desiderantur. Ita communis. Unde idem Apostolus, cit. II, 5. *ad Titum* scribens, præcepit quidem, constitui per ipsum presbyteros, sed non nisi probos, omnique crimine carentes : *Ut constituat* (inquit) *per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi. Si quis sine crimine est, etc.* Idem I. *Timoth.* III, 8-10. loquens de diaconis, ait : *Oportet diaconos similiter esse pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia*

dura. Et hi autem probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes. Id ipsum requirunt passim sacri canones; ac novissime concilium Tridentinum, sess. 14. in procem. *de Reform.* et sess. 22. cap. I. *de Reform.* et sess. 23. cap. V. et seqq. *de Reform.* et alibi.

37. *Ea in exterioribus quoque clericorum moribus elucescere debet.* — Resp. V. Honestas vitæ clericalis etiam in exterioribus clericorum moribus elucescere debet. Sic quippe can. *Clericus.* dist. 41. in concilio Carthaginensi 4. cap. XLV. refertur statutum : « Clericus professionem suam et habitu, et incessu probet. » Unde, ut ibid. § *Sicut.* subjungitur, « In incessu debet esse sacerdos ornatus, ut gravitate itineris, mentis maturitatem ostendat. Incompositio enim corporis (ut Augustinus, Epist. 109. ait) inæqualitatem indicat mentis. » Huc facit illud æternæ Sapientiæ, *Ecclesiastici.* XIX, 26-28. generaliter de omnibus pronuntiatum : *Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo.* Patet proinde, quam necessaria sit clericis gravitas morum, atque honestas vitæ etiam exterioris : ne forte (quod absit) verificetur in ipsis illud propheticum *Isaiæ*, LIX, 8 *Non est judicium in gressibus eorum.* Sed potius, juxta monitum Apostoli I *Corinth.* XIV, 40. per ipsos clericos *omnia honeste, et secundum ordinem fiant.* Verum descendendo ad specialiora.

38. *Clerici, etiam minoristæ, tenentur caste vivere : alioquin per iudicem ecclesiasticum sunt puniendi, Dictio* Præsertim, *est implicativa.* — Quæritur II. Sub qua obligatione clerici teneantur caste vivere? Resp. I. Clerici non solum in sacris ordinibus constituti, sed etiam minoristæ, tenentur ab omni libidinis vitio abstinere, casteque vivere : alioquin per judicem ecclesiasticum pro merito culpæ sunt puniendi. Textus ex in c. *Ut Clericorum.* 13. h. t. quod est desumptum ex concilio Generali, seu Lateranensi, celebrato sub Innocentio III. et sic inter alia loquitur : « Clerici continenter, et caste vivere studeant universi, præsertim in sacris ordinibus constituti : ab omni libidinis vitio præcaventes. » etc. Et infra : « Statuimus, ut qui comprehensi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis, aut minus peccaverint, puniantur. » Ubi Abbas n. 2. ponderando ly, *præsertim in sacris ordinibus*, recte notat, textum illum etiam procedere in clericis minoristis : nam dictio, *præsertim*, est implicativa; atque ex propria vi, et natura implicat, idem esse in casu contrario (puta; quamvis clericus non sit constitutus in sacris) licet in illo fortior militet ratio. Everardus, loco 110. « a natura dictionum implicativarum. » n. 1. et seqq.; Barbosa, *Tract. de Dictionibus.* diction. 277. n. 1. et seqq. et alii.

39. *Differunt tamen minoristæ a clericis in sacris ordinibus constitutis, quoad obligationem servandi castitatem.* — Resp. II. Nihilominus quoad obligationem servandi castitatem, est notabilis differentia inter clericos in sacris ordinibus constitutos, et inter clericos minoristas. Ita Abbas cit. c. *Ut clericorum.* n. 2. h. t. et communis theologorum, atque canonistarum. Siquidem clerici minoristæ licite possunt, si voluerint, matrimonium inire, uxoremque ducere cap. I. et c. *Quod a te.* 3. *de Clericis conjugat.* et alibi : secus est in clericis constitutis in sacris. Deinde differunt in quantitate delicti : nam minus peccant (cæteris paribus) clerici minoristæ extra matrimonium violantes castitatem, quam clerici in sacris ordinibus jam constituti : eo quod illi peccent contra solam virtutem castitatis; hi vero etiam peccent contra virtutem religionis, ob annexum sacris ordinibus votum continentia. Quod ut melius intelligatur,

40. *Clerici in sacris constituti, tum illicite, tum invalide contrahunt matrimonium.* — Resp. III. Clerici in sacris ordinibus constituti tenentur ad servandam perpetuam continentiam, seu castitatem : adeo, ut non solum illicite, sed etiam invalide contrahant matrimonium. Ita communis : idque patet ex can. *Presbyteris.* dist. 27. et can. *Nullum facere.* ac seqq. dist. 28. et cap. I. et. IV. *de Clericis conjugat.* cum concordantiis; juncto concilio Tridentino, sess. 24. can. 9. oppositum damnante sub anathemate. Quinimo, si clericus in sacris constitutus præsumeret matrimonium contrahere, præter hujus nullitatem, aliasque pœnas idcirco debitas, etiam ipso facto excommunicationis sententiam incurreret. Clem. *Eos qui de consanguinit. et affinit.* Verum de hoc plura inferius. tit. III. *de Clericis conjugatis.*

41. *Tenenturque servare perpetuam continentiam, non solum ex motivo castitatis, sed etiam ex virtute religionis.* — Resp. IV. Clericis in sacris ordinibus constituti tenentur ad servandam perpetuam continentiam non solum ex motivo castitatis, ut cæteri homines extra legitimum matrimonium : sed etiam

ex virtute religionis, ratione voti castitatis jure ecclesiastico sacris ordinibus annexi. Ita Glossa c. *Cum olim.* 6. ℣. *Votum continentiæ. de Clericis conjugat.* istud, argumento a sensu contrario desumpto, probans per textum ibid. dicentem : « Nos attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit. » Glossam sequitur Abbas, ibid. n. 4. asserens, eam quotidie allegari in materia. Barbosa, part. II. *de Offic. et potest. Episcop.* allegat. 15. n. 2. citans alios : eamdemque sententiam in terminis tradit Scotus 4. dist. 25. q. 2. § *Hic breviter,* inquiens : « Quia susceptioni ordinis sacri annexum est votum continentiæ ; ut habetur extra. » c. *A multis. de Ætate et qualit.* Atque contra nonnullos alios, doctorem subtilem in contrariam sententiam trahere conantes, soluto horum fundamento, egometipse ex professo ostendi in *Theolog. moral.* tract. XIV. dist. 12. n. 27. 28. et 29.

42. *Infertur corollarium practicum.* — Infertur proinde, quod clerici in sacris constituti, ratione voti castitatis teneantur abstinere ab omni deliberata delectatione venerea, actuque tum interno, qui militat contra virtutem castitatis : uti sunt, non solum fornicatio, aut alius actus venereus ; sed etiam cogitationes venereæ, delectationes morosæ, aspectus impudici, vel tactus obscœni, etc. Unde, quidquid in sæcularibus extra legitimum matrimonium, est aliquo modo peccatum contra castitatem : id ipsum in memoratis clericis est etiam sacrilegium, ratione voti, adeoque habet duplicem malitiam : ita tamen, ut malitia sacrilegii sit mortalis in illis actibus, in quibus malitia libidinis est mortalis ; venialis vero, in quibus illa est venialis prout non raro contingit ratione inadvertentiæ, et imperfecti consensus. Lessius, lib. II. *de Just. et jur.* cap. XLI. n. 78. cum aliis ; et jam dixi in *Theolog. moral.* tract. V. dist. 3. n. 5.

43. *Accessus ad moniales alloquendas est prohibitus, præsertim clericis.* — Quæritur III. Qua ratione sit prohibitus, præsertim clericis, accessus ad moniales alloquendas ? Resp. De hoc extat peculiaris constitutio in c. *Monasteria.* 8. h. t. Ubi pro meliori observantia castitatis, ex utraque parte Deo promissæ, specialiter prohibeatur, ne « Monasteria sanctimonialium quisquam clericus sine manifesta et rationabili causa frequentare præsumat : » alioquin « per episcopum arceatur, et si non destiterit, ab officio ecclesiastico reddatur immunis. Si laici hoc ipsum facere præsumpserint, excommunicationi subdantur, et a cœtu fidelium fiant penitus alieni. » Ita concilium generale, seu Lateranense sub Innocentio III. cap. XI. quod refertur d. c. *Monasteria.* 8. h. t.

44. *Frequentare monasteria monialium, quis censeatur ?* — Circa quem textum ponderandum est ly, *frequentare :* siquidem in præsenti capitulo sola frequentia reprobatur, ut notat Glossa ibid. ℣. *Frequentare.* Subjungit tamen eadem Glossa, quod hujusmodi frequentatio videatur indici ex duabus vicibus, seu binis accessibus ad dicta monasteria monialium, harumque allocutionibus, arg. can. *Ita nos.* 25. q. 2. juncta Glossa, ibid. ℣. *Usum.* inde inferente, quod « duæ vices in criminalibus inducant consuetudinem. » Id ipsum tenent Stephan. Gratianus, *Disceptat. Forens.* 393. n. 17. cum nonnullis aliis, quos pro hac sententia allegat Barbosa in *Collectan.* ad cit. c. *Monasteria.* n. 7. et 8. h. t.

45. Verum, licet cæteroquin in criminalibus germinatio actus criminosi censeatur inducere consuetudinem, talem videlicet, quæ sufficit ad graviorem ejus punitionem ; ut jam dictum supra, lib. I. tit. IV. *De Consuetudine.* § 4. n. 121. et 124. nihilominus in proposito casu videtur melius dici, istius frequentiæ declarationem esse relinquendum arbitrio judicis, qui id dijudicabit pensatis aliis circumstantiis. Potest enim contingere, quod quis decem vicibus alloquatur monialem, et tamen non censeatur frequentare ejus alloquium ; puta, s iid fiat spatio trium, vel plurium annorum, semper interpolatim spatio trium, vel plurium mensium : e contra vero ille censeretur frequentare, qui tribus vicibus, diebus continuis, absque ulla manifesta et rationabili causa eam alloqueretur. Ludov. Miranda, tract. *de Sacris monialibus,* quæst. 4. art. I. concl. 1 ; Barbosa, ubi supra. n. 8. et part. III. *de Offic. et potest. Episcop.* allegat. 102. n. 70. post Navarrum in can. *Cum consideret.* n. 23. *de pœnit.* dist. 5 ; Pirhing h. t. n. 3. allegans Sanchesium, lib. VI. in *Decalog.* cap. XXXI. n. 100. et alios. Verum de hoc alibi : nam in cap. I. § 1. *de Statu Regular.* in 6. sub pari prohibitione etiam statuitur, ut « nulli aliquatenus inhonestæ personæ, vel etiam honestæ (nisi rationabilis, et manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia ingressus, vel accessus pateat ad easdem moniales, » ect. Estque hæc constitutio novissime

innovata per concilium Tridentinum, sess. 25. cap. v. *de Regular*. (ADNOTATIO XXIX.)

46. *Crapula, quid, et quam nociva?* — Quæritur IV. Qualiter, quibusque sub pœnis, clerici abstinere teneantur a crapula, et ebrietate? Ubi prænotandum, quod quidem hodie *Crapula* accipi soleat pro excessu in potu, minore tamen, quam sit ebrietas: proprie tamen, ac in sensu a sanctis Canonibus intento, sicut ebrietas excessum in potu, ita crapula, excessum in cibis significat. Hinc Glossa 1. in c. *A crapula*. 14. h. t. et Abbas ibid. n. 1. h. t. inquit, quod *Crapula*, dicitur immoderata voracitas ciborum. Et dicitur *Crapula*, quasi *Cruda epula*: quia homines ita voraciter epulantes, nimiamque ciborum superfluitatem assumentes, perfecte non digerunt, sed materiam indigestam emittunt. Et hanc ciborum immoderantiam pluribus perstringit S. Hieronymus, relatus can. *Ne tales*, et can. *Legimus*. *de consecrat*. dist. 5. Nec immerito: nam qui fœdius, quam hominem a bruti animalibus naturali quadam frugalitate contentis superari, dum ventris sui quasi mancipium agit, dum bona sua dissipat, valetudinem lædit, morbos accersit, ac vitam ipsam abrumpit; juxta illud *Ecclesiastici*, XXXVII, 33. *In multis escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit, usque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjicit vitam*: cum similibus.

47. *Ebrietas et ebriosus, quis?* — Cæterum Ebrietas refertur ad superfluitatem potus: et dicitur *Ebrietas*, ab *e*, quod est *sine*, et *bria*, quod est *mensura*: sicque est potus immoderatus causa voluptatis. Unde *Ebrius* dicitur, qui sine mensura bibit: hoc est, usque ad privationem usus rationis. Glossa loc. cit. Et ab hac nos revocare volens Salvator, *Lucæ* XXI, 34. præcepit, dicens: *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra a crapula, et ebrietate*. Et divus Apostolus *ad Ephes*. V, 18 *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*: cum concordantiis. Idque præcipue esse observandum clericis, utpote in sortem Domini specialiter vocatis, patet ex sacris canonibus, gravissimas pœnas in transgressores statuentibus; uti patet ex can. 41. *Apostolorum*. et can. ult. dist. 35. et alibi. Quo prænotato.

48. *Clericis a crapula, et ebrietate abstinendum est; alioquin, si moniti non abstineant ab officio vel beneficio suspendendi sunt*. — Resp. I. Adeo clericis a crapula, et ebrietate abstinendum est, ut si quis eorum transgressor fuerit, et monitus non desistat, ab officio, vel beneficio, per superiorem suspendendus sit. Textus est in c. *A crapula*. 14. h. t. ubi relatum concilium generale penetranter sic præcipit: « A crapula, et ebrietate, omnes clerici diligenter abstineant: unde vinum sibi temperent, et se vino. Nec ad bibendum quispiam incitetur, cum ebrietas et mentis inducat exilium, et libidinis provocet incentivum. Unde illum abusum penitus decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales, suo modo se obligant potatores: et ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, et calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi a superiore communitus satisfecerit, ab officio, vel beneficio suspendatur. » Hæc ibi. Quibus similia habentur can. *Episcopus*. dist. 35. ubi ex canonibus Apostolorum statuitur: « Episcopus, aut presbyter, aut diaconus aleæ, atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe damnetur. Subdiaconus, aut lector, aut cantor similia faciens, aut desinat, aut communione privetur. » Concordat novissime concilium Tridentinum sess. 22. cap. I. *de Reform*. sub eisdem pœnis per antiquos canones statutis, vel etiam majoribus, arbitrio ordinarii infligendis, decentem vitæ morumque compositionem, simulque abstinentiam « a luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscunque criminibus, » seriose injungens.

49. *Et ratio tam rigidæ prohibitionis*. — Cæterum ratio tam rigidæ, sæpiusque repetitæ in jure prohibitionis, est imprimis gravissima Dei offensa, propter quam ebriosi regnum Dei non possidebunt. I. *Corinth*. VI, 13. Utpote, quorum Deus venter est, teste Apostolo *ad Philipp*. III, 19. Accedit, quod ebrietas et mentis inducat exilium, libidinis provocet incentivum, juxta textum proxime allegatum ex c. *A crapula*. h. t. Siquidem « luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas: omnis qui cum his miscetur, non erit sapiens, » uti legitur can. *Luxuriosa*. dist. 35. Quinimo ebrietas « omnium vitiorum fomes, ac nutrix est; » uti testatur concilium Agathense, relatum can. *Ante omnia*. dist. 35. cum concordantiis.

50. *Dicta pœna suspensionis ab officio, vel beneficio, non est latæ sententiæ*. — Resp. II. Memorata pœna suspensionis ab officio, vel beneficio, in clericos ebriosos statuta, non est latæ, sed ferendæ primum sententiæ:

simulque relinquitur arbitrio judicis, an clericus taliter delinquens, atque post monitionem non abstinens, potius sit suspendendus ab officio, vel a beneficio. Prior pars liquet ex eo; tum quia ad incurrendam ejusmodi pœnam suspensionis requiritur prævia monitio superioris, sive judicis; et consequenter non incurritur ipso jure; tum quia ly, *suspendatur*, importat actionem judicis : ac proinde signum est, hujusmodi pœnam esse ferendæ sententiæ : sicque post præviam monitionem a judice primum instinguendam, conformiter dictis supra. lib. I. tit. II. *De Constitut.* § 9. n. 211.

51. *Simulque relinquitur arbitrio judicis, quæ harum suspensio sit infligenda.* — Altera pars est Glossæ fin. cit. c. *A crapula* et Abbatis, ibid. n. 4. et Barbosæ, n. 6. h. t. Menochii, *de Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 404. n. 4. et communis aliorum. Siquidem in relato c. *A crapula.* h. t. aperte relinquitur arbitrio superioris, seu judicis, non solum, quando clericus ebriosus post monitionem pœna suspensionis sit afficiendus; sed etiam, an in pœnam sui excessus suspendendus sit ab officio, vel potius a beneficio : hoc enim importat alternativa illa, « ab officio, vel beneficio suspendatur. » Judicis enim est videre, quænam pœna pro qualitate excessus magis expediat, arg. c. *Quoniam.* § fin. *Ut lite non contestata.* et c. *Latores.* 4. *de Cleric. excommunic. ministrant.* cum similibus.

52. *In pœnis alternativis quandoque datur optio reo, quandoque judici; idque declaratur.* — Nec obstat textus in l. *Quicunque.* § 1. c. *de Servis fugitiv.* ubi pœnis alternativis optio datur reo, quam pœnam maluerit sustinere. Resp. enim cum Bartolo ibid. n. 4. et Abbate cit. c. *A crapula.* n. 4. h. t. istud procedere, quando verba pœnam imponentia diriguntur ad reum : quia tunc electio pœnæ est ipsius rei, ut est casus in cit. l. *Quicunque.* Secus dicendum, quando verba pœnam imponentia diriguntur ad judicem; vel saltem absolute et impersonaliter proferuntur, v. g. dicendo : « Puniatur hoc, vel illo modo; suspendatur ab officio, vel beneficio. » Tunc enim electio est judicis, qui pensata gravitate delicti, et qualitate personarum, aliisque circumstantiis, prudenti judicio alterutram pœnam taxabit; ut in casu cit. c. *A crapula.* h. t.

53. *Clericis est prohibitum, edendi, et bibendi causa, ingredi tabernas cauponarias, extra necessitatem itineris.* — Resp. III. Insuper ad magis evitandum ebrietatis periculum, clerici omnes generaliter prohibentur, edendi, vel bibendi causa, ingredi tabernas cauponarias; nisi itineris necessitate compellantur. Textus est in c. *Clerici.* 15. h. t. et can. *Non oportet.* et can. *Clerici.* dist. 44. juncto can. *Nulli.* ead. dist. 44. ubi clericus jubetur deponi, qui tabernam habere, vel etiam ingredi, non cessaverit. Concordat can. 53. Apostolorum, ubi dicitur : « Si quis clericus in caupona cibum capere deprehensus fuerit, a communione excludatur; excepto tamen eo, qui necessario in itinere in commune diverterit hospitium. » In praxi tamen attendantur salutares singularum diœcesium constitutiones seu consuetudines, pœnæque per eas transgressoribus statutæ.

54. *A vitio avaritiæ cumprimis clericos oportet esse alienos.* — Quæritur V. Quid sacri canones statuant circa avaritiam, præcipue clericis fugiendam? Resp. I. Inter alia, quæ vitam, honestatemque clericorum vel maxime commaculant, est vitium avaritiæ, a quo proinde cumprimis clericos oportet esse alienos. Textus est in can. *His igitur.* dist. 23. et can. *Quæro ergo.* 6. q. 1. ubi avaritia hæresi æquiparatur. Quinimo ea etiam *Idolorum servitus* ab Apostolo nominatur, *ad Ephes.* cap. v, 5. et *Coloss.* c. III, 5. Unde et can. *Cum omnis*, 1. q. 1. dicitur : « Cum omnis avaritia idolorum sit servitus, quisquis hanc, et maxime in dandis ecclesiasticis honoribus, vigilanter non præcavet, infidelitatis perditioni subjicitur, etiamsi tenere fidem, quam negligit, videatur : » cum similibus.

55. *Et hujus ratio specialis.* — Accedit ratio, tum quia *avaro nihil est scelestius*, uti legitur *Ecclesiastici* cap. x, 9. cum similibus; tum quia clerici, utpote in sortem Domini vocati, ex redditibus ecclesiasticis (vel saltem ex bonis patrimonialibus, ad quæ fuerunt ordinati) jam habent, unde honeste vivant: ac proinde sibi peculiariter dictum intelligant ab Apostolo, I. *ad Timoth.* vi, 8, 9. scribente : *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem, etc.*

56. *Clerici prohibentur exercere officia, vel commercia sæcularia.* — Resp. II. Ut clerici a detestando avaritiæ vitio eo magis reddantur alieni, plura per sacros canones eisdem prohibentur, quæ vel ex avaritia proficisci vel ad eam inducere solent. Sic imprimis

prohibentur « Clerici officia, vel commercia sæcularia exercere, maxime inhonesta. » Textus est in c. *Clerici.* 15. h. t. quod est desumptum ex concilio generali, seu Lateranensi celebrato sub Innocentio III. Concordant ea, quæ habentur toto tit. *Ne Clerici, vel Monachi*, etc. Nam, ut inquit divus Apostolus II, 4. *Timoth. Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.* Verum de hoc plura inferius § 5. n. 126. et seqq.

57. *Eisdem prohibitus est alearum, seu taxillorum lusus.* — Deinde clericis severissime prohibitus est alearum, seu taxillorum lusus (id est, omnis ille lusus, qui magis fortuna, quam arte, vel industria ludentium regitur) uti liquet ex can. 41. et 42. *Apostolorum:* ubi in transgressores, nisi desinant, statuitur pœna depositionis, aut excommunicationis. Concordat can. *Episcopus.* dist. 35. cujus verba n. 48. relata sunt. Et textus expressus in c. *Clerici.* 15. h. t. ibi : « Ad aleas, et taxillos non ludant, nec hujusmodi lusibus intersint : » juncto concilio Tridentino, sess. 22. cap. I. *de Reform.* pœnas antiquorum canonum desuper innovante.

58. *Et qualiter sic ludentes peccent?* — Unde ex tam multiplici rigida prohibitione, simulque adjunctis pœnis, non nisi pro peccato mortali imponi solitis, communiter colligunt doctores, ac præsertim Navarrus cap. XX. *Manual.* n. 9. Sylvester ℣. *Ludus.* quæst. 4; Layman, lib. III. *Theolog. moral.* tract. IV. cap. XXI. n. 1. et alii ab his relati, quod clericus lucri gratia, et pro magna quantitate taliter ludens, peccet mortaliter : præsertim, si frequenter, aut publice cum scandalo aliorum id fiat. Secus foret dicendum, si solius recreationis causa, distractionis, vel charitatis, ergo, clericus ex bonis patrimonialibus (vel etiam ex ecclesiasticis, sed in modica duntaxat quantitate spectato statu suo) sine aliorum scandalo, privatim semel, aut bis, vel ad breve tempus ita luderet : nam canones relati loquuntur de illis, qui « aleæ, atque ebrietati deserviunt; » id est, crebro, et per longum tempus ludunt, seu lusi ejusmodi « valde serviunt; » ut explicat Glossa cit. can. *Episcopus.* dist. 35. ℣. *Deserviens.* Layman, loc. cit. Lessius, lib. II. *de Justit. et jur.* cap. XXVI. dubit. 1. n. 5. et 6. et alii; ac dixi ergo ipsemet tract. VIII. *Theolog. moral.* dist. 4. n. 110. et 111.

59. *Judices ecclesiastici debent gratis judicare.* — Ulterius ad tollendam quoque avaritiæ speciem, præcipitur c. *Cum ab omni.* 10, h. t. ecclesiasticis judicibus, ut gratis judicare debeant; nec exigere possint decimam, vel aliam quotam litis, haud obstante quacunque consuetudine in contrarium. Idque merito : cum nec justum judicium judici vendere liceat; simulque ad hoc clericis sint ecclesiastici redditus deputati, ut ex ipsis honeste vivere, ac proinde vigorem judiciarium gratis litigantibus impertiri debeant : prout argumentatur pontifex ibid. (ADNOTATIO XXX.)

60. *Clerici tenentur bona ecclesiastica superflua in pias causas erogare. Nec possunt de ipsis per testamentum disponere; et cur?* — Resp. III. Ad removendum eo amplius avaritiæ fomitem, nonnulla etiam sacri canones clericis facienda præcipiunt. Et primo quidem, ut bona superflua, atque intuitu Ecclesiæ acquisita, vel in pauperes, aliasve pias causas erogare teneantur, can. *Quia tua.* 12. q. 1. et can. *Res Ecclesiæ.* et can. *Clericus.* ead. caus. 12. q. 1. et can. *Quoniam quidquid.* 16. q. 1. cum similibus. Vel saltem ecclesiæ suæ, cui inservierunt, relinquere debeant, c. *Inquirendum.* 4. et c. *Si quis sane.* 5. *de Peculio cleric.* Non autem de ipsis per testamentum, vel alio modo mortis causa disponere valeant, cap. I. et c. *Cum in officiis*, 7. et c. *Quia nos.* 9, *de Testam.* et alibi. Idque saluberrime per sacros canones constitutum fuit, ut clerici hac ratione absterreantur a congregandis copiosis, et sæpe superfluis bonis ecclesiasticis; promptioresque reddantur ad eadem, majori cum merito, in vivis eroganda in pias causas, dum norunt, nullam sibi potestatem superesse de ipsis post mortem disponendi. Navarrus tract. *de Redditibus ecclesiast.* quæst. 3. monit. 1. n. 2. Quidquid sit de consuetudine testandi ad pias causas, alicubi clericis concessa, de qua alibi.

61. *In clericis, præsertim beneficiariis, requiritur hospitalitas, veluti debita.* — Deinde sacri canones hospitalitatem in clericis, præsertim beneficiariis, requirunt veluti debitam. Unde dist. 42. § 1. legitur : « Hospitalem oportet esse sacerdotem, ne sit in numero eorum, quibus in judicio dicetur, *Matth.* XXV, 35. *Hospes eram, et non collegistis me.* Qui enim Apostolum secutus, alios ad hospitalitatem debet invitare, quomodo hospitalitatis exhortator poterit esse, qui domum propriam hospitibus claudit? » Hæc ibi, plura de hospitalitate clericorum, præsertim episcoporum, nervosius subjungendo. Unde sanctus Hieronymus, relatus can. *Quoniam*, 16. q. 1.

notanter inquit : « Quoniam quidquid habent clerici, pauperum est ; et domus illorum omnibus debent esse communes ; susceptioni peregrinorum et hospitum, invigilare debent, » etc.

62. *Idque fit pluribus de causis.* — Idque fit pluribus de causis, quæ enumerat Hostiensis in *Summa*, tit. *de Temporib. ordinat.* n. 20. ℣. *Septima*. Primo siquidem non potest esse hospitalitatis exhortator, qui domum suam hospitibus claudit, cit. dist. 42. § 1. Deinde, pietas hospitalitatis remuneratur temporaliter, et æternaliter ; juxta illud Apostoli, I. *Timoth.* IV, 7, 8. *Exerce te ipsum ad pietatem : nam corporalis quidem exercitatio ad modicum utilis est ; pietas autem utilis est ad omnia, habens promissionem vitæ, quæ nunc est, et futuræ.* Tandem hospitalitas ita placet Deo, ut quidam angelos hospitio recepisse legantur, can. *Quiescamus*. dist. 42. Imo et Dominum Angelorum ; uti factum refertur in pluribus historiis, et concordat illud Salvatoris, quondam in die extremi judicii ad electos suos dicturi, *Matth.* XXV, 35. *Hospes eram, et collegistis me.* Et hinc, quod ob pluralitatem beneficiorum, simul a nonnullis retentorum, « hospitalitas in ipsis beneficiis debita non observetur, » deplorat inter alia pontifex in extravag. *Execrabilis*. § 1. *de Præbend. inter Communes :* unde ponderando in relatis verbis ly, *debita*, patet, hospitalitatem in clericis, præsertim Beneficiariis, esse debitam.

§ III.

DE OBLIGATIONE CLERICORUM DEFERENDI HABITUM ET TONSURAM, HUJUSQUE FORMA.

63. *Clerici tenentur deferre habitum, tonsuramque suo statui congruentem.* — Quæritur I. An, et sub qua obligatione clerici tenentur deferre habitum, et tonsuram clericalem ? Resp. I. Ad honestatem vitæ clericorum inter alia pertinet, ut ipsi deferant habitum, et tonsuram suo ordini, statuique congruentem. Textus est in can. ult. dist. 41. et c. *Clericis officia*. 15. h. t. ubi in concilio generali legitur clericis præceptum in hæc verba : « Coronam, et tonsuram habeant competentem. — Clausa deferant desuper indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda, » etc. plura protinus subjungendo, quæ veluti repugnantia statui suo, clericis in vestitu sunt evitanda. Concordat Clem. *Quoniam*. 2. h. t. plura pariter statuens circa habitum, tonsuramque clericorum, et transgressoribus certas pœnas imponens. Hancque additis aliis pœnis, innovavit concilium Tridentinum, sess. 14. cap. VI. *de Reform.* optimam hujus reddens rationem illis verbis : « Etsi habitus non faciat monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant. »

64. *Hæc obligatio concernit clericos in sacris ordinibus constitutos, ac etiam clericos inferiores, si beneficium ecclesiasticum obtineant.* — Resp. II. Hujusmodi obligatio deferendi habitum, et tonsuram, non solum concernit clericos in sacris ordinibus constitutos ; sed etiam clericos inferiores, si beneficium ecclesiasticum habeant. Ita communis ; estque expresse, et quidem sub gravissimis pœnis, statutum in cit. Clem. *Quoniam*. 2. h. t. et concilio Tridentino, sess. 14. cap. VI. *de Reform.* cujus verba inferius n. 160. referentur, explicando simul pœnas transgressoribus statutas. Accedit constitutio 92. Sixti V. quæ incipit, « Cum sacrosanctum » (et refertur tom. II. *Bullar. Romani*) in qua idem Pontifex quibuslibet clericis, etiam clericali tantum tonsura insignitis, ac beneficium, vel etiam pensionem duntaxat ecclesiasticam habentibus, sub pœna privationis horum ipso facto incurrenda præcipit, ut « Tonsuram et habitum clericalem, vestes scilicet talares deferant : » eo addito, « ut in futurum non nisi actu clericis in habitu clericali et tonsura — incedentibus, quæcunque ecclesiastica, etiam simplicia beneficia, conferantur, » etc. Quod ipsum pontifex ibidem extendit ad milites, sub aliqua approbata regula viventes, et pensionem, vel beneficium ecclesiasticum habentes, nisi incedant in habitu militari suæ militiæ proprio : prout uberius continetur in memorata bulla.

65. *Aut saltem jus in beneficio, vel ad illud habeant.* — Quinimo citata constitutio Sixtina clericos quoscunque ad deferendum habitum, non solum, quando jam « obtinent beneficia ecclesiastica qualiacunque, etiam simplicia » (percipiendo videlicet fructus eorum) sed etiam, quando « in illis, vel ad ea jus habent : » adeo, ut si secus fiat, eos pontifex « sine ulla alia monitione, citatione, judicis decreto, aut ministerio, ipso facto privatos declaret, ac tam beneficia ipsa per privationem hujusmodi vacare, et libere aliis conferri posse, quam etiam pensiones cassa-

tas, » etc. decernat, eorumdemque collationem Romano pontifici reservet. Nec mirum: Siquidem clericus minorista habens jus ad beneficium, puta, jus canonicæ cum expectatione præbendæ, jam reputatur pro beneficiato, arg. c. *In nostra*. 32. juncta Glossa fin. et doctoribus *de Rescript*.

66. *Rigor constitutionis Sixti V.* Cum sacrosanctum, *non est ubique usu receptus.* — Verumtamen, quod rigor citæ constitutionis Sixtinæ, non sit ubique usu receptus, saltem quoad hoc, ut non deferentes habitum, et tonsuram, absque ulteriori monitione, sint ipso facto privati beneficiis; notat Nicol. Garcias, part. VII. *de Beneficiis*. cap. I. n. 23; Ludov. Engel, h. t. n. 8. et Barbosa, part. II. *de Offic. et potest. episcop. allegat.* 9. n. 14. citans alios.

67. *Estque per aliam bullam ab eodem pontifice non nihil temperata.* — Illud est certum, quod eadem bulla Sixti V. *Cum sacrosanctum*, per aliam bullam, quæ incipit, *Pastoralis*, atque in *Bullario Romano* priorem immediate sequitur, ab eodem pontifice non nihil fuerit temperata: declarando videlicet, quod ipsa non arctet certos clericos papæ familiares, atque officiales Curiæ romanæ, quatenus « in habitu laicali sua munia promptius, expeditiusque obire valeant; » uti loquitur pontifex. Neque etiam procedat in illis, « qui pensiones, seu fructus, aut prædia, vel bona ecclesiastica, sibi in una vel pluribus vicibus reservata, et concessa, summam seu valorem annuum sexaginta ducatorum auri de camera insimul non excedentes, seu excedentia percipiunt, aut percipient in futurum. » Aut si excedant, non aliter clerici pensionarii ad gerendum habitum clericalem teneantur, « nisi postquam pensiones, fructus, et alia præfata cum effectu exigere, aut percipere cœperint: vel per eos steterit, quo minus exigant, vel percipiant: prout inter alia loquitur memorata bulla, *Pastoralis*.

68. *Clerici non sunt obligati ad portandas duas vestes longas.* — Notant tamen doctores, et signanter Garcias, part. VII. *de Beneficiis*. cap. I. n. 23. et Barbosa, lib. I. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. XL. n. 30. allegans alios, quod per dictas constitutiones clerici non sint obligati ad portandas duas vestes longas; sed sufficiat, quod exterior sit talaris, can. penult. dist. 23.

69. *Clerici in minoribus ordinibus constituti, et beneficium non habentes, non tenentur ad deferendum habitum, et tonsuram clericalem.* — Resp. III. Cæteri clerici in minoribus ordinibus constituti, et beneficium ecclesiasticum, seu jus ad illud nondum habentes, ad deferendum habitum et tonsuram clericalem neutiquam tenentur. Ita communis. Nam cit. Clem. *Quoniam*. 2. h. t. sicut et constitutio Sixtina, atque concilium Tridentinum loc. cit. dum clericis imponunt obligationem clericaliter incedendi, expresse loquuntur de clericis in Sacris, vel beneficium ecclesiasticum, aut saltem jus ad istud habentibus: sicque ipso facto interpretantur, atque declarant, antiquiores canones, qui videntur generaliter omnibus clericis præcipere, ut coronam et tonsuram habentem congruentem, cap. IV, et cap. penult. h. t. cum similibus, de istis duntaxat esse intelligendos, non autem de clericis minoristis nullum beneficium habentibus: quanquam de facto non amplius sint gavisuri privilegio fori. Quod ultimum ut melius intelligatur.

70. *De facto tamen non gaudent privilegio fori, nisi habeant unam ex conditionibus a concilio Tridentino præscriptis.* — Quæritur II. Utrum clerici minoristæ, non deferentes habitum et tonsuram, gaudeant privilegio fori, et canonis? Resp. I. Etsi tales clerici, si beneficium ecclesiasticum non habeant, ad deferendum habitum et tonsuram clericalem non teneantur, ut dictum: nihilominus ipsi de facto non gaudent privilegio fori, nisi habeant aliquam ex tribus illis conditionibus, quas concilium Tridentinum Sess. 23 cap. VI, *de Reform.* præscripsit, in hæc verba noviter statuendo: « Is etiam (videlicet prima tonsura initiatus, aut in minoribus ordinibus constitutus) fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram deferens: alicui Ecclesiæ, ex mandato episcopi inserviat; vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel universitate, de licentia episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos, versetur. » Hæc concilium.

71. *Quidquid olim fuerit spectato jure communi.* — Ex quibus verbis adeo claris manifeste patet, quod de facto clericus nullam dictarum trium conditionum habens, privilegio fori non gaudeat, sicque non possit declinare jurisdictionem judicis sæcularis. Quidquid olim fuerit spectato jure communi: nam huic quoad propositum, derogatum est per relatum concilium Tridentinum. Aloys. Riccius, part. I. *Praxis fori ecclesiast.* resol.

540. n. 4. et resol. 541. n. 2; Navarrus, concil. 25. *de Privileg.* et alii.

72. *Clericus minorista, si dimittat habitum, sicque non gaudeat privilegio fori, per reassumptum habitum recuperat illud.* — Notat tamen Belletus, *Disquisit. cleric.* part. I. *de Favore clericor. personal.* §. 2. n. 29. et § 8. n. 15; et card. de Luca in *Annot. ad Concil. Trident.* discurs. 24. n. 35. et 36. et quod si clericus minorista, deserviens v. g. ex mandato episcopi cuipiam Ecclesiæ, dimittat habitum, sicque non gaudeat privilegio fori : nihilominus, si postea is reassumat habitum et tonsuram clericalem, recuperet privilegium fori. Ratio est, quia huic privilegio non potest clericus renuntiare, nisi facto ipso : atqui factum ejusmodi tam tollitur per reassumptionem habitus; ergo. Sequitur proinde, quod si clericus minorista tempore commissi delicti non gesserit habitum, modo autem post delictum, et ante condemnationem, atque capturam eumdem reassumat, recuperet privilegium fori Glossa in Clem. 1. ℣. *Quandiu.* h. t. Sanchez, lib. VII. *de Matrim.* disp. 46. n. 29; Covarruvias, *Pract. quæst.* cap. XXXI. n. 8; Alexander, concil. 8. n. 4. vol. I; Julius Clarus, § 5. quæst. 36. n. 15; Belletus, cit. § 8. n. 15. et 16; sed istud limitans, dummodo reassumptio habitus non fuerit facta in fraudem. Verum de hoc posteriori videantur ea, quæ superius lib. II. tit. II. *de Foro competenti* § 10, n. 262 et 267. ac seqq. fusius, atque ex professo dicta sunt.

73. *Episcopus non prohibetur procedere contra clericos minoristas delinquentes, etsi nullam habeant conditionem ex requisito a concilio Tridentino.* — Notat ulterius Garcias, part. II. *de Beneficiis.* cap. II. n. 16. et seqq. et novissime card. de Luca, *de Jurisdiction.* discurs. 55, n. 5. et seqq. allegans in terminis declarationem sac. Congregationis concilii, in causa Leodiens. die 12 novemb. 1630, quod quidem clerici minoristæ, nullam præmissarum conditionum habentes, non gaudeant privilegio fori, et ita non possint declarare jurisdictionem sæcularis judicis : non tamen idcirco prohibeatur episcopus, quin contra eos delinquentes possit procedere, illosque punire, quandiu ipsi adhuc cleriri permaneant. Ratio est, quia dictum decretum concilii Tridentini recte quidem procedit in odium ipsius clerici, nullam dictarum conditionum adimplentis, ne scilicet forum laicale declinare possit : non autem ad ejus favorem, seu ut sibi sub hoc prætextu liceat declinare jurisdictionem episcopi sui; utpote quæ huic ab antiquo competebat in clericos tonsuratos, neque per concilium Tridentinum revocata intelligitur.

74. *Refertur quoad hoc declaratio sacræ congregationis.* — Hinc in facti contingentia, cum quidem Lælius clericus, defectum debitarum conditionum patiens, per Curiam sæcularem incarceratus fuisset, postea obtinuit remitti ad episcopum suum : sed cum tractu temporis, ob rerum statum immutatum, agnosceret sibi magis expedire, habere judicem laicum, quam ecclesiasticum, isto volente in causa procedere appellavit, causa tamen introducta in rota succubuit; uti refert cardin. de Luca cit. discurs. 55. in fine ejusdem referens citatam declarationem sac. Congregationis, quam Sanctitas Sua approbavit, videlicet : ut « clerici, etiam non habentes requisita, cap. VI. sess. 23. *de Reformat.* licet ipsi, tanquam contravenientes ordinationi. Sacri concilii, non possint pro se allegare privilegium fori, nihilominus subsint jurisdictioni episcoporum, seu ordinariorum, et illorum jurisdictioni, ne dum in causis, in quibus non prævenerunt, sed illos e manibus judicis laici repetent, quando iidem clerici adhuc clerici permaneant; videlicet, si neque a jure, neque ab homine per declarationem ser. factam privilegiis clericalibus denudati, seu privati sint. » Hæc ille, sub discurs. 24. *in Annotat. ad S. concilium Trident.* n. 41. id ipsum docens; videlicet, quod ejusmodi clericus « in ejus odium utrique foro subjectus remanebit, ut pluries declaravit hæc sac. Congregatio, ac etiam Rota. » Ita card. de Luca.

75. *Dummodo clerici illi permanant clerici : idque declaratur.* — Additur notanter in relata declaratione sac. Congregationis, « quando iidem clerici adhuc clerici permaneant, » etc.; tum ad excludendos clericos bigamos, utpote qui « ipso jure » omnibus clericalibus privilegiis denudati sunt, et coercitioni fori sæcularis astricti, cap. un. *de Bigamis.* in 6; tum propter clericos conjugatos, qui non habent requisita cap. I. *de Cleric. conjug.* in 6. juncto concilio Tridentino, sess. 23. c. 6. *de Reform.* Nam etiam tales ipso jure privati sunt privilegiis clericalibus, per jura proxime relata : adeoque non censentur permanere clerici; ita ut nec retineant privilegium canonis, can. *Si quis suadente.* 17. q. 4. Garcias cit. cap. II. n. 18. Sanchez, lib.

XVII. *de Matrim.* disp. 46. n. 1. et 2. et alii. Tacentur clerici degradati, et curiæ sæculari traditi; et nonnulli alii, qui prævia debita monitione, ab subsecuta declaratione judicis ecclesiastici, sicque ab homine omne privilegium clericale amiserunt, de quibus alibi.

76. *Sufficit quælibet trium conditionum a concilio Tridentino præscriptarum, ut clericus gaudeat privilegio fori.* — Resp. II. Cum concilium Tridentinum, sess. 23. cap. VI. *de Reform.* loquatur disjunctione, *Aut*, *Vel;* uti liquet ex verbis ejusdem n. 70. relatis : hinc passim fatentur doctores, quod sufficiat quælibet illarum trium conditionum a concilio præscriptarum, ut clericus tonsura clericali insignitus, vel etiam in ordinibus minoribus constitutus, privilegio fori gaudeat. Nam, ut reg. 70. jur. in 6. loquitur : « In alternativis sufficit alterum impleri, » cum concordantiis.

77. *Adeo, et habens beneficium, etsi non deferat habitum eodem privilegio gaudeat.* — Et hoc adeo procedit, ut clericus habens beneficium ecclesiasticum, etiamsi non deferat habitum et tonsuram clericalem, nihilominus gaudeat privilegio fori. Quia licet peccet, possitque idcirco puniri; nihilominus in ordine ad participandum privilegium, concilium Tridentinum in habentibus beneficium non requirit dictam delationem habitus, et tonsuræ : sed hanc duntaxat expostulat in inservientibus alicui Ecclesiæ, vel in seminario clericorum, schola, seu universitate versantibus : uti liquet ex relatis verbis ejusdem concilii. Ita Nicol. Garcias, part. II. *de Beneficiis*, cap. II. n. 4; Gonzalez, ad reg. 8. cancel. gloss. 5, § 5. n. 6; Farinacius in *Praxi criminali*. lib. I. quæst. 8, n. 70; Aloy. Riccius, part. I. *Praxis foris ecclesiast.* resol. 541. n. 2; Belletus, part. I. *Disquisit. clerical.* tit. *de Favore clericor. personal.* § 8. n. 8. lib. I. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. XXXIX. § 2. n. 13. citans plurimos alios.

78. *An autem ad hoc sufficiat habere titulum beneficii, vel requiratur possessio hujus, variant doctores. Refertur sententia negantium, sufficere solum titulum.* — Controvertunt tamen doctores, utrum ad participandum privilegium fori sufficiat habere titulum beneficii, seu jus in re respectu illius, vel insuper requiratur possessio illius : adeo, ut si clericus non incedens in habitu et tonsura clericali, capiatur a judice sæculari, et ipse petat se remitti ad judicem ecclesiasticum, sufficiat docere de solo titulo beneficii; vel etiam requiratur, ut doceat de obtenta possessione ejus? Et quidem non sufficere solum titulum, sed insuper requiri quod clericus minorista ad participandum privilegium fori probet possessionem, seu quasi possessionem beneficii; adeoque, si non incedat in habitu clericali, capiaturque ob delictum a judice sæculari, non sit remittendus ad judicem ecclesiasticum : tenet card. Tuschus. litt. B. concl. 78. n. 8 : Julius Clarus, in *Practic. criminal.* § fin. quæst. 36. n. 21. vers. *Illi tamen;* Farinacius, lib. I. *Praxis criminal.* quæst. 8. n. 70; Scaccia, tract. *de Judiciis*, cap. II. n. 82. ac novissime card. de Luca in *Annotat. ad S. Concil. Trident.* discurs. 24. n. 16. Ratio hujus sententiæ esse potest, quam affert Garcias, part. II. *de Beneficiis*, cap. II. n. 11. 12. et seqq. Quia (inquit) decentia, quæ consideratur in proposito, ut habens beneficium non debeat per judicem sæcularem judicari, non tam apparet ex titulo, quam ex possessione beneficii.

79. *Affirmativa sententia est probabilior, etc.* — Oppositam sententiam, videlicet sufficere solum titulum, tenet Flaminius Parisius, lib. VII. *de Resignat. benefic.* quæst. 1. n. 46. et 47. asserens, quod fuerit resolutum in sacra Congregatione concilii, die 16 julii 1587. Beneficiatum gaudere beneficio fori ante adeptam possessionem. Et hanc sacræ Congregationis declarationem, asserentem, quod clericus primæ tonsuræ, habens jus in beneficio ex provisione papali, in suis causis civilibus gaudeat privilegio fori, verbatim refert Garcias, loc. cit. n. 14. licet eam postea intelligat de clerico incedente in habitu clericali, de quo tamen dicta declaratio nullam facit mentionem. Eamdem sententiam sequitur Gigas, *de Pensionib.* quæst. 64. n. 12; Bonacina, tom. II. disp. 10. in *Decalog.* quæst. 2. punct. 1. § 4, n. 13; Diana, *Resol. moral.* part. I. tract. III. resol. 29. Lezana in *Summa*, tom. III. ✠. *Clericus.* et Barbosa, lib. I. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. XXXIX. § 2. n. 14. hanc sententiam appellans probabiliorem, et pro ipsa allegans plures alios. Et certe, si declaratio sacræ Congregationis jam relata afferatur in forma authentica, isthæc sententia non solum erit probabilior, sed certa et indubitata; conformiter dictis supra in proœmio libri I *Decretalium.* § 8. n. 126. 130. et seqq. Accedit ratio, quia in beneficialibus non attenditur principaliter possessio, sed titulos arg. c. *Ex frequentibus.* 3. *de Institutionib.* juncta reg. 1. in juris in 6. Quinimo

in possessione non est aliquid spiritualitatis; uti loquitur Abbas c. *Quod in dubiis* n. 8. *de Renuntiat.*

80. *Clerici minoristæ, spectato jure communi, gaudent privilegio canonis, etsi nullam habeant conditionem a concilio Tridentino præscriptam.* — Resp. III. Quamvis clerici minoristæ non habentes beneficium ecclesiasticum, aut alias qualitates a concilio Tridentino cit. sess. 13. cap. VI. *de Reform.* requisitas, fori privilegio non gaudeant, ut dictum: nihilominus spectato jure communi, et seclusa speciali locorum consuetudine, iidem privilegio canonis non sunt privati. Ita Aloys. Riccius, part. I. *Praxis fori ecclesiast.* resol. 541. n. 5. asserens, quod ita censuerit sacra Congregatio ad d. cap. VI. illis verbis: « Clerici, qui in hoc decreto concilii privilegio fori privantur, privilegio tamen canonis non intelliguntur privati. » Gonzalez ad reg. 8. cancellar. gloss. 5. § 5. n. 7. eamdem declarationem cardinalium concilii Tridentini interpretum, et sub iisdem verbis referens. Diana, part. II. tract. V. resol. 82. dictam sacræ Congregationis declarationem allegans; atque inde concludens, quod percutiens ejusmodi clericum, incidat in excommunicationem. Fagnanus c. *Si quis*, n. 72. *de Foro compet.* Garcias, *de Beneficiis*, part. II. cap. II, n. 19; Belletus, *Disquisit. Clerical.* part. I. tit. *De favore clericor. person.* § 8. n. 22; Barbosa, part. II. *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 12. n. 32. et lib. I. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. XXXIX. § 2. n. 3. allegans plures alios: contra Fælicianum, *de Censib.* lib. II. c. ult. n. 14; Layman, lib. I. *Theolog. moral.* tract. V. part. II. c. V. n. 3; Luarezium, tom. V. *de Censuris.* disp. 22, sect. 1, n. 11: Bannes, 2. 2, q. 12, art. 1, circa fin.; Coninch. *de Sacrament.* disp. 14; dub. 15. 163. et nonnullos alios.

81. *Idque probatur.* — Ratio conclusionis est, quia de jure communi omnes clerici gaudent privilegio canonis, can. *Si quis suadente.* 17. q. 4. simulque quoad istud privilegium, concilium Tridentinum loc. cit. nihil innovavit, neque juri communi derogavit; ergo neque nostrum est, hujusmodi innovationem inducere, sive decretum concilii generalis de solo privilegio fori loquens, ad privilegium canonis extendere. Probatur consequentia, tum quia non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori, l. *Præcipimus.* c. *de Appellat.* et l. *Si vero.* § *de Viro.* ff. *Soluto matrim.* Ubi summarium ex Bartolo sic habet: « Provisio legis contra jus commune non extenditur ultra id, quod lex exprimit, licet eadem sit ratio, » tum quia, si concilium voluisset in casu cit. cap. VI. comprehendere etiam privilegium canonis, præter privilegium fori, potuisset etiam illud expressisse: prout in simili argumentatur pontifex c. *Inter corporalia.* § *Sed neque. de Translat. episcop.* et c. *Ad audientiam.* 12. *de Decimis;* tum tandem, quia correctio legum, veluti odiosa, quantum fieri potest, evitanda est, c. *Cum expediat*, 29. *de Election.* in 6. ac proinde per tacitos, et subauditos intellectus non inducenda, neque asserenda. Glossa singularis in c. *Cupientes.* § *Quod si per viginti.* ℣. *Petere. de Election.* in 6. estque amplius dictum supra lib. I. tit. II. *Constitutionibus.* n. 419. et n. 500. et 501. ac seqq.

82. *Solvitur instantia. Differentia notabilis inter privilegium fori, et canonis.* — Dices cum auctoribus oppositæ sententiæ. Privilegium canonis facilius amittitur, quam privilegium fori; juxta Abbatem, cap. I. n. 6. *de Apostat.* Angelum ℣. *Excommunicatio.* 5, n. 23. et alios, istud probantes ex eo: quia privilegium canonis provenit ex jure duntaxat humano, privilegium fori autem ex jure divino, prout alibi jam dictum: ergo, licet concilium Tridentinum cit. Sess. 23. cap. VI. expresse solum faciat mentionem de privilegio fori; necessario tamen, ob identitatem imo et majoritatem rationis, inde colligitur, idem sensisse de privilegio canonis. Resp. neg. consequent. Quia ad privationem privilegii fori, non rite infertur privatio privilegii canonis: nam a diversis non fit illatio, l. *Papinianus exuli.* ff. *de Minorib.* Barbosa, Axiomat. 114. citans alios. Hæc autem sunt valde diversa privilegia: etenim prius, sive privilegium fori, lædit jurisdictionem judicum sæcularium; sicque propter horum querelas, simulque ad coercendam insolentiam quorumdam Clericorum, in Ordinibus minoribus duntaxat constitutorum, et nullam ex requisitis conditionibus habentium, rationabiliter per concilium Tridentinum sublatum fuisse dignoscitur. Secus dicendum de privilegio canonis: istud enim nullius jurisdictionem lædit, sed refrænat solummodo laicos ab injuriis clericis inferendis, quibus sunt infensi. Fagnanus cit. c. *Si quis.* n. 73. *de Foro compet.* Accedunt rationes n. præced. allatæ, juncta declaratione cardinalium in conclusione relata: quæ si afferatur in forma authentica, conclusionem nostram

reddet certam et indubitatam, ut proxime dictum.

83. *Secus potest accidere de speciali locorum consuetudine.* — Atque hæc procedunt, « spectato jure communi, et seclusa speciali locorum consuetudine, » prout bene limitatur data n. 80. conclusio. Quia enim privilegium canonis solo jure ecclesiastico introducta fuit, simulque non desunt doctores oppositam sententiam tenentes : hinc negari vix poterit, quin per contrariam, et legitime præscriptam consuetudinem, ex hac parte rigori juris communis, seu privilegio canonis quoad clericos minoristas, nullamque ex supra memoratis conditionibus habentes, derogari possit; atque in nonnullis locis, præsertim in nostris partibus, actualiter derogatum fuerit, juxta cap. ult. *de Consuetud.* cum similibus : adeo, ut ejusmodi clericum, habituque clericali non incedentem percutiens, excommunicationem latæ sententiæ non incurrat. Atque in hoc casu locum habebit contraria quorumdam doctorum opinio : eo præsertim, quia tales clerici, seclusis singulis conditionibus a concilio Tridentino, ubi supra, requisitis, vix amplius a laicis dignosci valent.

84. *Tonsuram clericorum nullus deferre debet, nisi eam ab episcopo acceperit.* — Quæritur III. Quid dicendum de tonsura clericorum, formaque ipsius? Resp. I. Tonsuram clericalem nullus deferre debet, nisi eam prius ab episcopo acceperit. Ita habetur constitutum in septima Synodo, cap. XIV. ac refertur can. 1. dist. 69. Quanquam per hoc non negetur, quin etiam abbates, si presbyteri sint, et ab episcopo benedicti, possint suis monachis primam tonsuram conferre, cit. can. 1, dist. 69, etc. *Cum contingat.* 11. *de Ætate et qualit. præficiend.* cum concordantiis. Ut taceatur tonsura regularis monachorum, aliorumque religiosorum, etiam novitiorum, quam juxta præscriptum, seu laudabilem consuetudinem propriæ religionis, a superioribus suis recipiunt : hæc enim non est tonsura clericalis, de qua impræsentiarum est sermo.

85. *Ea antiquitus fiebat raso desuper, ac inferius capite in modum sphæræ : et hujus mystica significatio.* — Resp. II. Tonsura clericorum antiquitus fiebat raso desuper capite in modum sphæræ, et inferius quoque; ita, ut patentibus auribus, sola capillorum corona circa caput remaneret, can. *Prohibete.* et can. penult. dist. 23. Ad eum videlicet modum, quo hodie monachi, et regulares, capita sua radere consueverunt. Barbosa lib. I. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. XL. n. 7. Hujus autem mystica significatio declaratur in can. *Duo sunt genera.* 12. q. 1. illis verbis : « Namque (clerici) sunt reges, id est, se et alios in virtutibus regentes : et ita in Deo regnum habent. Et hoc designat corona in capite. Hanc coronam habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ in signum regni, quod in Christo expectatur. Rasio vero capitis, est temporalium omnium depositio. » Hæc ibi : quod ipsum amplius declarat Glossa in Clem. 2. ℣. *Et tonsuram.* h. t. Aliam adhuc rationem asssignat Ven. Beda, lib. IV. *Histor.* cap. XXII. dicens, « Clericos in memoriam spineæ coronæ Domini capillos in formam coronæ detonsos gestare. »

86. *Et qualiter hodie fiat?* — Additur tamen in conclusione, « Tonsura clericorum antiquitus fiebat, » etc. Quia, licet olim tonsura clericorum fuerit talis, ut totum caput raderetur, solo relicto crinium circulo in medio, ut dictum : tractu tamen temporis introductum fuit, atque hodie ab Ecclesia generaliter receptum, ut memorata corona capillorum a monachis, aliisque regularibus, nec non Romano pontifice retenta, reliqui clerici sæculares loco ejusdem coronæ solummodo circulum aliquem modicum in superiori parte capitis abrasum gerant. Barbosa cit. cap. XL. n. 7. Et de tali corona procedit textus in c. *Clerici.* 15. h. t. ubi loquendo de clericis sæcularibus, dicitur : « Coronam, et tonsuram habeant congruentem : » nempe talem, ut videantur differre a monachis, prout explicat Glossa ibid. ℣. *Congruentem.* Nisi dicere velis, in memorato textu requiri « Coronam, et tonsuram congruentem » cujuslibet statui, et ordini : nam minorem ejusmodi coronam, seu circulum solent deferre clerici in ordinibus minoribus constituti, majorem sacerdotes, atque adhuc ampliorem episcopi usque ad summum pontificem, qui etiamnum retinet coronam a primordiis Ecclesiæ usitatam.

87. *Clericis beneficiatis, aut existentibus in sacris ordinibus, etiam prohibitum est laxare comam.* — Resp. III. Præter coronam in capite gestandam, sacri canones prohibent etiam clericis beneficium ecclesiasticum habentibus, aut existentibus in sacris ordinibus, laxare comam : alioquin peccant. Ita communis; et patet ex can. *Si quis ex clericis*, dist. 23. et cap. IV. h. t. ubi cavetur :

« Si quis ex clericis comam laxaverit, anathema sit : » Concordat can. penult. dist. 23. ubi jubentur clerici non nisi « attonso capite, patentibus auribus, etc. ministrare. » Atque etiam cap. v. h. t. ubi mandatur : « Clericus neque comam nutriat, neque barbam. » Adeo, ut clerici, qui comam nutriunt, etiam inviti a suis archidiaconis, seu superioribus tonderi jubeantur, can. *Clerici*, *qui comam*. dist. 23. et c. *Clericis*. 7. h. t. cum similibus. Atque istud merito constitutum fuit, juxta illud divi Apostoli I. *Corinth.* xi, 14. *Vir, si comam nutriat, ignominia est illi.*

88. *Adeo, ut transgressores peccent, possintque excommunicari.* — Patet proinde, quod clerici nutrientes comam peccent : cum sint transgressores præcepti a tam multiplicibus sacris canonibus impositi. Adeo quidem, ut etiam possint excommunicari, juxta illud ex cap. iv. h. t. jam allegatum, *Anathema sit :* hoc est, fiat, seu excommunicetur. Non enim est excommunicatus ipso jure, uti notat Glossa fin. cit. cap. iv. et Abbas, ibid. n. 1. et Barbosa n. 2. et 5. h. t. Quin imo ex gravitate hujus pœnæ colligunt doctores, quod clericus relaxans comam, peccet mortaliter; ac proinde absolutio sacramentalis eidem sit deneganda, vel differenda, donec comam deposuerit; alioquin enim dignus est anathemate, seu excommunicatione, qualis pœna non nisi pro peccato mortali imponi solet. Barbosa, lib. I. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. xl. n. 11. allegans alios : atque istud intelligens, quando quis monitus generaliter, vel specialiter, in relaxanda coma perseverat : tunc enim propter inobedientiam dignus est excommunicari, et peccat mortaliter, ut advertit Sayrus in *Clavi Regia*. l. III. cap. vii. n. 25. (ADNOTATIO XXXI.)

89. *Nisi subsit justa causa comam nutriendi, seu relaxandi.* — Limitatur tamen data conclusio, quando subest justa causa comam nutriendi, seu relaxandi : puta, ut hac ratione tutius quis Romam ire, vel aliud iter necessarium perficere queat. Glossa cap. iv. ℣. *Relaxaverit*. h. t. et alia Glossa cap. penult. ℣. *Causa*. eod. juncto textus ibid. Qua de causa etiam fratres minores in partibus turcicis degentes, barbam nutrire coguntur, ne Turcarum offensam incurrant, atque a locis sacris Terræ sanctæ penitus expellantur : ut taceatur privilegium apostolicum gestandi barbam nonnullis religionibus specialiter concessum.

90. *Potest excusari praxis clericorum gestantium comam fictitiam, seu peruccam.* — Et hac ratione etiam excusari poterit praxis quorumdam clericorum gestantium comam fictitiam, seu peruccam : dummodo hanc non gerant ex inani gloria, vanaque quadam ostentatione, sed ob debilitatem capitis, aut aliam hujusmodi rationabilem causam.

91. *Missam vero celebrare cum coma fictitia, absque legitima dispensatione, est prohibitum.* — Celebrare autem tremendum Missæ sacrificium cum coma fictitia, seu perucca, absque legitima dispensatione, licitum non est. Siquidem per ejusmodi comam fictitiam, sive peruccam, caput velari, seu cooperiri, manifestum est : atqui Zacharias papa in *Synodo Romana*, cap. xiii. et 14. ac refertur can. *Nullus episcopus*, *de consecrat.* dist. 1. sub pœna excommunicationis prohibuit, ne quis velato capite altari assisteret, illis verbis : « Nullus episcopus, presbyter, aut diaconus, ad solemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite altari Dei assistere : quoniam et Apostolus prohibet (I Corinth. xi, 14.) viros velato capite orare in Ecclesia : et qui temere præsumpserit, communione privetur. » Hæc ibi. Concordant rubricæ Missalis, quæ tit. X. *De defectibus in ministerio ipso occurrentibus*, inter alios ejusmodi defectus (in quibus ut plurimum accidit peccatum mortale, prout notat Barthol. Gavantus ibid. n. 1. ℣. *Numerantur*) etiam ponitur sequens, videlicet : « Si celebret capite cooperto sine dispensatione. »

92. *Et quis possit talem dispensationem concedere?* — Et talem dispensationem nonnisi a Sede apostolica concedi posse, censuit sacra Rituum Congregatio, 31. Jan. 1626. et 24. April. eod. an. prout refert Gavantus in *Comment. in Rubric. Missal.* part. II. tit. II. n. 2. vers. *Verum*. et seqq.; addita ea ratione, quia, cum citatus can. *Nullus episcopus. de Consecr.* dist. 1. non solum presbyteris, sed etiam episcopis prohibeat, velato capite altari assistere; ergo hoc ipso nequit episcopus dispensare. Nam iste non dispensat contra canones, ipsi etiam episcopo legem imponentes, nisi in quantum reperitur concessum, arg. c. *Dilectus* 15. *de Temporib. ordinat.* estque notabile dictum Joan. Andreæ in cap. i. n. 3. *de Supplend. neglig. prælat.* in 6. et Hostiensis ibid. ac notat Sylvester ℣. *Dispensatio*, q. 13. et Gavantus loc. cit. contra alios; qui quidem asserunt (inquit) dispensationem hanc fieri posse, sed non probant.

93. *Refertur edictum, de mandato Innocentii XII, in diœcesi Frisingensi desuper publicatum.* — Huc accedit novissimum Mandatum S. D. N. Innocentii papæ XII. volentis, ut per suos nuntios moneantur ordinarii locorum, ut contra abusum celebrandi cum coma fictitia congrua adhibeant remedia: ratione cujus in diœcesi Frisingensi, ubi hæc scribo, sequens edictum publicatum fuit.

« Nos Josephus Clemens, Dei, et apostolicæ Sedis gratia archiepiscopus Coloniensis S. R. imperii per Italiam archi-cancellarius, et elector, sacræ apostolicæ Sedis legatus natus, episcopus Frisingensis et Ratisponensis, administrator Bercthesgadensis, utriusque Bavariæ, et superioris Palatinatus, nec non Westphaliæ, et Ungariæ dux, comes Palatinus Rheni, Landgravius Leuchtenbergicus.

« Cum non sine scandalo tam hæreticorum, quam etiam catholicorum, abusus detestandus in Germaniæ diœcesibus, et etiam in nostra irrepserit, ut aliqui sacerdotes tam in dignitatibus majoribus, quam minoribus constituti, ut et alii non vererentur sacrosanctum et tremendum Missæ sacrificium absque sacerdotali reverentia (quæ soli Deo omnium maxima debetur) cum coma fictitia Deo offerre; ita ut Sanctissimus Noster divina providentia Innocentius papa, hujus nominis XII. commotus fuerit, ordinarios locorum per suos nuntios monere, ut contra dictum abusum congrua adhibeant remedia: prout desuper in litteris ab Illustrissimo et Reverendissimo Nuntio apostolico Viennensi, sub die 7. Sept. An. 1692. requisiti fuimus.

« Quocirca adimplentes mandatum sanctæ Sedis Vobis abbatibus, præpositis, decanis, rectoribus, guardianis, prioribus, et plebanis, cæterisque clericis tam sæcularibus, quam regularibus diœcesis nostræ Frisingensis præcipimus, et mandamus in virtute sanctæ Obedientiæ, quæ sanctæ Sedi, et Nobis adstricti existitis, ne in posterum aliquis Vestrum præsumat, cum coma fictitia (sub quacunque etiam licentia, nisi apostolica sit) Sacrificium Deo offerre, et Missas legere, vel alicui (cujuscunque etiam dignitatis existat) in vestris ecclesiis concedere, quominus noveritis actualem suspensionem ab officio, et beneficio incursuros. Datum Frisingæ, die 18. septembris 1692.

« JOANNES SIGISMUNDUS ZELLER,
(L. S.) L. B. coadministrator in spiritualibus, etc. Vicarius generalis. »

§ IV.

DE QUALITATE HABITUS CLERICALIS, ET PŒNIS EUM NON DEFERENTIUM.

94. *Qualem habitum jura præscribant, vel prohibeant clericis? Oportet clericos, vestes proprio congruentes, ordini semper deferre.* — Quæritur I. Qualem habitum jura præscribant, vel prohibeant clericis? Resp. I. « Etsi habitus non faciat monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. » Verba sunt concilii Tridentini, sess. 14. c. 6. *de Refor.* gravissimas pœnas in transgressores subjungentis, de quibus in progressu. Concordat can. *Clerici.* dist. 23. ubi dicitur: « Vestimenta etiam vel calceamenta eis (clericis) nisi quæ religionem deceant, uti, aut habere non liceat, » cum similibus. Quanquam hujusmodi obligatio solummodo concernat clericos in ordinibus sacris constitutos, aut beneficium ecclesiasticum habentes, juxta dicta n. 69.

95. *Clerici clausa debent deferre indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda.* — Resp. II. Specialiter autem clericis injungitur, « ut clausa deferant desuper indumenta, nimia brevitate, vel longitudine non notanda. » Textus est in c. *Clerici officia.* 15. h. t. quod est desumptum ex concilio generali, seu Lateranensi, sub Innocentio III, celebrato. Ubi loquendo de episcopis, subjungitur: « Pontifices autem in publico, et in Ecclesia, superindumentis lineis omnes utantur: nisi monachi fuerint, quos oportet deferre habitum monachalem. Palliis diffibulatis non utantur in publico, sed vel post collum, vel ante pectus hinc inde connexis. » Hæc ibi.

96. *Atque induere vestem talarem.* — Deinde in concilio Martini papæ, quod refertur can. penult. dist. 23. jubentur clerici secundum Aaron talarem vestem inducere, ut sint in habitu ornato. Quod ipsum postea præcepit Sixtus V. in sua constitutione 62. quæ incipit, *Cum sacrosanctum*; sub gravissimis pœnis statuens, ut clerici beneficium ecclesiasticum, seu pensionem habentes, « Tonsuram et habitum clericalem, vestes scilicet talares deferant: » ut jam dictum supra n. 64. et seqq.

97. *Quid intelligatur per vestem talarem.* — Porro per *Talarem vestem* in rigore intelligitur illa, quæ pertingit usque ad talos; sicque hominem usque ad primam partem pe-

dum tegit. Verum Garc. part. II. *de Beneficiis*, cap. I. n. 21. et 22. cum aliis notat, epicheja et æquitate, etiam illas judicari vestes talares, quæ juxta consuetudinem locorum clericis sunt decentes, quamvis non sint nimis longæ, neque ad pedes descendant. (ADNOTATIO XXXII.)

98. *Quoad alia habitus clericorum non reperitur in jure determinatus, etc. Intelligendo istud, affirmative: secus negative.* — Resp. III. Quantum ad alia habitus clericorum non reperitur in jure determinatus, ac proinde erit attendenda consuetudo locorum, in qua commorantur. Ita Glossa in Clem. 1. ✝. *Sæcularis. de Election.* et alia Glossa c. *Clerici officia.* ✝. *Deauratis* et Abbas, ibid. n. 17. h. t. Alexander, consil. 8. n. 4. vol. I. Jul. Clarus, lib. V. *Pract. criminal.* § fin. quæst. 36. n. 14. asserens, hanc esse veram conclusionem, si affirmative intelligatur, scilicet, quod sacri canones non constituant specialiter clericis certum habitum; sed negative non sit vera, cum multi habitus clericis prohibeantur, juxta dicenda in progressu Barbosa, lib. I. *Jur. Eccles. univ.* cap. XL. n. 20; Belletus, part. I. § 16. *de Disciplin. clerical.* n. 12. et alii. Ratio est, quia nullibi potest assignari, certum habitum pro clericis sæcularibus in jure fuisse præscriptum, saltem affirmative, seu quem portare teneantur. Unde etiam novissime concilium Tridentinum hujusmodi clericis determinatum habitum non præscripsit; sed sess. 14. cap. VI. *De Refor.* verbis duntaxat generalibus asseruit quod « oportet clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre. » Idemque repetit sess. 24. cap. XII. circa fin. *de Reform.* inter alia præcipiendo, ut clerici « vestitu insuper decenti tam in Ecclesia, quam extra, assidue utantur. » Quod ut melius intelligatur,

99. *Vestes clericorum non sint pomposæ, nec sordidæ; sed inter utrumque præ se ferant medium.* — Quæritur II. Quæ requirantur ad conservandam debitam qualitatem, sive decentiam vestium clericalium? Resp. I. Ut veste clericorum censeantur decentes, requiritur imprimis, ut nec sint pomposæ, aut vanam jactantiam redolentes, can. *Parcimoniam.* dist. 41. et can. *Omnis jactantia*, ac seqq. 21. q. 4. cum similibus; nec sordidæ, vel laceratæ, ne vilescat dignitas clericalis; sed inter utrumque præ se ferant medium aliquod, uniuscujusque statui et ordini conveniens. Ita Abbas c. *Clerici officia.* 15. n. 17. h. t. Belletus cit. § 16. n. 18. et seqq. et communis aliorum. Unde sanctus Hieronymus in epist. *ad Nepotianum*, cap. I, sic scribit: « Vestes pullas æque devita, ut candidas: ornatus, ut sordes pari modo fugiendæ sunt: alterum delicias, alterum gloriam redolet. »

100. *Earum decentia comprobatur ex eo, si sint conformes consuetudini provinciæ, in qua clerici commorantur: idque declaratur. Romæ non de facili distinctio habitus clericalis haberi potest: et cur?* — Resp. II. Decentia vestium clericalium comprobatur ex eo, si sint conformes communi usui proborum clericorum, seu consuetudini provinciarum, in qua clerici commorantur: nam consuetudo est optima legum interpres, c. *Cum dilectus.* 8. *de Consuetud.* et 1. *Si de interpretatione.* ff. *de Legib.*; Glossa cit. c. *Clerici officia.* ✝. *Deauratis.* h. t. Belletus, ubi supra, n. 12; Farinacius, lib. I. *Praxis criminal.* quæst. 8. n. 69. et alii. Unde card. de Luca in Annotat. *ad S. concilium Trident.* discurs. 24, n. 22. ac 23. et 30. et 31. inter alia dicit, quod quidem vestis clericalis, ex sacrorum canonum præscripto, vere ac proprie illa sit, quæ est inter genua et talos: varius tamen sit locorum, ac respective personarum usus. Quoniam in civitatibus, aliisque locis civilibus, in quibus cum decore vivitur, vestes clericales sunt longæ ultra talos: in parvis autem, vel obscuris locis, ob clericorum paupertatem, vix ad genua ascendunt; ita tamen ut ob diversum usum a sæcularium vestibus adhuc distinguantur, attendendo simul ad diversitatem regionum, vel personarum vario usus. Etenim in Urbe (inquit citatus auctor) et Statu ecclesiastico, aliisque forsan Italiæ partibus, non de facili certa distinctio habitus clericalis haberi potest, eo quod antiquus retineatur usus togæ in aliquarum scientiarum professoribus, seu gradum doctoratus habentibus, ipso amussim modo, quo utuntur clerici. Plura de hoc card. de Luca, ubi supra.

101. *Clericis prohibitum est, uti publice pannis rubeis, aut viridibus.* — Resp. III. Ad conservandam decentiam vestium clericalium nonnulla reperiuntur, quæ quoad formam et colorem habitus per sacros canones specialiter sunt clericis interdicta. Ita communis; et patet inductione. Sic quippe vestium rubeum, aut viridem, expresse prohibet clericis concilium generale, relatum c. *Clerici officia.* 15. h. t. illis verbis: « Pannis

rubeis, aut viridibus, nec non manicis, aut sotularibus consutitiis non utantur. » Concordat clem. 2. in fin. h. t. ubi pariter præcipitur, ut « clerici, præsertim beneficiati, caligis scacatis, rubeis, aut viridibus publice non utantur : » haud obstante, quod istis coloribus locus sit in Missæ sacrificio.

102. *Exceptis cardinalibus, qui utuntur galero rubeo; et episcopis, quibus permittitur color viridis.* — Excipiuntur cardinales sanctæ Romanæ Ecclesiæ quibus (nisi fuerint religiosi) uti licet vestibus purpureis, ac præsertim galero rubeo, quo cardinales uti voluit omnium primus Innocentius IV, prout in ejus vita scribit Platina; et notat Menochius, lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 392. n. 6. et seqq.; et Barbosa, lib. I. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. XL. n. 22. citans alios; atque hic etiam excipiens episcopos, quibus permittitur color viridis. (ADNOTATIO XXXIII.)

103. *Estque prohibitum clericis, uti vestibus fulgidis, partitis, aut diffibulatis.* — Deinde clericis prohibitum est, uti vestibus fulgidis, aut variatis ex sericis texturis, vel variorum colorum ornamentis; prout in septima synodo statutum fuit, atque refertur can. *Omnis.* 21. q. 4. præmissa illa ratione : « Quia omnis jactantia, et ornatura corporalis (quæ fit causa voluptatis, ut explicat Glossa ibidem) a sacrato ordine aliena est. » Concordat can. *Præcipimus*, ead. caus. 21. qu. 4. Insuper prohibetur eisdem clericis, ne unguentis inungantur : intellige, non propter ægritudinem, sed ut melius redoleant causa voluptatis. Textus, et Glossa ỷ. *Qui unguentis.* cit. can. *Omnis.* Item, ne utantur vestibus fucatis, seu virgatis, aut partitis (hoc est, cum scissuris vanitatem redolentibus) neque diffibulatis, aut quamdam superfluitatem præ se ferentibus, can. *Præcipimus.* 21. q. 4. et c. *Clerici officia.* 15. h. t. clem. 2. eod. Ubi etiam diversæ pœnæ statuuntur illis, qui hujusmodi prohibitis vestibus publice utuntur : nisi forsan subsit rationabilis causa transformandi habitum, puta, ad occultandum statum clericalem ex timore aliorum gravium incommodorum ; prout ibidem limitatur, et inferius ex professo dicetur.

104. *Vel frænis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, corrigiisque auri, vel argenti ornatum habentibus.* — Rursus prohibitum est clericis, « ne frænis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentibus, utantur — Fibulas omnino non ferant, neque corrigias auri, vel argenti ornatum habentes : sed nec annulos, nisi quibus competit ex officio, dignitatis. » Ita inter alia decrevit concilium generale, relatum d. c. *Clerici officia.* 15. h. t. Nec immerito : quia clerici non debent in vestibus, vel calceamentis decorem quærere, sed honestatem, can. *Clericus.* dist. 41. Quinimo, ut proxime dictum est, omnis jactantia, et ornatura corporalis, atque superfluitas ab ordine sacrato penitus debet esse aliena, can. *Omnis.* et can. *Præcipimus.* 21. quæst. 4. et cap. I. *Ne clerici vel monachi*, etc. Taceantur similia, de quibus Belletus cit. part. I. § 16. *de Disciplin. clerical.* n. 4, ac seqq. et Barbosa d. cap. XL. n. 17 et seqq. aliique passim. (ADNOTATIO XXXIV.)

105. *Quæ sunt pœnæ clericorum non deferentium habitum, et tonsuram clericalem? Hæc quæstio non habet locum in clericis minoristis, nullum beneficium habentibus.* — Quæritur III. Quæ sint pœnæ clericorum non deferentium habitum, et tonsuram clericalem ? Hæc quæstio procedit duntaxat de clericis constitutis in ordinibus sacris, aut beneficium ecclesiasticum obtinentibus : nam quod clerici minoristæ, ac nullum beneficium habentes, ad delationem habitus et tonsuræ clericalis non teneantur, sicque ex omissione istius nullam pœnam mereantur, nisi quod non gaudeant privilegio fori, jam dictum est supra § præced. n. 69. et seqq. Verum loquendo de cæteris.

106. *Referuntur pœnæ in concilio Tridentino, sess. 14, cap.* VI de Reform. *contra clericos non deferentes habitum clericalem statutæ.* — Resp. I. Clerici habitum ordini, et dignitati convenientem non deferentes, si moniti ab episcopo, etiam per edictum publicum, resipiscere noluerint, imprimis puniendi sunt per suspensionem ab ordinibus, officio, et beneficio ; quod si semel moniti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, et beneficiorum coerceri possunt, ac debent. Textus est in concilio Tridentino sess. 14. cap. VI. *de Reform.* ubi in hæc verba statutum habetur : « Propterea omnes ecclesiasticæ personæ, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacunque ecclesiastica obtinuerint, si, postquam ab episcopo suo, etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem illorum ordini, ac dignitati congruentem, et juxta ipsius episcopi ordinationem, et mandatum non detulerint ; per suspensionem ab ordinibus,

ac officio et beneficio, ac fructibus, redditibus, et proventibus ipsorum beneficiorum, nec non, si semel correpti denuo in hoc deliquerint etiam per privationem officiorum, et beneficiorum hujusmodi coerceri possint, et debeant: Constitutionem Clementis Quinti, in concilio Viennensi editam, quæ incipit: *Quoniam, innovando, et ampliando.* » Hæc ibi: quanquam, uti colligitur ex allegatis verbis, præfatæ pœnæ sint duntaxat ferendæ sententiæ.

107. *Et aliæ in Clem. II, h. t. contentæ.* — Cæterum memorata constitutio Clementis V. quæ incipit; *Quoniam*, atque per relatum concilium Tridentinum non solum innovatur, verum etiam ampliatur, gravioribus videlicet pœnis in transgressores superadditis, refertur in Clem. 2. h. t. Ubi « clerici virgata, vel partita veste publice utentes, nisi rationabilis causa subsit, » pro diversitate ordinis, et dignitatis suæ diversis pœnis subjiciuntur. Nam alia pœna imponitur clericis beneficiatis, nempe suspensio a perceptione fructuum per sex menses: alia subdiaconis, et diaconis non beneficiatis, qui per idem tempus redduntur eo ipso inhabiles ad ecclesiasticum beneficium obtinendum: et alia habentibus dignitatem, personatum, vel beneficium curatum, qui per annum eo ipso decernuntur suspensi a perceptione fructuum, et alia cæteris sacerdotibus, nempe inhabilitas per tempus annale ad quodcunque beneficium ecclesiasticum obtinendum. Prohibendo simul quibuscunque clericis, ne utantur « epithogio, seu tabardo foderato usque ad oram, et ita brevi, quod vestis inferior notabiliter videatur: » Idque sub gravibus pœnis, atque apposita obligatione, vestem hujusmodi intra mensem dandi pauperibus; prout amplius ibidem continetur.

108. *Vestis virgata, vel partita quæ?* — Porro per « Vestem virgatam, vel partitam, » intelligitur vestis diversi coloris, aut diversarum partium superinductione notabilis, arg. can. ult. 20. q. 1. et notat Glossa in cit. Clem. *Quoniam.* ℣. *Partita.* et Barbosa ibid. n. 2; Bonacina tom. III. *de Censuris.* disp. 3. quæst. 6. punct. 6. n. 1. asserens, nomine « Vestis virgatæ, vel partitæ, » intelligi vestem habentem diversos colores intextos cum ipso panno, vel artificiose superinductos, seu superimpositos.

109. *Epithogium, seu tabardum foderatum quod?* — *Epithogium* vero est genus palli, quod supra togam ferebatur: prout Calepinus ℣. *Epithogium.* ex Quintil. lib. I. cap. v. docet. Idemque importat *Tabardum:* quod tunc demum est prohibitum, atque jussum dari pauperibus, quando usque ad oram est foderatum (id est, serico, aut panno, vel alia re suffultum) simulque ita breve, quod vestis interior notabiliter videatur. Istud quippe pugnat contra can. *Omnis.* et can. *Præcipimus.* 21. q. 4. ubi prohibetur omnis jactantia, superfluitas in vestibus clericorum; et contra can. penult. dist. 23. ubi superior vestis clericorum jubetur esse talaris, seu pertingens usque ad talos: et contra c. *Clerici officia.* 15. h. t. ubi clericis mandatur, « ut clausa deferant desuper indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda. » Hinc Glossa in cit. Clem. *Quoniam.* ℣. *Videatur.* et Imola ibid. circa fin. h. t. respondet, Clementinam hanc non habere locum in tabardo brevi non foderato: cum ea sit pœnalis, sicque non extendenda ultra proprietatem verborum, c. *Statutum.* 22. *de Election.* in 6. et c. *Odia restringi.* 15. *de Reg. jur.* in 6. cum concordantiis. (ADNOTATIO XXXV.)

110. *Aliæ pœnæ. Remissive.* — Tacentur pœnæ privationis beneficiorum, et inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda, quæ post concilium Tridentinum per constitutionem 92. Sixti V. *Cum sacrosanctum*, statuuntur contra clericos beneficium ecclesiasticum, aut pensionem valorem sexaginta ducatorum auri excedentem obtinentes, nisi intra certum tempus detulerint tonsuram, et habitum convenientem: nam de ista constitutione sixtina, uberius jam dictum est supra § præced. n. 64. 65. et seqq.

111. *Dantur nihilominus plures casus, in quibus ejusmodi pœnæ locum non habent.* — Resp. II. Dantur nihilominus plures casus, in quibus memoratæ constitutiones, earumque pœnæ, locum non habent. Ita Barbosa lib. I. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. XL. n. 33. et seqq. et communis aliorum; idque probatur inductione, enumerando tales casus.

112. *Ut si clericus absque habitu, et tonsura, incedat ex justa causa timoris.* — Sic imprimis clericus absque habitu, et tonsura incedens, præfatas pœnas non incurrit, quando « ex causa rationabili » id facit, juxta sæpe cit. Clem. 2. h. t. Sive, quando « justa causa timoris exegerit habitum transformari, » prout loquitur concilium generale, relatum in c. *Clerici officia.* 15. h. t. Quamobrem excusatur, qui vestibus non clericalibus utitur, dum transiturus est per loca infidelium, vel hære-

ticorum, cum periculo vitæ, aut ob metum servitutis, verberum, vel alterius gravis incommodi, Barbosa in Clem. *Quoniam*. n. 2. h. t.; Bonacina tom. III. *de Censuris*. disp. 3. quæst. 6, punct. 6, n. 2; post Glossam in c. *Si quis ex clericis*. 4. ỹ. *Relaxaverit*, h. t. id declarans exemplo clerici, qui a papa reprehensus, quod sine tonsura, habituque clericali Romam accessisset, illis versiculis, sese excusavit :

Tutius ut peterem laici sub imagine Romam,
Fas fuit, ut sinerem luxuriare comam.

113. *Vel propter infirmitatem, aut paupertatem.*— Deinde, atque ob eamdem rationem, seu «ex causa rationabili,» excusatur clericus non deferens tonsuram propter infirmitatem. Bellettus, part. 1. *Disquisit. clerical.* tit. *de Disciplin. cleric.* § 17. n. 9; Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 9, n. 17. et alii. Idemque dicendum de clerico, qui ratione paupertatis habitum, proprio ordini congruentem, deferre non potest. Barbosa, lib. I. *Jure ecclesiast. univ.* cap. XL. n. 33. allegans alios.

114. *Clerico itineranti, vel peregrinanti, licitum est habere vestes breviores.* — Similiter clerico itineranti, vel peregrinanti, licitum est habere vestes breviores arg. can. *Episcopi*. 21. q. 4; Belletus. loc. cit. § 16. n. 14; Barbosa, d. cap. XL. n. 37. citans alios; atque referens, ita sacram congregationem cardinalium, negotiis episcoporum et regularium præpositorum, rescripsisse archiepiscopo Ulyssiponensi sub die 18. Octob. 1589. Nam etiam hic subintrat causa rationabilis, commodioris videlicet itinerationis, in Clem. 2. h. t. ponderata.

115. *Propter unicam dimissionem habitus, non incurrit clericus pœnas illas.* — Ulterius pœnas supra enumeratas non incurrit clericus propter unicam dimissionem habitus. Ita Farinacius, lib. I. *Praxis criminal.* quæst. 8. n. 68. asserens, quod unica dimissio habitus non privet clericum privilegio clericali; sed necessaria sit tanta perseverantia, ut publice existimetur laicus. Barbosa cit. cap. XL. n. 32. post Aloys. Riccium in collect. decis. part. IV. collect. 956. limit. 4. Ugolinum *de Offic. episcop.* cap. XII. § 6. n. 3. et alios; card. *de* Luca in Annot. *ad concil. Trident.* discurs. 24. n. 32. asserens, delationem habitus moraliter, non autem physice intelligendum esse. Et favet textus in l. *Quidquid in calore iracundiæ*. ff. *de Reg. jur.* ubi in brevi reversa uxor, divertisse non videtur. Paulus Piasecius part. II. *Praxis episcop.* cap. III. art. 2. n. 30. ubi addit, quod in aliis indecentiis, non expressis in Constitutiones Sixti V. *Cum sacrosanctum*, ultra frequentationem actus, puta, dimissionem habitus clericalis, etiam requiratur monitio præcedens ad incurrendas pœnas præscriptas. Atque hoc ultimum confirmatur ex verbis concilii Tridentini supra n. 106. relatis.

116. *Idem dicendum de clerico, qui domi suæ, atque in occulto habitum clericalem dimittit.* — Insuper non incurrit pœnas hactenus declaratas clericus, qui domi suæ, atque in occulto, habitum clericalem dimittit. Glossa Clem. 2. ỹ. *Publice*. et Ancharanus, ibid n. 2; Barbosa in collect. n. 2, h. t. et Bonacina *de Censuris*, disp. 3, quæst. 6, punct. 6, n. 1. allegans communem. Siquidem cit. Clem. Quoniam. 2. h. t. expresse loquitur de Clericis publice deferentibus vestes ibidem prohibitas : secus ergo dicendum, quando deferuntur solummodo domi, atque in occulto. Accedit, quod tunc cesset ratio in concilio Tridentino sess. 14. cap. VI. *de Reform.* ponderata; nempe ut clerici « per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinse cam ostendant : atque (ut loquitur Sixtus V. in citata constitutione sua) singulari aliquo signo, a reliquo populo distinguantur. » Talia enim non congruunt occultæ, seu domesticæ dimissioni habitus : nam domus denotat rem secretam, et non publicam, arg. can. *Ex merito*. 6. q. 1. juncta Glossa fin. ibid. referente illum Juvenalis versiculum :

Scire volunt secreta domus, atque inde timeri.

117. *Religiosi diversarum religionum, missi ad prædicandum infidelibus evangelium, possunt, atque debent eumdem habitum assumere, ne apud neophytos scandalum oriatur; et quomodo?* — Tandem religiosi diversarum religionum, atque ad prædicandum infidelibus sanctum Evangelium missi, ne propter habituum diversitatem in populo, aut neophytis scandalum oriatur, possunt, atque debent unum eumdemque habitum Evangelii prædicatoribus convenientem assumere : sicque habitum suæ religionis deponère, arg. c. *Deus qui*. 11. h. t. Vel saltem, aliis vestibus superindutis, occultare. Glossa fin. ibid. et alia Glossa can. *In nona*. 16. q. 7. ỹ. *Nec habitu*. Abbas tit. cap. *Deus qui*. n. 4. h. t. asserens, dictum Glossæ communiter approbari, tum quia plus est, habitum omnino de-

ponere; quam occultare; tum quia, licet textus ibidem videatur indistincte loqui, tamen conformitatem in habitu solummodo permittit religiosis diversorum ordinum ratione scandali evitandi: atqui hæc ratio urget duntaxat in exteriori gestatione proprii habitus diversi, non autem, si iste aliis vestibus superindutis occultetur; ergo.

§ V.

QUALITER PROHIBITUM SIT CLERICIS GESTARE ARMA ET EXERCERE NEGOTIATIONES, LUDOSQUE THEATRALES?

118. *Clericis sub pœna excommunicationis prohibitum est arma portare. Nulla pœna major est in Ecclesia quam excommunicatio.* — Quæritur I. An, et qua ratione clericis sit prohibitum, arma gestare? Resp. I. Clericis sub pœna excommunicationis prohibitum est, arma gestare. Textus est in cap. II. h. t. ibi: « Clerici arma portantes, et usurarii, excommunicentur. » Adeoque, ut infert Abbas ibid. n. 1. peccant mortaliter arma prohibita deferendo: quia excommunicatio non fertur, nisi pro gravi crimine, can. *Nemo Episcoporum.* et can. *Nullus sacerdotum.* 11. q. 3. Siquidem nulla pœna major est in Ecclesia, quam excommunicatio, can. *Corripiantur.* 24. q. 3.

119. *Clericatus officium clericos reddit inhabiles ad pugnandum. Clericorum arma, sunt orationes. Magis religione, seu orationibus, quam labore corporis, respublica continetur.* — Accedit ratio. Quia « Clericatus officium clericos reddit inhabiles ad pugnandum, » ut dicitur c. *Ex multa.* 9. § fin. *de Voto.* Non enim possunt simul Deo, et sæculo servire, can. *Quicunque ex clero.* 23. q. 8. Unde clericorum arma, et munimenta, debent esse orationes, can. *Convenior.* § *Quid ergo.* 23. q. 8. Exemplo Moysis, qui orando vicit Amalecitas, *Exod.* XVII, 12. ut refertur can. *Si quis vult.* dist. 36. Nam magis religione, seu orationibus, quam labore corporis, vel sudore rempublicam contineri, ultro confessi sunt Constantius, et Constans imperatores refertur can. *In qualibet.* 23. q. 8. Quinimo clerici, si in quacunque seditione arma volentes sumpserint, tanquam sacrorum canonum contemptores, et ecclesiasticæ sanctitatis profanatores, amisso sui ordinis gradu, in monasterium pœnitentiæ tradi jubentur, can. *Clerici qui.* et can. *Quicunque ex clero.* 23. q. 8.

120. *Pœna excommunicationis in clericos arma gerentes non est latæ sententiæ.* — Resp. II. Pœna excommunicationis in clericos, arma prohibita gerentes, cit. cap. II. h. t. statuta, non est latæ sententiæ, sed primum ferenda per judicem, si clerici admoniti non deponant arma, sicque contumacia accesserit. Ita desumitur ex textu cit. cap. II. h. t. dum inquit, *Excommunicentur*: ac notat Abbas, ibid. n. 8. et Barbosa, in *Collectan.* n. 3. Pirhing, h. t. n. 22. et alii.

121. *Loquendo de clericis sæcularibus: secus de religiosis tenentibus arma intra septa monasterii sine licentia superioris.* — Atque istud procedit in clericis sæcularibus. Nam monachi tenentes arma intra septa monasterii sine licentia superioris, ipso facto sunt excommunicati, Clem. *Ne in agro.* 1. § *Quia vero. de Statu monach.* juncta Glossa ✠. *Tenentes* et Abbate ibid. n. 20. Siquidem locus sacer aggravat delictum, c. *Sicut dignum.* 6. § 1. *de Homicid.*; Bellettus, *Disquis. cleric.* part. III. § 49. *De pœnis clericor.* n. 4. Quinimo Abbas in cap. II. n. 8. h. t. istud intelligit de quocunque religioso: quamvis textus in cit. Clem. de monachis duntaxat faciat mentionem: atque idcirco Glossa ibid. ✠. *Monachos*, hinc excipiendos arbitretur canonicos regulares.

122. *Ex justa causa tamen possunt clerici arma portare: puta, ad se, resque suas defendendas.* — Resp. III. Ex justa tamen causa, puta, ad se, vel proximum, propriasque, vel alienas res contra invasorem defendendas, licitum est clericis arma portare. Ita Glossa in cit. cap. II. ✠. *Clerici arma.* et Abbas, ibid. n. 8. et Barbosa, n. 5. h. t.; Bellettus, part. I. *Disquis. clerical.* § 17. *de Disciplin. clerical.* n. 14. ac seqq. et alii. Idque patet ex c. *Dilecto.* 6. *de Sentent. excommun.* in 6. ubi hoc ipsum amplius declaratur, addita ea ratione: quia « omnes leges, omniaque jura, vim vi repellere, cunctisque se defensare permittunt. » Hoc autem non verificaretur in clericis, si ipsis nullo modo arma gestare liceret.

123. *Item, si clerici iter periculosum ingrediantur.* — Infertur proinde, quod, si clericis iter periculosum ingrediuntur, possint ad terrorem latronum, sive hostium, secum portare arma nedum defensiva, sed etiam offensiva. Glossa cit. cap. II. ✠. *Clerici arma.* et Abbas ibid. n. 8. h. t. Possunt etiam secum ducere familiares armatos, can. *Maximianus.* 23. q. 3. Bellettus cit. § 17. n. 14.

Imo consuetudine jam receptum est, ut clerici iter facientes arma defensoria secum ferant. Pirhing h. t. n. 22.

124. *Clericus minorista, si militiæ operam dederit, excluditur a clericatu. Ac censetur tacite, seu ipo facto renuntiare beneficio, quod obtinet, etc. An vacet ipso jure beneficium ejus præhabitum?* — Resp. IV. Quod si clericus in ordinibus minoribus constitutus, non solum arma deferat, sed etiam militiæ operam dederit, tunc is a clericatu excluditur, can. *Si quis post remissionem* dist. 50. et can. *Aliquantos.* ac seqq. dist. 51; Belletus, *Disquisit. clerical.* part. I. § 11. *de Disciplin. clerical.* n. 7. Nam eo ipso, quod sæcularem militiam assumat, videtur clericali militiæ renuntiasse: quia non potest simul Deo, et sæculo servire, can. *Quicunque ex clero.* 23. q. 8. et c. *Ex multa.* 9. § fin. *de Voto.* Abbas c. *Ut consultationi.* seu cap. ult. n. 1. *de Clericis non resident.* Julius Clarus, lib. V. quæst. 73. n. 6. Atque ideo extinguitur pensio ecclesiastica ob assumptionem militiæ sæcularis, utpote incompatibilis cum clericatu. Card. de Luca, *de Pensionib.* discurs. 47. n. 3. Simulque clericus, qui effectus est miles sæcularis, tacite, seu ipso facto renuntiare videtur beneficio ecclesiastico, quod obtinet. Glossa in cap. ult. ỷ. *Redierint. de Cleric. non resident.* Flamin. Parisius, *de Resignat. benefic.* lib. 1. quæst. 1. n. 22. Farinacius, part. I. *Fragment. criminal.* litt. C. n. 184. Gonzalez ad reg. 8. cancellar. Gloss. 14. n. 63. et alii. Adeo, ut ipso jure vacet beneficium per militiam sæcularem. Barbosa part. III. *de Offic. episc.* allegat. 57. n. 216. post Glossam cap. ult. ỷ. *Redierint. de Cleric. non resident.* et alios. Nam eo ipso (inquit) quod beneficiarius sit miles, habetur Ecclesia pro derelicta, ita ut ordinarius jure possit illam alteri concedere. Verum idem Barbosa c. *Ut consultationi.* n. 3. *de Cleric. conjugat.* requirit ad hoc declarationem: ait enim post Ant. Ricciulum *de Jure personarum extra gremium Eccles. existent.* lib. VII. cap. v. n. 12. et alios, quod clericus miles effectus, adeo dicatur a statu ordinis alienus, ut statim atque declaratur miles, videatur ipso facto beneficium resignare: Concordat card. de Luca proxime citandus. Quinimo Innocentius in cap. I. *de Apostatis,* ad istud ulterius requirit, ut clericus factus miles exercuerit sæva, sive actum aliquem clericatui contrarium arg. can. *Aliquantos,* dist. 51.

125. *Limitatur hoc simulque magis declaratur.* — Fatendum vero est, quod plures dentur casus, in quibus clerici absque amissione privilegii clericalis possint militare: ut pro papa, vel defensione patriæ, etc. card. de Luca *de Pensionib.* discurs. 46. n. 9. et 14. Qui proinde in annot. *ad concil. Trident.* discurs. 24. n. 38. dicit, episcopos desuper posse procedere, non quidem per viam privationis, sed per viam declarationis. Et si tales clerici dimissa militia velint adimplere unam ex conditionibus a concilio Tridentino, sess. 23. cap. VI. *de Reform.* præscriptis, ipsi rursus sint recuperaturi privilegia clericalia; cum character ordinis sit indelebilis: de quo plura idem card. de Luca loc. cit. n. 85. et seqq.

126. *Clericis est prohibitum, exercere officia, vel commercia sæcularia.* — Quæritur II. An, et sub quibus pœnis prohibitum sit clerici, exercere negotiationes sæculares? Resp. I. « Clerici officia, vel commercia sæcularia non exerceant, maxime in honesta. » Ita his ipsis verbis habetur statutum. c. *Clerici officia.* 15. h. t. Ubi Abbas n. 3, ponderando ly *maxime* infert, quod clerici etiam honesta commercia sæcularia exercere nequeant, quando non indigent: secus, quando indigent, can. *Clericus victum.* dist. 91, et cap. I. *de Celebrat. Missar.* Aut nisi illud fiat propter curam pupillorum, aut viduarum, can. 1. dist. 88. Vel propter diversas necessitates, cap. I. *Ne Clerici vel monachi,* etc. cum concordantiis.

127. *Maxime inhonesta: et quæ sint talia?* — Porro inter officia, seu commercia sæcularia inhonesta, connumerantur ea, quæ vel clericis expresse in jure sunt prohibita: ut, tabernam cauponariam publice tenere, can. *Nulli clerico.* dist. 44. et Clem. 1. h. t. Aut lanionum, seu macellariorum officium publice, ac personaliter exercere, cit. Clem. 1. h. t. Vel, quæ reputantur esse officia sordida, ac proinde dedecent clericos, utpote in sortem Domini specialiter vocatos, atque ad obeunda ministeria ecclesiastica deputatos: ut est, publice agere fabrum, pelles vel coria parare, aut alia hujusmodi vilia et immunda exercere. Speculator, tit. *de Clericis conjugat.* n. 6. et 7. et Abbas, cap. ult. n. 16. h. t. asserens, doctores quoad hoc punctum sese remittere ad notata per citatum speculatorem.

128. *Specialiter clericis prohibitum est, negotiatorem agere.* — Resp. II. Specialiter vero clericis prohibitum est, negotiatorem agere,

seu cupiditatis, ac turpis lucri gratia negotiis sæcularibus sese immiscere. Patet hoc ex can. *Consequens.* et can. *Ejiciens*, dist. 88. et cap. I. *Ne Clerici vel monachi* etc. c. *Secundum.* 6. eod. cum similibus. Idque merito : quia, ut divus Apostolus II. *ad Timoth.* II, 4, inquit: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.* Quinimo Salvator legitur etiam e templo ejecisse negotiatores, seu vendentes, et ementes, *Matth.* XXI; *Marc*, XI, 24; *Lucæ*, XIX, 41; et *Joan.*, XI, 14, etc., addita ea ratione, Ne domus orationis fieret spelunca latronum. Siquidem.

129. *Negotiatio sine periculo peccati non exercetur.* — Negotiatio sine periculo peccati non exercetur, can. *Qua itas. de pœnit.* dist. 5. ubi Leo papa ad Rusticum episcopum scripsisse legitur : « Difficile est inter ementis, vendentisque commercium, non intervenire peccatum. » Quia, ut Glossa fin. ibid. observat, contrahentibus naturale est, sese invicem decipere, l. *In causæ.* 16. § *de Minorib.* et l. *Item si pretio* § *Quemadmodum* ff. *Locati.*

130. *Possunt tamen clerici honesto quopiam artificio, vel agricultura, victum sibi conquirere : et quæ disparitas?* — Nec obstat, quod clericis sit permissum, imo et injunctum, ut honesto quopiam artificio, vel agicultura, victum sibi conquirant; dummodo id fiat absque detrimento officii sui Ecclesiastici, can. *Clericus victum.* dist. 91. ubi quartum concilium Carthaginense sic statuisse legitur : « Clericus victum, et vestimentum sibi artificiolo, vel agricultura, absque officii sui duntaxat detrimento, paret. » Concordat can. *Presbyter.* et can. *Cleribus quantumlibet.* dist. 91. et cap. I. *de Celebrat. Missar.* et cap. I. *Ne Clerici vel monachi*, etc. Idque suadetur exemplo divi Apostoli, qui de labore manuum suarum videbat, *Actor.* XX, 34, cum similibus. Resp. enim, ita procedere quidem de agricultura, et honesto artificio; non vero de negotiatione : quia, ut cum aliis notat Abbas cap. ult. n. 14. h. t. est notabilis differentia inter negotiationem, et artificium. Siquidem.

131. *Negotiatio, quid?* — *Negotiatio* dicitur, quando res empta, non mutata materia, alteri venditur : de qua proinde can. *Quid est aliud.* dist. 88. dicitur : « Quid est aliud negotium, nisi, quæ possint vilius comparari, carius velle distrahere. » Concordat textus in can. *Ejiciens*, ead. dist. 88. Et talis negotiatio est clericis beneficiariis, aut in sacris ordinibus constitutis prohibita, ut proxime dictum. Addit Bellettus in *Disquisit. clerical.* part. II. § 51. *de Pœnis clericor.* n. 1. etiam tunc intervenire negotiationem clericis interdictam, quando quis eorum rem quampiam, v. g. lanam emit, ut suis expensis per mercenariorum, et opificum industriam, laboremque (non autem per semetipsum) aliquid efficiat; puta, ex lana empta pannum conficiat postea revenditurus, ut inde aliquid lucrari possit.

132. *Artificium, quid; et cur clericis permissum, non negotiatio?* — *Artificium* vero est, quando quis emit aliquam materiam, quæ postea per artem reducitur ad aliam formam : ut si quis emat vimina, et faciat canistra; vel emat filum, et faciat retia, aut hujusmodi can. *Ejiciens*, dict. 88. Et tale artificium non est clericis prohibitum, qui potius recommendatum, sicut et agricultura, dummodo fiat absque neglectu officii ecclesiastici : quia non implicat ad peccatum, sicuti negotiatio, quæ solet homines inducere ad mendacia, perjuria, fraudes etc. Hinc etiam Apostoli post Christi passionem redierunt ad piscandum, *Joan.* XXI, 6. Sanctus Matthæus vero ad telonium non amplius recedit quia istud posterius simplicat ad peccatum, non vero prius; prout notavit sanctus Gregorius papa Homil. 24. *in Evangelia.*

133. *Clerici in sacris, etc., exercendo negotiationes prohibitas peccant mortaliter; possuntque suspendi, imo et excommunicari.* — Resp. II. Clerici in sacris constituti, aut beneficium ecclesiasticum habentes, exercendo negotiationes prohibitas peccant mortaliter; possunt suspendi a divinis, imo et excommunicari : et si tertio admoniti non resipiscant, etiam aliis pœnis arbitrariis puniri. Ita Barbosa lib. I. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. XL. n. 114. et 128; Belletus *Disquis. clerical.* part. II. § 51. *de Pœnis clericor.* n. 2. et alii. Idque patet ex can. *Negotiatorem*, dist. 88. ubi dicitur : « Negotiatorem clericum, et ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fuge. » Concordat c. *Sed nec procurationes.* 4. et c. *Secundum* 6. *ne clerici vel monachi*, etc. In quorum priori loco clericus, contra doctrinam Apostoli implicans se negotiis sæcularibus, jubetur suspendi, seu ab « Ecclesiastico fieri ministerio alienus. » In posteriori autem « sub interminatione anathematis prohibetur, ne monachi, vel clerici, causa lucri negotientur : » ac proinde contra facientes sunt excommunicandi. Atqui

pœnæ tam graves imponi non solent, nisi propter peccatum mortale : et consequenter clericus, exercendo negotiationes sæculares, peccat mortaliter.

134. *Nisi excuset parvitas materiæ, vel necessitas.* — Intellige, nisi excuset parvitas materiæ; puta, si clericus semel, aut bis duntaxat, negotiatus fuisset : quia tunc non censeretur peccasse mortaliter. Barbosa cit. cap. XL. n. 120; Diana part. I. tract. *de Contractib.* resol. 72. et alii. Aut nisi excuset necessitas : puta, qui aliunde clericus non habet, unde vivat. cap. I. *Ne clerici, vel monachi,* etc. Barbosa loc. cit. n. 119. cum aliis.

135. *Referuntur etiam alii casus, in quibus clerici non incurrunt reatum illicitæ negotiationis.* — Insuper clericus ex motivo charitatis licite potest emere victualia, ut habeat tempore inopiæ, vel famis, non solum pro suo usu, sed etiam, ut aliis egentibus tunc vendere possit pro currente pretio : dummodo istud non faciat lucri gratia (tale enim *turpe lucrum* dicitur, can. *Quicunque.* 14. q. 4.) sed, ut dictum, ex motivo charitatis, nimirum ut hac ratione aliis indigentibus subvenire valeat, exemplo Josephi pro regis Ægypti. Innocentius, et Abbas cap. I. n. 9. *Ne clerici vel monachi* etc. Aloys. Riccius part. III. *Praxis.* resolut. 199. n. 3. et resolut. 202. n. 2. et alii, ubi a principio defuit animus negotiandi, seu lucrandi (puta, quia clericus emit pertinentia ad suum, suæque familiæ usum, et sustentationem, v. g. frumentum, butyrum, aut hujusmodi pro toto anno, ac præter propositum empta supersunt, quæ postea revendit aliis pretio currente, licet cariore) non incurrit delictum, neque pœna negotiationis in foro externo. Riccius cit. resolut. 202. n. 1; Barbosa d. part. I. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. XL. n. 122. allegans alios. Potest etiam clericus agros beneficiorum, aut bonorum suorum patrimonialium, opera laicorum colere, absque metu illicitæ negotiationis. Sacra Congregatio concilii Tridentini, relata per Barbosam loc. cit. n. 127. vers. ad primam respondit. Possunt quoque clerici retinere, atque locare boves, oves, aliaque animalia, quæ habent ex successione, vel decimis; nec non fructus illorum vendere, absque relatu illicitæ negotiationis : possuntque pariter vendere granum, hordeum, et alios fructus recollectos ex bonis patrimonialibus, vel ecclesiasticis pro sua, et suorum sustentatione. Eadem sac. Congregatio concilii, apud Barbosam, loc. cit. ubi plures aliæ consimiles limitationes videri possunt : nam de his commodius agetur infra tit. L. *Ne clerici, vel monachi,* etc. declarando simul ex professo, quænam in specie censeantur negotiationes clericis interdictæ, nec ne.

136. *Et, si tertio moniti a negotiationibus sæcularibus non abstinuerint, perdunt interim quoad bona sua privilegium clericale.* — Resp. III. Præter pœnas supra enumeratas, si clericus tertio admonitus a negotiationibus sæcularibus non abstineat, perdit interim quoad bona sua privilegium clericale. Textus est in cap. ult. h. t. ubi Glossa, Hostiensis, Joan. Andreas, Abbas in *Summario,* Vivianus, Barbosa, et communis aliorum. Ratio est, quia ejusmodi clerici admoniti, nec resipiscentes, « facto privilegium adjiciunt clericale : » unde tu, « quominus, dum his negotiationibus se implicant, de suis facultatibus, statutis et consuetudinibus patriæ subjaceant, non defendas eosdem, » prout ibidem loquitur textus. Quia enim negotiationes sæculares exercere, clericis est prohibitum, ut proxime dictum; hinc clerici transgressores reddunt se ipsos privilegio suo indignos. Nam frustra legis (seu Ecclesiæ) auxilium invocat, qui committit in legem, c. *Contingit.* 45. *de Sentent. excommunicat.* et c. *Quia frustra.* 14. *de Usuris.*

137. *Requiritur tamen ad hoc trina monitio; et quidem specifica.* — Dicitur primo, « tertio admonitus. » Quia, ut clericus negotiator perdat privilegium quoad bona sua, debet is tertio fuisse commonitus a superiore suo, juxta textum cit. cap. ult. h. t. ibi : « Si tales tertio a te commoniti, non resipuerint, » etc. Adeo, ut non sufficiat una monitio peremptoria. Glossa in Clem. 1. ℣. *Tertio.* h. t. Abbas cit. cap. ult. n. 5. et Barbosa ibid. n. 4. h. t. Pirhing eod. n. 28. et alii. Siquidem in pœnalibus, uti est præsens materia, verba debent intelligi stricte, et proprie; non autem large, et ficte, arg. l. III. § *Hæc verba.* ff. *de Negot. gest.* et c. *In nostra.* 8. *De injuriis.* Nec etiam sufficit monitio generalis, ut omnes clerici abstineant a negotiationibus : sed debet esse monitio specifica; ita ut apprehendat ejusmodi clericorum negotiatorem, juxta textum allegatum, « Si tales tertio a te commoniti, » etc. atque notat Abbas cit. n. 5.

138. *Et perdunt quidem interim ipso facto privilegium clericale quoad bona sua. Non vero quoad bona Ecclesiæ.* — Dicitur secundo, « perdit interim; » hoc est, donec desistat

ab illicitis negotiationibus sæcularibus. Et additur, « quoad bona sua privilegium clericale, » nempe quoad bona sua patrimonialia : adeo, ut quoad hæc ligetur statutis laicorum, certas gabellas, pedagia, vel alias præstationes exigentibus, nec possit se privilegio fori defendere. Nam facto suo privilegium abjecit clericale; uti loquitur textus in cit. c. *Ex litteris*, seu cap. ult. h. t. juncta Glossa ỳ. *Cum facto:* quæ solvens instantiam notat, quod, licet ipso verbo non possit clericus privilegio clericali renuntiare, c. *Si diligenti* 12. *de Foro competent.* et c. *Contingit.* 36. *de Sentent. excommunicat.* possit tamen huic renuntiare ipso facto, hoc est, tale quid committendo, ratione cujus redditur indignus privilegio clericali, et jura ipsum privant eodem. Atque istud procedit loquendo de bonis ipsius clerici negotiatoris; sive, ut inquit textus, « de suis facultatibus. » Nam secus est dicendum de bonis, seu facultatibus Ecclesiæ : quia « delictum personæ non debet in detrimendum Ecclesiæ redundare, » juxta reg. 76. in 6. ac notat Glossa fin. cit. cap. ult. h. t.

139. *Nec etiam quoad personam suam: sed gaudent privilegio canonis, et fori.* — Ulterius ejusmodi clerici negotiatores amittunt privilegium clericale solummodo quoad suas facultates, non vero quoad suam personam: adeoque adhuc gaudent privilegio canonis, can. *Si quis suadente.* 17. q. 4. Imo et privilegio fori : ut proinde, si in negotiatione illicita delinquant, falsa v. g. mensura utendo, non possint judicari, atque puniri a judice sæculari, sed a solo judice suo ecclesiastico. Bellettus cit. § 51. *de Pœnis cleric.* n. 7. Glossa d. cap. ult. ỳ. *Tertio.* in fin. Abbas ibid. n. 7. h. t. Pirhing eod. n. 28. Siquidem textus illius capituli, cum sit pœnalis, non debet a facultatibus clericorum, de quibus solummodo mentionem facit, extendi ad eorum personas, cap. *Odia.* 15. *de Reg. jur.* in 6. cum similibus. (ADNOTATIO XXXVI.)

140. *An clericis liceat exercere ludos theatrales, aut eisdem interesse? Si hi fuerint inhonesti, scurriles, aut profani, non debent fieri in templo, nec ubicunque per clericos, non obstante quacunque consuetudine.* — Quæritur III. Utrum clericis liceat exercere ludos theatrales, aut eisdem interesse? Resp. I. Ludi theatrales, si fuerint inhonesti, scurriles, aut profani, non debent fieri in templo, nec ubicunque per clericos in sacris ordinibus constitutos: haud obstante quacunque consuetudine, quæ potius dicenda est corruptela; et proinde penitus extirpanda, cum per eam Ecclesiæ, inquinetur honestas. Textus est in c. *Cum decorem.* 12. h. t. ubi Abbas, Vivianus, Barbosa, cæterique Doctores.

141. *Secus dicendum de ludis theatralibus, seu repræsentationibus sacris.* — Additur vero, « Ludi theatrales, si fuerint inhonesti, scurriles, aut profani. » Quia non prohibentur in templo fieri repræsentationes rerum piarum, ac mysteriorum fidei catholicæ: ut puta, repræsentando præsepe Domini, sepulchrum Christi, vel ascensionem ipsius, aut hujusmodi, quæ sunt idonea ad excitandam in hominibus devotionem, et recolenda mysteria fidei; non ad provocandam lasciviam, voluptates, aut risum, can. *Semel Christus. de consec.* dist. 2. Glossa cit. c. *Cum decorem.* ỳ. *Monstra.* et Abbas ibid. n. 1. et Barbosa n. 6. h. t. Bellettus *Disquisit. clerical.* part. I. § 23. n. 10. et alii docentes, quod etiam clerici possint facere repræsentiones rerum piarum, aut vitæ alicujus Sancti, atque illis interesse.

142. *Clerici mimis, joculatoribus et histrionibus non intendant. Non spectaculis, non pompis intersint, etc. Nuptiarumque evitent convivia: nec choreis, vel saltationibus misceantur.* — Resp. II. Ut « clerici mimis, joculatoribus, et histrionibus non intendant, » præcepit concilium generale, relatum c. *Clerici officia.* 15. h. t. Eisdem etiam injunctum legitur, ut « a mundi voluptatibus sese abstineant: non spectaculis, non pompis intersint: convivia publica fugiant, » etc. Textus est in can. *His igitur.* dist. 23. Ubi *Spectacula* intelligit turpes ludos, qui vel in Glossa per nuptiis, vel in scenis, aut alibi exhibentur; ut can. *Presbyteri.* dist. 34. statuente, ut « Clerici etiam alienarum nuptiarum evitent convivia; nec his cœtibus misceantur, ubi amatoria cantantur, aut turpia; aut obscæni motus corporum choreis, et saltationibus efferuntur: ne auditus, aut obtutus sacris mysteriis deputati, turpium spectaculorum, aut verborum contagione polluantur; » prout ibidem loquitur concilium Agathense. Unde, si adveniant histriones, seu joculatores, jubetur clericus surgere, et recedere de mensa, can. *Non oportet.* 37. *de Consec.* dist. 5. Glossa cit. can. *Presbyteri.* ỳ. *Etiam alienarum,* dist. 34. Abbas cit. c. *Cum decorem.* n. 1. h. t. Bellettus d. § 23. n. 6.

143. *Clericis joculatoriam artem exercens, qualiter puniatur?* — Resp. III. Quod si quispiam clericorum joculatoriam artem exercuerit (agendo videlicet joculatorem, seu histrionem, bufonem, sive goliardum, juxta diversitatem linguarum) atque per annum artem hujusmodi ignominiosam exercuerit, tunc ipso jure privatus est omni privilegio clericali : si autem tempore breviori id præstiterit, et tertio monitus ab ordinario non desistat, privatur per sententiam omni privilegio clericali. Ita textus in cap. I. h. t. in 6. et doctores ibid. Idque merito : nam clericus joculator multum detrahit dignitati ordinis clericalis, cum mercedis causa faciat ludibrium sui. Unde etiam spectato, jure civili, joculatores censentur infames, l. II. ff. *De his, qui notantur infam.* Et quidem ipso jure; prout notat Glossa ibid. ℣. *Definit.*

144. *Larvæ dæmonum sunt clericis prohibitæ.* — Resp. IV. Clericis etiam prohibitum est, larvas dæmonum ante se ferri consentire : quia hoc est diabolicum, can. *Nullus presbyterorum. de Consec.* dist. 5. Multoque magis, larvis se tegere c. *Cum decorem.* 12. h. t. Bellettus, ubi supra, § 23. n. 8. Tacentur plura hujusmodi, quæ vitam, honestatemque clericorum commaculant, sicque fugienda sunt; aut commendant, ac proinde clericis sunt prosequenda; de quibus tum in *Decreto Gratiani*, librisque *Decretalium*; tum in diversis Constitutionibus apostolicis sparsim agitur; atque per Bellettum integro tomo, *Disquisitio clericalis* intitulato, et in duas partes diviso, aliosque doctores, fusius declarantur. (ADNOTATIO XXXVII.)

TITULUS II.

De cohabitatione Clericorum et mulierum.

1. *Ratio ordinis titulorum.* — Cum clerici, præsertim in ordinibus sacris constituti, caste et continenter vivere teneantur, prout inter alia titulo præcedenti uberius dictum est; mulierum autem consortia vitam clericorum de incontinentia reddant suspectam : hinc merito post priorem subjungitur rubrica præsentis tituli, quem pro majori claritate juvat in duos paragraphos dividere.

§ I.

DE VITANDA CLERICIS COHABITATIONE MULIERUM, ET CONCUBINATU, HUJUSQUE PROBATIONE.

2. *Omnis suspecta cohabitatio cum altero sexu, est clericis interdicta.* — Quæritur I. Qualiter, et quibus cum mulieribus, prohibita sit clericis cohabitatio? Resp. I. Omnis suspecta cohabitatio cum altero sexu est clericis per sacros canones interdicta; ut non tantum ab ipso fœdo opere, sed etiam a quovis periculo, atque suspicione ipsius reddantur immunes. Hinc can. *Hospitiolum.* dist. 32. S. Hieronymus *ad Nepotianum, de Vita Clericorum*, in hæc verba scripsisse legitur : « Hospitiolum tuum aut raro, aut nunquam, mulierum pedes terant. Quia non potest toto corde cum Deo habitare, qui fœminarum accessibus copulatur. Fœmina conscientiam secum pariter habitantis exurit. Nunquam de formis mulierum disputes. Fœminæ nomen tuum noverint; vultum nesciant. Fœminam, quam bene videris conversantem, mente dilige, non corporali frequentia. Si bonum est, mulierem non tangere; malum est ergo, tangere. » Hæc ibi. Concordat can. *Legitur.* dist. 81. ubi refertur, S. Augustinum nec cum sorore sua habitare consensisse dicendo : « Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt : » juncto can. *In omnibus.* et can. *Archidiaconum.* et can. *Oportet.* ead. dist. 81. cum similibus.

3. Huc accedit textus, cap. I. h. t. contentus, et ita loquens : « Inhibendum est, ut nullus sacerdos fœminas, de quibus suspicio esse potest, retineat. Sed neque illas, quas canones concedunt, matrem, amitam et sororem : quia instigante diabolo et in illis scelus perpetratum reperitur, aut in pedissequis earum. Sed si qua de his necessitatem habuerit, presbyteri habeant in vico, aut in villa domum longe a sua conversatione, et ibi eis, quæ sunt necessaria, subministrent. Prohibendum quoque est, ut nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut infra cancellos stare, sive sedere. » Unde ad præcavendum omni sinistræ suspicioni optime faciunt clerici illi, qui vel penitus nullam fœminam in domos suas recipiunt, sed necessaria ministeria per mares sibi fieri procurant : vel saltem intra sua hospitiola, seu interiores partes domus, ubi remanere consueverunt, fœminas ingredi non patiuntur.

4. *Clerici non tantum a domo propria re-*

movere tenentur mulieres suspectas, sed nec alibi suspectam cum ipsis conversationem habere. Cujus vita despicitur, restat, ut prædicatio contemnatur. — Resp. II. Clerici non tantum a domo propria removere tenentur suspectas mulieres, sed etiam in domibus alienis eas accedere, aut suspectam cum ipsis conversationem ubivis locorum habere prohibentur. Ita communis : estque clare decisum in can. *clericus solus.* et can. *In omnibus,* et can. *Clerici, vel continentes,* dist. 81. cum concordantiis. Accedit ratio : quia clerici, qui populum exemplo et doctrina pascere, ac instruere debent, ita in omni conversatione sese gerere tenentur, ut irreprehensibiles sint ; atque juxta monitum Apostoli II *Corinth.* VI, 3. non vituperetur ministerium eorum, can. *Oportet.* ead. dist. 81. omnisque nefanda de ipsis excludatur suspicio, cit. can. *In omnibus.* dist. 81. Alioquin enim doctrina ipsorum, atque exhortatio parum, aut nihil fructificaret in populo : nam « legimus, et quotidianis etiam experimentis didicimus, cujus vita despicitur restat, ut prædicatio contemnatur ; » prout loquitur divus Bernardus (Serm 2. *de Resurrect. Domini,* paulo ante finem).

5. *Affertur ratio ulterior conclusionis.* — Accedit, quod ex suspecta conversatione clericorum cum fœminis scandalizaretur populus, dignitas clericalis vilesceret, atque lapsus carnalis periculum subintraret. « Ubi enim talis fuerit commorantium cohabitatio, antiqui hostis stimuli non desunt, » ut inquit S. Gregorius relatus cit. can. *Oportet.* dist. 81. Nec est, quod quis viribus suis confidat : cum nullus Davide sanctiorem, Samsone fortiorem, aut Salomone sapientiorem sese præsumere debeat, quos omnes tamen incauta mulierum conversatio, familiaritas et aspectus, in materia lubrica cadere fecit. Notum quippe est illud *Ecclesiastici,* III, 27. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Et esto lapsus absit, non tamen abest lapsus suspicio, quam ipsam sacri canones graviter volunt a clericis esse alienam.

6. *Possunt tamen clerici rei domesticæ gratia in domo sua habere mulierem non suspectam, v. g. matrem, amitam, etc.* — Resp. III. Præmissis tamen non obstantibus licitum est clericis, et a jure concessum, in domo sua rei domesticæ gratia, seu ob aliud honestum motivum, retinere illas personas, sive mulierculas, in quibus naturale fœdus nihil permittit sævi criminis suspicari. » Textus est in c. *A nobis.* 6. h. t. juncto can. *Interdixit.* dist. 32. ubi sancta synodus Nicæna quibuslibet clericis interdixit, « subintroductam habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut amitam : aut etiam eas idoneas personas, quæ fugiant suspiciones. » Nam exceptio illa, « Nisi forte aut matrem, » etc. limitat, atque firmat priorem regulam in oppositum. Concordat can. *Cum omnibus.* dist. 81. ubi præmissa consimili prohibitione, ne clericis omnino cohabitent extraneæ mulieres. Hinc excipiuntur matres, aviæ, et materteræ, amitæ, sorores, et filiæ fratrum, aut sororum, etc.

7. *Concordatur textus cap.* I. *h. t. cum aliis canonibus.* — Dices. In cap. I. h. t. Sacerdotibus inhibetur, ut neque illas fœminas retineant, quas canones concedunt, matrem, amitam, sororem : prout liquet ex verbis n. 3. relatis : ergo vel debet admitti contrarietas in jure, quod est absurdum ; vel oportet dicere, relatos canones revocari per cit. cap. I. h. t. Resp. neg. consequent. Quia, ut notat Glossa in d. cap. I. ℣. *Canones,* h. t. quævis contrarietas tollitur, dictique canones inter se concordantur, dicendo, quod relatum cap. I. h. t. loquatur de clericis, ac fœminis suspectis ; prout indicatur illis verbis, « de quibus suspicio esse potest, » etc. Quia, ubi fœminæ sunt suspectæ, recte prohibentur cum clericis manere, quamvis forent matres, amitæ, vel sorores ipsorum : idque ob periculum incontinentiæ, cum « instigante diabolo et in illis scelus perpetratum reperiatur, » etc. prout ibidem subjungitur. E contra alii canones proxime allegati loquuntur de illis fœminis, de quibus nulla subest suspicio mali : sicque cum clericis pro necessario servitio, aut earum honesta sustentatione, manere permittuntur.

8. *Idemque dicendum de aliis idoneis fœminis non suspectis.* — Resp. III. Præter illas fœminas non suspectas, quas canones nominatim concedunt, etiam licitum est Clericis domi retinere alias, de quibus nulla prudens suspicio fœdi criminis concipi potest. Textus est in cit. can. *Interdixit.* dist. 32. ubi synodus Nicæna præter matrem, amitam, « etiam eas idoneas personas, quæ fugiant suspiciones, » clericis habere permisit : juncta Glossa ibid. ℣. *Idoneas,* istud exemplificante in uxoribus servorum suorum, can. *Cum omnibus,* dist. 81. Quibus addi possunt mulieres, quæ sunt provectæ ætatis, simulque probatæ virtutis ac pietatis, arg.

c. *Cum in juventute*. 15. *de Præsumption.*

9. *Clericus tamen observet, ne solus, cum sola, aut in tenebris, confabulentur.* — Resp. IV. Nihilominus pro possibili clericus observare debet, ne solus cum sola confabuletur, nec in tenebris, aut occultis locis; sed sociatus aliis, vel saltem in conspectu aliorum in publicis honestisque locis necessaria cum mulieribus loquatur. Ita habetur can. *In omnibus*. dist. 81. ubi et hujus ratio redditur, illis verbis : « Ut excludatur omnis nefanda suspicio. Certe solum, et ad solam accedere, nulla religionis ratio permittit. Melius est enim, duos esse simul, quam unum. Simul enim et fidelius, et tutius res geritur. » Concordat can. *Clericus solus*, et can. *Clerici, vel continentes*, ead. dist. 81. ubi clericus contraveniens jubetur deponi, et fœmina a liminibus arceri Ecclesiæ. Illa siquidem, quæ in occulto, seu clandestine fiunt, sinistra suspicione, quam a clericis semper abesse Jura volunt, non carent, arg. c. consuluit. 24. § *Ne vero. de Offic. et potest. delegat.* Nam juxta testimonium veritatis, *Joan.* III, 20. *Qui male agit, odit lucem.*

10. *Saltem extra casum necessitatis.* — Additur tamen in conclusione, « pro possibili. » Quia auditio confessionis sacramentalis, vel alia necessitas, quæ legem non habet, aliud subinde fieri deposcit : quæ proinde clericum cum sola loquentem, tum a prudenti suspicione, tum a canonum transgressione excusabit, juxta illud cap. IV. *de Reg. jur.* relatum : « Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. » Nimia vero familiaritas mulierum, etiam domesticarum, aut consanguinearum est periculosa, et clericis prohibita, can *Quorumdam.* dist. 34. Belletus, *Disquisit. clerical.* part. I. § 25. *de Disciplin. cleric.*, n. 16. et 17. et alii. (ADNOTATIO XXXVIII.)

11 et 12. *Concubinæ nomen dupliciter sumitur, videlicet in bonam, et in malam partem : et quid?* — Quæritur II. Quid sit concubinatus, et quomodo probetur, fiatque notorius? Resp. I. *Concubinæ.* nomen dupliciter sumitur, videlicet in bonam, vel malam partem. Priori modo *Concubina* dicitur ea, quæ cessantibus legalibus instrumentis cuipiam juncta est, et conjugali affectu asciscitur, can. *Omnibus.* § *Concubina.* dist. 34. Et talis censetur legitima cujuspiam uxor, nisi quod non solemniter ducta fuerit : de qua intelligitur illud concilii Toletani I. can. *Is qui.* ead. dist. 34. relatum : « Is qui non habet uxorem, et pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur : tamen ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ sit conjunctione contentus. » Simile quid habetur can. *Christiano.* ead. dist. 34. ubi dicitur : « Christiano non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est, nisi unam tantum aut uxorem, aut certe loco uxoris (si conjux deest) concubinam. » Verum de tali concubina impræsentiarum non est sermo.

Posteriori modo, seu in malam partem accepta *Concubina*, est mulier soluta, et corrupta, quam quis domi suæ, vel alibi detinet pro carnali commercio consuetudinario. Et qui hujusmodi mulierem detinet ad explendam sæpius libidinem, dicitur *Concubinarius.* Unde facile colligi potest, quid sit concubinatus : nam.

13. *Concubinatus, quid, et quomodo differat a simplici fornicatione.* — Resp. II. Concubinatus est illicitus consuetudinarius concubitus cum aliqua fœmina soluta et corrupta, in domo sua, vel alibi commorante. Ita Farinacius, *Praxis criminal.* part. V. seu *De delictis carnis.* quæst. 138. n. 3; Sannig. tit. *de Adulter.* cap. IV. n. 4. et in re communis. Dicitur, « illicitus concubitus, » seu commercium carnale, tum loco generis : tum ad excludendum concubinatum in bonam partem acceptum. Et additur « consuetudinarius, » etc. quæ verba stant loco differentiæ : et signanter per ly, *consuetudinarius*, differt concubinatus a simplici fornicatione, quod hæc fiat etiam unico actu concubitus illiciti : concubinatus vero requirat consuetudinem, seu repetitos concubitus; alioquin pœnæ concubinatus non producuntur. Farinacius cit. part. 5. seu *de Dilectis carnis.* quæst. 138. n. 9. citans alios. Sufficiunt tamen duo actus fornicarii, seu concubinatus. Navarrus, consil. 2. n. 2. h. t., Pirhing, eod. n. 13. et alii. Nam in criminibus duæ vices consuetudinem faciunt, can. *Ita nos.* 25. qu. 2. juncta Glossa ỿ. *Usum. et* l. *Nemo deinceps.* c. *de Episcopal. audient.* juncta Glossa fin. ibid. estque jam dictum supra tit. præced. n. 44. et 45.

14. *An ad concubinatum requiratur, quod concubina sit domi retenta?* — Dicitur tandem, « in domo sua, vel alibi. » Quia licet de jure civili ad effectum concubinatus videatur requiri, quod concubina fuerit retenta in domo viri, juxta Glossam in l. *Concubinam.* et Bartolum ibid. ff. *de Concubinat.* nihilominus requisitum istud procedit solum de jure civili :

secus de jure canonico. Farinacius cit. quæst. 138. n. 10. et 12. Ac proinde clericus retinens mulierem in domo, vel extra, cum qua habet consuetudinem carnalem, censetur concubinarius, quando de consuetudine constat. Farinacius. cit. n. 12. Belletus, part. I. § 15. *de Disciplin. cleric.* n. 59. et alii. Idemque patet ex concilio Trident. sess. 15. cap. xxv. *de Reform.* ibi : « In domo, vel extra detineant. »

15. *Concubinatus clericorum fit notorius pluribus modis; et quibus?* — Resp. III. Concubinatus clericorum fit notorius pluribus modis; videlicet, « per sententiam (diffinitivam, ut explicat Glossa) seu per confessionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit. » Ita textus in cap. ult. h. t. Concordat c. vestra 7. juncta Glossa ỿ. *Notorium.* eod. Quinimo Rebuffus in *Concordat. Franciæ* tit. *De publicis concubinariis.* § *Publici.* asserit, quatuor modis concubinarios dici publicos : nempe, quando eorum concubinatus patet per sententiam, aut confessionem in jure factam, seu per rei evidentiam, quæ nulla possit tergiversatione celari, ut proxime dictum : atque etiam, « qui mulierem de incontinentia suspectam, et diffamatam tenent, et per suum superiorem admoniti, ipsam cum effectu non dimittunt. » Quod ipsum ut melius intelligatur.

16 et 17. *Notorium est triplex : videlicet, notorium juris. Notorium facti : quod adhuc triplex est, sicut et factum, et Notorium præsumptionis; seu notorium præsumptum.* — Notandum est cum Glossa cit c. *Vestra.* ỿ. *Notorium.* h. t. et Glossa in can. *Manifesta.* 2. q. 1. ac Fagnano c. *Vestra.* n. 69. et seqq. h. t. et aliis communiter, quod notorium sit triplex : videlicet, aliud juris, aliud facti, et aliud præsumptionis. « Notorium juris est, » de quo aliquis in judicio condemnatus, aut in jure confessus est : ut cap. ult. h. t. Quanquam si negetur, talem condemnationem, aut confessionem esse factam, opus sit ejus probatione, c. *Sicut nobis.* 16. *de Sentent. et re judicat.*

Notorium facti est, quod nulla tergiversatione celari potest. Atque istud adhuc triplex est, sicut et factum; nempe; « Notorium facti permanentis, » quod continuo se exhibet conspectui hominum, ut nulla possit tergiversatione celari : unde non indiget aliqua probatione, nisi inspectione oculari. « Notorium facti statim transeuntis : » ut si quis in conspectu populi fuit occisus, aut hujusmodi. Et « Notorium facti interpolati, » quod fit publice quidem, non tamen continuo, sed sæpius per intervalla iteratur : ut fit in usurario publico, aut meretrice notoria; quia nec ille continuo mutuat ad usuram, nec ista continuo peccat, sed interpolatim. Et hujusmodi notorium facti, tum transeuntis, tum interpolati, cum non habeat facti perseverantiam, si subesse negatur, indiget probatione. Nam, ut notavit pontifex in c. *Consuluit.* 14. *de Appellat.* multa dicuntur notoria, quæ non sunt : unde providendum est judici, ne quod dubium est, pro notorio videatur habere.

18. *Notorium præsumptum, alio nomine dicitur, Præsumptio juris et de jure. Paternitas et filiatio, non potest vere probari.* — Notorium præsumptionis, seu Notorium præsumptum, est dictum, vel factum, ex publicis circumstantiis, a Jure pro veritate acceptum : ut est paternitas, et filiatio. Nam quod aliquis sit alterius pater, vel filius, non potest vere probari, l. *Lucius.* 83. ff. *de Condition. et demonstrat.* Sed jus præsumit vehementer, eum esse filium, qui natus est de nuptiis, l. *Filium.* ff. « De his, qui sunt sui, vel alienis juris : » vel qui publice pro Filio habitus, et nominatus, atque alitus fuit. Glossa c. *Michael.* 13. ỿ. *Constiterit. de Filiis presbyt.* Idem solet explicari in infamato, cui indicta est purgatio canonica, et deficit : præsumitur enim esse reus criminis; ut c. *Insinuatum.* 13. *de Simonia*, cum similibus. Atque istud notorium præsumptum, alio nomine dicitur « Præsumptio juris, et de jure : » in quo sensu, juxta Rebuffum, ubi supra; verificatur quartus modus notorietatis de concubinatu clericorum, « qui mulierem de incontinentia suspectam, et diffamatam tenent, et per suum superiorem admoniti, ipsam cum effectu non dimittunt. » Concordat Hostiensis in *Summa.* n. 4. h. t. dicens : quod si clericus conversetur cum fœmina suspecta, et post trinam admonitionem inveniatur cum ea fabulari, vel aliquo modo conversari, factus est concubinarius notorius juris, et de jure : et ideo condemnandus, juxta cap. II. et c. *Clericos.* 3. et c. *Si autem.* 6. h. t. juncto concilio Tridentino sess. 25. cap. XIV. *de Reform.* et amplius in progressu dicetur.

19. *Quomodo procedendum sit contra clericos, qui publice dicuntur habere concubinas, sed citati id negant? Quando crimen concubi-*

natus est notorium, potest judex procedere ad pœnam imponendam sine accusatore, et teste. — Quæritur III. Quomodo procedendum sit contra clericos, qui publice dicuntur habere concubinas; sed citati, atque examinati, id negant? Resp. I. Quando crimen concubinatus est notorium, ut dictum, tunc potest judex procedere ad pœnam imponendam sine accusatione, et teste. Ita textus in c. *Tua nos.* 8. juncta Glossa ℣. *Celari.* et ℣. *Ex evidentia.* et doctoribus ibid. h. t. Accedit ratio : quia in notoriis non est necesse, juris ordinem usquequaque servare can. *De manifesta.* 2. q. 1. et c. *Ad nostram.* 21. *de Jurejurand.* et c. *Evidentia.* 9. *de Accusation.* ubi super notorio procedit judex sine accusatore.

20. *Per negationem res efficitur dubia: et quando secus. Filius est argumentum incontinentiæ paternæ, ambulans super terram.* — Nec obstat, quod ejusmodi clericus neget crimen atque, ut dicitur, l. III. c. « Quibus ad libertat. proclam. non licet, » per negationem res efficiatur dubia. Resp. enim, conclusionem procedere in casu concubinatus notorii : sive dein is existat notorius per evidentiam rei; ut puta, quia clericus publice in domo detinet suspectam mulierem, quam ut uxorem tractat; et maxime, si prolem ex ea susceptam publice alat (nam filius est argumentum incontinentiæ paternæ, ambulans super terram, can. *Priusquam.* dist. 28. ac notat Abbas d. c. *Tua nos.* n. 7. h. t.) sive notorietate præsumpta, utpote inducente præsumptionem juris, et de jure, contra quam non admittitur probatio in contrarium, c. *Is, qui fidem.* 30. *de Sponsalib.* Stante enim tali notorietate, negatio illa non proderit, l. *Qui sententiam.* c. *de Pœnis.* et l. *Illud quoque.* § penult. ff. *de Tributor. action.* Neque per ejusmodi negationem res efficitur dubia. Glossa cit. c. *Tua nos.* ℣. *Celari.* et ℣. *Ex evidentia.* et Abbas, ibid. n. 4. et 7. h. t.

21. *Si crimen clerici sit publicum duntaxat ex fama, tunc clerico id negante, opus est legitima probatione. Fama etiam publica, sine aliis adminiculis plene non probat.* — Resp. II. Quando crimen clerici non est notorium modo præfato, sed publicum duntaxat ex fama; tunc clerico negante se esse concubinarium, opus est legitima probatione per testes, aut hujusmodi, ad ipsum condemnandum. Ita textus, et doctores in cit. c. *Tua nos.* 8. h. t. addita illa ratione : « Cum non sit testimoniis, sed testibus judicandum. » Quasi diceretur : Non testimoniis, quæ dantur per scripturam, aut per testes extrajudicialiter, et sine juramento loquentes, vel ex fama, seu auditu alieno deponentes (talia enim non sufficiunt ad condemnandum) sed testibus legitime citatis, atque de scientia, seu de proprio sensu judicialiter deponentibus, judicandum est : prout superius lib. II. tit. XX. *De testibus.* § 11. et 12. et seqq. ex professo dictum est, allegato ibid. n. 363. notabili casu, quo octoginta rustici contra pastorem de fornicatione diffamatum, deposuerunt; nec tamen aliquid probarunt, eo quod fuerint duntaxat testes ex auditu alieno. Accedit, quod fama, etiam publica, sine aliis adminiculis plene non probet, c. *Tam litteris.* 33. juncta Glossa ℣. *De auditu. de Testib.* Nam, ut c. *Cum in juventute.* 12. *de Purgation. Canonic.* dicitur : « Dictum unius facile sequitur multitudo. »

22. *Quod si de clerico talis habeatur suspicio incontinentiæ, ut ex ea scandalum oriatur in populo, tunc ipsi indicenda est canonica purgatio.* — Resp. III. Quod si de clerico in sacris constituto talis habeatur suspicio incontinentiæ, ita, ut ex ea scandalum oriatur in populo, tunc ipsi indicenda est canonica purgatio : quam si præstare noluerit, vel in ea præstanda defecerit, puniendus est secundum canones veluti convictus. Ita textus in cit. c. *Tua nos.* § fin. h. t. et c. *Inter.* 10. *de Purgat. canonic.* cum similibus. (ADNOTATIO XXXIX.)

§ II.

DE PŒNIS CLERICORUM CONCUBINARIORUM, AUT SIMPLICEM FORNICATIONEM COMMITTENTIUM.

23. *Quæ sint pœnæ clericorum concubinariorum, aut suspectam cum mulieribus conversationem habentium? Delictum, puta, concubinatus, quandoque est notorium, quandoque occultum, quandoque pene occultum.* — Quæritur I. Quæ sint pœnæ clericorum concubinariorum, aut suspectam cum mulieribus conversationem habentium? Ubi prænotandum conformiter textui in c. *Vestra.* 7. h. t. ac notat Fagnanus ibid. n. 9. quod delictum, v. g. concubinatus, quandoque est notorium, quandoque occultum, quandoque pene occultum; puta, qui extat suspicio de eo, sed nondum plene constat. Quo prænotato.

24. *Concubinatus clericorum omnino occultus non habet vindictam in judicio humano. Eccle-*

sia non judicat de occultis. — Resp. I. Concubinatus clericorum omnino occultus non habet vindictam in judicio humano, sed relinquitur judicio divino, ac per veram pœnitentiam coram Deo actam tollitur. Ita desumitur ex can. *Erubescant.* dist. 32. cujus verba n. seq. referentur : nam, ut inquit Glossa ibid. ℣. *Secretorum*, Ecclesia non judicat de occultis, can. *Christiana.* c. 32. q. 5. cum similibus. Concordat cap. ult. *de Temporib. ordinat.* ubi occultus criminosus, puta reus adulterii, perjurii, aut hujusmodi (præter reum homicidii) post pœnitentiam permittitur in susceptis ordinibus ministrare, atque ad superiores ascendere. Accedit ratio, quia nullibi reperitur aliqua pœna, in occultum concubinarium a jure statuta : haud obstante, quod occultus homicida fiat irregularis. c. *Inquisitionis.* 21. § 1. *de Accusationib.* Nam istud reperitur a jure statutum, non illud.

25. *Concubinatus notorius clericorum, secundum canones, pœna depositionis punitur.* — Resp. II. Concubinatus notorius clericorum, in sacris ordinibus constitutorum secundum sacros canones pœna depositionis punitur. Ita Farinacius, quæst. 138. *de Delictis carnis.* n. 37. et 39. Menochius, lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 418. n. 2. et alii. Idque patet ex can. *Erubescant.* dist. 32. et c. *A multis.* 9. *de Ætate et qualitat. præficiend.* ubi dicitur : « Erubescant impii, et aperte intelligant, judicio Spiritus Sancti eos, qui in sacris ordinibus, presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu sunt positi, nisi mulieres abjecerint, et caste vixerint, excludendos ab omni eorumdem graduum dignitate. De manifestis quidem loquimur : secretorum autem et cognitor Deus, et judex est. » Hæc ibi concordat can. *Decernimus.* dist. 28. illis verbis : « Decernimus, ut ii, qui in ordine subdiaconatus, ei supra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio, atque ecclesiastico beneficio careant. Cum enim ipsi templum, vasa Domini, et sacrarium Spiritus sancti debeant esse, et dici : indignum est, eos cubilibus, et immunditiis deservire. » Ubi tamen Glossa unica, ad infligendam hujusmodi pœnam, requirit præviam admonitionem.

26. *Potest tamen judex, si sibi ita videbitur, mitiorem pœnam imponere.* — Fatendum tamen, quod Abbas c. *At si Clerici.* n. 35. et 36. *de Judiciis.* Menochius, loc. cit. n. 5. et Farinacius, cit. n. 39. allegans alios, istud intelligendum censeant cum aliquo temperamento : ita videlicet, ut non per hoc sint ligatæ manus Judicis, imponere etiam, si ita sibi videbatur, juxta facti, et personarum qualitatem, mitiorem pœnam; ut puta suspensionem, aut aliquam aliam ex proxime enumerandis.

27. *Si concubinatus clerici sit plene occultus, tunc est distinguendum : an vel clerico indicenda purgatio canonica; vel is monendus, ne ullatenus conversetur cum fœmina suspecta, etc. Quod si post trinam admonitionem cum ea conversari reperiatur, factus est notorius concubinarius; estque tandem excommunicandus.* — Resp. III. Si concubinatus Clerici sit plene occultus (hoc est, gravis quidem de eo subsit suspicio, necdum tamen existat manifestus, sive notorius) tunc est distinguendum. Quia vel ex suspicione illa oritur scandalum : et tunc potest clerico delictum neganti indici canonica purgatio, quam si non præstiterit, vel in ea præstanda defecerit, punitur, ut convictus, c. *Tua nos.* 8. fin. h. t. et c. *Inter.* 10. *de Purgat. canonic.* Hostiensis in *Summa.* h. t. n. 4. et alii; estque jam dictum proxime n. 22. Vel non est subortum ex illa suspicione scandalum : et tunc monendus est clericus, ne aliquatenus conversetur cum fœmina suspecta. Quod si post trinam admonitionem adhuc inveniatur cum ea confabulari, vel aliquo modo conversari, factus est concubinarius notorius præsumptione juris, et de jure : atque ideo ipse est communicandus, fœmina vero canonice judicanda, seu punienda. Ita habetur can. *si Quispiam.* dist. 81. et cap. II. h. t. et clarius tradit Hostiensis cit. n. 4. cum communi. Accedit ratio, quia post præviam suspicionem concubinatus rationabiliter conceptam, et secutam trinam admonitionem de dimittenda fœmina suspecta, si huic non paretur, inducitur præsumptio magna contra inobedientem : et talis, quam jura habent pro veritate, et doctores appellant « præsumptionem juris, et de jure : » sicque ratione hujus præsumptionis, simul et scandalosæ inobedientiæ, tandem frustra adhibitis aliis remediis, atque punitionibus in progressu enumerandis, poterit excommunicari, cit. cap. II. h. t. juncto concilio Tridentino sess. 25. cap. XIV. *de Reform.* ordinem pœnarum successive infligendarum referente, ac ultimo loco ponente excommunicationem; uti patet ex verbis ejusdem, infra n. 32. vers. *Quod si* referendis.

28. *Fœmina vero canonice judicanda seu punienda.* — Additur notanter in data conclu-

sione, « Fœmina vero canonice judicanda. » Quia enim fœmina carnaliter peccans cum clerico, committit sacrilegium, vel quasi sacrilegium; simulque peccat in Ecclesiam, clerico turpiter adhærendo : hinc ea merito subjicitur foro ecclesiastico, ab eoque punitur. Abbas, cap. II. n. 3. h. t. Belletus, *Disquisit. clerical.* part. I. § 4. *De favore cleric. reali.* n. 53. et alii. Quamvis Layman. lib. IV. *Theolog. moral.* tract. IX. cap. IV. n. 10. et Pirhing h. t. n. 6. notent, istud in praxi non observari; cum passim judices sæculares contra mulieres suspectas, et concubinas delinquentes cum clericis, procedere soleant. Verum spectato rigore juris, concubina clerici puniri debet per solum judicem ecclesiasticum, quidquid sit de aliis criminibus per clericum una cum laico commissis, juxta dicta superis, lib. II. tit. I. *De Judiciis.* § 4. n. 100. et 103. ac seqq.

29. *Et quomodo?* — Cæterum fœmina, quæ cum clerico fornicata est, aut suspectam cum eo conversationem habuit, debet per judicem ecclesiasticum expelli de domo clerici; addita inhibitione sub pœna fustium, aut aliis pœnis, de non amplius habitando, vel conversando cum ipso. Belletus cit. n. 53. Atque olim mancipabatur servituti, arg. can. *Eos qui.* dist. 23. Aut cuipiam monasterio ad agendam pœnitentiam tradebatur, can. *Fraternitatis.* dist. 34. juncta Glossa fin. ibid. Imo etiam excommunicari poterat excommunicatione majori, arg. c. *Si concubinæ.* 53. *de Sentent. excommunic.* Sed, quia jura varie in hoc puncto loquuntur, melius dicitur cum Innocentio, Hostiensi, et Abbate, cit. cap. II. n. 5. h. t. quod quidem ejusmodi, concubina clerici, per judicem ecclesiasticum sit cogenda agere pœnitentiam; tamen in arbitrio judicis sit, quam pœnam debeat injungere. Quandocunque enim jura varias pœnas injungunt, optio datur judici : imposita tamen una pœna, judex non potest transire ad aliam. Abbas loc. cit. et alii.

30. *Clerici in sacris, ac de concubinatu suspecti, si post monitionem fornicarias non dimittant, debent suspendi.* — Resp. IV. Ulterius clerici de concubinatu suspecti, an in sacris ordinibus constituti, si post monitionem, ut supra, jam factam fornicarias, sive concubinas non dimittant, « debent suspendi ab ecclesiasticis beneficiis usque ad satisfactionem congruam : et si eas suspensi præsumpserit detinere, ab eisdem beneficiis perpetuo removeri. » Textus est in c. *Sicut.* 4. h. t. ubi Glossa fin. hujus posterioris partis rationem assignat, dicens : Quia crescente contumacia crescere debet et pœna, cap. ult. § fin. *Ut lite non contestata*, etc. et l. *Relegati.* ff. *de Pœnis.*

31. *Idemque dicendum de aliis clericis beneficium, seu pensionem habentibus.* — Deinde in c. *Si autem*, 6. h. t. ampliatur dicta pœna ad quoslibet clericos, sive in sacris ordinibus, sive in minoribus constitutos, ac beneficium, seu pensionem ecclesiasticam habentes : statuendo, ut nisi fornicarias, seu concubinas suas ad secundam, vel tertiam commonitionem a se dimiserint, easdem de cætero contempturi; possit ipsos episcopus ultra officii interdictionem ecclesiis, vel earum portionibus, appellatione postposita, spoliare, hoc est, in perpetuum privare; prout explicat Glossa fin. ibid. Concordat. can. *Decernimus.* dist. 28. ubi Innocentius II. In concilio Romano decrevisse legitur, « ut ii, qui in ordine subdiaconatus aut supra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio, atque ecclesiastico beneficio careant. » Quibus similia habentur can. *De iis.* et can. *Presbyter.* ead. dist. 28. et can. *Erubescant.* dist. 32. et can. *Habuisse*, dist. 33. cum concordantiis.

32. *Refertur decretum concilii Tridentini*, sess. 25, *cap.* XIV, de Reform. *diversas successive pœnas statuentis contra clericos, qui concubinas, aut alias mulieres suspectas detinent.* — Resp. V. Novissime concilium Tridentinum, sess. 25. cap. XIV. *de Reform.* non solum pœnas a sacris canonibus, vel statutis ecclesiarum contra clericos concubinarios antiquitus latas innovavit, verum etiam easdem ampliavit : ac distinguendo inter clericos beneficiatos, et alios beneficium ecclesiasticum non habentes, atque inter episcopos, præmissa gravissima præfatione, decrevit in hæc verba : « caput XIV. Quam turpe, a clericorum nomine, qui se divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitiæ sordibus, immundoque concubinatu versari, satis res ipsa, communi fidelium omnium offensione, summoque clericalis militiæ dedecore, testatur. Ut igitur ad eam, quam decet continentiam, ac vitæ integritatem ministri Ecclesiæ revocentur, populusque hinc eos magis discat revereri, quo illos vita honestiores cognoverit (Hactenus præfatio). Prohibet sancta synodus quibuscunque clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detineant, aut cum illis ullam consuetudinem habere audeant : alio-

quin pœnis, sacris canonibus, vel statutis ecclesiarum impositis, puniantur. » En! innovatio antiquorum canonum, seu pœnarum in ipsis, imo et in statutis particularium ecclesiarum contentarum : sequuntur novæ pœnæ, vel priorum pœnarum ampliatio, incipiendo a clericis beneficiatis, dum illico subjungit citatum concilium.

« Quod si a superioribus moniti, ab iis se non abstinuerint; tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum quorumcunque, et pensionum, ipso facto sint privati; quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco, arbitrio episcopi applicetur. Sin vero in delicto eodem cum eadem, vel alia fœmina perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum, et pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur; sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione, quoad ordinarius, etiam uti Sedis apostolicæ delegatus, arbitrabitur suspendantur : et, si ita suspensi, nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur; tunc beneficiis, portionibus, ac officiis, et pensionibus quibuscunque ecclesiasticis perpetuo priventur, atque inhabiles, ac indigni quibuscunque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis in posterum reddantur; donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias, hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint; præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediat, aut suspendat : supradictorum omnium cognitio, non ad archidiaconos, neo decanos, aut alios inferiores, sed ad episcopos ipsos pertineat : qui sine strepitu, et figura judicii, et sola facti veritate inspecta, procedere possint. » Hæc ibi statim subjungendo pœnas, clericis non Beneficiatis; aut etiam episcopis, sic (quod absit) delinquentibus imponendas, in hæc verba.

« Clerici vero beneficia ecclesiastica, aut pensiones non habentes, juxta delicti, et contumaciæ perseverantiam, et qualitatem, ab ipso episcopo carceris pœna, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis, juxta sacros canones, puniantur. Episcopi quoque, quod absit, si ab hujusmodi crimine non abstinuerint, et a synodo provinciali admoniti, se non emendaverint : ipso facto sint suspensi, et, si perseverent, etiam ad sanctissimum Romanum pontificem ab eadem synodo deferantur; qui pro qualitate culpæ, etiam per privationem, si opus erit, in eos animadvertat. » Hactenus concilium Tridentium.

33. *Circa dictum decretum plura dubia declaravit sacra congregatio concilii, et quæ?* — Circa quod decretum concilii refert Nicolaus Garcias part. XI. *de Beneficiis*. cap. x. n. 185. plura per sacram Congregationem fuisse declarata, quorum quatuordecim puncta enumerat. Et primo quidem censuit sacra Congregatio, quod istud decretum de concubinatu, et impudicitiæ sordibus clericorum, non procedat in simplici incontinentia « absque qualitate concubinatus. » Secundo, quod habeat locum, etiamsi clericus modo cum una, modo cum alia deprehendatur. Tertio, quod illud, « Si a superioribus moniti, » etc. intelligatur de monitione « specialiter, non autem generaliter, puta, per edictum facta. » Quarto, quod monitiones, ex eodem decreto faciendæ, non tantum in visitatione, sed aliis quoque temporibus fieri possint. Quinto, quod tempus, quod inter unam et aliam monitionem intercedere debet, arbitrio episcopi relinquatur. Sexto, quod pœna, de qua in vers. « Quod si a superioribus moniti, » non habeat locum in clericis, qui primo deliquerint, etiamsi edicta generalia ordinaria præcesserunt; sed incurratur, ubi clericus secundo deliquit : in primo enim puniri debet aliis pœnis a sacris canonibus, vel statutis ecclesiarum impositis; et demum, si monitus, fuerit, et quidem speciali monitione, et secundo delinquat, privatus est tertia parte fructuum, non tamen distributionibus quotidianis, quas ratione canonicatus, vel præbendæ divinis interessendo, percepit præter fructus præbendæ distinctæ. Septimo, quod eadem pœna censeatur repetita in vers. « Sin vero in delicto eodem, » si secundæ monitioni non paruerit, qui suspendendus est ab administratione beneficiorum : et cum non possit interesse choro, amittit etiam distributiones quotidianas. Octavo, quod episcopus possit procedere per denuntiationem, inquisitionem ex officio, vel quo alio sibi videbitur modo. Tacentur cætera sex puncta dictæ decisionis sacræ congregationis, apud Garciam, ubi supra, videnda.

34. *Quid dicendum de pœna privationis fructuum citatum per concilii decretum ipso facto in-*

currenda? — Addit idem Garcias cit. part. XI. cap. x. n. 190, quod pœna privationis fructuum, quæ ipso facto, seu eo ipso imponitur a concilio Tridentino clericis cit. sess. 25. cap. XIV. *de Reform.* non videatur recepta in conscientia ante condemnationem. « Nunquam enim (inquit) vidimus, audivimus, aut intelleximus, aliquem clericum concubinarium (aut suspectas mulieres domi, vel alibi retinentem) cum sint multi semel, bis, et pluries moniti, eos restituere : et ideo tanquam non recepta, non videtur obligare in conscientia, quamvis deberent judices nihilominus eam exequi, » etc. Hæc ille. Atque huc applicari poterunt ea, quæ superius l. I. tit. II. *De Constitutionibus.* § 10. n. 227. et seqq. dicta fuerunt ; videlicet, quod pœnas etiam ipso jure impositas, quæ externam executionem requirunt, ante sententiam declaratoriam judicis subire reus in conscientia non teneatur, arg. c. *Cum secundum.* 19. *de Hæretic.* in 6. Nisi Lex appositam habeat clausulam, alia etiam declaratione non secuta : prout uberius ibi declaratur, atque probatur.

35. *Clericus concubinarius an sit suspensus, atque ab aliis vitandus in divinis? Dupliciter potest intelligi, clericum criminosum esse suspensum : videlicet quoad se et quoad alios.* — Quæritur II. An clericus concubinarius sit suspensus, simulque ab aliis vitandus in divinis? Ubi prænotandum, quod impræsentiarum, et juxta cap. ult. h. t. cum similibus, dupliciter possit intelligi, clericum criminosum, puta, concubinarium, esse suspensum. Primo enim potest ejusmodi clericus dici suspensus, quoad se tantum : et hoc modo quilibet clericus pro quocunque peccato mortali censetur suspensus ; eo quod non possit licite in tali statu Missam celebrare, nec alia sacramenta administrare. Secundo potest clericus intelligi suspensus quantum ad se, et quantum, ad solum, ad alios : ita videlicet, ut non solum ipse peccet, Missam celebrando, vel sacramenta administrando ; sed etiam alii audientes Missam ejus, vel de manu ipsius sacramenta recipientes. His addi potest suspensio proprie dicta, seu quæ est censura ecclesiastica, et cujus violatio inducit irregularitatem, de qua alibi. Hoc prænotato.

36. *Certum est, ejusmodi clericum esse suspensum quoad se.* — Resp. I. Certum est, quod clericus concubinarius, seu fornicator, sit suspensus quoad se ; adeoque graviter peccet, sicut et quilibet alius existens in peccato mortali, celebrando Missam, vel administrando sacramenta. Textus est in cap. ult. h. t. juncto can. *Quotidie. de Consec.* dist. 2. et c. *De homine.* 7. *de Celebrat. Missar.*

37. *Tamen hujusmodi suspensio quoad se, non est suspensio proprie dicta, seu quæ est censura ecclesiastica.* — Fatendum tamen cum Innocentio in c. *Si celebrat.* n. 2. *de Cleric. excommunicat. ministrant.* et Abbate cap. ult. n. 2. h. t. ac Fagnano c. *Vestra.* n. 12. eod. Engel, h. t. n. 6. et aliis, quod hujusmodi suspensio quoad se, non sit suspensio proprie dica, seu quæ est censura ecclesiastica, juxta c. *Quærenti.* 20. *de Verb. signif.* et cujus violatio inducit irregularitatem. Idque desumitur ex cit. cap. ult. h. t. ibi : « Priusquam pœnituerint : » sicque argumento a sensu contrario, inferre licet, quod hujusmodi suspensio post actam pœnitentiam illico cesset, et clericus in continenti recuperet executionem officii sui. Abbas cit. n. 2. Idipsum clarius habetur cap. ult. *de Temporib. Ordinat.* ubi criminosus occultus, v. g. adulter, perjurus, falsarius, etc., propter mortale peccatum suspensus quoad se, post peractam pœnitentiam statim, et absque alia absolutione (exceptio homicida) potest celebrare Missam ; atque in jam susceptis ordinibus ministrare, aut nondum susceptos accipere. Istud enim absque prævia absolutione fieri non posset, si suspensio quoad se, foret suspensio proprie dicta, atque censura ecclesiastica.

38. *Clericus concubinarius notorius olim, seu spectato jure antiquo, fuit suspensus etiam quoad alios.* — Resp. II. Clericus concubinarius notorius olim, seu spectato jure antiquo, fuit suspensus etiam quoad alios : ita videlicet, ut peccassent audientes Missam, aliaque officia divina ipsius ; vel recipientes ab eo ecclesiastica sacramenta, (excepto sacramento Baptismi, Pœnitenitæ, et Eucharistiæ in mortis articulo) priusquam constitisset de ejus pœnitentia. Secus dicendum de clerico concubinario non notorio, et adhuc ab Ecclesia tolerato. Textus est in can. *Nullus.* et can. *Præter hoc.* dist. 32. et cap. ult. h. t. juncto *Summario*, et doctoribus ibid. expresse dicentibus, quod clericus concubinarius in officiis divinis vitandus non est, nisi sit notorius. Hunc enim ab aliis vitandum esse in divinis, statuerunt citati antiqui canones, ut is a populo sese contemptum videns, rubore verecundiæ facilius ad pœni-

tentiam provocaretur; prout notavit Gratianus in d. can. *Præter hoc.* dist. 32. § *Prohibentur.*

39. *Non item de facto.* — Additur notanter, « Olim, seu spectato jure antiquo. » Nam de facto, sive post extravag. Martini V. *Ad evitanda.* et in concilio Constantiensi pro evitandis scandalis, multisque conscientiarum timoratarum periculis editam, non tenentur amplius fideles a sacerdotis concubinari, etiam notorii, Missa abstinere, aut ipsum in aliis divinis officiis evitare: nisi nominatim, ac publice denuntiatus fuerit esse excommunicatus, suspensus, vel interdictus, aut sit notorius percussor clerici. Fagnanus in c. *Vestra.* n. 17. h. t.; Pirhing eod. n. 8; Sannig cap. un. n. 10; Engel eod. in fin; Barbosa cap. ult., n. 3, h. t. citans plurimos alios: estque communis.

40. *Suspensio quoad alios clerici notorii concubinarii, an sit proprie dicta, seu directa, et censura ecclesiastica, variant doctores. Referuntur doctores, et rationes sententiæ affirmativæ.* — Resp. III. Num suspensio quoad alios clerici notorii concubinarii sit suspensio proprie dicta, seu directa, et talis, quæ sit censura ecclesiastica, variant doctores. Et quidem sententiam affirmativam tenet Abbas c. *Vestra.* n. 7. h. t. Rebuffus in *Concordatis Franciæ.* tit. *De publicis concubinariis.* vers. *Primo.* et vers. *Tertia;* Bellettus. *Disquisit. clerical.* part. I. § 5. *de Disciplin. cleric.* n. 52. et part. II. § 3. *de Pœnis clericor.* n. 1; Farinacius *de Delictis carnis.* quæst. 138. n. 55. et seqq.; Julius Clarus, lib. V. § fin. quæst. 73. n. 3; Sylvester ℣. *Concubinarius.* numer. 4; pluresque alii, quos citat Garcias part. VII. *de Beneficiis.* cap. XIV. n. 8. docentes, quod clerici concubinarii notorii ipso jure sint suspensi ab officio, et beneficio: ita, ut collatio beneficii ipsis facta, sit nulla; et si celebrent, fiant irregulares. Probant hanc sententiam ex can. ult. dist. 33. et can. *Erubescant.* dist. 32. ac præsertim ex can. *Præter hoc.* dist. 32; ubi clerico publice concubinario, « ex parte Omnipotentis Dei, et auctoritatem beatorum apostolorum Petri et Pauli præcipitur, et omnino interdicitur, ut Missas non cantet, nec Evangelium, aut Epistolam ad Missam legat, » etc. Non enim (inquit Abbas loc. cit.) videtur esse differentia inter hæc verba, *Suspendo te ab officio,* et alia, *Interdico tibi officio.* Sed per prima verba infligitur suspensio proprie dicta, adeo, quod celebrans efficiatur irregularis; ut cap. I. *de Sentent. et re judicat.* in 6. et cap. I. *de Sentent. excommun.* in 6. ergo et per posteriora verba: quia non refert, quid per æquipollentia fiat, l. *Certum.* ff. *de Rebus creditis.* Accedit declaratio sacræ Congregationis concilii Tridentini super cap. XIV. sess. 25. quam refert Bellettus, ubi supra, et Garcias cit. cap. XIV. n. 11. et sic sonat: « Clerici concubinarii notorii sunt etiam hodie ipso jure a divinis suspensi, prout in veteri jure sunt. »

41. *Sententia negativa ponitur, ejusque fundamenta.* — Negativam e contra sententiam, hoc est, asserentem, clericos concubinarios notorios non esse suspensos, vera, seu (ut loquuntur) directa suspensione, quæ sit censura, nec in ea celebrantes reddi irregulares; tenet Innocentius in c. *Si celebrat.* n. 3. et Joan. Andreas ibid. n. 4. *de Cleric. excommunicat. ministrant;* Covarruvias, clem. *Si furiosus.* part. I. § 1. n. 5. *de Homicid.* Garcias cit. part. VII. cap. XIV n. 19. et seqq.; Pirhing h. t. n. 18; Barbosa cap. ult. n. 4. eod. allegans alios: ac novissime Fagnanus c. *Quæsitum.* n. 22. h. t. indistincte existimans, opinionem Innocentii hodie esse indubitatam. Ratio est, quia suspensio quoad se clerici concubinarii, non est suspensio proprie dicta, nec inducit irregularitatem, ut dictum n. 37. Suspensio quoad alios vero hodie est sublata, juxta dicta n. 39. Accedit, quia nullibi in jure reperitur expressa hujusmodi suspensio seu inducens irregularitatem, si quis in ea celebret; ergo non est asserenda: nam irregularitas non inducitur, nisi in casibus a jure expressis, c. *Is qui.* 18. *de Sentent. excommunic.* in 6.

42. *Solvuntur rationes oppositæ sententiæ.* — Nec urget can. *Præter hoc.* dist. 32. per Abbatem allegatus. Non enim sequitur, *Interdico tibi officio:* ergo est suspensus ab officio suspensione proprie dicta, seu directa, ac inducente irregularitatem. Tum quia ly, *Interdico,* sonat quidem prohibitionem, non vero censuram; tum quia in pœnis benignior est interpretatio facienda, juxta reg. 49. jur in 6. Simulque interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius, quam exasperandæ, l. *Interpretatione,* ff. *de Pœnis,* cum similibus. Ad declarationem sacræ Congregationis non oportet respondere, donec de ejus veritate constet, atque afferatur in forma authentica. Eo præsertim, quia, ut hic allegatur, probaret etiam, quod clerici notorie concubinarii de facto essent suspensi in

divinis quoad alios, prout fuerunt in veteri jure: quod tamen est contra Bullam Martini V. *Ad evitanda*, et doctores communiter.

43. *Dantur aliæ adhuc clericorum concubinariorum pœnæ.* — Quæritur III. An dentur aliæ adhuc clericorum concubinariorum pœnæ? Resp. Affirmative: uti videre est apud Farinacium tom. V. *Praxis criminal.* seu *de Delictis carnis*, quæst. 138. n. 35. et seqq. et Rebuffum in *tract. Concordatorum Regni Franciæ*, tit. *De publicis concubinariis*, ubi triginta tales pœnas enumerat; quamvis alii, et præsertim Farinacius cit. n. 35. adnotarint, plerasque earum potius incommoda, quam pœnas, vere dici posse. Probatur conclusio inductione, enumerando complures hujusmodi pœnas.

44. *Sunt enim per suspensionis, et interdicti sententiam arctius cogendi, ut concubinas a se removeant, etc. Non tamen debent cogi ad istas abjurandas.* — Sic quippe clerici concubinarii per suspensionis, et interdicti sententiam, sunt arctius cogendi, ut concubinas a se removeant: et si ad ipsas redire, vel alias accipere forte præsumpserint, postea sunt excommunicandi, donec resipiscant. Textus est in c. *Clericos*. 3. h. t. juncta Glossa ibid. ℣. *Perpetuam*. Concordat concilium Tridentinum Sess. 25. cap. XIV. *de Reform.* vers. *Sed si postquam.* estque amplius dictum supra n. 27. Non tamen debet prælatus clericos ejusmodi cogere ad abjurandas concubinas: « Ne in eamdem fornicationem instinctu diabolicæ fraudis redeuntes, perjurii reatum incurrant, » prout loquitur Pontifex cit. c. *Clericos*. 3. h. t.

45. *Etsi clerici in sacris, aut religiosi matrimonium contrahere attentarint ipso facto sunt excommunicati.* — Quod si vero clerici in sacris ordinibus constituti (idem dicendum de religiosis, et monialibus professis) matrimonium contrahere attentarint; præter nullitatem contractus, ipso facto sunt excommunicati, Clem. un. *de Consanguinitat. et affinit.* estque jam dictum tit. præced. n. 40.

46. *Clerici concubinarii redduntur infames.* — Deinde clerici concubinarii efficiuntur infames, can. *Infames*. caus. 6. q. 1. ac notat Farinacius cit. quæst. 138. n. 54. et Rebuffus, ubi supra vers. *Tertia pœna*. Unde, si moniti non resipiscant, non tantum suspenduntur a suis officiis, atque beneficiis, privanturque horum fructibus, ac successive ipsis quoque beneficiis, per jura n. 30. et seqq. allegata: sed etiam, antequam cum eis fuerit dispensatum, non possunt obtinere honores, dignitates, beneficia, nec officia. Concilium Tridentinum cit. cap. XIV. vers. *Et si ita*. Nam, ut habet reg. 87. jur. in. 6. « Infamibus portæ non pateant dignitatum. » Quod si vero clerici suspensi, ut supra, ante obtentam absolutionem celebrent divina, efficiuntur irregulares, c. *Is cui*. 20. *de Sent. excommunic.* in 6.

47. *Ac repelluntur a promotione ordinum. Sunt pauperes ac miseri: surdi, non audientes monita sapientum: omnibusque ludibrio, et scandalo, etc.* — Insuper concubinarii a promotione ordinum repelluntur, arg. can. 1. et seqq. dist. 27. Sunt pauperes, ac miseri. *Ecclesiastici*, IX, 6. Sunt surdi, non audientes monita sapientium, sed ægre ferentes eos, a quibus corripiuntur, *Ecclesiastic.* XXI, 18. ibi: *Audivit luxuriosus, et displicebit ei, et projiciet illud post dorsum suum.* Semperque tristes incedunt Apocal. XI, 21, 22. Et sunt omnibus ludibrio, et scandalo, Naum. III, 13. Tacentur aliæ hujusmodi pœnæ, atque incommoda concubinariorum, utpote qui bibunt velut aquam iniquitatem: Job. XV, 16.

48. *Quali pœna puniendus sit clericus propter simplicem fornicationem absque qualitate concubinatus? Enumerantur variæ pœnæ contra eum in jure statutæ.* — Quæritur IV. Quali pœna puniendus sit clericus, in sacris Ordinibus constitutus, propter simplicem fornicationem absque qualitate concubinatus? Resp. I. Quando hujusmodi clericus de actuali lapsu carnis, sive ante, sive post monitionem convictus fuerit, variæ contra eum reperiuntur pœnæ in jure statutæ. Ita communis; et patet inductione. Nam presbyter, diaconus in fornicatione deprehensus, jubetur deponi, can. 24. *Apostolorum*. et can. *Presbyter et Diaconus*. dist. 81. et can. *Si quis Episcopus*. ead. dist. 81. Aut a sacerdotali removeri officio, can. *Sacerdotes*. dist. 50. et can. *Maximianus*. dist. 81. E contra can. *Presbyter si*. dist. 82. jubetur presbyter de fornicatione convictus, sed in vitio non perseverans, agere pœnitentiam decem annis, modo ibidem præscripto. Alibi interdicitur ipsi ingressus Ecclesiæ, usque eum pœniteat, et emendet, can. *Si qui sunt*. dist. 81. Vel post præmissam monitionem non emendatus, ab ecclesiasticis beneficiis suspenditur, c. *Sicut*. 4. et c. *Si autem*. 6. h. t. Aut prout magis, vel minus peccaverit, jubetur puniri secundum canonicas sanctiones, c. ut *Clericorum*. 13. *de Vita et honestat. cleric.* Et

quia clericus in sacris ordinibus constitutus fornicando, sicque violando votum continentiæ, committit sacrilegium; etiam pœna carceris, aut exilio perpetuæ deportationis, puniri potest, can. *Attendendum*. caus. 17. q. 4. juncto Tridentino, cit. sess. 25. cap. XIV. *de Reform*. § *Clerici vero:* ubi nonnullæ aliæ clericorum incontinentium pœnæ referuntur.

49. *Pro simplici fornicatione punitur clericus arbitrio judicis.* — Resp. II. Pro unica simplici fornicatione punitur clericus, etiam in sacris ordinibus constitutus, arbitrio judicis, juxta qualitem personæ, et circumstantiarum, infligendo hanc vel illam pœnam. Ita Glossa can. *Presbyter*. dist. 82. ℣. *Decem annis*, asserens, quod varietas delicti inducat varietatem pœnæ; sicque judex possit clerico fornicati mitigare pœnam pro quantitate criminis, et qualitate personæ, aliarumque circumstantiarum, can. *Tempora*. caus. 26. q. 7; Abbas c. *At si clerici*. n. 36. *de Judiciis;* Farinacius quæst. 137. *de Delictis carnis*. n. 17; Menochius lib. II. *de Arbitrar. judic*. cas. 418. n. 3. et 5; Bellettus *Disquisit. clerical*. part. II. § 2. *de Pœnis clericor* n. 4; Julius clarus in *Practica criminali*. § *Fornicatio*. n. 3. attestans de communi; Engel, h. t. n. 6. et alii. Conclusio desumitur ex cit. can. *Tempora*. caus. 26. q. 7. et c. *Ut clericorum*. 13. *de Vita et honestat. cleric.* cum similibus: juncta l. *Absentem*. et l. *Percipiendum*. ff. *de Pœnis*.

50. *Diversitas pœnarum, a jure statutarum, dat optionem judici. Melius est, redargui de misericordia, quam de severitate.* — Accedit ratio, quia, cum jura tam antiqua, quam nova, non unam eamdemque, sed variam clerico fornicanti assignent pœnam, modo acerbam, modo mitem, ut dictum n. 48. hoc ipso videatur relinquere in arbitrio judicis, ut pensatis circumstantiis, puta, qualitate personæ, gravitate scandali, consuetudine patriæ, ac hujusmodi, imponat pœnam, quandoque depositionis, quandoque suspensionis, quandoque privationis beneficii: quandoque prius moneat, dum nondum plene constat de delicto, gravis tamen subest hujus suspicio: quandoque sine monitione privet, seu puniat, ex quo constat de delicto. Nam, ut inquit Glossa can. *Fraternitatis*, dist. 34. ℣. *Professura*, et Abbas cit. n. 36. diversitas pœnarum a jure statutarum, dat optionem episcopo; ut c. *de Causis*. 4. juncta Glossa ibid. ℣. *Certa*. *de Offic. delegat*. Ac proinde, cum in proposito diversæ pœnæ sint statutæ, potest judex infligere, quam magis viderit expedire, arg. cap. ult. § fin. *Ut lite non contestata*, etc. Ita tamen, ut semper in isto delicto judex declinet ad mitiorem partem, quia pauci sine vitio incontinentiæ reperiuntur; divus Gregorius papa, relatus can. *Quia sanctitas*. dist. 50. Et quia melius est redargui de misericordia, quam de severitate. can. *Alligant*. caus. 26. quæst. 7.

51. *Pro simplici fornicatione clericus regulariter deponendus non est.* — Resp. III. Etsi pro simplici fornicatione clericus regulariter deponendus non sit, nec beneficio ecclesiastico privandus: nihilominus concurrentibus certis circumstantiis, et si ita expedire judicaverit, poterit judex etiam pœnam depositionis imponere. Ita Glossa can. *Maximianus*. dist. 81. ℣. *Removeantur* : asserens, communiter teneri, quod pro simplici fornicatione clericus deponi non debeat. Et alia Glossa can. *Lator*. 2. q. 7. ℣. *In corporali;* Abbas c. *At si clerici*. n. 36. et 37; ac Felinus ibid. n. 13. et 14. *de Judiciis;* Julius Clarus lib. V. § *Fornicatio*. n. 3; Farinacius cit. quæst. 137, n. 17. et 18. et alii. Prior pars patet ex proxime dictis n. præced.

Altera pars declaratur inductione. Sic imprimis propter fornicationem clerici notoriam, et scandalosam, posse imponi pœnam depositionis, arbitrio judicis, tradit Abbas cit. c. *At si clerici*. n. 35. et 36. *de Judiciis;* Farinacius d. quæst. 137. n. 21. allegans complures alias; quamvis nonnulli apud eumdem n. 22. allegati contradicant, volentes, pro fornicatione etiam notoria non imponi pœnam depositionis sed suspensionis.

52. *Bene tamen concurrentibus certis circumstantiis.* — Deinde, si clericus incontinens committat fornicationem qualificatam, v. g. peccatum stupri, adulterii, sacrilegii, incestus, sodomiæ, etc. extra controversiam est, ob jura clarissima, quod talis fornicatio, ob annexam illam qualitatem, possit puniri pœna depositionis, seu perpetuæ privationis beneficiorum. Atque ita habetur statutum, si fornicatio clerici committatur cum sanctimoniali, can. *Si quis episcopus*. caus. 27. q. 1. Aut cum filia spirituali, ea scilicet, quam vel in sacro Baptismatis fonte recepit, vel ejus confessionem audivit, can. *Si quis Sacerdos*. et can. *Non debet*. caus. 30. q. 1. Aut cum consanguinea, vel conjugata, arg. can. *Lator*. caus. 2. q. 7. juncta Glossa ℣. *In corporali*. et can. *Si quis clericus*. dist. 81; Abbas cit. c. *At si clerici*. n. 35. *de Judiciis;* Farinacius d. quæst. 137. n. 23. et seqq. al-

legans alios. Tacetur nefandum crimen sodomiæ, contra quam extat terribilis constitutio 5. beati Pii V. *Cum primum*. et constitutio 72. ejusdem, *Horrendum* (ac refertur tom. II. *Bullarii Romani*) vi cujus clericus sodomita non tantum omni beneficio, verum omni privilegio clericali privatur, degradatur, traditurque curiæ sæculari ulterius puniendus.

53. *Aut si fornicatio sit qualificata.* — Objicies contra proxime dicta. Concubinatus clericorum est longe gravius crimen, quam simplex fornicatio; atqui propter concubinatum non potest. Clericus illico puniri pœna privationis beneficii, aut depositionis; sed debet præcedere monitio, suspensio, ac hujusmodi, juxta c. *Clericos*. 3. et c. *Sicut*. 4. h. t. et concilium Tridentinum sess. 25. cap. XIV. *de Reform.* ergo idem, et quidem a fortiori, videtur dicendum de simplici fornicatione. Resp. primo, instantiam hoc solum procedere de simplici fornicatione, conformiter dictis n. 49. et 50. non vero de fornicatione qualificata. Resp. Secundo neg. min. si constet de concubinatu, seu repetita fornicatione. Nam concilium Tridentinum loc. cit. non revocat pœnas jure antiquo statutas; imo istas innovat, addendo tamen ipsis alias : quia igitur jure antiquo, propter fornicationem qualificatam, riteque probatam, poterat clericus puniri pœna privationis beneficii, ac depositionis absque alia prævia monitione, per jura proxime allegata; idem dicendum etiam pro nunc de clerico concubinario, quando notorie constat de actuali multiplicata fornicatione ipsius.

54. *Solvitur notabilis instantia. Triplex monitio quando debeat promitti, antequam clericus punitur de concubinatu.* — Nec obstat cit. c. *Clericos*. et c. *Sicut*. h. t. Quia loquuntur in casu, quo nondum notorie constat de concubinatu clerici, sed solum habetur gravis suspicio illius : tunc enim debet præmitti triplex monitio, antequam judex procedere valeat ad infligendas pœnas statutas. Atque in eodem sensu loquitur, præviamque requirit monitionem concilium Tridentinum cit. sess. 25. cap. XIV. *de Reform.* uti patet ex illis verbis ipsius : « Prohibet sancta synodus quibuscunque clericis ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant : alioquin pœnis, a sacris canonibus, vel satutis ecclesiarum impositis puniatur. Quod si a superioribus moniti, ab iis non abstinuerint, tertia parte fructuum — ipso facto sint privati, » etc. Ubi ponderandum ly, « de quibus possit haberi suspicio : » item, quod monitio solum requiratur ad incurrendam ipso facto privationem tertiæ factis fructuum, etc. non vero facto ad pœnas a sacris canonibus, vel statutis ecclesiarum antiquis impositas. (ADNOTATIO XL.)

TITULUS III.

De Clericis conjugatis.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Visum est titulo præcedenti de cohabitatione clericorum et mulierum illicita; videndum nunc restat de cohabitatione ipsorum licita, quæ oritur ex legitimo matrimonio. Circa quod, nec non circa privilegia clericis conjugatis competentia, vel non competentia, plures occurrunt difficultates, unde sit

§ I.

DE CONTRACTU MATRIMONIALI CLERICORUM, ET AMISSIONE BENEFICIORUM INDE SECUTA.

2. *Clerici in minoribus ordinibus valide, ac licite, matrimonium contrahere possunt.* — Quæritur I. Quinam clerici possint, vel non possint, matrimonium contrahere? Resp. I. Clerici in minoribus duntaxat ordinibus constituti, valide, ac licite matrimonium contrahere possunt. Ita communis; idque patet ex can. *placuit*. et can. *Seriatim*. dist. 32. In quo tamen posteriori loco excipiuntur clerici, habentes votum continentiæ : nam hi ratione voti illicite contraherent. Concordat cap. I. et cap. III. h. t. ubi conclusio ampliatur ad clericos minoristas, beneficium ecclesiasticum habentes, quamvis isto postmodum priventur. juxta inferius dicenda.

3. *Non vero clerici in sacris ordinibus.* — Resp. II. Clerici in sacris ordinibus constituti, nec licite, nec valide matrimonium contrahere possunt. Ita communis catholicorum : atque patet ex can. *Presbyterum*. dist. 28. et cap. I. h. t. ubi talia matrimonia, veluti invalida, separari jubentur; et clerici sic contrahentes ad agendum de commisso pœnitentiam per suspensionis, atque excommu-

nicationis sententiam compelluntur. Quinimo juxta Clem. *Eos qui. de Consanguinit. et affinit.* ipso facto excommunicantur. Concordat concilium Tridentinum, sess. 24. can. 9. sic definiens : « Si quis dixerit, clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto — anathema sit. »

4. *Et cur?* — Accedit ratio, quia Ecclesia clericos in sacris Ordinibus constitutos (sicut et religiosos solemniter professos) inhabilitavit ad contrahendum matrimonium; uti constat ex cap. un. *de Voto*, in 6. junctis juribus hactenus allegatis. Unde, sicut consanguinitas, vel affinitas usque ad quartum gradum : cum similibus, jure ecclesiastico impedit matrimonium contrahendum, et dirimit contractum : ita etiam dicendum est de voto, quod solemnizatum fuit per susceptionem sacris ordinis, aut solemnem professionem religionis ab Ecclesia approbatæ, juxta cit. cap. un. *de Voto* in 6.

5. *Cur votum simplex castitatis non dirimat matrimonium postea contractum, bene tamen solemne?* — Nec obstat, quod votum simplex castitatis solummodo impediat matrimonium contrahendum, non vero dirimat contractum. Resp. enim cum Scoto in 4. dist. 30. in fin. disparitatem esse : quia Ecclesia habentes votum solemne castitatis illegitimavit ad contrahendum matrimonium; non autem habentes votum duntaxat simplex. Et hoc rationabiliter factum fuit : quia habens votum solemne castitatis, posuit se in potestate Ecclesiæ, quantum ad oppositum ejus, ad quod est contractus matrimonii; non vero alter, habens solummodo votum simplex. Et hinc noluit Ecclesia hunc illegitimare ad contrahendum matrimonium, sed eum reliquit judicio divino : bene tamen illum.

6. *Cur Ecclesia voluerit clericos, in sacris ordinibus constitutos, illegitimare ad contrahendum matrimonium?* — Et si petas, quare Ecclesia voluerit clericos in sacris Ordinibus constitutos illegitimare ad contrahendum matrimonium? Resp. Causas hujusmodi esse multiplices, et graves. Prima desumitur ex doctrina sancti Pauli Apostoli I. *Corinth.* VII, 5, ipsis conjugibus suadentis, ut ex consensu ad tempus abstineant ab actu conjugali, ut possint vacare orationi. Unde can. *Si laicus.* dist. 31. notanter dicitur : « Si laicus, et quicunque fidelis orare non possit, nisi careat officio conjugali; sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est : si semper orandum est, ergo semper matrimonio carendum. » Hæc ibi. Secunda habetur can. *Decernimus.* dist. 28, illis verbis expressa : « Cum enim ipsi (clerici in ordinibus sacris constituti) templum, vasa Domini, et sacrarium Spiritus Sancti debeant esse, et dici : indignum est, eos cubilibus et immunditiis deservire. » Tertia et cum præcedentibus in re concordans, continetur in c. *Quod a te* 3. h. t. quia videlicet « Clerici simul voluptatibus et carnalibus desideriis, ac divinis et ecclesiasticis obsequiis, vacare non valent. » Quod ipsum aliis verbis, et quidem clarioribus, declaratur c. *Diversis*, 5. h. t. dicendo, quod « in clericorum conservatione cithara cum psalterio male concordet : cumque vir cogitet, quomodo placere possit uxori, ideo minus, quæ Dei sunt, valeat cogitare, » etc.

7. Accedit quarta ratio. Siquidem uxoratus est divisus in duo, cogitatque, quæ sunt mundi, et quomodo placeat uxori suæ, I *Corinth.* VII, 6. Unde plenam sui non habet potestatem, ut ei, a quo stipendium recepit (puta Ecclesiæ suæ) plenius famuletur, cit. c. *Diversis.* 5. h. t. Ubi et alia, seu quinta hujus ratio subjungitur : quia videlicet « rerum ecclesiasticarum substantia per tales (clericos uxoratos) solet deperire, » propter necessitatem alendi propriam uxorem, atque liberos, can. *De Syracusanæ*, dist. 28. Per quod etiam diminuitur hospitalitas, quam sacri canones in clericis, præsertim beneficiariis, requirunt veluti debitam, juxta dicta tit. I. *De Vita et honestat. clerici.* § 2. n. 61. et 62. Simulque redditus ecclesiastici, qui ex primæva ecclesiæ, ac fundatorum intentione, ad pios, pauperumque usus sunt destinati, in uxorem et liberos, aliosque profanos usus expenderentur. Quin etiam subintraret periculum hæreditariæ successionis in beneficiis, quam Ecclesia. Dei semper detestatur, can. *Apostolica.* c. 8. q. 1. et c. *Ex transmissa.* 7. *de Filiis presbyt.* cum similibus. Atque vilesceret dignitas sacerdotum : nec majori in reverentia haberentur isti a populo, si ipsos sibi similes, neque speciali vitæ puritate, atque perfectione nitentes conspicerent, contra can. *Beatus Petrus.* § *Infames.* c. 6. q. 1. et can. *Qualis enim.* c. 8. q. 1. cum concordantiis.

8. *Clericis græcis in sacris ordinibus constitutis non licet matrimonium contrahere, sed so-*

lum antea contracto uti. — Dices. Clerici ecclesiæ orientalis, sive Græci sacerdotes, de facto vivunt uxorati, non obstantibus præmissis causis; ergo allata conclusio non videtur subsistere. Resp. neg. consequent. Quia neque Græcis in sacro ordine constitutis unquam licuit, aut de facto licet uxorem ducere, can. *Si quis eorum.* dist. 32. juncta Glossa un. ibid. sed solum eisdem permissum est, uxore, quam virginem in Ordinibus minoribus constituti duxerunt, postea in majoribus adhuc uti, can. *Nicæna.* dist. 31. et c. *Cum olim.* 6. h. t. Ubi Pontifex, hujus rationem reddens, sic loquitur : « Nos igitur attendentes, quod orientalis ecclesia votum continentiæ non admisit : quoniam Orientales in minoribus ordinibus contrahunt, et in superioribus utuntur matrimonio jam contracto, » etc. Quomodo autem sacerdotes Græci præcaveant memoratis inconvenientiis, non est hujus loci investigare : saltem non sunt in tanta æstimatione, atque reverentia coram populo, quantam habere solent sacerdotes Latini, atque in perpetua continentia viventes. (ADNOTATIO XLI.)

9. *Clerici in ordinibus minoribus contrahendo matrimonium, ipso facto perdunt beneficium præhabitum.* — Quæritur II. Utrum clerici contrahendo matrimonium perdant beneficia prius habita; et quomodo? Resp. I. Si clericus in Ordinibus minoribus constitutus contrahat matrimonium, ipso facto perdit beneficium præhabitum, etiam ante aliam judicis sententiam : adeo, ut statim a momento contractus valide initi, possit beneficium alteri conferri. Ita Glossa cap. I. ℣. *Relinquenda*, et Abbas ibid. n. 5. et Barbosa n. 2. h. t.; Covarruvias *de Matrimon.* part. II. cap. VI. § 3. n. 5; Navarrus cap. XXV. *Manual.* n. 129; Angelus in *Summa.* ℣. *Clericus.* 5. n. 1; Gonzalez ad reg. 8. *Cancellar.* gloss. 15. n. 43. et 44; Garcias part. II. *de Beneficiis*, cap. VIII. n. 1. allegans Rotam, decis. 1. h. t. *in novis.* Sanchez lib. VII. *de matrim.* disp. 42. n. 4. citans plurimos alios, atque asserens, istud esse certissimum, conclusio hæc desumitur ex cap. I. h. t. ubi clerici in minoribus contrahentes matrimonium, districtione ecclesiastica compelluntur « ad relinquenda beneficia ecclesiastica. » Quasi diceretur : quia beneficia ipso jure jam vacant merito coguntur clerici ad eadem relinquenda. Accedit ratio, quia beneficium, et matrimonium, de jure sunt duo incompatibilia, cap. III. et et V. h. t. cum concordantiis, et consequenter, qui matrimonium eligit, contrahit, beneficio tacite, atque ipso facto renuntiare censetur.

10. *Plus est factis demonstrare, quam verbis dicere.* — Nec obstat, quod resignatio beneficii ecclesiastici non valeat, nisi interveniente auctoritate ordinarii, talem resignationem acceptantis, can. *Si qui vero.* et can. *Si quis presbyter*, c. VII. q. 1. et c. *Admonet.* 4. *de Renuntiat.* cum similibus. Resp. enim, hujusmodi canones procedere de renuntiatione expressa, quæ sit per verba, vel scripturam : secus dicendum de renuntiatione tacita, quæ sit per facta illa, quibus positis juris de constitutione beneficium amittitur, seu retineri nequit. Nam, ut c. *Dilecti.* 52. *de Appellation.* dicitur : « Plus est facto provocare (resignare) quam verbo. » Sive, ut Glossa un. ibid. loquitur, « Plus est factis demonstrare, quam verbis dicere. » Et hinc in simili, clericus per annum exercens artem ignominiosam histrionum, ipso jure perdit privilegium clericale, cap. un. *de Vita et honestat. clericor.* in 6. quamvis huic verbis renuntiare non possit, c. *Si diligenti.* 12. *de Foro competent.* Unde Glossa cap. ult. ℣. *Cum facto. de Vita et honestat. cleric*, recte notat, quod, quamvis clericus non possit verbo renuntiare privilegio clericali, possit tamen eidem renuntiare facto, quatenus se reddit ipso indignum.

11. *Quomodo hujusmodi clerici dicantur privandi suis beneficiis?* — Dices. In c. *Quod ad te.* 3. et. c. *Diversis.* 5. h. t. dicitur, clericos matrimonium contrahentes, esse privandos ecclesiasticis beneficiis; ergo non sunt ipso jure privati, sed opus est sententia judicis. Resp. neg. consequent. Nam hujusmodi jura loquuntur de privatione possessionis, ac fructuum beneficii, facienda per actualem expulsionem, casu quo clericus conjugatus violenter eos retinere vellet : non vero de privatione juris, ac tituli, quem clericus antea habuerat, sed per contractum matrimonialem ipso facto jam amiserat. Et istud est, quod voluit Glossa cap. I. ℣. *Relinquenda.* h. t. dicens, quod hujusmodi privatio, sive compulsio clericorum conjugatorum ad relinquenda beneficia præhabita, retorqueatur quoad factum solum, sive possessionem : quia vacare intelliguntur ipso jure.

12. *Solvitur alia instantia.* — Urgebis. Pœnæ externam executionem requirentes, non obligant in conscientia ante sententiam judicis, arg. c. *Cum secundum.* 19. *de Hæretic.*

in 6. ubi bona hæreticorum ipso jure confiscata, non possunt apprehendi ante sententiam declaratoriam judicis super crimine commisso; ergo idem dicendum de beneficio clerici uxorati. Resp. neg. consequent. Quia istud, quod beneficium clerici matrimonium contrahentis statim vacet ipso jure, non est statutum in pœnam delicti, ut super eo commisso requiratur sententia declaratoria judicis (nam clericus minorista contrahens matrimonium non peccat, sicque nulla pœna dignus est) sed id provenit ex incompabilitate status conjugalis cum beneficio; ut proinde clericum eumdem spontanee eligens, censeatur tacite, ipsoque facto beneficium resignare, atque dimittere. Sanchez cit. lib. VII. disp. 42. n. 4; Engel, h. t. n. 2. et alii. (ADNOTATIO XLII.)

13. *Vacatio ista beneficii ipso jure inducta, procedit etiam in matrimonio rato necdum consummato; non vero in sponsalibus de futuro.* — Resp. II. Præmissa conclusio, seu vacatio beneficii ipso jure inducta, procedit etiam in matrimonio rato necdum consummato : non autem in sponsalibus de futuro. Ita Abbas cit. cap. I. n. 5. h. t.; Navarrus, cap. XXV. *Manual.* n. 120; Angelus in *Summa.* ℣. *Clericus.* 5. n. 1; Gonzalez cit. gloss. 15, n. 43; Garcias, ubi supra, cap. VIII. n. 1; Sanchez cit. disp. 42, n. 5; Pirhing, h. t. n. 13. et alii. Ratio prioris partis est, quæ supra : quia videlicet vere jam assumptus est status incompatibilis cum Beneficio, ac proinde huic tacite, atque ipso facto renuntiatum; quod proinde ipso jure vacare dignoscitur. Ex quo

14. *Clericus beneficiarius post contractum matrimonium non recuperat beneficium, licet uxor ipsius necdum cognita moriatur, aut religionem ingrediatur.* — Infertur primo, quod si clericus minorista beneficiarius contraxerit matrimonium de præsenti, et uxor ipsius nondum cognita moriatur, aut religionem ingrediatur, non idcirco clericus ille beneficium recuperet. Abbas, cap. I. n. 5. et Barbosa, ibid. n. 4. et 5. h. t.; Covarruvias cit. II. *de Matrim.* cap. VI. § 3. n. 5; Garcias d. part. II. cap. VIII. n. 2; Sanchez cit. n. 5; Navarrus, et Angelus, ubi supra; Pirhing h. t. n. 13. et alii passim. Revera enim per assumptionem status matrimonialis, utpote incompatibilis cum beneficio, huic ipso facto renuntiatum fuit, sicque vacavit beneficium: unde absque nova canonica institutione non potest recuperari, cap. II. et cap. III. *de Renuntiat.* juncta reg. 1. juris in 6. Siquidem jus semel extinctum non reviviscit, licet cesset causa extinctionis, can. *Quam periculosum.* c. 7. q. 1. junctis concordantiis ibidem per Glossam allegatis.

15. *Neque is potest retinere priora beneficia.* — Infertur ulterius, quod ejusmodi clericus post contractum matrimonium nullatenus possit retinere priora beneficia, sed statim teneatur ea dimittere, eo quod ipso jure vacent; alioquin quippe peccaret mortaliter, ac teneretur restituere omnes fructus, utpote ex re non sua perceptos. Barbosa cit. cap. I. n. 2. h. t.; Navarrus, et Angelus, ubi supra; Sanchez, d. disput. 42. n. 10. et seqq. citans alios, ac plura similia corollaria subinferens.

16. *Cur per sponsalia de futuro non vacet beneficium præhabitum?* — Altera vero pars datæ conclusionis, loquens de sponsalibus de futuro, est Abbatis cit. cap. I. n. 5. et Barbosæ ibid. n. 11. h. t. allegantis Rotam, decis. 772. n. 2. part. II. Recent. Garciæ d. cap. VIII. citantis plures alios : atque asserentis, certum esse, quod per sponsalia de futuro non vacet beneficium clerici. Accedit ratio, tum quia sponsalia de futuro multis modis possunt dissolvi, sicque statum plene incompatibilem non inducunt; prout argumentatur Abbas consil. 62. n. 18. part. II. Tum quia per adeptionem posterioris beneficii incompatibilis, prius neutiquam vacat, donec quis plenam posterioris possessionem acquisierit, recipiendo fructus ipsius, c. *Si tibi concessio.* 26. *de Præbend.* in 6. Idem ergo dicendum de sponsalibus de futuro, utpote plenum jus non tribuentibus.

17. *An clerici invalide contrahentes matrimonium, ipso facto perdant beneficium præhabitum? Affirmatur, quando impedimentum fuit occultum, atque a clerico contrahente ignoratum.* — Resp. III. An clerici invalide contrahentes matrimonium, ipso facto perdant beneficium præhabitum, variant doctores; prout videre est apud Sanchez cit. lib. VII. *de Matrimon.* disp. 43. n. 1. et seqq. et Garciam d. part. II. *de Beneficiis*, cap. VIII. n. 4. et 5. ac seqq. diversas doctorum sententias referentem. Breviter tamen dicendum, quod si clerici in minoribus ordinibus constituti, vero nubendi animo invalide contrahunt matrimonium ob occultum aliquod impedimentum, quod ignorant, ipso jure perdant præhabitum beneficium, istudque vacet : nam ejusmodi clericus veram, atque efficacem habuit

intentionem nubendi, sicque eligendi statum beneficio incompatibilem; et consequenter huic tacite, atque ipso facto renuntiandi. Et hanc sententiam esse communem vere omnium, asserit Sanchez cit. disp. 43. n. 5. plurimos pro eadem auctores allegans, quamvis ipse postea illam opinionem sequatur, requirendo ad hoc sententiam judicis.

18. *In matrimoniis contrahendis non juris effectus, sed animi destinatio attenditur.* — Nec obstat, quod ejusmodi matrimonium sit nullum ob occultum, et ignoratum antea impedimentum; sicque videatur subintrare reges. 52. juris in 6. « Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. » Resp. enim, per dictum occultum impedimentum vitiari quidem matrimonium, atque reddi invalidum; non vero destrui veram præhabitam intentionem nubendi, sicque beneficium tacite, ipsoque facto resignandi. Nec urget allegata regula : nam, præter alias ejus fallentias, specialiter ipsa limitatur in matrimonio : cum in matrimoniis contrahendis non juris effectus, sed animo destinatio attendatur, prout habetur c. n. 4. *de Bigamis non ordinand.* Ubi idcirco decisum legitur, quod is, qui mortua uxore promotus ad Ordines sacros fuit, et postea cum secunda de facto contraxit, hancque cognovit, bigamiæ pœnam incurrat, haud obstante invaliditate posterioris matrimonii : prout etiam secundum leges infamiam contrahit, qui duas simul habet uxores, cit. *Nuper*, et l. *Eum qui.* c. Ad leg. Jul. *de Adulter.*

19. *Et quid, si clericus beneficiarius scienter matrimonium invalide contraxit.* — Quod si vero talis clericus beneficiarius cognoscat impedimentum dirimens, et sic scienter matrimonium invalide, seu de facto duntaxat contrahat; ut puta, quia est constitutus in sacris ordinibus, aut contrahit cum consanguinea, vel impubere, etc. tunc plures doctores volunt, ejusmodi clericum non ipso jure perdidisse præhabitum beneficium, sed ad hoc esse necessariam sententiam judicis, qui in pœnam delicti ipsum privet beneficio. Rationem dant, quia scienter contrahens matrimonium invalide, non assumit statum incompatibilem cum beneficio; novit enim, se nulliter agere : sola autem voluntas dimittendi beneficium non sufficit ad hujus vacaturam, nisi fiat resignatio ipsius in manus Superioris, c. *Admonet.* 4. *de Renuntiat.* cum similibus. Atque ita videtur tenere Glossa fin. cap. 1. h. t. pro se allegans can. *Presbyterum.* dist. 28. Idipsum expresse tenet Barbosa cap. I. n. 7. h. t.; Mascardus *de Probationib.* concl. 183. n. 5. et 6. asserens, hanc conclusionem esse communiorem; Sanchez cit. lib. VII. disp. 43. n. 3. et 4. citans plures alios, hancque appellans probabiliorem.

20. Oppositum tamen, videlicet in tali etiam casu perdi Beneficium ipso jure, tenet Abbas cap. I. n. 7. h. t.; Covarruvias part. II. *Matrimon.* cap. VI. § 3. n. 5; Navarrus, cap. XXV. *Manual.* n. 120; Flamin. Parisius lib. I. *de Resignat. beneficior.* quæst. 1. n. 12; Sylvester ℣. *Clericus.* 2. n. 2; Angelus in *Summa.* ℣. *Clericus.* 5. n. 1; Gonzalez ad reg. 8. *Cancellar.* Gloss. 15. n. 44. citans Rotam decis. 1. et 2. *de Sponsalib. in antiq.*; Garcias part. II. *de Beneficiis*, cap. VIII. n. 4. allegans plurimos alios. Ratio est, quia contrahens matrimonium, etiam scienter cum impedimento dirimente, quantum in ipso fuit, assumpsit statum cum beneficio incompatibilem, sicque tacite, atque ipso facto, huic renuntiavit.

21. Nec obstat, quod scienter contraxerit invalide; sicque nihil egisse, imo nec intentionem contrahendi habuisse videatur. Resp. enim, in matrimoniis contrahendis non juris effectum, sed animi destinationem attendi, ut proxime dictum est n. 18. ac proinde in proposito induci vacaturam Beneficii ipso jure, non quidem propter effectum, seu valorem matrimonii; sed propter effectum intentionis cum opere subsecuto : prout in simili loquitur pontifex c. *Nuper.* 4. *de Bigamis non ordinand.* Quod autem in scienter contrahente matrimonium cum impedimento dirimente, hoc ipso deficiat intentio contrahendi, falsum est; uti loquitur Covarruvias cit. n. 5. et patet ex Clem. un. *de Consanguinit. et affinit.* cum similibus.

§ II.

DE PRIVILEGIIS CLERICORUM CONJUGATORUM.

22. *Clerici conjugati in minoribus existentes; gaudent privilegio canonis, et fori.* — Quæritur I. Utrum clerici conjugati, in ordinibus minoribus constituti, gaudeant privilegiis clericalibus? Resp. I. Hujusmodi clerici conjugati, si observent tres conditiones n. seq. declarandas, gaudent privilegio canonis, *Si quis suadente*, 17 q. 4. simulque privilegio fori in causis criminalibus : adeo ut « hujusmodi clerici conjugati pro commissis ab eis excessibus,

vel delictis, trahi non possint criminaliter, aut civiliter ad judicium sæculare : nec ab ipsis sæcularibus judicibus debeant personaliter, vel etiam peculiariter (ne per unam viam concedatur eisdem, quod per aliam denegatur) ullatenus condemnari. » Ita textus expressus in cap. un. h. t. in 6. Idque novissime confirmatum, atque innovatum fuit in concilio Tridentino sess. 23, cap. VI, *de Reform*. addita clausula illa derogatoria : « Nemini quoad hoc, privilegio, vel consuetudine, etiam immemorabili suffragante. »

23. *Dummodo habeant tres conditiones ad hoc requisitas, et quas? Bigami sunt nudati omni privilegio clericali.* — Porro conditiones ad hoc requisitæ, sunt tres, quarum priores duæ habentur cit. cap, un. h. t. in 6. Tertia vero novissime addita fuit in concilio Tridentino loc. cit. Prima est : ut ejusmodi clerici « cum unica, et virgine contraxerint » : alioquin enim forent bigami, qui sunt nudati omni privilegio clericali, cap. un. *de Bigamis*, in 6. Secunda est : « Ut deferant tonsuram, et vestes clericales. » Tertia tandem, et a concilio Tridentino novissime apposita conditio, est : « Ut tales clerici alicujus ecclesiæ servitio, vel ministerio ab episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent. » Et harum trium conditionum una deficiente, clerici conjugati nullo prorsus gaudent privilegio clericali : nam dictæ tres conditiones requiruntur in ipsis copulative ad participandum privilegium canonis, et fori, modo prædicto; uti liquet ex cit. eap. un. § fin. h. t. in 6. juncto concilio Tridentino cit. sess. 23. cap. VI. *de Reform*.

24. *Clerici conjugati nullo gaudent privilegio in bonis suis; sicque tenentur præstare consuetas exactiones, tributa*, etc. — Resp, II. Nihilominus ejusmodi clerici conjugati nullo gaudent privilegio clericali in rebus, seu bonis suis : ac proinde, sicut alii uxorati, tenentur præstare consuetas exactiones, seu collectas, tributa, aliaque servitia. Ita textus in cap. un. § fin. h. t, in 6 ubi dicitur : « In cæteris autem (hoc est præter casus proxime enumeratos) eos gaudere nolumus privilegio clericali. » Idipsum habetur c. *Ex part*, 9. h. t. ubi Abbas, Joan. Andreas, Barbosa n. 3. et alii. Covarruvias *Practic. Quæst*. cap. XXXI. n. 9. Sanchez lib. VII. *de matrim*. disp. 46. n. 16. et communis.

25. *Insuper probabilius est, eos privilegio fori gaudere solum in criminalibus, non in civilibus.* — Resp. III. Insuper probabilius est, hujusmodi clericos conjugatos privilegio fori gaudere duntaxat in causis criminalibus, non autem in civilibus. Ita Joan. Andreas cap. un. n. 2. et Barbosa ibid. n. 8. et 9. h. t. in 6; Abbas c. *Joannes*. n. 3 h. t.; Covarruvias *Practic. Quæst*. cap. XXXI. n. 7; Farinacius lib. I. *Praxis Criminal. quæst*, 8, n. 7; Sanchez cit. disp. 46. n. 22 et alii; contra Franchum cap. un. § *Et cum*. n. 4. *de Cleric. conjugat*. in 6. Lapum, allegat, 118; Belletum *Disquisit. clerical*. part. I. § 8. *De favor. Cleric. personal*. n. 9; Engel, h. t. n. 7; Martham *de jurisdict*. part I, sent. 2 cas. 159. n. 5. et nonnullos alios, quos in contrarium citat Barbosa d. n. 8. Ratio conclusionis desumitur ex cit cap. un. h. t. in 6. ubi post concessum talibus clericis privilegium canonis, et fori in criminalibus, expresse subjungitur : « In cæteris autem eos gaudere nolumus privilegio clericali » : ergo in causis mere civilibus clerici conjugati nullo juvantur clericali privilegio.

26. *Unde in mere causis civilibus conveniendi sunt coram judice suo sæculare.* — Infertur proinde, quod hujusmodi clericus conjugatus super causa mere civili, conveniendus sit coram judice suo sæculari : neque is possit opponere exceptionem declinatoriam fori : quia revera non gaudet privilegio fori in causis mere civilibus.

27. *Possunt ab hoc incarcerari pro debito mere civili*, etc. — Infertur ulterius, quod talis clericus pro debito civili, seu pro executione causæ mere civilis, per judicem sæcularem possit capi, atque in carcerem mitti; absque eo, quod judex incidat in excommunicationem canonis. Licite enim, ac nequiquam suadente diabolo, id facit : neque injicit ejusmodi clerico conjugato manus violentas, sed justa, ipsum v. g. de fuga suspectum capiendo, et incarcerando. Covarruvias cit. cap. XIII. n. 7; Barbosa, ubi supra, n. 9 et 10; Sanchez d. disp. 46. n. 23. allegans alios : quidquid nonnulli de hoc dubitaverint, imo et hanc incarcerandi potestatem judici sæculari penitus abnegaverint; uti videre est apud Sanchez loc. cit.

28. *Neque gaudent ullo alio privilegio clericali.* — Infertur tertio, quod clericus conjugatus præter privilegium canonis, et fori, ut supra, nullo alio gaudeat privilegio clericali, ut puta privilegio, cap. *Odoardus de Solution*. et hujusmodi. Belletus *Disquisit. clerical*. part. I. § 8. *de favor. clerical. personal*. n. 11; Aloys. Ricius. in *Praxi*, part. I. resolut. 365. n. 2; Franchus, cap. un. *de Clericis conjugat*.

in 6; Covarruvias *Pract. quæst.* cap. XXXI. n. 9; Farinacius lib. I. *Praxis criminal.* quæst. 8. n. 9, cum aliis. Unde nec est capax beneficii ecclesiastici obtinendi absque legitima papæ dispensatione : nam præter enumerata duo privilegia, habetur in reliquis pro mero laico, nulloque privilegio clericali gaudet. Covarruvias, loc. cit.; Gonzalez ad reg. 8. cancellar. Gloss. 2. n. 68, et 69. junctis dicendis infra n. 43.

29. *Solvitur notabilis instantia ex cap. un. h. t. in 6 desumpta.* — Objicies contra tertiam conclusionem pro favore oppositæ sententiæ. In sæpe cit. cap. un. h. t. in 6. dicitur, clericum conjugatum, servantem conditiones præscriptas, trahi non posse « criminaliter aut civiliter ad judicium sæculare : ergo etiam in causis civilibus gaudet in privilegio fori; eo præsertim, quia hodie, sive post concilium Tridentiuum, debet alicujus Ecclesiæ servitio ab episcopo deputari, eique ministrare. Resp. neg. anteced. sit absolute prolatum. Nam textus ex cit cap. un. h. t. in 6. truncate solum hic refertur, omissis videlicet prioribus illis verbis : « Pro commissis ab eis excessibus, vel delictis trahi non posse, etc. » uti liquet ex dictis n. 22. Unde verus ejusdem sensus est, quod hujusmodi clericus conjugatus non possit conveniri coram judice sæculari in causis criminalibus, sive agatur super crimine criminaliter, sive civiliter solum. Covarruvias, et Farinacius, ubi supra. Nec urget, quod de facto talis clericus debeat ex deputatione episcopi cuipiam Ecclesiæ deservire. Nam istud quidem, præter alias conditiones, requirit concilium Tridentinum, de cætero tamen novum privilegium non concedit : quin potius mandat servari constitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit, « Clerici qui cum unicis; » atque habetur cit. cap. un h. t. in 6. (ADNOTATIO XLIII.)

30. *An clericus conjugatus ad ulteriores ordines promoveri valeat? Istud in Ecclesia græca fieri posse, est extra controversiam,* — Quæritur II. An clericus conjugatus ad ulteriores ordines promoveri valeat? Hæc quæstio solum procedit de clericis Ecclesiæ Latinæ : non loquendo de clericis Ecclesiæ Orientalis, seu Græcæ extra controversiam est, ipsos in ordinibus minoribus constitutos posse virginem ducere in uxorem, ac postea recipere ordines majores, hisque receptis licite uti sua conjuge. Patet quippe istud manifeste ex c. *Cum olim.* 6 h. t. ubi pontifex desuper consultus respondit in hæc verba : « Nos igitur attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit : quoniam Orientales in minoribus ordinibus contrahunt, et in superioribus utuntur matrimonio jam contracto, » etc. His adde dicta paulo superius n. 8. Igitur de clericis Græcis res est indubitata : verum loquendo de clericis Ecclesiæ Latinæ, de quibus sacri canones potissimum loquuntur, quæstio remanet. Unde

31. *Clericus conjugatus Ecclesiæ latinæ nequit promovere ad sacros ordines, nisi uxore consentiente et continentiam vovente.* — Resp. I. Clericus conjugatus Ecclesiæ Latinæ, etiam non bigamus, nequit promoveri ad sacros ordines, nisi castitate sub voto promissa, simulque consentiente uxore, quæ vel monasterium ingrediatur, vel in sæculo manens continentiam voveat, atque talis ætatis existat, quod nulla sinistra suspicio de ipsa habeatur. Ita constat ex cap. II. h. t. et c. *Conjugatus.* 5. *de Conversion. conjugat.* In quo posteriori loco sic statuitur : « Nullus conjugatorum est ad sacros ordines promovendus : nisi ab uxore continentiam profitente, fuerit absolutus. » Concordat can. *Seriatim.* dist. 32. et can. *Episcopus benedictionem.* dist. 77. ubi ad talem ordinationem consensus uxoris expresse requiritur : quæ quidem uxor vel debet religionem ingredi, vel in sæculo manens castitatem vovere, simulque omni sinistra suspicione incontinentiæ carere, c. *Uxoratus.* 8. *de convers. conjugat.* Unde in *Extravag. Antiquæ* Joannis XXII, *de Voto,* « Auctoritate apostolica districtius inhibetur, ne quispiam durante matrimonio, nondum etiam consummato, aliquem de sacris ordinibus præsumat suscipere, nisi prout sacris canonibus noverit convenire. » Ubi Glossa ℣. *Noverit convenire,* relatis conditionibus hic jam allegatis, amplius istius declarat.

32. *Dempto casu, quo legitimam divortii causam habens, v. g. ob adulterium uxoris, ordinari desideret.* — Limitatur istud in casu, quo vir legitimam divortii causam habens, v. g. ob notorium, aut legitime probatum adulterium uxoris, ad ordines sacros promoveri desiderat. Tunc enim non est necessarius recursus ad uxorem, aut consensus ejusdem : quia ob talem causam jure divino, *Matth.* XIX, 9 et quidem in perpetuum, c. *Significasti.* 4. *de Divortiis*, potest vir imposterum continens, dimittere uxorem suam quoad cohabitationem : sicque ipse etiam invita, reclamante, ad sacros ordines promoveri; cum conjux adultera omni jure conjugali destituatur.

Idipsum patet ex c. *Constitutus*, 15. ubi Glossa ℣. *Ad gradum sacerdotii.* et Innocentius, et Abbas n. 5. *de Convers. conjugat.*; Sanchez, lib. X. *de Matrim.* disp. 11. n. 16. citans plurimos alos, estque communis.

33. *Conjugatus etiam ad primam tonsuram, vel hac jam recepta ad ordines minores, promoveri nequit.* — Resp. II. Conjugatus etiam ad primam tonsuram, promoveri non potest; aut, si hanc antea jam recepisset, nequit is ad ordines minores promoveri, nisi de Consensu uxoris voventis continentiam, ut supra, Ita Glossa in c. *Conjugatus.* ℣. *Ad sacros* et Joan. Andreas ibid. n. 3. *de Conversion. conjugat.* et alias Glossa cap ult. ℣. *Definitum de Temporib. Ordination.* in 6; Abbas cap. II. n. 3. h. t. Pirhing, eod n. 2; Barbosa in *Extravag. Antiquæ.* Joannis XXII. *de Voto.* n. 4; Sanchez, lib. VII *de matrim.* disp. 38, in 6, cum aliis. Prior pars patet ex cap. ult. *de Temporib. ordinat.* in 6 ubi inter alia, sub pœna suspensionis per annum, prohibetur episcopo, et cuivis alii, « ne — clericalem præsumat conferre tonsuram conjugato, nisi volenti religionem intrare, aut ad sacros ordines promoveri; prout est sacris canonibus definitum. »

34. *Nisi ipsi votum continentiæ antea præstiterint.*—Et notanter additur, « prout est sacris canonibus definitum. » Nam, quando conjugatus vult promoveri ad primam tonsuram, aut ordines minores, præter consensum suæ conjugis religionem ingredientis, aut in sæculo castitatem voventis, debet antea episcopus ab ipso exigere votum continentiæ. Glossa can. *Episcopus benedictionem.* dist. 77. ℣. *Sequestrato*; Joan. Andreas c. *Conjugatus.* n. 4. et Abbas ib. n. 2. *de Conversion. conjugat.*; Sanchez cit. disp. 28 n. 6. et alii. Rationem dant, quia uxoratus non potest ad primam tonsuram, vel ordines minores promoveri, nisi etiam intendat promoveri ad sacros ordines, cap. ult. *de Temporib. ordination.* in 6. juncto concilio Tridentino proxime citando. Ne igitur ante susceptionem sacrorum ordinum contingat, uxoratum jam initiatum minoribus ordinibus suæ conjugi se immiscere, debet ab ipso exigi votum continentiæ.

35. *Et cur tale votum exigatur ab uxorato; non vero a cœlibe, ad ordines minores promovendo?* — Nec obstat, quod a cælibe, seu non uxorato, ad primam tonsuram, vel ordines minores promovendo, tale votum non exigatur. Disparitas enim est : quia cælebs, seu non uxoratus, cæteroquin jam tenetur caste vivere; cum etiam laici soluti ad istud teneantur, can. *Nemo.* et can. *Meretrices.* 32. q. 4 unde ad istud non oportet exigere speciale votum. Idque eo magis, quia promotus ad ordines minores habet a jure licentiam contrahendi matrimonium, si non velit stare in clericatu, can. *Si qui vero.* et can. *Si quis eorum*, dist. 32 et cap. 1. ac seqq. h. t. ac proinde hoc ipso non debet ordinator ab illo exigere votum continentiæ, ne eum privet beneficio juris concedentis, ut si velit, in posterum contrahere matrimonium valeat. Secus dicendum de uxorato ad ordines minores promoto qui nisi votum continentiæ emitteret, ante susceptionem ordinum majorum licite posset ad suam uxorem accedere.

36. *Et nisi conjugatus ille ordinetur de consensu uxoris continentiam voventis.* — Alteram partem probant Abbas et Pirhing, ubi supra, ex cap. 2. h. t. ubi generaliter prohibetur, « ne deinceps clericus conjugatus ad sacros ordines admittatur; nisi forte castitatem voveret perpetuam. » Aiunt enim, quod ly *Sacros ordines*, ibidem capiatur generaliter ut comprehendat omnes ordines, etiam minores : nam et hi possunt dici *Ordines Sacri*, quatenus sunt sacramentum novæ legis, digneque recipientibus conferant gratiam, ac specialem potestatem ministrandi in Ecclesia Dei. Verum melius dicitur cum Barbosa loc. cit. n. 5. et Sanchez d. disp. 38. in 6, quod in relato cap. 2. h. t. interdicatur uxoratis promotio duntaxat ad ordines sacros sive majores : at vero in cap. ult. *de Temporib. ordinat.* in 6. eisdem etiam prohibeatur promotio ad primam tonsuram, ordinesque minores. Accedit ratio hujus posterioris prohibitionis, quia ordines minores non nisi sub respectu ad majores conferendi sunt, cit. cap. ult. *de Temporib. Ordinat.* in 6. juncto concilio Trident. sess. 23. cap. 2. ubi dicitur, ministrorum ordines ita in Ecclesia esse distributos, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. » Unde etiam prima tonsura non est conferenda illis, « de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstant, hoc vitæ clericalis genus elegisse; » prout loquitur concilium Tridentinum, cit. ses. 24, cap. IV *de Reform.* Talis autem probabilis conjectura nequit haberi de clericis uxoratis, nisi vovendo castitatem, ut supra, ad ordines etiam majores aspirent.

37. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod idem concilium Tridentinum sess. 23. cap. 17. *de Reform.* provide decreverit, ut functiones ordinum minorum, ne ab hæreticis tanquam otiosæ traducantur, non nisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur, quibus idcirco congrua stipendia censuit assignanda. Et posmodum subjungat. « Quod si ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis clerici cælibes præsto non erunt, suffici possint etiam conjugati, vitæ probatæ, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, et qui tonsuram, et habitum clericalem in Ecclesia gestent. » Resp. enim, hisce verbis concilium quidem concessisse, ut in defectum clericorum cælibum possint effici clerici conjugati, de quibus cap. un. h. t. in 6. fit mentio : non autem, ut jam uxorati in præfatum finem ordinentur, contra sacros canones jam relatos.

38. *Conjugatus ad ordinem sacrum absque licentia uxoris transiens, nequit in suscepto ordine ministrare, aut beneficium, etc., acquirere : nisi religionem canonice fuerit ingressus.* — Resp. III. Si conjugatus ad ordinem sacrum absque licentia uxoris transierit, nequit is durante matrimonio, vel etiam hoc per obitum, aut professionem religiosam conjugis soluto, in suscepto ordine ministrare, nec ad superiores ordines provehi ; nec etiam poterit ad aliquod beneficium, vel officium ecclesiasticum promoveri, nisi aliquam de religionibus approbatis canonice fuerit ingressus. Ita textus in cit *Extravag. antiquæ.* Joannis XXII *de Voto*, juncta Glossa, et Barbosa in Collectan. ibid. et doctoribus passim.

39. *Maritus absque licentia uxoris ad ordines sacros promotus, potest ab ista ad consortium conjugale revocari.* — Resp. IV. Maritus absque licentia uxoris ad sacros ordines promotus, potest ab ipsa ad consortium conjugale revocari : ita tamen, ut nec debitum petere possit, sed duntaxat reddere teneatur ; nec mortua sua conjuge ad alias nuptias transire valeat, et si de facto contrahat matrimonium, illud sit nullum. Ita proxime cit. *Extravag. Antiquæ*. § fin. et ibi Glossa ℣. *Consummare.* et Barbosa, n. 13. Sanchez lib. 7. *de Matrim.* disp. 38 n. 20. 21. et seqq. et alii. Ratio prioris partis est, quia vir per susceptionem ordinis sacri non potuit præjudicare juri, quod habuit uxor in corpus ipsius, juxta Apostolum I *Corinth.*, VII, 4. Etiamsi bona fide assumpsisset sacros ordines, putans, conjugem jam fuisse mortuam. Glossa can. *Si quis pecunia.* dist. 79. ℣. *Non apostolicus :* istud intelligens, nisi conjux induci possit ad continentiam observandam. Sanchez cit. lib. 7 disp. 38 n. 12. allegans alios.

40. *Ita tamen ille nec debitum petere, nec mortua conjuge aliud matrimonium contrahere valeat.* — Altera pars ex eo probatur. Quia vir per receptionem ordinis sacri, obstrinxit se voto castitatis, annexo sacris ordinibus : ac proinde tenetur istud servare, in quantum lex matrimonii permittit ; videlicet debitum conjugale non exigendo, licet illud reddere possit, atque teneatur. Et quia hujusmodi votum est solemne, hinc istud impedit matrimonium in posterum contrahendum, ac dirimit contractum, cap. un *de Voto.* in 6.

41. *Clerici conjugati an possint habere beneficium ecclesiasticum? Nequeunt istud obtinere absque legitima dispensatione.* — Quæritur III. Utrum clerici conjugati possint habere beneficium ecclesiasticum? Resp. I. Clericus conjugatus nullum potest obtinere beneficium, quantumvis modicum, absque legitima dispensatione : nisi unicam, eamque virginem duxerit (hoc est, non sit bigamus) simulque eadem consentiente, pariterque vovente, castitatem voverit perpetuam. Ita communis ; estque expresse decisum cap. II. h. t. illis verbis : Provideas attentius, ne deinceps clericus conjugatus ad ecclesiastica beneficia, vel sacros ordines, aut administrationes ecclesiasticas admittatur : Nisi forte castitatem voveret perpetuam, et qui unicam et virginem habuisset uxorem. » Ubi proinde Summarium post Joan. Andream, et Abbatem, sic habet : « Conjugatus ad administrationem, et ad ordinem ecclesiasticum, vel beneficium non promoveatur, nisi castitatem promittat, et non sit bigamus. » Concordat c. *Cum decorem.* 8. h. t. et *Extravag. Antiquæ*. Joannis XXII. juncta Glossa ℣. *Nec ad aliquod* et ℣. *Officium Ecclesiasticum. de Voto.*

42. *Nisi consentiente pariterque vovente conjuge, castitatem voverint perpetuam. Dictio* Nisi *est exceptiva.* — Additur tamen in conclusione, « nisi unicam eamque virginem duxerit, simulque eadem consentiente, pariterque vovente, castitatem voverit perpetuam. » Nam hisce stantibus, riteque observatis, sicuti clericus conjugatus licite promovetur ad ordines, etiam sacros, juxta dicta n. 31. ita etiam licite, atque sine alia dispensatione, potest promoveri ad beneficium ecclesiasticum : ne forsan cæteroquin in opprobrium suscepti status clericalis mendicare cogeretur. Atque

istud clare indicat dictio, *Nisi*, in proxime allegatis juribus contenta : nam hæc dictio de sui natura est exceptiva, et in effectu adversatur præcedentibus; ut c. *peccatum.* 4. *de Reg. Jur.* in 6. cum similibus. Et si oratio negativa præcedit, affirmat Barbosa *de Dictionib. usu frequent.* Dict. 217. allegans plurimos alios.

43. *Isque amplius probatur. Clericus conjugatus præter privilegium canonis, et fori, habetur pro mero laico.* — Accedit ratio conclusionis sic explicatæ, tum quia præter privilegium canonis, et fori (modo superius jam declarato) clericus conjugatus habetur pro mero laico, nulloque privilegio clericali gaudet, cap. un. ỹ. *In cæteris.* h. t. in 6. ac proinde nec beneficium ecclesiasticum obtinere potest. Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. gloss. 5 n. 68. post Joan. de Selva part. I. *de Beneficiis.* quæst. 7. n. 17 et part. III. q. 5. n. 19; tum quia clerico in ordinibus minoribus constituto, et matrimonium contrahente, vacant ejus præhabita beneficia ipso jure, cap. I. et c. *Quod a te.* 3. et c. *Diversis.* 5 h. t. Ergo nec in posterum talia ipsi sunt conferenda, propter incompatibilitatem status conjugalis cum beneficio, conformiter dictis supra § 1. n. 6. et 7.

44. *An possit obtinere pensionem.* — Et quæ nunc dicta sunt de beneficio, procedunt pariter de pensione ecclesiastica, seu quæ titulo clericali conferri solet. Sanchez lib. VII. *de Matrimon.* disp. 44. n. 9; Barbosa cap. II. h. t. Secus dicendum de pensione, quæ datur pro ministerio mere temporali; ut puta, pro pulsandis organis, aut campanis, vel pro gerenda advocata Ecclesiæ : quia pro talibus ministeriis bene potest clericus conjugatus habere stipendium ab Ecclesia, non tamen in titulum. Abbas c. *Joannes.* n. 7. et 8. h. t. citans Hostiensem; Sanchez cit. dist. 44. n. 2. et 4; Barbosa d. n. 2. et alii. Concordat concilium Tridentinum sess. 23 cap. XVII. *de Reform.* ubi clericis conjugatis, functiones quatuor ordinum minorum exercentibus, jubet congrua stipendia assignari, quia hæc non dantur in titulum. Nisi dicere velis, istud fieri ex speciali dispensatione apostolica, in dicto concilio promulgata, conformiter illico dicendis. Unde

45. *Clericus conjugatus, castitatem perpetuam vovens qualecunque beneficium obtineat, requiritur dispensatio summi pontificis.* — Resp. II. Ut clericus conjugatus castitatem perpetuam, ut supra, non vovens, qualecunque beneficium ecclesiasticum obtineat, requiritur dispensatio summi pontificis, nec sufficit dispensatio episcopi, etiam loquendo de beneficio simplici. Ita Abbas Panormitanus cit. c. *Joannes.* n. 7. h. t.; Angelus, ỹ. *Beneficium.* n. 15.; Sanchez, lib. VII. *de Matrim.* dis. 42. n. 18; Gonzalez, ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 2. n. 68. et 69.; Barbosa cap. II. n. 2. h. t.; Garcias part. VII. *de Beneficiis.* cap. v. n. 4; Flamin. Parisius, lib. 4. *de Resignat. benefic.* quæst. 2. n. 28. citans magis communem : quamvis loquendo de beneficiis simplicibus quæ non sunt dignitates, non pauci velint, episcopum posse dispensare; uti videre est apud Abbatem loc. cit. et Sanchez n. 17. Ratio conclusionis est, quia episcopus non dispensat contra jus commune, nisi in casibus sibi a jure concessis : ut can. *Amputato.* c. 26. q. 2. juncta Glossa, fin. ibid. et c. *Dilectus*, ubi Glossa ỹ. *Permissa de Temporib. ordinat.* cum similibus. Atqui talis dispensatio, etiam quod beneficium simplex, nullibi reperitur episcopo concessa; imo potius videtur ipsi prohibita in cap. II. et c. *Diversis.* 5 h. t. ergo.

46. *Nec sufficit dispensatio episcopi, etiam quoad beneficium simplex.* — Dices. In c. *Joannes.* 7. h. t. Pontifex decidit clericum conjugatum non esse cogendum ad deferendam tonsuram clericalem, « dummodo nullum percipiat beneficium; » ergo supponit pontifex posse clericum ex dispensatione episcopi habere aliquod beneficium, saltem simplex. Respondent Glossa fin. ibid. et doctores passim, Capitulum istud verificari ex dispensatione papæ. non autem ex dispensatione episcopi. Nam quia textus supponit, clericum conjugatum posse habere beneficium, non autem declarat modum; intelligi debet ex legitima dispensatione papali, ut sic concordentur jura juribus. Abbas, Sanchez, ut supra alioquin enim, si sufficeret dispensatio episcopi, immerito papa in c. *Diversis*, 5. h. t. jussisset, ut beneficia ecclesiastica scienter per episcopum (et sic ipso facto dispensantem) clericis conjugatis collata, per superiorem suum eisdem clericis adimerentur.

47. *Episcopus dispensat in beneficio simplici cum homicida, ejusve irregularitate; non vero cum clerico conjugato : et cur?* — Urgebis : Episcopus dispensat in beneficio simplici cum homicida, et irregularitate ipsius, c. *Henricus. de Cleric. pugnant, in duell.* et c. *Ad audientiam.* 12 et c. *Continebatur.* 8. *de Homicid.* Idem ergo poterit in proposito. Resp. neg.

consequent. Quia istud (loquendo de homicidio casuali, ut in juribus præallegatis est) expresse per sacros canones episcopis concessum : non illud. In materia vero dispensationum, quæ est exorbitans, non debet argui de casibus permissis ad non permissos, etiamsi permissi sint majores; juxta reg. 28. Juris in 6. « Quæ a jure exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda, » cum concordantiis Joan. Andreas c. *Quæ a jure.* n. 9. *de Reg. jur.* in 6; Abbas, Sanchez, ubi supra; estque jam dictum superius, lib. I. tit. II. *De Constitutionibus.* n. 421. 451. et 454.

TITULUS IV.

De Clericis non residentibus in ecclesia, vel præbenda.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Cum beneficium ecclesiasticum detur propter officium, ut dicitur cap. ult. *de Rescript.* in 6. non sufficit clericos vitæ honestate fulgere, mulierumque consortia vitare, nisi etiam suum præstent officium ratione recepti beneficii sibi incumbens. Quia igitur istud præstare non valent, nisi resideant in ecclesia, vel præbenda, ad quam assumpti fuerunt, merito præsens titulus prioribus subnectitur: pro cujus clariori intelligentia sit.

§ I.

PRÆMITTUNTUR GENARALIA DE RESIDENTIA CLERICORUM BENEFICIARIORUM.

2. *Residere in Ecclesia, vel præbenda quid?* — Quæritur I. Quid sit, residere in Ecclesia, vel præbenda; quibusque modis contingat? Resp. cum communi : *Residere* hoc loco dicitur is, qui ferme continue commoratur in loco beneficii sui, causa officcii, seu servitii ecclesiastici personaliter præstandi. Dicitur imprimis, « ferme continuo commoratur in loco beneficii. » Nam, qui « aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt; » prout loquitur sacrosancta Synodus Tridentina, sess. 23 cap. I. *de Reform.* Idemque desumitur ex can. *Præsentium.* et can. *Si quis in clero* 7. q. I. cum similibus.

3. *Residere nihil aliud est, quam deservire Ecclesiæ in officiis divinis.* — Dicitur secundo, « causa officii, seu servitii ecclesiastici, » etc. Quia onus residentiæ, clericis beneficiariis incumbens, est intelligendum cum effectu, c. *Relatum.* 4. h. t. Quinimo, ut notat Fagnanus in c. *Conquerente.* n. 16. h. t. et c. *Licet.* n. 23. *de Præbend.* Residere nihil aliud est, quam deservire Ecclesiæ in officiis divinis, per textum in cit. c. *Conquerente.* h. t. ibi : « Vel quod eidem Ecclesiæ non deserviat. » Unde, si clericus personaliter quidem existat in loco beneficii, sed officium suum nunquam præstet (puta, si canonicus, cæteroquin præsens in loco Ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, nunquam accedat chorum, et capitulum) non censetur residere. Pirhing h. t. n. 1. Quid enim prodest clericorum præsentia in loco, ex quo Officiis divinis non adsunt, propter quæ sunt beneficia constituta? Glossa cap. un. ỳ. *Præsentes.* h. t. in 6.

4. *Existens in loco beneficii, sed nihil præstans, residet materialiter, non vero formaliter.* — Nisi dicere velis cum Barbosa ad rubric. h. t. n. 8. talem residere duntaxat materialiter, cum non maneat in loco beneficii cum effectu : hoc est, cum exercitio muneris personalis, ad quod ipsa residentia ordinatur, et de qua impræsentiarum est sermo.

5. *Beneficium datur propter officium; nec est conferendum, nisi residere valenti. Residentia debet esse laboriosa, non otiosa.* — Dicitur tertio, « personaliter præstandi. » Siquidem nullus ad beneficium ecclesiasticum assumendus est, nisi qui « residere in loco, et curam ejus per ipsum valeat exercere, » juxta textum expressum, cap. III. h. t. Quia enim beneficium datur propter officium, cup. ult. *de Rescript.* in 6. hinc residentia accipienda est in eum sensum, ut sit laboriosa, non otiosa. Fagnanus c. *Ex parte.* n. 15. h. t. Atque idcirco omnes, et singuli beneficiati, spectato jure communi, tenentur ad residentiam personalem; id est, ad personale ministerium in loco beneficii præstandum.

6. *In beneficiis ecclesiasticis locum non habet regula potest quis per alium, quod facit facere per se ipsum. Et cur?* — Neque impræsentiarum locum habet regula 68. Juris in 6. « Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. » Patitur enim regula hæc exceptionem, seu fallentiam, quoties electa est industria, et fides personæ, cui quidpiam committitur : ut cap. ult. § *Is autem de Offic. judic. delegat* et c. *Is cui.* 12. eod. in 6. Sic autem in beneficiis ecclesiasticis censetur

electa industria, fidesque personæ, cui aliquod ipsorum confertur, c. *Quia nonnulli*, 3. h. t. juncto can. *Metropolitano*. dist. 63. et can. *Licet*. 8. q. 1. et concilio Tridentino, sess. 24. cap. I. *de Reform*. ubi non nisi digniores, et ecclesiæ magis utiles judicati, ad beneficia curata promoveri jubentur. Unde consequens est, quod non possit quis per alium residere in Beneficio : sicut etiam nequit clericus recitare Breviarium per alium, una cum similibus. Accedit, quod is, quis accipit aliquod officium, obliget suam personam ad proprias illius officii functiones : taciteque promittat, se illas obiturum, quantum res feret : et nisi putaretur id facturus, non ei daretur officium. Idem ergo dicendum de clerico, cui datur beneficium propter officium; sicque tacite sese obligavit ad officium suum personaliter præstandum, quantum res feret : hoc est, regulariter loquendo, ac nisi causa majoris momenti cogat ipsum ad tempus abesse a beneficio.

7. *Residentia est duplex, vera, et ficta : et quid?* — Resp. II. Residentia, de qua agitur hoc titulo, sive residentia formaliter considerata, est duplex; vera videlicet, et ficta. Ita Barbosa ad rubric. h. t. n. 9; Pirhing eod. n. 2. et in re communis. Siquidem *Residentia vera* dicitur illa, qua beneficiarius vere ac realiter præsens est in loco beneficii, hujusque onera seu officia per semetipsum exercet. *Residentia ficta* censetur illa, quæ ex juris dispositione est inducta : dum videlicet beneficiarius ex legitima causa absens, habetur ex quadam juris fictione pro præsenti, saltem ad lucrandos fructus grossos; ut c. *Ad audientiam*. 15. et c. *De cætero*. 7. h. t. ubi duo canonici absentes in servitio episcopi, hac ratione censentur præsentes, seu residentes. Vel etiam ad lucrandas distributiones quotidianas; ut cap. un. h. t. in 6. ac suo loco amplius dicetur. Et hoc modo etiam in beneficiis curatis intelligitur residere, qui ex legitima causa absens, deservit beneficio suo per vicarium; ut c. *Extirpandæ*. 30. § *Qui vero*. *de Præbend*.

8. *Spectato jure communi, omnia beneficia, etiam simplicia, postulant residentiam*. — Quæritur III. Utrum omnia beneficia residentiam exigant, et quo jure? Resp. I. Spectato jure communi omnia beneficia, etiam simplicia, postulant residentiam. Ita Abbas c. *Extirpandæ*. in repetit. § *Qui vero*. n. 30. *de Præbend*. asserens, quod beneficium, quantumque minimum, de Jure communi requirat residentiam. Federicus de Senis consil. 246 in princip.; Fagnanus c. *Cum omnes*. n. 14. *de Constitut*. et communis. Idque patet ex c. *Ex parte* 8. et c. *Inter quatuor*, 10. h. t. ubi clerici, qui ecclesias, vel præbendas sibi concessas, sine justa causa deserunt, sicque in ipsis non resident, privatione earumdem puniuntur. Concordat cap. II. et cap. ult. h. t. et c. *Super inordinata*. 35. *de Præbend*. et c. *Ad hæc*. 13. eod. ubi dicitur, quod « singula officia in ecclesiis assiduitatem exigant personarum » : cum similibus. Et loquendo etiam de beneficiis simplicibus, id ipsum patet ex can. *Eleutherius*. et can. *Clericus*. dist. 91. et can. ult. dist. 92. et can. *Si quis in Clero*. 7. q. 1. juncta Glossa ỳ. *Solemnibus*. Accedit c. *Conquerente*. 6. h. t. ubi Summarium ex Abbate, et Joan. Andrea desumptum, sic habet : « Qui non residet in beneficio, etiam modicæ æstimationis, illo privatur. » Ex quo liquet, quod spectato jure communi habentes beneficium simplex, quantumvis modicum, residere teneatur.

9. *Ex generali tamen consuetudine, beneficia simplicia eam non requirunt; nisi fundator oppositum expresserit*. — Additur notanter, « spectato jure communi. » Nam ex generali consuetudine totius Ecclesiæ, beneficia simplicia residentiam personalem non requirunt; adeo que potest quis per substitutum eisdem deservire : nisi fundator disertis verbis oppositum expresserit. Felinus c. *Dilectus*, il. 2. n. 1. *de Rescriptis* Abbas c. *Cum omnes*. n. 1. et Fagnanus ibid. n. 14. et seqq. *de Constitut*. citans rotam apud card. Seraphinum, decis. 639. n. 5. et alios. Vallensis h. t. n. 3. et 4.; Garcias *de Beneficiis*, part. III. cap. II. n. 3 et 11. ac seqq. Zerola part. I. *Praxis episcopal*. ỳ. *Beneficium*. § *Ad Septimum*. ỳ. *Octava conclusio*, allegans declarationem sacræ Congregationis in hæc verba : « Obtinens beneficium, quod sit simplex, et sine cura animarum, et extra Ecclesiam collegiatam, nec personalem residentiam ob aliam causam requirens, non tenentur in eo residere, sed ad inserviendum illi per alium, qui probatus sit ab ordinario. » Ubi clausula illa, « ob aliam causam, » etc. manifeste probat posteriorem partem datæ limitationis : nam si fundator disertis verbis obligarit beneficiarium ad residentiam personalem (idemque dicendum, si statuto, vel consuetudine particularis alicujus Ecclesiæ, talis obligatio inducta fuerit) procul dubio tenebitur quis residere in loco beneficii simplicis, atque per semetipsum injuncta servitio

ecclesiastica præstare : prout per Rotam fuisse resolutum in una Calaguritana, Beneficii de Navarrete. 10. Junii 1588 coram D. Pamphilio. et in una Cæsaraugustana Fructuum, 4. Junii 1600, coram D. Corduba, refert Garcias cit. cap. II. 11 et 12.

10. *Episcopi aliique beneficiati curam animarum habentes, jure divino, et naturali residere tenentur.* — Resp. II. Episcopi, aliique beneficiati curam animarum habentes, tenentur ad residentiam personalem non solum de Jure canonico, sed etiam Jure divino, et naturali. Ita Garcias, tract. 3. *de Beneficiis*, cap. II. n. 16; Fagnanus c. *Ex parte*. n. 25. h. t. asserens, hanc sententiam teneri ferme ab universa schola theologorum; Navarrus cap. XXV. *Manual*. n. 121. vers. *Ex quo obiter*; Pirhing h. t. n. 51; Vallensis eodem n. 1; Zoesius n. 2; Barbosa part. III. *de Offic. et potest. Episc.* allegat. 53. n. 2; Bernardus Sannig h. t. cap. I. n. 4; Lessius, lib. II. *de Just. et Jur.* cap. 24. dubit. 29. n. 153, et plurimi alii, contra Ambros. Catharinum in opusculo *de Residentia*, et paucos alios. Probatur conclusio ex concilio Tridentino, sess. 23. cap. I. *de Reform.* ubi dicitur : « Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cætera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari, et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt : sacrosancta synodus eos admonet, et hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio, et veritate pascant, et regant, » etc. Ex quibus verbis sic argumentari licet. Episcopi, et cæteri curati tenentur jure divino « oves suas agnoscere, » aliaque a concilio specificata munera obire : atqui hæc præstare nequeunt illi, « qui gregi suo non assistunt; » id est personaliter non resident, uti fatetur idem concilium : ergo.

11. *Istud tamen est diffinitum per concilium Tridentinum, tanquam dogma fidei.* — Notandum tamen cum Fagnano cit. c. *Ex parte*, n. 18. et 19. et Pirhing n. 12 h. t. quod concilium Tridentinum loc. cit. noluerit definire hunc articulum, tanquam dogma fidei : alioquin enim disertis verbis eumdem posuisset inter canones ad dogmata fidei pertinentes, prout moris est; non autem inter decreta reformationis. Unde si quis de facto affirmaret, præceptum residentiæ pastorem esse tantum de jure positivo ecclesiastico, ipse non condemnaretur ut hæreticus.

12. *Absens potest gregi suo invigilare et quando?* — Objicies majoris claritatis gratia, contra datam conclusionem. Sufficit, quod episcopus, aut quivis curatus, per alium sua munia pastoralia præstet; atque ipse, licet alibi existens, gregi suo invigilet, juxta illud Apost. II Corinth. XI, 28 dicentis : *Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum* : haud obstante, quod divus Paulus apud has omnes ecclesias simul residere non potuerit, sed duntaxat absens ipsarum omnium sollicitudinem gerens, eisdem invigilaverit; ergo Resp. Antecedens duntaxat procedere in casu legitimæ absentiæ, seu quando causa majoris momenti cogit clericum ad tempus a beneficio abesse: prout abfuit divus Paulus, ubi supra. Alias secus.

13. *Pastor jure naturæ atque vi sui officii, tenetur gregi suo invigilare; nec istum deserere. Eadem obligatione, qua quis tenetur ad finem, tenetur etiam ad medium, sine quo finis obtineri nequit.* — Accedit ratio desumpta ex natura, et officio pastoris. Siquidem pastor jure naturæ, atque vi sui officii, tenetur gregi suo invigilare, eumque ad instar mercenarii neutiquam deserere : quod ipsum jure divino præcipitur pastoribus ecclesiasticis, *Ezechiel.* III, 17; *Actor.* XX, 17. et seqq. cum concordantiis : ergo etiam jure naturali, ac divino, tenetur pastor animarum ad residentiam personalem, utpote sine qua, juxta allegatum concilium Tridentinum, munia pastoralia nequaquam præstari, et impleri possunt. Eadem enim obligatione, qua quis tenetur ad finem, tenetur etiam ad medium, sine quo finis obtineri non potest, l. *Nam ut ait*. ff. *de Legib.* sanctus Thomas part. I. quæst. 19, art. 3; Fagnanus, loc. cit. n. 30. Idque eo magis urget, quia in beneficiariis, præsertim curatis, censetur electa industria personæ, conformiter dictis n. 6. Unde non mirum, quod cessante legitima absentiæ causa non possint per alium residere, sicque obligationi suæ satisfacere, arg. cap. ult. § *Is autem. de Offic. judic. delegat.*

14. *Beneficia non curata, jure duntaxat ecclesiastico exigunt residentiam.* — Resp. III. Beneficia non curata, jure duntaxat ecclesiastico, atque ex primæva fundatorum inten-

tione, per sacros canones approbata, exigunt residentiam. Ita Fagnanus, c. *Extirpandæ.* § *Qui vero.* n. 28. *de Præbend.;* Vallensis h. t. n. 2; Zoesius eod. n. 2; Pirhing n. 16; Sannig, cit. cap. I. n. 5. et alii. Ratio est, quia beneficia curam animarum non requirentia, solummodo per ecclesiam propter cultum divinum sunt instituta, neque in istis urget ratio proxime allata; cum careant officio pastorali, curaque animarum : ergo non nisi jure ecclesiastico exigunt residentiam.

15. *Danturque aliqua beneficia, quæ ad residentiam non obligant.* — Accedit, quod dentur aliqua beneficia, quæ tantum ad horarum canonicarum recitationem obligant, non etiam ad residentiam : uti sunt præstimonia, seu præstimoniales portiones, quæ a redditibus ecclesiasticis abstractæ, designantur aliquibus in vitæ subsidium, vel ad studia peragenda. Zoesius cit. n. 2. Ad idem facit concilium Tridentinum, sess. 6. cap. II. *de Reform.* decernens, ut obtinentes « Beneficia ecclesiastica personalem residentiam de jure, sive consuetudine exigentia, » cogantur residere : nam frustra fecisset mentionem eorum, quæ exigunt residentiam personalem, nisi darentur aliqua beneficia, quæ ipsam non exigunt; uti sunt beneficia quædam simplicia.

16. *Instantia, probans, etiam beneficiatos non curatos teneri jure naturali residere; ejusque solutio.* — Dices. Quilibet jure naturali, et divino, tenetur præstare ea, quæ sunt sui officii, et ad quæ præstanda per hujus acceptationem tacite, seu quasi ex contractu, sese obligavit; ergo etiam beneficiarii non curati tenentur jure naturali divino ad residendum in proprio beneficio : nam per hujus acceptationem tacite se obligarunt ad residendum, eo quod sine personali residentia nequeant præstare onera, atque officia suo beneficio annexa. Resp. negando consequentiam cum sua probatione, vel potius suppositum ejus. Licet enim beneficiarii post acceptatum beneficium, etiam non curatum, teneantur vi pacti tacite præstiti, seu quasi contractus, adeoque jure naturali divino præstare ea, quæ sunt sui officii, exequendo videlicet onera suo beneficio annexa, et consequenter etiam residendo personaliter in eo, ubi opus fuerit : non tamen hinc sequitur, omnia illius beneficii onera, ipsamque residentiam, eidem esse annexa jure naturali divino. Quin potius talia onera, plura, vel pauciora specificantur, atque erecto beneficio annectuntur ex pia fundatorum intentione, atque constitutione Ecclesiæ dictam fundatorum intentionem approbantis : uti patet in obligatione legendi certas Missas, assistendi choro, ministrandi ad altare, etc. Quis enim dicet, talia onera beneficiis simplicibus jure naturali divino esse annexa, cum in pluribus eorum non adsint? quia etiam de generali consuetudine sufficiat, beneficiis simplicibus deservire per substitutum, nisi fundator oppositum expresserit, juxta dicta n. 9. Unde magna est disparitas inter beneficia curata, et non curata : priora enim exigunt personalem residentiam ex sua natura, seu vi pastoralis officii, quod habent annexum, sicque jure naturali divino : secus dicendum de beneficiis non curatis, utpote carentibus officio pastorali, curaque animarum : haud obstante, quod tam ista, quam illa, postquam sunt acceptata, vi pacti tacite initi, seu quasi contractus (imo quandoque etiam ratione præstiti juramenti) sicque jure naturali divino, obligent beneficiarium ad præstanda fideliter onera eisdem annexa.

17. *Juramentum de continua personaliter residentia, quo modo sit intelligendum?* — Quæritur III. Quo modo intelligendum sit juramentum, de continua personali residentia præstitum? Resp. breviter. Juramentum hujusmodi, utpote præstitum circa materiam juris interpretandum est secundum dispositionem juris communis; ac proinde non obligat in casibus jure communi exceptis. Ita Abbas c. *Ex parte.* 13. h. t.; Pirhing eod. n. 44. et alii; atque concordant dicta superius lib. II. tit. XXIV. *de Jurejurando.* § 2. n. 25. et seqq. ubi fuse de interpretatione juramenti præstiti circa materiam juris, dictum fuit.

18. *Non obligat in casibus jure communi exceptis : idque exemplificatur.* — Probatur, simulque exemplificatur eadem conclusio. Si imprimis præpositus, qui a principio receptæ præpositurae juraverat continuo residere pro servitiis suæ Ecclesiæ, sive pro juribus, et rationibus ipsius præpositurae prosequendis, licite se absentat; ac sine fraude taliter se absentando, perjurium non incurrit. Textus est in c. *Ex parte tua.* 13. h. t. ubi omnes doctores. Siquidem ipsummet jus communi permittit clericis, abesse ob evidentem Ecclesiæ suæ utilitatem, cap. un. h. t. in 6. cum concordantiis; unde casus iste non comprehenditur sub ejusmodi juramento. Idemque dicendum de duobus canonicis licite absen-

tibus in servitio episcopi, haud obstante prævio juramento de residendo, juxta c. *Ad audientiam.* 15. h. t. Ac de beneficiariis absentibus ex causa infirmitatis, cap. un. h. t. in 6. cum similibus. Nam quod in omni juramento promissorio, quantumvis absolute facto, quædam tacite subintelligantur conditiones, eæque ipso jure insint; nempe, « Si potero, salvo jure superioris : Si res in eodem statu permanserint, » etc. tradit Glossa in c. *Quemadmodum.* 25. ỹ. *Conditio.* et Abbas ibid. § *Illud autem.* n. 8. *de Jurejurand.* estque jam declaratum supra cit. lib. II. tit. XXIV. § 2. n. 51. 52. et seqq.

19. *Quæ spectato jure communi sint pœnæ clericorum, in suis beneficiis debite non residentium. Nulli diversæ dignitates ecclesiasticæ, aut plures ecclesiæ parochiales sunt conferendæ, sub certis pœnis, et quibus?*—Quæritur IV. Quæ spectato jure communi sint pœnæ clericorum, in suis beneficiis debite non residentium; et quo modo contra eos sit procedendum? Resp. I. Districtius imprimis est prohibitum in concilio Lateranensi, sub Alexandro III. celebrato, ac relato in c. *Quia nonnulli.* 3. h. t. ne cuipiam diversæ dignitates ecclesiasticæ, aut plures Ecclesiæ parochiales conferantur : « Quod si aliter factum fuerit, et qui receperit, quod contra sacros ordines accepit, amittat : et qui dederit, largiendi potestate privetur. » Ita textus expressus in d. c. *Quia nonnulli.* 3. h. t. Quanquam hæc pœna non fuerit latæ sententiæ pro tempore concilii Lateranensis celebrati sub Alexandro III. prout liquet et ly *privetur.* et notat Abbas ibid. n. 4. Idque quoad dantem, seu conferentem, procedit etiamnum, adeo ut non sit ipso jure privatus ea vice potestate conferendi, qui beneficium curatum, vel dignitatem contulit non valenti residere personaliter, seu privandus; prout observat idem Abbas n. 8. Verum quoad recipientem plura beneficia, capitulum istud postea fuit immutatum per c. *De multa.* 28. *de Præbend.* juncto concilio Tridentino sess. 7. cap. IV. *de Reform.* atque ex professo dicetur tit. seqq. § 10. n. 280. et seqq.

20. *Beneficiarii debito modo non residentes, imprimis per superiorem sunt citandi, seu monendi, ut resideant.* — Resp. II. Beneficiarii debito modo non residentes, imprimis per superiorem sunt citandi, seu monendi, ut resideant : et si præfixo tempore, juxta arbitrium superioris, non redeant ad debitam residentiam, neque justam excusationem ostendant, proceditur contra eos appellatione remota. Ita communis, juxta expressos textus juris. Et quidem prior pars constat ex c. *Ex parte vestra.* 8. et c. *Inter quatuor.* 10. et cap. ult. h. t. cum similibus. Qualiter autem hæc citatio debeat fieri, dicetur concl. seqq.

21. *Et si præfixo tempore, cessante justo impedimento, non redierint, proceditur contra eos appellatione remota.* — Altera pars habetur c. *Relatum.* c. 4. h. t. ubi tales residere nolentes, dicuntur a suis beneficiis « posse amoveri ; nisi forte de licentia suorum prælatorum, vel studio litterarum, vel pro aliis honestis causis contigerit eos abesse; nec patrocinari debet eis appellationis diffugium, si contra hujusmodi intentionem decreti fuerit interjectum. » Ubi ponperandum ly *Nec patrocinari debet eis appellationis diffugium,* etc. idque merito fuit statutum : nam contra claram juris dispositionem non admittitur appellatio, c. *Ad nostram.* 3. et c. *Consuluit.* 29. juncta Glossa fin. *de Appellat.* Abbas cit. c. *Relatum.* n. 3. h. t. estque jam dictum supra lib. II. tit. XXVIII. *de Appellationibus.* § 11. n. 308. Atqui contra claram juris dispositionem fieret appellatio, si clericus habens beneficium curatum, vel etiam simplex, ex speciali tamen constitutione, fundatione, aut propria promissione requirens personalem residentiam, appellaret, ne teneantur in eo residere, simulque non posset aliam rationabilem causam excusantem allegare; ergo.

22. *Citatio beneficiarii non residentis, debet fieri personaliter, quando scitur ubi sit.* — Resp. III. Citatio beneficiarii non residentis, antequam contra eum per impositionem pœnarum, puta privationis beneficii, possit procedi, debet fieri personaliter, quando scitur, ubi sit : ita videlicet, ut episcopus privaturus clericum beneficio ob non residentiam, teneatur eum prius monere, ut resideat, vel citando ipsum in persona coram legitimis testibus per internuntium; vel per litteras compellendo eum ad residentiam sub pœna privationis, nisi intra terminum sibi præfixum, atque arbitrio episcopi taxandum, in suo beneficio resederit : sola autem citatio edictalis non sufficiat, quando scitur, ubi sit. Ita desumitur ex c. *Ex parte vestra.* 8. et notat Abbas ibid. n. 3. et Barbosa n. 3. h. t.; Bellettus, part. II. *Disquisit. clerical.* § 34. *de Pœnis cleric.* n. 15; Garcias, part. III. *de Beneficiis.* cap. II. n. 156; Pirhing h. t. n. 57; Fagnanus c. *Ex tuæ,* n. 4, et 9, eod.,

ubi tamen istud n. 31. de facto limitandum censet in parochis, aliisque curatis inferioribus, quos post concilium Tridentinum sess. 23. cap. I. *de Reform.* arbitratur, posse indistincte citari per edictum, quamvis sciatur, ubi sint, juxta dicenda inferius § 3. n. 61.

23. *Alioquin in Ecclesia, ubi beneficium existit, debet publicari edictum trinæ citationis; et quo modo? Nec sufficit unum peremptorium?* — Quod si vero ignoretur, ubinam sit clericus non residens, vel is tam longe, seu taliter absit, ut ad eum citatio personalis commode pervenire non valeat. Tunc in Ecclesia, ubi beneficium existit, debet publicari edictum trinæ citationis; hoc est, per tria edicta in loco beneficii, seu Ecclesiæ successive facta: adeo ut non sufficiat unica peremptoria, c. *Ex tuæ.* 11. ubi Abbas n. 1. et seqq. et Barbosa, n. 3. h. t., Garcias part. III. cap. II. n. 155. et 156. et seqq., allegans multiplicem decisionem Rotæ in terminis; Bellettus loc. cit. n. 15. subjungens, quod hujusmodi trinæ citationes non debeant nimis festinanter fieri. Post ultimam vero citationem debet expectari per sex menses, antequam deveniatur ad privationem : si vero beneficiarus post lapsum sex mensium, ab ultima citatione edictali numerandorum, non redierit, neque residere curaverit; tunc juxta canonicas sanctiones merito debet beneficio privari, atque istud alteri conferri, cit. c. *Ex tuæ.* h. t.; Abbas, Barbosa, Garcias, Bellettus, ubi supra, et alii.

24. *Sufficeret tamen unica citatio personalis : idque ampliatur.* — Cæterum loquendo de citatione personali, passim fatentur doctores, sufficere unicam, nec requiri, ut illa solemniter publicetur : neque ulterius requiri, ut post eam tempus sex mensium expectetur, sed sufficere arbitrarium; adeo, ut clericus illico possit privari beneficio, si tempore juxta arbitrium episcopi per citationem personalem determinato non redierit, neque resederit. Barbosa, part. I. *de Offic. parochi.* cap. VIII, n. 75; Garcias d. n. 155. et seqq.; Bellettus cit. § 34. n. 16; Pirbing h. t. n. 51, et alii. Quinimo Joan. Andreas d. c. *Ex parte vestra.* 8. n. 4. h. t. istud ampliat ad eum casum, quod beneficiarius licentiam obtinuit abessendi ad certum tempus, simulque in datione licentiæ monitus fuit sub pœna privationis redire in termino : nam si ultra illud tempus abfuerit, privari potest, nisi justam causam alleget, arg. cap. ult. h. t. Tunc enim dies interpellat pro homine, c. *Potuit; de Locato.*

25. *Beneficiarius propter longiorem absentiam privatus beneficio, si post reditum probaverit justam absentiæ causam, est restituendus. Unde superior non debet statim procedere ad privationem beneficii.* — Quod si vero beneficiarius, propter longiorem absentiam privatus beneficio, postea redierit, justamque absentiæ suæ causam allegaverit, et probaverit; tunc is restituendus est, arg. can. *Præsentium.* 7. q. 1. et c. *Cum Bertholdus.* 18. *de Sentent. et re judicat.*, Pirbing h. t. n. 51. Qui proinde n. 53. inter alia notandum ait, quod superior non debeat statim procedere ad privandum beneficio, ac deponendum eum, qui abest, seu non residet : sed prudenter faciat, si etiam, postquam absens monitus est, ut redeat, adhuc expectet aliquandiu, donec clare appareat, quod contumaciter, ac temerarie absit; vel quod beneficium pro derelicto habeat, eique tacite renuntiet, arg. c. *Qualiter.* 9. h. t. Idipsum tradit Barbosa, c. *Clericos.* 17. seu cap. ult. h. t. asserens, ideo clericum non residentem ante omnia monendum esse personaliter ad residentiam, ut ita vere constet de delicto : et pateat, nullam ei competere excusationem.

26. *Pœna ordinaria clericorum non residentium, est privatio beneficii. Potest tamen superior alio modo contra eos procedere : videlicet per censuram suspensionis et excommunicationis.* — Resp. IV. Etsi pœna ordinaria clericorum non residentium sit privatio beneficii, uti patet ex cap. II. et seqq. h. t. junctis hactenus dictis : potest nihilominus superior alio modo procedere contra clericos non residentes; eosque compellere ad residendum, videlicet per censuras medicinales suspensionis, et excommunicationis, præmissa trina monitione infligendas. Ita textus in c. *Ex tuæ devotionis.* 11. § *Contra eos.* h. t. ubi Abbas n. 6. hunc modum procedendi censet adhibendum contra eos clericos, qui sunt utiles suæ Ecclesiæ : quamvis Glossa ibid. ỿ. *Ut ipsos*, censeat, capitulum illud loqui de prælatis tantum. Verum Barbosa in *Collectan.* ad cit. cap. n. 6. post Manticam, decis. 67. n. 6. dispositionem illius decretalis generalius intelligens, inquit, in electione, sive arbitrio episcopi relictum esse, an prius per suspensionem, atque excommunicationem, procedendum sit contra clericum beneficiarium contumaciter absentem nec ne : adeo, ut si absque hisce præmissis censuris pro-

cedat episcopus ad privationem beneficii, lla rite facta censeatur.

27. *Non vero per pœnam degradationis.* — Notandum tamen, quod pontifex in cit. c. *Ex tuæ devotionis.* § *Contra eos.* h. t. subjungat, quod « si nec sic (id est, per suspensionis, et excommunicationis sententiam) eorum, beneficiariorum contumaciter absentium, malitia poterit emoliri, eos superior a spiritualium administratione removeat : et quibus præsunt ecclesiis, de personis idoneis faciat provideri. Sed in eos degradationis sententiam non promulget, ut cum eis misericorditer (si expediat) facilius agi possit. » Hæc ibi. Unde consequens est, in beneficiarios debite non residentes posse quidem procedi tum ad privationem ipsorum beneficiorum : non vero ad pœnam degradationis.

28. *Hactenus dicta potissimum procedunt spectato jure communi antiquo. Et quid post concilium Tridentinum. Remissive.* — Et hæc potissimum procedunt spectato jure communi antiquo : nam per sacrosanctam synodum Tridentinum quoad pœnas episcoporum, et parochorum, nec non canonicorum debite non residentium, nonnulla specialia fuerunt constituta, et disposita : de quibus singillatim commodius agetur in tribus sequentibus paragraphis. Unde sit

§ II.

DE RESIDENTIA EPISCOPORUM.

29. *Residentia episcoporum facienda est in loco, ubi est ipsius ecclesia cathedralis.* — Quæritur 1. Ubi, et qualiter episcopi residere teneantur? Resp. I. Residentia episcoporum facienda est in loco, ubi est ipsorum ecclesia Cathedralis. Ita desumitur ex can. *Placuit, ut nemini.* 7. q. 1. et can. *Episcopus si de Consecrat.* dist. 3. juncta Glossa un. et can. *Episcopus vilem.* dist. 41. ac notat Barbosa, part. III. *de Offic. et potestat. episc.* allegat. 53. n. 3. post. Marc. Antonium Genuensem in *Manual. pastor.* cap. XXXI. n. 6. et Fagnanus c. *Qualiter.* n. 27. et 34. h. t. et c. *Canonum statuta.* n. 101. *de Constitut.* asserens, quod sacra Congregatio concilii declaraverit, episcopos teneri apud suam cathedralem ecclesiam residere; nec satis esse, ut in diœcesi resideant: haud obstante, quod concilium Tridentinum sess. 23. cap. I. vers. « eosdem interim admonet. » *de Reform.* utatur verbo illo, *Admonet:* quia obligatio residendi juxta cathedralem ecclesiam surgit ex dispositione antiquorum canonum, quos concilium non sustulit, sed solum moderabatur. Id ipsum probatur a simili : quia pariter Abbas in suo Monasterio, parochus in loco ecclesiæ parochialis, aliique beneficiati in loco beneficii, ad obeunda rite munera sua residere tenentur. Accedit, quod episcopus sit sponsus ecclesiæ suæ, huicque vinculo spiritualis conjugii alligatus, c. *Quanto.* 3. et c. *Licet in tantum.* 4. *de Translat. Episc.* atqui sponsum se non ostenderet, quin potius ecclesiam viduatam relinqueret, nisi juxta eam resideret, cessantibus justis absentiæ causis; ergo.

30. *Episcopi aliique beneficiarii, præcepto residentiæ non satisfaciunt, nisi etiam munera sua peragant.* — Resp. II. Episcopi, aliique beneficiarii, præcepto residentiæ non satisfaciunt ex eo, quod corporaliter præsentes sint in loco beneficii; nisi etiam munera ratione officii sibi incumbentia peragant. Ita certa, et communis; ac signanter tradit Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 52. n. 20. et Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. II, n. 53. citans Ugolinum *de Offici. episc.* cap. IV. § 13. n. 1. et cap. XV. § *Episcopum.* 7. q. 1. et can. *Qui Episcopatum.* 8. q. 1. et can. *Si quis vult.* dist. 36. cum similibus, et quamvis de facto episcopi, sive ob multitudinem negotiorum, sive ob alia legitima impedimenta verbi divini prædicationem, sacramentorumque administrationem (excepto sacramento Confirmationis, et Ordinis) personaliter exercere rarius soleant, atque ad istud teste longæva consuetudine, quæ est optima legum interpres, regulariter non teneantur : nihilominus eisdem incumbit, personaliter esse sollicitos atque vigiles, ut per deputatos viros qualificatos, ac præsertim per parochos, id ipsum debite præstetur : ita tamen, ut ipsemet episcopi non intermittant personaliter pro ovibus suis sacrificium offerre, easque bono exemplo instruere, atque specialem pauperum, et miserabilium personarum curam habere, juxta præscriptum sacri concilii Tridentini loc. cit.

31. *Residentia episcoporum in quo consistere debeat?* — Per hoc tamen non negatur, quin episcopus possit constituere vicarium generalem. Nam propter multitudinem negotiorum episcopus, etsi diligentissimus sit, plerumque non sufficit ad omnia negotia se solo expedienda; simulque decet, ut sua onera

partiatur cum aliis, arg. *Ut singulæ. de Offic. archipresbyt.* estque jam dictum supra lib. I. tit. XXVIII. *De Officio vicarii.* § 3. n. 64. 65. et seqq. Unde residentia episcoporum non solum in assidua corporis præsentia, sed potius in mentis sollicitudine, et charitatis studio consistere debet; sollicite nimirum attendendo, simul et procurando, ut debita munia pastoralia per universam diœcesin rite peragantur, subditi doceantur vitia fugere, sectarique virtutes, extirpentur hæreses, corrigantur rei criminum, foveantur atque defendantur justi, sacramentorum ministerium ovibus concreditis exhibeatur; atque in hunc finem, sive per se, sive per alios, diœcesis crebro visitetur, arg. c. *Si episcopus.* 6. et c. *Cum episcopus.* 7. *de Offic. ordinar.* in 6. Alioquin « non potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, et pastor nescit, » prout loquitur reg. 10. juris. atque can. *Sit rector.* dist. 43. et concilium Trident. sess. 6. cap. I. *de Reform.*

32. *Quæ munera episcopis, aliisque curatis jure divino, ac vi debitæ residentiæ incumbant?* — Resp. III. Munera illa, quæ episcopis, aliisque curam animarum habentibus ex præcepto divino incumbunt, atque ab ipsis vi debitæ residentiæ præstari debent, potissimum sunt illa, quæ in concilio Tridentino, sess. 23. cap. I. *de Reform.* enumerantur, sequentibus verbis: videlicet, « Oves suas agnoscere; pro his sacrificium offerre; verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, » etc. Concordat can. *Sicut vir.* velle (expectando nimirum majorem necessitatem) vel timidum (timendo videlicet, ne sibi deficiat) aut, quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat. » His accedunt dicta superius tit. I. *de Vita, et honest. cleric.* § 2. n. 60. et. 61.

33. *Tenentur specialem pauperum et miserabilium personarum curam habere, juxta apertos, sacros canones.* — Et hoc ultimum præter concilium Tridentinum specialissime ab episcopo requirunt sacri canones antiqui. Sic quippe can. 1. dist. 82. habetur: « Episcopus pauperibus, vel infirmis, qui debilitate faciente, non possunt suis manibus laborare, victum, et vestitum (in quantum sibi possibile fuerit) largiatur. » Concordat can. 1. et 2. dist. 87. ubi istud refunditur in jus divinum, juxta illud Isaiæ, LVIII, 7. *Frange esurienti panem tuum, et egenos, vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris.* Idque præsertim episcopis, et clericis beneficiariis incumbere, vel ex eo patet: quia ipsi vivunt de bonis Ecclesiæ: atqui « res ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum et patrimonia pauperum, » textus in can. *Quia juxta.* 16. q. 1. cum similibus. Pulchre ad propositum sanctus Hieronymus, relatus can. *Gloria Episcopi.* 12. q. 2. sic loquitur: « Gloria episcopi est, pauperum inopiæ providere; ignominia sacerdotis est, propriis studere divitiis. » Et infra: Amico quidpiam rapere, furtum est: Ecclesiam fraudare, sacrilegium est. Accepisse, quod pauperibus erogandum sit, et esurientibus plurimis; vel cautum esse § 3. n. 2. et 3. et alios. Ratio est clara, quia verbum *Residere* significat Ecclesiæ deservire: debet enim accipi cum effectu. c. *Relatum.* 4. h. t. Alioquin parum esset residere, nisi cura haberetur de beneficio, præstando personaliter munia sibi incumbentia.

34. *Episcopi possunt per singulos annos duobus, aut tribus mensibus abesse: et quomodo?* — Quæritur II. Utrum aliquando, et quando tempore, liceat episcopis abesse a sua Ecclesia? Resp. I. Etsi jure divino, et sub peccato mortali, aliisque pœnis in progressu enumerandis teneantur episcopi residere: possunt nihilominus iidem per singulos annos duobus, aut ad summum tribus mensibus, conjunctim, vel interpolatim, a suis Ecclesiis, abesse: dummodo id fiat absque ullo gregis detrimento, simulque ipsi non absint tempore Adventus, Quadragesimæ, aut in festis solemnioribus, nisi episcopalia munia in sua diœcesi eos alio trahant. Ita communis; habeturque expresse decisum in concilio Tridentino sess. 23. cap. I. *de Reform.* ubi post declaratam omnium patriarcharum, primatum, metropolitanorum, atque episcoporum obligationem residendi personaliter in suis Ecclesiis, subjungitur in hæc verba: « Quoniam autem, qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt; sacrosancta synodus vult, illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere; et haberi rationem, uti id æqua ex causa fiat, et absque ullo gregis detrimento: quod an ita sit,

abscedentium conscientiæ relinquit, quam sperat religiosam, et timoratam fore; cum Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere, suo periculo tenentur. Eosdem interim admonet, et in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium, Dominici Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, et Corporis Christi diebus, quibus refici maxime, et in Domino gaudere pastoris præsentia oves debeant, ipsi ab ecclesia sua cathedrali ullo pacto absint, nisi episcopalia munia in sua diœcesi eos alio vocent. » Hactenus concilium.

35. *Possuntque tunc abesse sine alia superioris approbatione.* — Ex quibus verbis colligitur, posse episcopum spatio duorum, vel trium mensium, abesse a sua Ecclesia sine alia superioris approbatione: quia jus ipsum hoc permittit, et approbat. Lessius, lib. II. *de Just. et jur.* cap. XXXIV. dubit. 29. n. 155; Barbosa in *Collectan.* ad cit. cap. I. sess. 23. n. 15; Santarellus *Var. resolut.* lib. I. quæst. 4. n. 5; Fagnanus c. *Qualiter.* n. 38. et 39. h. t. istud intelligens etiam de absentia episcopi extra diœcesin, eo quod concilium Tridentinum, cit. sess. 23. cap. I. vers. *Ne vero ea*, sub disjunctione loquatur, dicendo, episcopos « obligari ad personalem in sua ecclesia, vel diœcesi residentiam, nisi ex causis, et modis infra scriptis. » Nam inter hasce causas reperitur ibi etiam memorata brevitas temporis absentiæ duorum, vel trium mensium.

36. *Etiam causa relaxandi animum.* — Colligitur ulterius, quod istud absentiæ tempus possit ab episcopis adhiberi causa relaxandi animum: nam etiam hæc censetur æqua ad modicum tempus abessendi, ne episcopus continuis laboribus, curis et sollicitudinibus pastoralibus exhaustus, citius succumbat, sicque gregi sibi commisso uberius prodesse nequeat. Azorius part. III. lib. VII. cap. IV. quæst. 9; Sanctarellus cit. n. 5; Barbosa, ubi supra, n. 16, dummodo istud fiat absque ullo commissi sibi gregris dominici detrimento: quod an ita fiat, concilium allegatum relinquit conscientiæ episcopi discessuri.

37. *Non tamen trimestre unius anni, conjungendo cum trimestri sequentis anni : et cur?* — Est tamen hic notandum conformiter declarationi sacræ congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum, quam refert Fagnanus c. *Qualiter.* n. 40. et seqq. h. t. Quod non possit episcopus absentiam trimestrem unius anni, conjungere cum trimestri absentia sequentis anni, puta quod pro hoc anno absit a sua Ecclesia mensibus octobris, novembris et decembris, ac pro sequenti anno absit mensibus januarii, februarii, et martii. Nam imprimis hujusmodi semestris absentia includeret tempus Adventus, ac Nativitatis Domini, una cum Quadragesima, quo non licet episcopis abesse a sua cathedrali (nisi ob munia episcopalia alibi peragenda) multo minus a diœcesi; per textum concilii Tridentini n. 34. relatum. Deinde in eo, qui abest continuo sex mensibus, non verificatur illa dictio, *Aliquantisper*, quo utitur idem textus sacri concilii : imo talis absentia reputatur longa, et pœnis ecclesiasticis punienda, juxta hoc ipsum concilium Tridentinum, sess. 6. cap. I. de *Reform.* Accedit, quod ex hujusmodi longa absentia episcoporum magis relaxari possit nervus ecclesiasticæ disciplinæ; majusque damnum in spiritualibus et temporalibus, inferri Ecclesiæ, non facile reparandum, ac alias fieri posset.

38. *Ultra tres menses non possunt episcopi abesse, nisi ex legitimis causis.* — Resp. II. Præter memoratum tempus duorum, vel trium mensium, non possunt episcopi a sua Ecclesia, vel diœcesi abesse, nisi ex legitimis causis, quæst. seqq. enumerandis: ita tamen, ut antea has ipsas absentiæ causas, « a Romano Pontifice, aut a metropolitano, vel, eo absente, suffraganeo episcopo antiquiori residente, qui idem metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas, » his verbis decreverit concilium Tridentinum cit. sess. 23. cap. I. *de Reform.* Ea tamen addita limitatione : « nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, et reipublicæ officium, episcopatibus adjunctum : cujus quoniam causæ sunt notoriæ : et interdum repentinæ, nec eas quidem significari metropolitano necesse erit. » Ita concilium Tridentinum ibid.

39. *Et ascendente approbatione Papæ vel metropolitani.* — Et quidem prior pars, requirens approbationem Papæ, vel metropolitani, merito decreta fuit propter quorumdam episcoporum temeritatem, qui olim (ut idem concilium Tridentinum sess. 6. cap. I. *de Reform.* deploravit) « propriæ salutis immemores, terrenaque cœlestibus, ac divinis humana præferentes, in diversis curiis vagabantur, aut in negotiorum temporalium sollicitudine, ovili derelicto, atque ovium sua-

rum cura neglecta, se detinuerunt occupatos. » Unde, ne idem in posterum prætextu alicujus legitimæ causæ passim contingeret, merito legitimas allegatæ causæ antea per Papam, vel metropolitanum, in scriptis approbanda censebatur.

40. *Quinimo de facto non amplius sufficit approbatio metropolitani.* — Quinimo de facto, et spectata constitutione 139. Urbani VIII. quæ incipit, *Sancta synodus* (habeturque tom. IV. *Bullar. Romani*) non amplius videtur sufficere approbatio legitimitatis causæ absentiæ episcopi facta per metropolitanum : nam Pontifex ibid. § 8. 9. et 10. prohibet omnibus episcopis, sub pœnis, et censuris eo ipso incurrendis, ne a suis Ecclesiis discedant « nisi obtenta prius a Nobis et Romano Pontifice licentia ; idque (ait Fagnanus c. *Qualiter*. n. 12. 13. et seqq. h. t.) optimo consilio statutum fuit : quia episcopis prætextu causarum, in concilio enumeratarum, et proxime allegandarum, difficile non fuisset, a metropolitano licentiam abscedendi extorquere ; sicque lex illa de residentia episcoporum, foret ludibrio exposita.

41. *Propter munus tamen, vel officium reipublicæ episcopatibus annexum, possunt iidem abesse sine alia approbatione Papæ.* — Altera vero pars, hinc excipiens absentiam episcopi propter aliquod munus, vel officium reipublicæ episcopatibus annexum, inde merito statuta fuit : quia notorium est, ad talia episcopum teneri vi sui officii ; unde superfluum foret, aliam desuper licentiam, atque approbationem Papæ, vel metropolitani, in scriptis dandam exigere. Exemplum hujus refert Lessius lib. II. *de Justit. et jur.* cap. XXXIV. n. 156, de episcopis illis, qui ex vi officii sui in Belgio, et in Germania debent interesse comitiis ordinum, in quibus ipsi primum locum tenent. Huc accedunt consecrationes ecclesiarum, visitationes clericorum, et alia hujusmodi munia episcopalia, quibus ex officio tenetur episcopus satisfacere, ipsumque sæpius derepente vocant ad alia loca suæ diœcesis ; ac proinde non indigent speciali Papæ, vel metropolitani approbatione. Verum occasione prioris partis datæ conclusionis.

42. *Causæ excusantes episcopum a residentia corporali, quæ?* — Quæritur III. Quæ sint causæ legitimæ, excusantes episcopos a residentia corporali ? Resp. I. Præter modicitatem temporis absentiæ, juxta proxime dicta absque detrimento gregis Dominici peragendæ, quatuor generatim sunt causæ ob quas episcopi corporaliter possunt abesse ab Ecclesiis suis ; videlicet, « Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel reipublicæ utilitas : dummodo interea meminerint discessuri, ita ovibus suis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. » Ita textus expressus concilii Tridentini, sess. 23. cap. I. *de Reform.* Unde declarando duntaxat breviter allegatas absentiæ causas.

43. *Nomine christianæ charitatis, quid intelligatur?* — Resp. II. Nomine *Christianæ charitatis*, intelligitur proximorum utilitas. Et talis v. g. intervenit, quando aliqua alia Ecclesia versatur in magno periculo hæresis, et talis episcopi prædicatione possit eidem subveniri : item, si episcopus abesse debeat ad pacem inter magnates componendam, aut hujusmodi. Dummodo istud fieri possit absque magno propriæ Ecclesiæ detrimento, atque interim suis ovibus ita episcopus discessurus per viros idoneos providere studeat, ut nullum damnum patiantur, juxta concilium Tridentinum proxime relatum : alioquin enim ageret is contra charitatis ordinem, quo plus sibi, suisque, quam alteri tenetur. Toletus lib. V. *Summæ*. cap. IV. n. 3 ; Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 53. n. 6. citans alios.

44. *Urgens necessitas excusans episcopum a residentia corporali, quæ?* — Urgens necessitas censetur adesse, quando episcopus residendo grave periculum vitæ incurreret : puta, quia gravi morbo affectus est, atque indiget mutatione aeris, vel thermis ; vel quia propter aliquam persecutionem infidelium, aut populi furorem declinandum : sive infesti principis insidias effugiendas, non nihil discedendum est. Quod ipsum comprobatur exemplo Salvatoris, qui abscondit se, et exivit de templo, quando Judæi lapides tulerunt, ut jacerent in eum, *Joan.* VIII, 59. item exemplo sancti Athanasii episcopi Alexandrini, et sancti Thomæ Cantuariensis, sanctique Bennonis Misnensis episcopi, ac plurium aliorum, tempore persecutionis contra eorum personam excitatæ provide ac licite aufugientium, suamque Ecclesiam ad tempus deferentium, ut eidem, aliorum curæ ad interim commissæ, in posterum magis prodesse valerent.

45. *Et quando revera ipsum excuset?* — Atque istud duntaxat procedit, quando episcopi

præsentia corporalis, vel ob communem subditorum malitiam, vel ob odium tyrannorum erga ipsum conceptum, ovibus concreditis amplius prodesse non potest, quin potius tyrannorum iram amplius erga ipsas exacerbaret : juxta quod sanctus Augustinus Psalm. LIV. relatus can *Adversitas*. § *Hoc tunc*. 7. q. 1. inquit, quod Christus vitabat per sequentes, ut occasionem iræ demeret : et manebat in desertis orans. Vel quando persecutio oritur contra personam ipsius episcopi, non vero contra Ecclesiam, vel oves suæ curæ concreditas : alioquin enim fugere ad instar mercenarii episcopus non posset, sed veluti bonus pastor lupo venienti fortiter resistere, atque animam suam pro ovibus suis ponere teneretur. *Joan*. x, 17. et can. *Suggestum*. et can. *Suscitaris*. 7. q. 1. Pulchre ad propositum habetur cit. can. *Adversitas*. § *Hoc tunc*. 7. q. 1. ubi dicitur : « Hoc tunc servandum intelligitur (nempe quod tempore persecutionis non fugiat episcopus) quando inter subditos aliqui inveniuntur, quibus prælatorum vita proficiat : quando nec specialiter prælatus quæritur, nec per alios tuta potest esse Ecclesiæ salus ; ne si deserere incipiat, quibus prodesse potest, dicatur de eo : Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et deserit oves, et fugit. Cum vero specialiter quæritur, fugiat exemplo Christi, qui a facie Herodis fugit in Ægyptum : fugiat exemplo Pauli, qui a fratribus per murum submissus est in sporta, » etc. Hæc ibi, plura, et ad propositum valde accommodata, subjungendo.

46. *Debita obedientia excusat episcopos a residentia corporali. Tempore anni sancti possunt episcopi Romam peregrinari : et quandiu tunc abesse valeant?* — Debita obedientia excusat etiam episcopos a residentia corporali, quando quis eorum a summo Pontifice accersitur ad tempus pro ministerio quopiam, ad bonum Ecclesiæ universalis, seu reipublicæ christianæ peragendo : ita tamen, ut expedito ministerio redeat ad propriam ecclesiam. Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episc*. allegat. 53. n. 10. et seqq. inter alia docens, quod episcopi tempore anni sancti possint absque licentia speciali peregrinari Romam, jubilæi anni sancti videtur omnibus episcopis talem licentiam concedere. Huc pertinet obligatio episcoporum visitandi Limina sanctorum apostolorum Petri et Pauli, in quem finem Urbanus VIII. in Bulla, *Sancta Synodus* (quæ refertur tom. IV. *Bullarii Romani*, Constitut. 139. dicti Pontificis) § 12. concessit episcopis existentibus ultra montes, vel mare, ut possint abesse septem mensibus : et existentibus citra montes, vel mare, ut quatuor absint mensibus, dummodo eo tempore ad alios actus non divertant.

47 et 48. *Evidens Ecclesiæ utilitas, atque evidens reipublicæ utilitas, excusans episcopum a residentia corporali, quando intervenire intelligatur?* — Evidens Ecclesiæ utilitas intervenire intelligitur, quando episcopus abest ad defendendum jura Ecclesiæ suæ : quia tunc eidem inservire, sicque juris fictione residere censetur, arg. c. *Ex parte tua*. 13. h. t. Idem fit, quando abest in utilitatem Ecclesiæ universalis : ut, cum concilium generale, vel provinciæ celebratur, quandiu istud durat. Azorius part. II. lib. VII. cap. IV. quæst. 4 ; Barbosa cit. allegat. 53. n. 14 ; Toletus lib. V. cap. IV. n. 3. vers. *Quarta*, illud extendens ad casum, quo quis fungitur legatione in utilitatem ipsius Ecclesiæ, quæ non ita bene, nisi per episcopum, fieri potest : et alii.

Tandem evidens reipublicæ utilitas adesse dicitur quando episcopus in manifestam totius regni, vel reipublicæ utilitatem temporalem abest ; et quidem ex necessitate, sive quando aliter, quam per episcopum, negotium regni, aut reipublicæ ita bene expediri nequit. Toletus ubi supra, vers. *Tertia*, Barbosa loc. cit. n. 15. et alii. Sic episcopus exigente evidenti reipublicæ utilitate potest esse legatus, sive orator principis sæcularis, arg. can. *Si episcopus*. juncta Glossa ℣. *Regia*. dist. 18. et c. *Cum parati*. 19. *de Appellation*. Toletus loc. cit. istud intelligens, quando aliter, quam per episcopum, nequit legatio expediri : alias non potest licite episcopus abesse. Quinimo tales rigide perstringuntur a concilio Tridentino sess. 6. cap. I. *de Reform*. illis verbis : « Quia nonnulli, quod vehementer dolendum est, hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam salutis immemores, terrenaque cœlestibus, ac divinis humana præferentes in diversis curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium sollicitudine, ovili derelicto, atque ovium sibi commissarum cura neglecta se detinent occupatos : placuit sacrosanctæ synodo, antiquos canones, qui temporum, atque hominum injuria pene in desuetudinem abierunt, adversus non residentes promulgatos innovare, » etc. Hæc concilium.

49. *Episcopi ratione servitiorum in curia regum, etc., præstandorum, nequeunt discedere a suis Ecclesiis, nisi obtenta prius in scriptis Papæ licentia.* — Unde notat Azorius part. II. lib. VII. cap. IV quæst. 6. et Diana part. II. tract I. resolut. 5. in fin. Barbosa tl. allegat. 53. n. 17. atque Garcias part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 389, quod episcopi in curia regum, aut aliorum principum sæcularium, fungentes officio regii præsidis, vel consiliarii, aut pro regis, non eximantur a residentia suorum episcopatuum, nec possint horum fructus percipere in absentia: nisi forsan sit defectus hominum, nec alii reperiantur satis idonei ad præstanda talia munia reipublicæ, simulque accedat consensus Romani Pontificis, juxta constitutionem 139. Urbani VIII, quæ incipit, *Sancta Synodus*, supra n. 46. jam citatam. Ita quippe § 8. et 9. Pontifex sub gravissimis pœnis, prohibet omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, etc. ne a suis Ecclesiis discedant,.» nisi obtenta prius Romani Pontificis pro tempore existentis per Breve, seu Litteras missivas licentia. » Adeo, ut ab earum pœnarum incursu (subditur § 10.) nullus se excusare possit, prætextu, et ratione cujuscunque servitii, quomodolibet præstiti, et præstandi pro gerendis et tractandis negotiis quorumcunque principum, etiam imperatoris, et regum, ac rerumpublicarum, regnorum, ac provinciarum; nec ratione cujuslibet jussionis, vel mandati eorum, vel earum, quandocunque facti, vel faciendi, » etc. prout amplius in eadem Bulla continetur; et notat Fagnanus in c. *Qualiter*. n. 12. 13. ac seqq. h. t.

50. *Pœnæ episcoporum non residentium, quæ? Episcopus non residens, pro rata temporis absentiæ fructus episcopatus non facit suos.* — Quæritur IV. Quæ sint pœnæ episcoporum non residentium? Resp. I. Præter reatum culpæ mortalis quem incurrit episcopus non residens, ut supra, pro rata temporis absentiæ fructus episcopatus non facit suos; sed tenetur ipsos restituere Ecclesiæ, vel pauperibus, et quidem ante omnem aliam sententiam judicis. Textus est apertus in concilio Tridentino sess. 23. cap. I. vers. *Si quis autem. de Reform.* ubi loquendo cumprimis de episcopis, sic legitur statutum: « Si quis autem, quod utinam nunquam eveniat, contra hujus decreti dispositionem abfuerit, statuit sacrosancta synodus, præter alias pœnas adversus non residentes, sub Paulo III. impositas, et innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit; eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta illos fabricæ ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare: prohibita quacunque conventione, vel compositione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur, non obstantibus quibuscunque privilegiis cuicunque collegio, aut fabricæ concessis. » Hæc ibi.

51. *Teneturque ipsos in foro conscientiæ, et ante aliam sententiam judicis restituere; et cur? Idque declaratur exemplo beneficiarii non recitantis horas canonicas.* — Ex quibus verbis patet, episcopum ultra trimestre, ac cessante alia legitima causa absentem a sua Ecclesia, teneri etiam in foro conscientiæ, et ante aliam sententiam declaratoriam superioris judicis, restituere fructus episcopales: non minus, ac clericus beneficiarius ob omissionem recitationis Horarum canonicarum, pro rata temporis, tenetur fructus sui beneficii restituere. Siquidem tum episcopus non residens, ut supra, tum beneficiarius non recitans Horas canonicas, per leges ecclesiasticas factus est inhabilis ad acquirendos ejusmodi fructus; eo quod sacri canones impediant acquisitionem fructuum beneficialium, nisi ponatur conditio personalis residentiæ, aut recitationis Horarum canonicarum. Unde et privatio fructuum beneficialium, atque obligatio eosdem restituendi ante omnem sententiam judicis, non est pœna proprie dicta, seu talis, qua quis privatur re sua, sibique jam acquisita: sed potius imponitur ut conditio quædam, sive modus necessario observandus, nisi ponatur præfata residentia personalis, aut recitatio Horarum canonicarum. Sicut in simili contingit, quando testator relinquit cuipiam legatum sub conditione, sive onere, ut aliquid faciat: alias perdat legatum. Navarrus cap. xxv. *Manual.* n. 118. post Abbatem c. *Raynaldus*. n. 25. vers. in Glossa in ♰. *Adjiciens de Testament.* et alios. Concordant dicta superius lib. I. tit. II. *De Constitutionibus.* § 10. n. 226. et seqq. ac præsertim n. 235.

52. *Alia pœna episcopi non residentis est, ut si debite monitus non resederit, privetur episcopatu. Causæ episcoporum, præsertim criminales graviores contra eos, de facto solum a Papa cognoscendæ, et terminandæ sunt.* — Resp. II. Alia pœna episcopi non residentis est, ut si debite monitus ad Ecclesiam suam

non redierit, neque sacerdotali more resederit, privetur episcopatu. Textus est in can. *Pervenit*. 7. q. 1. et c. *Qualiter*. 9. h. t. ubi specialiter sermo est de episcopis non residentibus, atque idcirco sua Ecclesia privandis. Quanquam de facto, sive post concilium Tridentinum, sess. 13. cap. VIII. *de Reform.* et sess. 24. cap. V. *de Reform.* causæ episcoporum, et præsertim causæ criminales graviores contra eos, quæ depositione, aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantum summo Pontifice sint cognoscendæ, et terminandæ. Unde conformiter his et aliis a memorato concilio œcumenico salubriter statutis.

53. *Unde de facto episcopus non residens nequit privari episcopatu, nisi auctoritate Papæ, ac servata forma concilii Tridentini.* — Resp. III. De facto episcopus non residens nequit privari suo episcopatu, nisi auctoritate Romani Pontificis, ac servatis iis, quæ in concilio Tridentino, sess. 6. cap. I. *de Reform.* statuuntur in hæc verba : « Si quis a patriarchali, primatiali, metropolitana, seu cathedrali ecclesia, sibi quocunque titulo, causa, nomine, seu jure commissa, quacunque ille dignitate, gradu, et præeminentia præfulgeat, legitimo impedimento, seu justis et rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam diœcesim morando abfuerit; quartæ partis fructuum unius anni, fabricæ ecclesiæ, et pauperibus loci per superiorem ecclesiasticum applicandorum, pœnam ipso jure incurrat. Quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum, similiter applicandam, eo ipso amittat. Crescente vero contumacia, ut severiori sacrorum canonum censuræ subjiciatur, metropolitanus suffraganeos episcopos absentes, metropolitanum vero absentem suffraganeus, episcopus antiquior residens, sub pœna interdicti ingressus ecclesiæ eo ipso incurrenda, infra tres menses per litteras, seu nuntium Romano Pontifici denuntiare teneatur : qui in ipsos absentes, prout cujusque major, et minor contumacia exegerit, suæ supremæ Sedis auctoritate animadvertere, et ecclesiis ipsis de pastoribus ulterioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire. » Hactenus concilium Tridentinum sub Paulo III. cit. sess. 6. cap. I. *de Reform.* sic statuens.

54. *Pœna concilii Tridentini, sess. 6. cap. I.* de Reform. *contra episcopos non residentes decreta, aggravata fuit per aliud decretum ejusdem concilii, sess. 23. cap. I.* de Reform. — Cæterum, quia memoratum decretum a nonnullis trahi poterat in sensus a sacrosanctæ synodi mente alienos, ac si nimirum episcopis vigore illius decreti quinque mensibus continuis abesse liceret : hinc idem concilium, sess. 23. cap. I. *de Reform.* inhærendo eidem Decreto sub Paulo III. constituto, declaravit imprimis, quod episcopi singulis annis possint abesse duntaxat per duos, vel ad summum tres menses. Deinde, præter alias pœnas, sub Paulo III impositas, et innovatas, decrevit citatum concilium, quod episcopus illegitime absens, pro rata temporis absentiæ fructus suos non faciat, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos detinere possit, juxta dicta n. 50. et 51. Et quia istud posset videri contradicere priori decreto, quod habetur cit. sess. 6. cap. I. *de Reform.* ubi episcopus sex mensibus absens perdit duntaxat quartam partem fructuum unius anni, uti liquet ex verbis ipsius n. præced. relatis : hinc pro concordia inquit Lessius, lib. II. *de Just. et jur.* cap. XXXIV. dubit. 29. n. 157. quod per concilium Trident. sess. 23. cap. I. *de Reform.* imponens obligationem restituendi omnes fructus pro rata temporis absentiæ, alia etiam declaratione non secuta, aggravata, seu aucta fuerit illa pœna, quam memoratum concilium cit. sess. 6. cap. I. *de Reform.* sub Paulo III. statuerat de amittenda duntaxat quarta parte fructuum unius anni propter absentiam sex mensium.

55. *Responsio aliorum auctorum pro concordia horum decretorum concilio refertur ac rejicitur.* — Fatendum quidem, quod Castro Palao, tract. XXIII. *de Beneficiis,* disp. 5. punct. 3. n. 2; Pirhing h. t. n. 74; Engel eod. n. 4. aliquam aliam dent responsionem pro concordia citatorum duorum decretorum concilii Tridentini; dum asserunt, quod concilium Tridentinum, sess. 23. cap. I. *de Reform.* loquatur de fructibus tempori illegitimæ absentiæ correspondentibus : idem vere concilium sess. 6. cap. I. *de Reform.* sub Paulo III. celebrata, agat de restituenda quarta parte fructuum tempore factæ residentiæ legitime perceptorum. Verum hæc responsio est captu difficilis : quia enim, juxta relatum textum concilii Tridentini, sess. 6. cap. I. *de Reform.* episcopus sex mensibus illegitime absens, pœnam amissionis quartæ partis fructuum unius anni ipso

jure incurrit; et si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum eo ipso amittit: quo modo isthæc posterior pœna (idem servata proportione dicendum de priori) intelligi poterit de quarta parte fructuum, tempore factæ legitimæ residentiæ perceptorum; cum tamen episcopus prioribus sex mensibus illegitime absens, et postea aliis sex mensibus perseverans in ejusmodi absentia, supponatur toto anno nunquam resedisse? Placet igitur inhærere responsioni per Lessium, ubi supra, datæ; nam novum non est, etiam in eadem compilatione juris et absque ulla inde sequente antinomia, seu contrarietate legum reperiri diversas pœnas transgressoribus statutas, quarum priores, ob hominum malitiam minus proficientes, aggravantur per posteriores, arg. can. 1. et seqq. dist. 29.

56. *Aliæ pœnæ episcopis non residentibus taxatæ. Remissive.* — Aliæ nonnullæ pœnæ episcopis non residentibus taxatæ, sicut et gratiæ, seu privilegia residentibus concessa, habentur in constitutione 10. Pii V. quæ incipit. *De salute.* Et constitutione 91. ejusdem Pontificis, *In suprema:* quarum utraque refertur tom. II. *Bullarii Romani.* In constitutione 139. Urbani VIII. *Sancta synodus:* atque refertur tom. IV. ejusdem *Bullarii Romani:* ubi si placet, videri poterunt; nam veluti longiores, consulto hic omittuntur.

§ III.

DE RESIDENTIA PAROCHORUM, ALIORUMQUE CURATORUM.

57. *Quidnam generatim circa residentiam parochorum, aliorumque curatorum, et non residentias pœnas, statuerit concilium Tridentinum.* — Quæritur I. Quidnam generatim circa residentiam parochorum, aliorumque curatorum inferiorum, et non residentium pœnas, statuerit concilium Tridentinum? Resp. I. Ista potissimum habentur in dicto concilio Tridentino, sess. 23. cap. I. § *Eadem omnino. de Reform.* sequentibus verbis: « Eadem omnino (quæ de residentia episcoporum ibidem præmittebantur) etiam quoad culpam, amissionem fructuum, et pœnas de curatis inferioribus, et aliis quibuscunque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinet, sacrosancta synodus declarat, et decernit: ita tamen, ut quandocunque eos, causa prius per episcopum cognita, et probata, abesse contigerit, vicarium idoneum, ab ipso ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant. Quod si per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult ordinariis, per censuras ecclesiasticas, et sequestrationem, subtractionem fructuum, aliaque juris remedia etiam usque ad privationem compellere; nec executionem hanc, quolibet privilegio, licentia suspendi posse. » Hæc ibi.

58. *Ibi tenentur jure divino residere, estque in eis strictior obligatio residentiæ, ac in canonicis.* — Ex quibus verbis infertur primo, quod parochi, aliique curati, jure divino teneantur residere: nam ipsum pastorale officium exigit hoc in parochis, cæterisque curatis, sicut et in episcopis, conformiter dictis supra § 1. n. 10. et seqq. Unde consequens est, quod non omnes causæ, quæ excusant canonicos a residentia personali, æque excusent obtinentes beneficia curata: nam in his residentiæ obligatio oritur ex jure divino naturali; sicque est multo strictior et arctior præ illa, quæ ex solo jure ecclesiastico provenit. Fagnanus c. *Clericos* n. 9 et 15. h. t. Et hinc possunt quidem abesse duo canonici ob servitium episcopi, c. *De cætero.* 7. h. t, non tamen parochi, aliique curati, nisi ad duos duntaxat menses, juxta dicenda n. 94 et 95.

59. *Parochi, aliique curati non residentes, præter peccatum mortale, fructus, pro rata temporis absentiæ non faciunt suos, etc.* — Infertur secundo, quod parochi, aliique curati non residentes, præter peccatum mortale, quod incurrunt (nisi modicitas temporis absentiæ eos excuset, uti limitat Fagnanus c. *Relatum.* n. 41. h. t.) pro rata temporis absentiæ fructus non faciant suos; nec eos tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, retinere valeant. Nam hoc ipsum statuit concilium Tridentinum ibidem de episcopis, quibus « quad culpam, amissionem fructuum, et pœnas, » æquiparavit curatos inferiores, uti liquet ex proxime relato textu concilii: unde redeunt dicta superius § præced. n. 50. et 51.

60. *Per decretum concilii Tridentini dispositio juris communis adversus parochos non residentes, in multis est immutata, et in quibus.* — Resp. II. Per allegatum decretum concilii Tridentini, sess. 23. cap. I. *de Reform.* dispo-

sitio juris communis adversus parochos, aliosque curatos non residentes, in multis fuit immutata, et alterata. Ita Fagnanus c. *Ex tuæ*. n. 29. 30. et seqq. h. t. idque probatur inductione. Imprimis enim parochus non residens, de jure communi non perdit fructus ipso jure. Abbas cap. I. *de Celebrat. missar*. n. 8. quamvis nonnulli contradixerint. Nunc autem parochus, aliusque curatus non residens, pro rata temporis absentiæ perdit fructus ipso jure, ut dictum num. præced.

61. Deinde spectato jure communi, beneficiarius non residens, si scitur, ubi sit, citari non potest per edictum, sed citari debet personaliter, c. *Ex parte*, 8. h. t. estque jam dictum supra § 1. n. 22. At vero juxta concilium Tridentinum potest citari « per Edictum, etiam non personaliter; » et si contumax fuerit, privari beneficio; uti liquet ex verbis, ejusdem concilii n. 57. relatis.

62. Tertio de jure communi beneficiarius non residens, si latitet, seu ignoretur, ubi sit, citari debet tribus edictis, ac post ultimum edictum debet expectari per sex menses, antequam privetur beneficio, c. *Ex tuæ*. 11. h. t. Nunc autem, hoc est, post concilium Tridentinum, sufficit indistincte, quod parochus, aliusque curatus non residens, citetur unico edicto peremptorio, cum competenti termino ad redeundum : quo relapso statim privari poterit. Siquidem concilium Tridentinum, ubi supra, simpliciter dicit, « Si per edictum citati — contumaces fuerint, liberum esse vult ordinariis — etiam usque ad privationem compellere. » Fagnanus loc. cit. n. 10. et n. 32. et seqq. nonnullas alias differentias inter jus commune, et concilium Tridentinum, quoad propositum subjungens.

63. *An parochi non residentes, sint compellendi ad residentiam juxta ordinem pœnarum in concilio Tridentino enumeratarum, variant doctores. Affirmativa sententia refertur.* — Resp. III. Utrum parochi, aliique curati, qui sive personaliter, sive per edictum citati, contumaciter adhuc absunt, sint compellendi ad residentiam juxta ordinem pœnarum in concilio Tridentino cit. sess. 23. cap. I. § *Eadem omnino*, enumeratarum, variant doctores. Affirmat Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 53. n. 105, citans decisionem Rotæ in una Salamantina, die 5 decemb. 1567. coram card. Ceraphino, inter hujus impressas decis. 27. Idem tenet Ugolinus *de Offic. episc.* cap. XV. § 4. n. 4 ac videtur declarasse sacra Congregatio concilii die 6 decemb. 1576, dum asseruit, quod contra parochos tempore pestis non residentes, præmisso edicto, seu monitione, sit procedendum, prout concilium mandat sess. 23. cap. I. *de Reform*. Nempe prius per censuras; secundo per sequestrationem, et subtractionem fructuum; postea, si hæc remedia non prosunt, possit contra eos procedi per privationem : prout refert Fagnanus c. *Clericos*. n. 41. h. t.

64. *Opposita sententia videtur tenenda.* — Oppositam sententiam, videlicet ad privationem parochi ob non residentiam non esse necessarium, ut prius procedatur per alias pœnas, nempe per censuras ecclesiasticas, et per sequestrationem, ac subtractionem fructuum, etc. tenet Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 139. Castro Palao, tract. 13. *de Beneficiis*, disp. 5. punct. 3. n. 10. Flamin. Parisius, lib. I. *de Resignat. Benefic.* cap. X. n. 61. et Fagnanus, c. *Ex tuæ*. n. 18. h. t. Qui istud desumunt ex verbis citati concilii Tridentini, ponderando illa verba : « Liberum esse vult ordinariis : » et consequenter episcopus procedens contra curatum non residentem, non arctatur præcise ad observandum ordinem illarum pœnarum.

65. *Solvitur notabilis instantia.* — Nec obstat declaratio sacræ congregationis n. 63. relata. Nam loquitur in casu speciali, seu de parochis non residentibus tempore pestis, quia enim olim fuerat controversum inter theologos et canonistas, an eo tempore parochi personaliter residere tenerentur, de quo inferius n. 102. et seqq. noluit sacra congregatio, statim contra absentes procedi posse per privationem beneficii, nisi prius aliæ pœnæ per ordinem præmitterentur. Verum extra illud tempus generaliter consulta eadem sacra congregatio, an sit arbitrium episcopi, qua via, et quo remedio uti voluerit contra non residentes, nempe vel censuris, vel sequestratione et subtractione fructuum, vel privatione? Respondit, ita esse Fagnanus cit. c. *Ex tuæ*. n. 18. h. t.

66. *Parochus non residens, an sit ipso jure privatus beneficio.* — Dices. Parochus non residens, ipso jure est privatus beneficio; ergo frustra hæc quæstio movetur, simulque frustra concilium Tridentinum loc. cit. decrevit, liberum esse episcopo talem privare. Antecedens patet ex c. *Extirpandæ*. 30. § *Qui vero. de Præbend.* ponderando illa verba : « Alioquin non residens, illa (seu Eccle-

sia parochiali) se sciat auctoritate hujus decreti privatum, libere alii conferenda; » Resp. neg. consequent. Quia, ut notat Garcias cit. cap. II. n. 139. et Castro Palao, ubi supra, n. 9. pœna illa privationis ipso jure, forte per desuetudinem fuerat abrogata; sicque hodie videtur cessare: unde nunc standum est memorato decreto sacri concilii Tridentini.

67. *De facto parochi aliique curati inferiores, non possunt abesse per duos menses, absque licentia episcopi.* — Quæritur II. Utrum parochus, vel alius curatus, possit abesse a sua parochia cum vel sine licentia sui episcopi; et quanto tempore? Resp. I. De facto parochi, vel alii curati inferiores, v. g. vicarii parochialium, aut coadjutores perpetui, non possunt abesse a suis parochiis, seu beneficiis curatis per duos menses, nisi ex legitima causa, per ordinarium loci approbata, et antecedente hujus licentia : alioquin peccant mortaliter, simulque fructus pro rata temporis absentiæ non faciunt suos. Ita Barbosa, part. III, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 53. n. 93. et seqq.; Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. II, n. 19. et 23. et Fagnanus c. *Relatum*. n. 32. h. t. Qui duo posteriores referunt, sacram Congregationem censuisse, quod parochi non possint sic abesse per duos menses, imo nec per hebdomadam absque licentia episcopi, quæ causa cognita, et in scriptis concedenda est. Eamdem conclusionem tenent Piasecius, part. II. *Praxis episcopal.* cap. II. art. 3. n. 25; Lessius, lib. II. *de Justit. et jur.* cap. XXXIV, dubit. 29. n. 159. et alii, contra Navarrum, cap. LII. *Manual.* n. 121. vers. *Et quamvis*; ubi arbitratur etiam post concilium Tridentinum posse parochum abesse duos menses absque licentia scripta, cum causa, quæ videtur ei justa: cujus sententiam probabilem censet Azorius, part. II. lib. VII. cap. IV. quæst. 10. et Castro Palao, tract. XIII. *de Beneficiis*, disp. 5. punct. 5. n. 3. cum nonnullis, quos citat.

68. *Et quidem in scriptis, gratisque concedenda.* — Ratio conclusionis desumitur imprimis ex can. *Si quis in clero.* 7. q. 1. in quo Presbyter, si per tres hebdomadas ab Ecclesia sua defuerit, triennio a communione suspenditur. Ubi Glossa ỷ. *Per tres*, illud intelligit, nisi absit de licentia superiorum confirmatur, atque probatur eadem conclusio, ex verbis concilii Tridentini n. 57. relatis ibi: « Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant, » etc. ponderando ly : *Discedendi licentiam in scriptis.* Nam hæc verba satis indicant, etiam pro primo bimestri parochos non posse abesse sine licentia episcopi. Id ipsum declarasse sacram congregationem concilii Tridentini ad cit. cap. I. sess. 23. refert Garcias, d. part. III. cap. II. n. 23. Et aliam talem declarationem ejusdem refert idem Garcias, part. IX. *de Beneficiis.* cap. II. n. 295. Nam cum episcopus Abulensis, de anno 1593. dictam sacram Congregationem inter alia consuluisset: « Secundum, an parochi possint abesse duos menses absque ordinarii licentia ex causa, quæ sibi videtur justa, ut tradit Navarrus in *Manual.* cap. XXV. n. 121. » Respondit: « Ad secundum de licentia parochorum, censuit Congregatio, eos minime abesse posse absque Amplitudinis Tuæ (sive episcopi) licentia. » Hæc ibi.

69. *Proponuntur rationes oppositæ sententiæ.* — Dices cum Navarro, ubi supra. Ante concilium Tridentinum poterat parochus abesse per duos menses absque alia licentia, ex causa, quæ sibi justa videbatur, can. *Præsentium.* 7. q. 1. ergo idem licebat post Tridentinum. Præsertim, cum verba hujus, n. 57. relata, in utramque partem flecti possint: simulque a jure antiquo non sit recedendum sine jure novo expresso, l. *Præcipimus.* c. *de Appellationib.* Accedit, quod episcopus, qui magis residere tenetur, possit sine alia licentia per duos, vel tres menses abesse; ergo idem dicendum de parocho. Probatur consequentia, tum a majoritate rationis; tum quia concilium Tridentinum, cit. cap. I. sess. 23. generaliter fatetur, eos, qui aliquantisper tantum absunt, puta, per duos vel tres menses, non videri abesse, quia statim reversuri sunt. Tunc tandem, quia idem concilium loc. cit. § *Eadem omnino*, decernit, dicta ibidem de episcopis, pariter locum habere in curatis inferioribus.

70. *Atque respondetur ad eas.* — Ad has Navarri, et sequacium rationes, et imprimis ad priorem ipsarum, negatur antecedens: nam istud non esse verum, pluribus juribus firmat Garcias, part. III. *de Benefic.* cap. II. n. 22. et n. 90. ac 97. Neque urget can. *Præsentium.* 7. q. 1, quia huic opponitur alius canon, videlicet can. *Si quis in Clero.* ead. caus. 7, q. 1 juncto c. *Relatum.* 4. et Glossa ỷ. *Prælatorum.* h. t. Accedit, quod Adeodatus, de quo fit mentio in cit. can. *Præsen-*

tium, per duos menses abfuerit de licentia superioris; ut liquet ex illis verbis citati canonis: « Asserit namque Adeodatus, a Quintiano fratre, et coepiscopo nostro, in loco suo pro quibusdam se suis ordinandis negotiis relaxatum, » etc. Ubi ponderandum ly, *relaxatum*: sicque canon ille potius urget pro conclusione, et non contra eam. Prout etiam notavit Glossa fin. cit. can. *Si quis in Clero*. 7. q. 1. asserens, idem esse in utroque relato canone, quando presbyter abest de licentia superioris.

71. Ad alterum, nempe ad majoritatem rationis de episcopo, negatur consequentia. Quidquid etiam sit de antecedenti, seu quod episcopus magis residere teneatur, quam parochus (nam loquendo de residentia personali, ac spectato jure communi, tot. tit. *de Officio Vicarii*, episcopus propter molem negotiorum potest, ac ordinarie tenetur habere vicarium generalem, per quem possit sua negotia melius expedire; non item parochus) patet ex dictis supra n. 10. et seqq. et n. 57. et 58. quod non solum episcopus, verum etiam parochus, aliusque curatus, jure divino et naturali, atque vi sui officii pastoralis obstrictus sit, in loco beneficii residere. Accedit, quod concilium Tridentinum, declarans obligationem juris divini et naturalis, episcopis expresse concesserit absentiam duorum, vel trium mensium, per anni decursum: non item curatis inferioribus. Istis enim per relatum n. 57. textum, etiam absentiam per bimestre denegavit, non obtenta justis ex causis licentia Superioris, et substituto idoneo vicario, per episcopum approbando.

72. Neque urget, quod concilium Tridentinum cit. sess. 23. cap. I. § *Quoniam autem. de Reform.* absentiam duorum, vel trium mensium, reputet modicam. Resp. enim, hanc quidem reputari ibidem modicam respectu episcopi; non autem respectu parochi, ut clare patet ex cit. cap. I. § *Eamdem omnino*. Siquidem pro diversitate status, et conditionis personarum, temperari regulas sacrorum canonum, textus est in can. 1. dist. 29. Quanta autem sit diversitas dignitatis, status seu conditionis episcoporum, mole negotiorum spiritualium totius diœcesis gravatorum, atque idcirco jure ipso concedente, habentium proprium vicarium generalem, per quem junctis aliis consiliariis in corporali absentia sua possunt omnia necessaria commode expediri: et inter parochum, cujus fides et industria personalis de jure requiritur, ac præsertim in administratione sacramentorum infirmitatis tempore parochianis necessaria est, quis non videt?

73. Ad ultimum patet ex verbis ejusdem concilii cit. n. 57. relatis, quod parochi æquiparentur episcopis « quoad culpam, amissionem fructuum, et pœnas, » nisi resideriut: non vero quoad tempus licitæ absentiæ. Atque istud posterius verisimiliter contigit ex eo: quia præter diversitatem dignitatis, seu status personarum, sacrosancta synodus Tridentina cognovit, plura ovium commissarum damna, vel pericula ex absentia parochi oriri posse, præcipue ob defectum legitimæ administrationis sacramentorum, quam ex personali absentia episcopi idque ob rationes proxime dictas.

74. *Ad absentiam parochi per bimestre non sufficit licentia petita, nisi etiam fuerit obtenta, et in scriptis data.* — Resp. II. Adeo ad absentiam parochi, seu alterius curati per bimestre, requiritur licentia episcopi, ut non sufficiat, hanc ex rationabili causa fuisse petitam; nisi etiam fuerit obtenta, atque in scriptis data. Ita Abbas c. *Relatum*. n. 5. et Fagnanus ibid. n. 12. et 13. h. t. subjungens tamen, quod si clerico postulanti prælatus renueret licentiam impertiri, possit haberi recursus ad superiorem illius prælati: et subsistente rationabili causa, possit idem superior compellere prælatum inferiorem ad eam licentiam concedendam; prout censuit sacra congregatio concilii. Id ipsum tradit Garcias cit. part. III. cap. II. n. 37. et seqq. allegans declarationem sacræ congregationis: et Barbosa cit. allegat. 53. n. 95. 96. et seqq. et alii. Ratio conclusionis desumitur ex verbis concilii Trident. cit. sess. 23. cap. I. *de Reform.* ibi: « Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam. » etc., ac proinde non sufficit, licentiam illam duntaxat peti; sed oportet eam etiam concedi, et quidem in scriptis.

75. *Nisi occurrat causa gravis subito abscedendi, non patiens dilationem: et quid tunc agendum? Sola autem distantia ab episcopo, ad id non sufficit.* — Limitatur tamen data conclusio, nisi occurrat causa gravis, et necessaria subito abscedendi, quæ tantam celeritatem, requirit, ut non patiatur dilationem, sed sit periculum in mora petendi licentiam. Tunc enim curatus, relicto idoneo vicario, poterit discedere absque præhabita licentia ordinarii: nam necessitas non habet legem,

cap. IV. *de Reg. jur.* Ita tamen, ut hujusmodi curatus, quamprimum fieri poterit, teneatur certiorare ordinarium de discessu, atque necessitate occurrente, ut is de causa cognoscat; detque licentiam, nisi in brevi sit reversurus. Abbas c. *Relatum*. n. 6. et Fagnanus ibid. n. 14. et 33. et 45. h. t. Garcias, ubi supra n. 34. citans alios. Sola autem distantia loci ab episcopo, etiam cum necessitate discedendi, non excusat parochum, ut possit abesse a sua Ecclesia sine licentia in scriptis obtenta, nisi concurrat memorata necessitas moram non patiens. Fagnanus loc. cit. n. 27. et 33. Garcias cit. n. 34. ubi refert declarationem sacræ Congregationis concilii in terminis sic loquentem.

76. *Quanto tempore possit parochus abesse de licentia episcopi?* — Et si petas, quanto tempore possit parochus de licentia episcopi abesse a sua parochia ex gravi causa? Respondet Navarrus, consil. 15. n. 2. *de Cleric. non resident.* ex juxta caussa pose sic parochum abesse, etiam ad multum tempus: ut facile (inquit) colligitur ex concilio Tridentino, sess. 23. cap. I. *de Reform.* juncto c. *Relatum*. h. t. Verum hæc sententia passim relinquitur ab auctoribus : ut videre est apud Garciam loc. cit. num. 45; Gonzalez ad reg. 8. cancellar. gloss. 6. num. 250; Zerolam in *Praxi episcopal.* part. I. ỿ. *Parochus*, § 6. et alios : quin etiam apostilla ad cit. consil. 15. *Navarri*, ex declaratione sacræ congregationis, rejicit illam sententiam.

77. Alii itaque volunt episcopum, causa cognita et approbata, posse parochis dare licentiam abessendi a parochia ad duos, vel (gravi tamen de causa) tres menses. Fagnanus c. *Relatum*. n. 21. et 29. h. t.; Barbosa part. I. *de Offic. parochi*, n. 58, et 59. et seqq.; Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. II, n. 22, asserens, quod ad bimestre tempus absentiæ sufficiat quæcunque justa causa, veluti recreationis, aut visendi amicos, et hujusmodi : ultra bimestre autem requiratur gravis causa, et quæ talis episcopi arbitrio reputetur, juxta concilium Tridentinum cit. cap. I. ibi : « Discedendi autem licentiam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant. » Et quamvis idem Garcias d. cap. II. n. 43. referat quamdam declarationem sacræ congregationis concilii, qua dicitur, episcopum posse pro visitatione uti parocho ad quatuor menses, constituto interim idoneo vicario : tamen hanc ipsam declarationem fuisse revocatam per aliam, quam allegat, censet ibidem Garcias n. 42. et 44.

78. *Potest parochus ex causa, quæ sibi legitima videtur, abesse per unum, vel alterum diem sine licentia ordinarii, relicto interim idoneo vicario.* — Resp. III. Præmissis non obstantibus potest parochus ex causa, quæ sibi legitima videtur, per unum, vel alterum diem, imo et per sex, aut septem dies abesse sine alia licentia ordinarii : dummodo interim idoneum vicarium ab ordinario approbatum relinquat, neque obstet specialis constitutio episcopi. Prior pars, loquens de uno, vel altero die, videtur certa : nam, ut inquit Castro Palao tract. XIII. *de Beneficiis*, disp. 5. punct. n. 2. universalis consuetudo istud declarat, quæ est optima legum interpres : c. *Cum dilectus*. 8. *de Consuetud.* cum similibus. Nec immerito : nam qui paulisper tantum abest, non videtur abesse; uti fatetur concilium Tridentinum cit. sess. 23. cap. I. *de Reformat.* Unde in simili « brevi reversa uxor, nec divertisse videtur, » juxta textum expressum l. *Quidquid in calore*. ff. *de Reg. jur.*

79. *Imo et per sex, aut septem dies, non vero per hebdomadam.* — Altera pars, loquens de sex vel septem diebus, est majoris difficultatis. Etsi enim Castro Palao cit. n. 2. et Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 53. n. 106, citans Possevinum *de Offic. curati.* cap. I. n. 13. et seqq. doceat parochum posse abesse ex causa, quæ sibi legitima videtur, etiam per hebdomadam, sive per octo dies, relicto tamen idoneo vicario, absque alia licentia ordinarii : nihilominus, ut refert Garcias part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 23. et Fagnanus c. *Relatum*. n. 32. h. t.; sacra congregatio concilii super cap. I. sess. 23. *de Reform.* inter alia declaravit, quod parochus « nec possit per hebdomadam abesse : non petita, vel non obtenta licentia, etiam relicto vicario idoneo, ab ipso ordinario approbato. » Quia tamen hæc ipsa declaratio excipi duntaxat integram hebdomadam, videtur oppositum sensisse de sex, vel septem diebus, arg. l. *Quæsitum*. § *Denique*. ff. *de Fundo instructo* : et c. *Nonne*. 5. *de Præsumpt.* cum similibus. Neque enim ex tam modica absentia parochi, constituentis interim idoneum vicarium, morale aliquod concredatarum ovium, seu parochianorum, periculum oriri censetur.

80. *Idque confirmatur ex sententia sacræ congregationis.* — Accedit, quod sacra con-

gregatio interrogata per parochum Orliensem, an liceret sibi ab ecclesia, sex, aut septem diebus, abesse causa invisendos suos parentes senes, et pauperes? Responderit, id licere : prout refert Fagnanus cit. c. *Relatum.* n. 25. et 26. h. t. Nec obstat, quod idem Fagnanus loc. cit. dicat, sacram congregationem hac sua responsione solummodo declarasse, quod visitatio parentum senum, et pauperum, sit sufficiens causa, ob quam episcopus possit parocho concedere licentiam discedendi ad sex, vel septem dies. Nam, cum nulla super justitia hujus causæ possit oriri, aut orta fuerit controversia (filii quippe jure naturali, et divino, debent parentibus reverentiam, et pietatem) verisimile non est, vel parochum Orliensem desuper interrogare, vel sacram congregationem respondere voluisse; sed solum, an id liceat parocho, nimirum absque alia episcopi licentia.

81. *Sine ulla rationabili causa parochus absens graviter peccat.* — Additur tamen in data conclusione, « ex causa, quæ sibi (hoc est, parocho absque alia episcopi licentia, sicque sine hujus judicio super æquitate causæ, discessure) legitima videtur. » Nam sine ulla causa rationabili, ac mero vagandi animo, parochus a suis ovibus sese absentans, graviter peccat; cum faciat contra naturalem justitiam, qua ipsemet ex suscepto officio tenetur ovium Christi sibi commissarum curam gerere, sicque residere : adeo, ut cessante alia justa causa, non sufficiat istud præstare per constitutum vicarium, cum fuerit electa fides, atque industria personæ ipsius. Barbosa cit. allegat. 53. n. 106. et part. I. *de Offic. Parochi*, cap. VIII. n. 40. cum aliis.

82. *Parochus justa de causa absens, tenetur relinquere idoneum vicarium.* — Additur ulterius in conclusione, « dummodo interim idoneum vicarium, » etc. Quia, ubi parochus, vel alius curatus abest justa de causa, sive cum licentia superioris, sive absque ea per aliquot dies, semper tenetur relinquere idoneum vicarium, seu clericum substitutum, atque in suo episcopatu admissum pro administratione sacramentorum, qui interim pro se populo inserviat. Et ita decrevit concilium Tridentinum cit. cap. I. sess. 23. § *Eadem omnino*, ibi : « Quandocunque eos — abesse contigerit, vicarium idoneum, ab ipso ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. » Barbosa d. allegat. 53. n. 106; Castro Palao cit. punct. 5, n. 2. et alii.

83. *Et quid, si absit duntaxat per unum, vel alterum diem non festum?* — Fatendum quidem non deesse doctores istud limitantes, quando nullum subest morale periculum necessitatis substituendi aliquem vicarium; puta, quia nullus est in parochia infirmus. Nam quod tunc per unum, vel alterum diem non festum, licite possit abesse curatus, nullo interim constituto vicario, censet Castro Palao, cit. n. 2. et Barbosa, d. allegat. 58. n. 106, asserens etiam per tres dies posse curatum sic abesse. Verum hæc sententia, præsertim biduum, aut triduum talis absentiæ concedens, in praxi est difficilis, nec facile toleranda per superiores; eo quod ob millenos casus, quibus exposita est vita, salusque spiritualis parochianorum, vix unquam cognosci valeat, hic et nunc nullum subesse morale periculum parochianorum, etiamsi nullus in parochia reperiatur actualiter infirmus. Unde idem Barbosa part. I. *de Offic. parochi*, cap. VIII. n. 44, rigidus incedit, ubi talem parochi absentiam, nullo constituto vicario, permittit quidem ad aliquot horas, sed illico subjungit : « Abesse vero tota die, quando nullus infirmatur, raro in anno, nec laudo, nec vitupero : abesse autem per duos, vel tres dies nullo infirmante, et nulla alia causa justificante, habet valde de rationabili esse mortale, propter multa, quæ possunt eo tempore evenire, maxime in villis, ubi non est alius sacerdos a parocho. » Hæc ille, citans pro hac sententia Ludovicum de sancto Joanne, tit. *de Resident.* n. 8. et Possevinum, *de Officio curati*, cap. I. n. 4.

84. *Episcopus potest parochis prohibere sub pœna pecuniaria, ne ultra biduum a propriis Ecclesiis absint sine sua licentia.* — Deinde limitatur data conclusio, quando adest constitutio episcopi, prohibens parochis, ne ultra biduum sine sua licentia a propriis ecclesiis absint : tunc enim parochi, etiam stante causa rationabili, et constituto idoneo vicario, non possunt ultra biduum, et consequenter nec per hebdomadam abesse sine licentia ordinarii. Et quidem, quod valeat episcopus prohibere parochis sub pœna pecuniaria arbitraria, quæ tamen dimidiam non excedat, ne ultra biduam a sua ecclesia possint abesse, non vero sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; fuisse declaratum a sacra congregatione concilii Tridentini, sess. 23. cap. I. *de Reform.* refert Garcias cit. part. III. *de Benefic.* cap. II. n. 23. et Barbosa, part. I. *de Offic. Parochi*, cap. VIII. n. 45. allegans in-

super declarationem sacræ Congregationis concilii in una Terracinen. 11 februar. 1628 et in Monopolitana. 16 decemb. 1628.

85. *Parochi præcepto residentiæ personalis non satisfaciunt, qui existunt quidem in parochiali, non tamen per se exercent munera pastoralia, sed solummodo per capellanos.* — Quæritur III. Utrum parochi præcepto residentiæ personalis satisfaciant, fructusque faciant suos, qui resident quidem in parochiali; non tamen per se exercent officium parochiale, sed solummodo per capellanos, sive cooperatores suos? Resp. I. Parochi neutiquam satisfaciunt residentiæ præcepto, suæque conscientiæ, qui licet in parochiali personaliter existant, nunquam tamen, aut ferme unquam, cessante justo impedimento, sacramentorum administrationem, aliave munera pastoralia per se ipsos exercent : sed omnia ista relinquunt capellanis, et cooperatoribus suis. Ita Barbosa, part. I. *de Offic. parochi*, cap. VIII. n. 41, allegans Possevinum, *de Offic. curati.* cap. I. n. 10, pluresque alios; Engel, h. t. n. 15; Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 53. citans Congregationem concilii, quæ in una *Nullius*. 3. julii 1591 censuit, cogendos esse curatos ad subeunda per se ipsos, et non per subditos ea munera, ad quæ tenentur, etc. Accedit ratio, quia residere, est ecclesiæ deservire per se ipsum, cap. III. et IV. h. t. estque uberius dictum supra § 1. n. 3. et 5. Atqui istud non præstat parochus, omnia munera parochialia exercens duntaxat per suos capellanos : et consequenter, cessante alio legitimo impedimento, peccat, neque satisfacit præcepto residentiæ. Eo præsertim, quia in parochis censetur electa industria personæ; sicque majorem erga ipsos confidentiam solent parochiani concipere, quam erga capellanos, seu cooperatores suos, qui cum plerumque sint sacerdotes minus practici, vel saltem inopes et egentes, minoris etiam existimationis esse solent. Unde in c. *Extirpandæ*. 30. § *Qui vero de Præbend.* notanter dicitur : « Qui vero parochialem habet ecclesiam, non per vicarium (capellanum, sive cooperatorem) sed per seipsum illi deserviat, in ordine, quem ipsius ecclesiæ curæ requirit. »

86. *Potest tamen parochus unum, vel plures habere cooperatores, dummodo etiam ipse quid præstet.* — Per hoc tamen non negatur, quin parochus pro meliori curæ animarum, atque officiorum parochialium executione, nec non et aliquali sua quiete, possit unum, vel plures cooperatores habere, etiam relinquendo ipsi, aut ipsis, munera magis ardua; veluti ire de nocte ad infirmos, peragere divina officia in ecclesiis filialibus distantibus, confessiones multas audire, ac hujusmodi. Nam hoc ipsum probat recepta consuetudo, quæ est optima legum interpres; imo subinde expostulat ipsa multitudo parochialium onerum, per solum parochum non facile expediendorum. Dummodo tamen ejusmodi cooperatore parochus discrete utatur, videlicet ut socio laboris, et non ut homine, qui solus portet onus diei et æstus : simulque ipsemet parochus, cessante justo impedimento, aliqua etiam munia pastoralia, præsertim principaliora, personaliter præstare non intermittat : atque, ibi is ob specialem quandoque erga eum conceptam confidentiam nominatim vocatur, et expectatur, non recuset venire, curamque et sacramenta per semetipsum administrare : nec non in majori v. g. copia confitentium, ad minus sese præsentem in Ecclesia exhibeat, ut parochiani, si velint, possint ipsum eligere sacramentorum administratorem, sive confessarium. Barbosa d. part. I. *de Offic. paroch.* cap. VIII. n. 41. citans alios.

87. *Quod si nihil præstet, nisi per cooperatores, peccat ; sed non videtur teneri ad restitutionem fructuum, neque incidit in alias pœnas non residentium.* — Resp. II. Etsi parochus in parochia personaliter existens, sed munia parochialia solummodo exercens per suos capellanos et cooperatores, cessante justo impedimento graviter peccet, ut dictum : nihilominus non videtur is teneri ad restitutionem fructuum, neque incidit in alias pœnas non residentium. Ita Garcias d. part. III. cap. II. n. 53. vers. *Nihilominus*. post Ugolinum *de Offic. episc.* cap. XV. § 3. n. 3. ac ex parte favet Engel, h. t. n. 16. contra Sylvestrum ℣. *Residentia*, n. 1. et 6. Joan. Sancium in *Selectis*, disp. 47. et Jacobum de Gaffiis in decis. aur. lib. II. c. 92. n. 57. Ratio conclusionis est : quia hujusmodi parochus residet corporaliter; simulque constituendo, suisque sumptibus alendo idoneos capellanos seu cooperatores, curam gerit, ut munia parochialia rite peragantur : ergo in toto rigore juris non potest dici abesse : et non residere ad effectum amissionis fructuum : haud obstante, quod officium suum, prout deberet, per semetipsum non exerceat, sicque suæ obligationi in foro conscientiæ non satisfaciat. Probatur consequentia, tum quia pœnæ non sunt exasperandæ, sed potius restrin-

gendæ, c. *Odia restringi*. 15. et c. *In pœnis*. 49. *de Reg. jur.* in 6. cum concordantiis; tum quia in tali casu adhuc obtinetur finis præcepti, videlicet cura animarum, rectaque gubernatio parochianorum, etsi non eo modo, quo deberet, unde licet talis parochus peccet, male officium suum peragendo, non tamen videtur amittere fructus ipso jure, cum illud quoad substantiam adhuc adimpleat.

88. *Ex causis quibus possit parochus abesse, suæque Ecclesiæ deservire per vicarium? Generaliter loquendo, ut clericus licite se absentet a beneficio, requiritur causa honesta, et licentia episcopi Residentia parochorum debet intelligi humano modo.* — Quæritur IV. Ex quibus causis possit parochus abesse, suæque ecclesiæ deservire per vicarium? Resp. I. Hujusmodi causas esse multiplices; adeo, ut Joannes de Selva. *Tractatuum*. tom. XV. tract. *de Beneficio*, quæst. 6, viginti quinque earum enumeret. Et quidem generatim loquendo, quæcunque honesta causa, quæ episcopi arbitrio justa reputatur, sufficit ad bimestre tempus absentiæ parochi cum licentia episcopi, et constituto interim idoneo vicario. Ita Abbas c. *Relatum*. n. 1. h. t. et Joan. de Selva cit. cap. VI. n. 37. et alii, asserentes, ut clericus licite se absentet a suo beneficio, duo requiri, videlicet causam honestam, et licentiam episcopi; sicque generatim quævis causa honesta, per ordinarium approbata, censetur sufficiens. Garcias part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 22. et 97. istud exemplificans in causa recreationis, et visitandi amicos, seu propinquos, et hujusmodi. Accedit ratio : quia residentia parochorum debet intelligi humano modo : neque enim quasi compedibus alligati, tenentur semper esse præsentes suæ ecclesiæ, sed debet dari aliqua vacatio. Eo præsertim, quia qui parum abest, non censetur abesse, utpote brevi reversurus, juxta dicta superius n. 2.

89. *Quæ causæ in specie excusent parochum a residentia?* — Resp. II. Loquendo de ejusmodi causis in specie, principaliores causæ excusantes parochum ad tempus a residentia personali cum licentia ordinarii, sunt illæ quatuor, quas concilium Tridentinum sess. 23. cap. I. *de Reform.* enumerat; videlicet « Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens ecclesiæ, vel reipublicæ utilitas : » atque (servata proportione) debent intelligi conformiter dictis supra § præced. n. 42. 43. et seqq. Et quidem.

90 et 91. *Christiana charitas et urgens necessitas excusant parochum a residentia personali; et quando?* — Christiana charitas nonnunquam postulat parochum abesse, quando abest ad juvandam aliam privatam ecclesiam, vel ad dirimendas lites, aut sedanda odia, quæ inter quosdam suborta fuerunt, et hujusmodi : dummodo ex tali sua absentia non oriatur notabile damnum in propria ecclesia. Barbosa part. I, *de Offic. parochi*, cap. VIII, n. 46. Azarius, part. II, lib. VII. cap. IV, q. 4; Joan. de Selva cit. quæst. 6, n. 9 et 13. et alii.

Urgens necessitas excusat parochum a residentia personali, quando ad tempus abest ob morbum suum curandum; vel ad devitandas capitales inimicitias, contra ejus personam subortas; aut ob aliud vitæ, vel salutis, sive libertatis periculum ad tempus declinandum. Dummodo id fiat de licentia episcopi, simulque constituto idoneo vicario non immineat ex sua absentia detrimentum ovium suarum in spiritualibus : nam si istud subesset, ex nulla causa posset abesse; quia bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis, *Joan.* X, 17. Barbosa loc. cit. n. 47 cum aliis; et concordant dicta superius § præced. n. 44. et 45.

92. *Quomodo ob capitales inimicitias possit parochus abesse?* — Et quidem, quod attinet capitales inimicitias, posse prælatum vel parochum abesse, patet ex can. *Pastoralis*. 7. q. 1. cum similibus. Circa quod tamen notandum cum Fagnano in c. *Clericos*. n. 25. et 26. h. t. quod in tali casu sacra Congregatio concilii censuerit litteras dare ad episcopum loci, ut si veræ sint et graves inimicitiæ, et absque parochi culpa subortæ, licentiam huic det manendi in alio tutiori ac viciniori loco, sed durantibus duntaxat inimicitiis, dum tamen non ultra sex menses durent : interim vero constituat idoneum vicarium, suasque partes interponat, ut parochus tuto residere possit. Quod si intra sex menses necdum sedatæ fuerint inimicitiæ, rescribit episcopo, ut det illi sex mensium prorogationem, sed sine spe ulterioris prorogationis : postea enim, ut consulatur curæ animarum, inducendus est parochus ad resignandum, vel permutandum suum beneficium, arg. c. *ad Supplicationem*. 9. *de Renunciat.*

93. *Quando debita obedientia excuset parochum a residentia?* — Debita obedientia excusat parochum a residentia, quando ipse

abest, ut pareat mandato papæ, vel ejus legati aut episcopi, justum obsequium aut debitum officium imperantis : quale esset visitare provinciam, vel diœcesin, aut certam partem illius; vel eidem præsentialiter assistere in certo negotio, ac hujusmodi.

94. *Episcopus non potest uti opera parochi in visitatione, vel servitio suæ Ecclesiæ, nisi pro duobus mensibus.* — Verum circa hoc sciendum, quod episcopus non possit uti opera parochi in visitatione, vel alio servitio suæ ecclesiæ, nisi pro tempore duorum mensium a concilio Tridentino, sess. 23. cap. I. *de Reform.* permissorum; ac tunc idoneus vicarius deputetur. Et ita a sacra congregatione super cit. cap. I. fuisse declaratum, refert Garcias, part. III. *de Beneficiis.* cap. II. n. 40. et 42. Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 53. n. 86. Gonzalez ad reg. 8. *cancellar.* gloss. 6. n. 258. allegans in terminis ipsam declarationem. Jacob. Pignatellus *Consultat. canonicar.* tom. VII. consultat. 4. n. 3. et 4. et alii.

95. *Neque potest uti opera curati pro secretario, vicario, etc., ultra bimestre.* — Insuper non potest episcopus pro cathedralis ecclesiæ servitio, et item suo, aliquem ex curatis suæ diœcesis ab ipsorum ecclesiis avocare, atque constituto in illis idoneo vicario, ad certa negotia adhibere; neque potest uti opera ipsius curati pro secretario, vel vicario, visitatore, fiscali, etc. Pignatellus loc. cit.; Garcias, ubi supra. Barbosa n. 85. et 86; Gonsalez d. n. 258, referens declarationem sacræ congregationis concilii. Addit idem Gonzalez, ibid. n. 265. et Barbosa n. 87. eamdem sacram congregationem censuisse, quod « Inquisitoris officium exercens, a residentia parochiali non excusatur. » Idemque dicendum de similibus, quando parochus abest ultra duos mentes a loco beneficii, de quo plura citati auctores.

96. *Evidens Ecclesiæ, vel reipublicæ utilitas, quando excuset parochum a residentia?* — Evidens tandem ecclesia, vel reipublicæ utilitas excusat parochum a residentia, quando rite ac legitime citatus, accessit synodum generalem, vel provincialem, aut diœcesanam; sicque constituto interim idoneo vicario, abest a sua parochia. Idemque dicendum, quando curatus abest pro lite ecclesiæ suæ, vel pro obtinenda a superiore reformatione in variis emergentibus. Barbosa part. I. *de Offic. Parochi,* cap. VIII. n. 49.

97. *Dantur nonnulli alii casus in quibus ecclesiæ parochiali potest deserviri per vicarium. Ut quando ecclesia parochialis est unita monasterio, capitulo, etc.* — Resp. III. Extra prædictas quatuor causas dantur nonnulli alii casus, in quibus, jure sic disponente, ecclesia parochialis potest deserviri per vicarium. Sic imprimis fit, quando ecclesia parochialis est unita cuipiam monasterio, capitulo, aliique pio loco : quia tunc in ipsa constituendus est idoneus vicarius cum congrua fructuum assignatione ; ut c. *De Monachis.* 12. *de Præbend.* et cap. I. eod. in 6. juncto concilio Tridentino, sess. 7. cap. VII. *de Reform.*

98. *Vel quando ecclesia parochialis accessorie unita est dignitati, vel præbendæ.* — Deinde id ipsum contingit, quando ecclesia parochialis accessorie unita est dignitati, vel præbendæ canonicali in ecclesia cathedrali, vel collegiata. Tunc enim is, qui talem dignitatem, vel canonicatum habet, tenetur residere in dignitate, vel canonicatu, eique per se ipsum deservire : in parochiali vero ecclesia debet constitui vicarius perpetuus. Sextus est in c. *Extirpandæ.* 30. §. *Qui vero de Præbend.* addita ea ratione : « Cum oporteat eum in majori ecclesia deservire. »

99 et 100. *Secus, quando ex dispensatione apostolica habet quis ecclesiam parochialem, canonicatum, vel dignitatem simul, quia tenetur residere in parochiali.* — Ubi tamen notandum, quod beatus Pius V, in sua constitutione 65. quæ incipit ; *Cupientes pro nostri* (et habetur tom. II. *Bullar. Roman.*), motu proprio decreverit, ut quacunque dispensatione apostolica habentes ecclesiam parochialem et canonicatum, aut dignitatem, etiam post pontificalem majorem, teneantur residere in ecclesia parochiali : « Cum prima (inquit Pontifex) et præcipua debeat esse curam animarum. » Ita tamen, quod sic residentes in ecclesiis parochialibus lucrentur fructus sui canonicatus, vel dignitatis, exceptis distributionibus quotidianis : prout expresse habetur in citata bulla beati Pii V. cujus etiam meminerunt Gonzalez d. gloss. 6. n. 269. et seq.; Garcias cit. part. III. cap. II. n. 179. vers. *Septima;* Fagnanus c. *Quia in tantum.* n. 25. *de Præbend.* et alii. Quanquam hoc ipsum patiatur aliquam exceptionem quoad carentiam distributionum, juxta dicenda inferius § 7. n. 209.

Verum hæc bulla beati Pii V. non loquitur de ecclesiis parochialibus, quæ accessorie, ac in perpetuum unitæ sunt alicui canonica-

tui, aut dignitati; sed duntaxat de ecclesiis parochialibus per se stantibus, quæ tamen ex dispensatione apostolica obtineantur una cum canonicatu, vel dignitate quapiam. Alioquin enim ecclesia accessorie, ac in perpetuum unita dignitati vel canonicatui, induit quasi naturam hujus; et sortitur proprietates ipsius dignitatis, seu canonicatus simplicis, cui tanquam principali fuit accessorie unita, atque efficitur ipsius prædium. Et hoc respectu in cit. § *Qui vero. de Præbend.* dignitas, vel canonicatus, censetur major ecclesia parochiali; atque juxta dictum paragraphum oportet residere in ecclesia dignitatis, aut præbendæ, veluti in majori, constituto interim in ecclesia parochiali idoneo vicario. Fagnanus c. *Extirpandæ.* cit. § *Qui vero*, n. 29. *de Præbend.* et alii.

101. *Quando quis habet duas parochias, in qua debeat residere?* — Tertio id contingit, quando quis habet duas parochias invicem perpetuo unitas æque principaliter, et non una earum alteri unita accessorie, idemque dicendum, quando quis simul habet duas parochiales ecclesias ex legitima dispensatione apostolica. Tunc enim hoc ipso, quod non possit replicari, seu se dividere in duos, serviet alteri ecclesiæ per vicarium, arg. cit. c. *Extirpandæ.* 30. § *Qui vero. de Præbend.* Ita tamen, ut resideat in digniori: vel si ambæ sint pares, adeo ut neutra sit dignior, vel principalior altera possit residere, in qua maluerit. Gonzalez ad reg. 8. *Cancellar.* Gloss. 6. n. 268. et 269; Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episcop.*, allegat. 53. n. 82; Garcias cit. part. III. cap. II. n. 179. vers. Decima sexta asserens sacram congregationem concilii ita declarasse, atque rescripsisse episcopo Abulens. 15 Martii 1575, ubi etiam universim viginti septem declarationes ejusdem sacræ congregationis huc facientes allegat.

102. *An propter pestem grassantem: vel hostilem incursum, excusetur parochus a residentia personali? Refertur sententia affirmativa quorumdam.* — Quæritur V. An propter pestem grassantem, vel hostilem incursum, excusetur parochus a residentia personali? Resp. I. Etsi non pauci doctores ad urgentem necessitatem, quæ excusat curatum a residentia personali, reducant bellum, sive hostilem incursum, ac pestem sævientem; ut Azorius part. II. lib. VII. cap. IV. quæst. 4; Pirhing h. t. n. 23, et alii: nihilominus hæc doctrina sic universaliter tradita non subsistit, nisi benigne, ac modo sequenti intelligatur, juxta declarationem sacræ congregationis, quam refert Fagnanus in c. *Clericos.* n. 38. et seqq. h. t.

103. *Teneri parochum tempore pestis (vel belli) residere, declaravit sacra congregatio concilii; et qualiter?* — Imprimis enim sacra congregatio concilii Tridentini ad dubia, instante sancto Carolo Borromæo, archiepiscopo Mediolanensi, et S. R. E. cardinale proposita, 1576, die 11 octobris, respondens declaravit. Parochos tempore pestis teneri in parochialibus residere. Quod ipsum ob paritatem rationis intelligendum est de tempore belli, seu hostilis incursus, ne tempore tam periculoso destituantur oves spirituali auxilio pastoris sui; contra illud salvatoris, *Joann.* X, 11. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Deinde eadem Congregatio censuit, parochum teneri eodem tempore parochianis suis peste laborantibus ministrare duntaxat duo sacramenta, nempe Baptismum, et Pœnitentiam, seu Confessionem: posse tamen ea ministrare vel per se, vel per alium (cæteroquin idoneum) ea potissimum ratione, ut parochus possit audire confessiones sanorum, qui alias eum reformidarent, si viderent ipsum accedere ad pestilentes, sicque nollent ipsi confiteri, veriti contagionem: utque etiam ipsemet parochus conservata sanitate officio hortandi, prædicandi, consolandique suos parochianos uberius, et plenius fungi valeat. Ita Fagnanus cit. c. *Clericos.* n. 38 et 39, h. t. postea referens nonnullas alias sacræ congregationis declarationes, et quidem approbatas a sanctissimo; quæ omnes tendunt in id ipsum; videlicet, parochos tempore pestis teneri residere, atque memorata sacramenta omnino ministrare vel per se, vel per alium idoneum substitutum.

104. *Et quomodo contra parochos tunc absentes sit procedendum?* — Insuper dicta sacra congregatio concilii declaravit, parochos contumaces non ideo statim privandos esse suis beneficiis, quod tempore pestis absint a suis ecclesiis: sed agendum prius bonis verbis, et piis cohortationibus, atque admonitionibus: ac postmodum præmisso edicto, seu monitione, contra eos procedendum esse, sicuti concilium Tridentinum, sess. 23. cap. I. *de Reform.* mandavit: videlicet, primo per censuras ecclesiasticas; secundo per sequestrationem, et subtractionem fructuum; ac tandem per alia juris remedia, etiam us-

que ad privationem beneficii. Fagnanus loc. cit. n. 41. Adde dicta superius n. 63. et 65.

105. *Cur parochus possit discedere causa curandæ infirmitatis, et non tempore pestis, aut belli?* — Objicies autem contra priorem declarationem sacræ congregationis. Potest parochus de licentia episcopi, ac substituto idoneo vicario, discedere a loco beneficii causa curandæ infirmitatis, pergendo, v. g. ad thermas etc. aut causa declinandarum capitalium inimicitiarum, juxta dicta n. 91. et 92. Ergo eadem ratione poterit recedere tempore belli, aut pestis grassantis: ne alioquin sani fugerent parochos, simulque parochi omnes brevi morerentur, aut ab hostibus occiderentur, cum magna jactura reipublicæ christianæ. Resp. neg. consequent. cum sua probatione. Quia exinde ad summum sequitur, quod parochus tempore pestis possit sacramenta per alium ministrare hoc morbo laborantibus : non autem, quod possit a sua parochia recedere, atque a personali residentia excusetur, ob dicta n. 103. Neque urget adducta instantia de parocho infirmo, ad thermas v. g. discedente, vel capitales inimicitias declinante. Disparitas enim est inter casum, quo solius parochi vita periclitatur ob contractum morbum adhuc curabilem, vel ob capitales inimicitias ejus particulari personæ imminentes; et inter casum, quo omnibus parochianis communiter tale periculum imminet : ut tempore pestis, belli, ac hujusmodi. In priori enim casu bene potest parochus cum licentia episcopi, et constituto idoneo vicario recedere, quia ex suo dicessu nullum imminet parochianis, seu ovibus suis periculum; cum vita duntaxat sua privata periclitetur, simulque per constitutum vicarium æque possit esse tuta salus parochianorum. Secus dicendum in altero casu, ubi commune periculum subest, atque parochus residens adhuc potest prodesse sanis, ipsosque exhortando, consolando, verbum Dei proponendo, ac sacramenta administrando, in via mandatorum divinorum corroborare. Adde dicta superius § præced. n. 44. et 45.

106. *Cautelæ tempore pestis a parochis, eorumque vicariis observandæ.* — Resp. II. Notandum tamen est parochis, atque constitutis ipsorum vicariis, ut tempore pestis in administrandis sacramentis caute se gerant, ne ex ipsorum præmatura morte plures alii spirituale damnum patiantur. In quem finem plures regulæ, seu cautelæ, dari solent a medicis atque theologis : uti sunt, ex præscripto medici habere ad manum bona præservativa contra pestem : ægrotos non visitare jejuno stomacho; aut, si necessitas urgeat (nam morbus hic dilationem non patitur) apponere ad nares parum theriacæ, aut strophiolum aceto tinctum, vel aliud hujusmodi præservativum. Salivam, utpote vehiculum malignitatis, apud tales infirmos non deglutire, sed semper expuere. Limonibus, aut eorum corticibus, ante accessum infirmorum vesci, quod esse saluberrimum remedium docuit experientia : aut alio tali præservativo cor contra venenatum aerem præmunire. Insuper excepturus confessionem ægri peste laborantis, audiat eum a longe; et si fieri potest, curet, ut accedat ad fenestram, vel januam; sin minus, jubeat, ut in cubiculo decumbentis fiat fumus salutaris contra pestem, atque ægrotus vertat faciem ad alteram partem, tegumenta quoque lectuli non moveat, ne venenatus ejus halitus, aut aer e lectulo egrediens apprehendat confessarium, ipsumque pariter inficiat. Tacentur aliæ tales cautelæ, simulque modus in administratione sacramentorum tunc observandus, de quo, præter propria Ritualia diœcesana, videri poterit, Layman lib. V. tract. VI. cap. XIII. n. 4. Engel, h. t. n. 19. et Joannes Chapæville in tractatu, *De necessitate et modo ministrandi sacramenta tempore pestis.*

§ IV.

DE RESIDENTIA CANONICORUM, ET CLERICORUM SIMPLEX BENEFICIUM HABENTIUM.

107. *Canonici ecclesiarum cathedralium et collegiatarum, tenentur residere, adeo, ut non possint ultra tres menses singulis annis abesse.* — Quæritur I. Quia ratione canonici ecclesiarum cathedralium, et collegiatarum, residere teneantur? Resp. I. Omnes isti tenentur residere in Ecclesiis suis; adeo, ut non liceat ipsis ultra tres menses ab eisdem quolibet anno abesse : salvis tamen earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt, sicque absentiam trium mensium non concedunt. Textus est in concilio Trident. sess. 24. cap. XII. *de Reform.* § *Præterea*, ubi taliter statutum legitur : Præterea obtinentibus in eisdem cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cu-

juslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses, ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse : salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt. » Hæc ibi. Concordat c. *Conquerente.* 6. et cap. penult. h. t. et c. *Extirpandæ.* 30. § *Qui vero. de Præbend.* ubi satis indicatur, canonicos esse adstrictos ad personalem residentiam.

108. *Nec satisfaciunt suæ obligationi, nisi cantent in choro, cæteraque officia personaliter peragant. Notabilis admonitio sancti Caroli Borromæi quoad hoc.* — Resp. II. Quantum est de rigore juris communis, canonici, cæterique proxime enumerati, non satisfaciunt suæ obligationi exhibendo duntaxat suam præsentiam in choro, nisi etiam cantent, cæteraque consueta officia juxta ordinatam alternationem personaliter peragant. Ita Barbosa cap. xx. *de Canonicis.* n. 13. referens declarationem sacræ congregationis consilii, sub die 20 aprilis 1602, respondentis eos teneri omnino psallere; alioquin obligationi suæ non satisfacere. Fagnanus c. *Licet*, n. 89, *de Præbend.*, asserens articulo hoc diligenter discusso in canonicis basilicæ sancti Petri de Urbe, ita declarasse sacram congregationem die 12. novembris 1592; Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. II, n. 324, 325, et seqq. allegans plures hujusmodi declarationes. Idque clare patet ex concilio Tridentino cit. sess. 24. cap. XII, § *Omnes vero. de Reform.*, in hæc verba statuente : « Omnes vero divina per se, et non per substitutos, compellantur obire officia, et episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti adsistere, et inservire : atque in choro, ad psallendum instituto, hymnis, et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare. » Unde sanctus Carolus Borromæus in *Monitionibus ad Canonicos*, per Barbosam, part. III. *de Offic. et potest. Episcop.*, allegat. 53, post n. 181. relatis, inter alia sic loquitur : « Vos, qui in cathedrali Ecclesia dignitates obtinetis, canonici item — attente, studiose, rite, pie, religiose divinas laudes concelebrate ; et psallite Deo in conspectu angelorum, cantantes in cordibus vestris Domino. In choro nemo privatim, nemo tacite officium recitet ; sed omnes pariter, quicunque adestis, senes cum junioribus laudate nomen Domini in psalmis, hymnis, et canticis. » Hæc ille. Accedit ratio : quia *Residere* nihil aliud est, quam Ecclesiæ personaliter deservire in divinis officiis, c. *Conquerente.* 6. h. t. cum similibus ; estque jam dictum supra n. 3. et 4.

109. *Rigor juris communis non ubique est usu receptus.* — Additur tamen in conclusione, « Quantum est de rigore juris communis. » Fatendum enim est, quod rigor iste juris canonici, sacrique concilii Tridentini, non ubique sit usu receptus, vel saltem non nihil contraria consuetudine temperatus. Nam alicubi solent quidem canonici alternis vicibus, saltem in festis principalioribus, officiatores agere, atque episcopo solemniter celebranti assistere, et ministrare, vel etiam antiphonarum initia canendo inchoare : reliqua vero constitutis musicis vel capellanis suis, cantu prosequenda, seu peragenda relinquere, atque interim meditando, sive privatim Horas canonicas, aliasve preces recitando, choro decenter atque reverentialiter assistere : idque sic permittente longæva consuetudine, arg. cap. ult. *de Consuetud.* cum similibus.

110. *Valetque contraria consuetudo.* — Et quidem hujusmodi consuetudinem valere, censet Gavantus, tom. II. *at Rubric. Missal.* sect. 1. cap. v. tit. V. n. 4. monens tamen episcopos, ne fiat abusus. Azorius, part. I. lib. X. cap. XI. quæst 5 ; Lessius, lib. II. *de Justit. et jur.* cap. XXXIV, dubit. 33. n. 185 ; Garcias, part. III. *de Benefic.* cap. II. n. 517. ac seqq. ; Sannig, h. t. cap. IV, n. 9 ; Castro Palao, part. II, disp. 3, punct. 3, n. 55, pluresque alii ab his citati. Accedit ratio, quia talis consuetudo non est contra jus naturale, vel divinum, sed contra ecclesiasticum duntaxat ; ergo subintrat dispositio cap. ult. *de Consuetud.* Eo præsertim, quia hujusmodi consuetudo non est contra rationem, nec continet turpitudinem ; quin potius videtur promovere decorem, atque splendorem ecclesiarum, hac ratione varios habentium ministros ad cultum divinum deputatos, per quos etiam divinum officium magnificentius et suavius decantari solet, cum canonici sæpius voce, suavitate, vel peritia canendi careant. (ADNOTATIO XLIV.)

111. *De jure communi tenentur canonici omnibus horis singulisque diebus interesse, excepto trimestri.* — Resp. III. De jure communi tenentur ulterius canonici omnibus Horis, singulisque diebus interesse, excepta trimestri proxime declarando. Ita Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 52, n. 133 ; Garcias, cit. cap. II. n. 324, 325. et seqq., id desumens ex verbis concilii Tridentini, d.

sess. 24. cap. XII, atque allegans multiplicem declarationem sacræ Congregationis concilii, quarum una sic habet : « Interessentia, de qua in hoc decreto, debet esse in omnibus diebus et horis officiis divinis interesse, et inservire, præterquam in tribus mensibus singulorum annorum, nisi Ecclesiæ constitutiones longius servitii tempus requirant. » Alia et per Garciam, loc. cit. n. 329, post plures alios relata, sic ait : « Non valet statutum, ut una hora, vel duabus interessentes lucrentur massam grossam, sive præbendam, amissis distributionibus quotidianis. »

112. *Et an valeat contraria consuetudo.* — Addit Theodosius Rubeus inter. *Disceptationes Forenses.* Stephani Gratiani, c. 298. n. 20, quem refert Barbosa cit. n. 133, quod canonici non possint juvari aliqua consuetudine, quin teneantur omnibus septem Horis inservire. Verum Garcias, loc. cit. n. 330, asserit istud non servari, nec esse receptum in Hispania, in cujus Ecclesiis communiter lucrifit grossa, seu præbenda, residendo una Hora : quæ consuetudo videtur valere. Cæsar de Graffiis decis. 116. n. 8. Et potest sustineri (inquit Garcias cit. n. 330.) saltem dum per superiorem, aut capitulum non sit aliud ordinatum. Concordant dicta superius n. 109.

113. *Canonici possunt singulis annis per tres menses abesse, dummodo, etc. Pro eo tamen tempore non lucrantur distributiones.* — Quæritur II. An et qualiter liceat canonicis per singulos annos trimestri abesse? Resp. I. Certum est, quod canonici, juxta concilium Tridentinum, sess. 24. cap. XII. *de Reform.* singulis annis per tres menses abesse valeant : dummodo speciales Ecclesiarum constitutiones longius servitii tempus non requirant. Patet istud ex verbis ejusdem concilii, n. 107. relatis. Quanquam notent doctores, quod canonici licite quidem absint tribus mensibus ; non tamen pro eo tempore lucrentur distributiones quotidianas, sed solum fructus grossos. Gonzalez ad reg. 8. *Cancellar.* § 7. proœm. n. 182, allegans declarationem sacræ congregationis 3 augusti 1586 ; Fagnanus c. *Licet.* n. 92. et 93. *de Præbend.*, allegans pariter declarationem sac. congregationis concilii : et concordant dicenda inferius n. 175.

114. *Mensis ejusmodi debet contingere triginta dies sive continuos, sive interpolatos.* — Resp. II. Hujusmodi mensis debet continere triginta dies, ac proinde tres menses constituunt nonaginta dies : et quia concilium Tridentinum absolute illos concedit, hinc dies illi possunt esse vel continui, vel interpolati; ita tamen, quod interpolati dies absentiæ non superent trimestre. Ita Garcias cit. part. III. cap. II. n. 306, allegans Rotam in una Salamantina canonicatus, 20 junii 1572 ; Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 53, n. 120 ; Fagnanus c. *Licet*, n. 54. et 55, *de Præbend.* allegans declarationem sacræ congregationis, a Sanctissimo approbatam ; sub hac tamen limitatione, videlicet : Ut non omnes canonici possint abesse eodem tempore, ne Ecclesia destituatur debito servitio ; ac proinde tantum illa quota canonicorum simul abesse valeat, quæ videbitur arbitrio episcopi, et capituli. Siquidem concilium non dedit pro absentia tres menses capitulo, sed canonicis ; scilicet, singulis per vices.

115. *Extra tamen Natale et Pascha Domini, aliasque solemnitates majores.* — Addit Zerola, part. I. *Praxis episcopal.* ℣. *Privatio.* § *Tertium dubium*, *an omni tempore*, etc. ; Garcias cit. part. III. cap. II. n. 317 ; Barbosa, ubi supra, n. 119, allegans alios, quod sacra congregatio declarat. 153, responderit, quod ejusmodi tres menses non debeant incurrere in Natale, aut Pascha Domini, vel alias tales maximas solemnitates. Quod quidem æquissimum est, et eidem concilio Tridentino, sess. 23. cap. I. *de Reform.* ita expresse admonenti episcopos, conforme : quanquam et istud non ubique servari, ultro fateatur Garcias, loc. cit. n. 318.

116. *Ad absentiam trium mensium non requiritur allegatio causæ, vel petitio licentiæ. Possuntque canonici tunc abesse etiam ex causa recreationis.* — Resp. III. Ad absentiam trium mensium, a concilio canonicis concessorum, non requiritur alia allegatio causæ, vel petitio licentiæ superioris : dummodo non omnes canonici simul absint. Ita Barbosa, cit. allegat. 53, n. 118 ; Garcias, d. cap. II. n. 314. et 315, allegans multiplicem declarationem sacræ congregationis concilii, Fagnanus cit. c. *Licet*, n. 52, *de Præbend.* pariter attestans ita censuisse sacram congregationem. Nec immerito, quia, ubi non obstat specialis Ecclesiarum constitutio, aut consuetudo, ipsummet jus commune, sive concilium Tridentinum, tribuit canonicis licentiam abessendi tribus mensibus, etiam ex causa recreationis, seu refocillationis animæ et corporis : quæ causa cum semper subesse

dignoscatur, opus non est, hanc vel aliam allegare.

117 *Dummodo non omnes canonici simul absint.* — Additur vero, « dummodo non omnes canonici simul absint. » Tum ne Ecclesia debito servitio destituatur, tum quia non capitulo, sed canonicis duntaxat, videlicet per vices, abesse licet; ut jam dictum n. 114. Unde quia illa solum quota canonicorum eodem tempore abesse potest: quæ videbitur arbitrio episcopi, vel capituli, merito canonici discessuri apud superiorem sese insinuant: quamvis remanentibus aliis, pro servitio Ecclesiæ sufficientibus, speciali licentia non indigeant, neque prohiberi possint.

118. *Potest episcopus ob legitimam causam dare canonicis licentiam, ut abesse valeant quatuor mensibus.* — Resp. IV. Potest episcopus ob legitimam causam dare canonicis suis licentiam, ut abesse valeant quatuor mensibus. Ita Barbosa loc. cit. n. 123. asserens, ita fuisse decisum; Garcias, ubi supra, n. 411 et 413. referens talens tales declarationes; Fagnanus d. c. *Licet.* 47. *de Præbend.* ubi refert, quod Sanctissimus, die 7 octobris 1580, audita relatione congregationis, impertitus sit facultatem episcopo, ut possit singulis annis, si sibi justæ causæ dispensandi videbuntur, licentiam concedere canonicis non residendi per alium mensem ultra tres, in eo tamen numero, qui episcopo visus fuerit, ne cultus divinus deseratur. Hinc archidiaconum ratione visitationis ei incumbentis posse abesse ultra tres menses declaravit sacra congregatio concilii, relata per Garciam cit. part. III. *de Beneficiis,* cap. II. n. 332.

119. *Si per specialem Ecclesiarum constitutionem, aut consuetudinem, longius servitii tempus requiratur non est licitum canonicis per tres menses abesse.* — Resp. V. Quod si per specialem ecclesiarum constitutionem, aut consuetudinem, longius servitii tempus requiratur, tunc non est licitum canonicis, per tres menses abesse: adeo, ut si non resederint constituto tempore, incidant in pœnas, de quibus concilium Tridentinum d. sess. 24. cap. XII. loquitur. Prima pars est certa, et communis. Nam concilium, cit. cap. XII. non indulget canonicis quarumcunque Ecclesiarum absentiam trium mensium: quia non procedit concedendo, sed prohibendo, ut « non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses — abesse. » Quinimo id ipsum concilium expresse præservat constitutiones Ecclesiarum, quæ longius servitii tempus requirunt, ibi: « Salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt. » Unde notat Fagnanus cit. c. *Licet.* n. 51. *de Præbend.* quod canonicis per constitutiones suarum Ecclesiarum ad longius residentiæ tempus astrictis, atque postulantibus ex gratia vacationem trium mensium, sacra congregatio suo tempore semper abnuerit.

120. *Alioquin non residentes constituto tempore, incidunt in pœnas concilii Tridentini.* — Altera pars est Fagnani loc. cit. n. 50 et Barbosæ d. allegat. 53, n. 146 et Garciæ cit. cap. II. n. 144, allegantis declarationem sacræ congregationis. Nam proposito dubio: An canonici, qui majori servitio Ecclesiæ, quam novem mensium sunt astricti, subjaceant, si non resederint, eisdem pœnis, de quibus in d. cap. XII. sacra congregatio censuit, subjacere.

121. *Et quid si constitutio, vel consuetudo alicujus Ecclesiæ, requirit servitium totius anni?* — Et hoc indubitate procedit, quando constitutiones, vel consuetudines Ecclesiarum requirunt longius servitii tempus citra totum annum: puta, decem vel undecim mensium. Quod si vero cujuspiam Ecclesiæ constitutio, aut consuetudo requirat servitium totius anni, tunc dubium oriri posset. Et quidem non esse tunc licitum canonicis, abesse per tres menses, videntur convincere rationes pro prima parte conclusionis n. 119. allatæ. Oppositum tamen, seu in tali casu locum habere absentiam trium mensium, censet Garcias cit. part. III. cap. II. n. 311. et 312. Istud probans ex eo, tum quia residentia totius anni nimis dura videtur, maxime spectata fragilitate humana; tum quia ita sacra congregatio censuit in una Asturicen. his verbis: « Decretum concilii, cap. XII. sess. 24, concedit canonicis absentiam trium mensium, si constitutiones Ecclesiæ servitium totius anni requirunt. »

122. *Quæ sunt causæ canonicos excusantes a residentia personali?* — Quæritur III. Quæ sint causæ canonicos a personali residentia excusantes, quæque pœnæ debito tempore non residentium? Resp. I. Præter licitam absentiam trium mensium, modo proxime declarato, causæ canonicos excusantes a residentia (prævia tamen ordinarii approbatione, ac licentia) generatim sunt, « Chris-

tiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens ecclesiæ, vel reipublicæ utilitas; » et si quæ aliæ huc revocari possunt, juxta concilium Tridentinum sess. 23. cap. I. *de Reform.* estque jam dictum supra n. 42. et seqq. ac n. 89 et seqq. Concordat cap. un. h. t. in 6. ubi canonici non solum abesse, sed etiam distributionibus quotidianis gaudere sinuntur, « quos infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusat : » de quo tamen plura inferius § 7. n. 186. et seqq.

123. *Canonici ex justa causa absentes, non tenentur relinquere substitutum.* — Solum nota, quod canonici ex justa causa absentes, non teneantur relinquere substitutum, ac per hunc interim deservire, non obstante immemoriali consuetudine; prout a sacra congregatione concilii declaratum fuisse, refert Garcias d. part. III. cap. II. n. 197. Imo, ut inquit Fagnanus c. *Nulla.* n. 73. *de Concession. præbend.* ita millies fuit resolutum. Siquidem canonici solummodo tenentur per se deservire; atque uno, vel altero eorum ob justam causam absente, sufficit divina officia in Ecclesia a cæteris collegialibus rite persolvi : haud obstante, quod parochi legitime absentes, propter curam animarum ipsis incumbentem, teneantur relinquere vicarium. Et hæc, quantum ad primam partem propositæ quæstionis : nunc loquendo de altera,

124. *Pœnæ canonicorum non residentium, quæ?* — Resp. II. Pœnæ obtinentium in Ecclesiis cathedralibus, aut collegiatis, dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, nec residentium, ut debent, enumerantur in concilio Tridentino sess. 24. cap. II. § *Præbend. de Reform.* sequentibus verbis : « Alioquin primo anno privetur unusquisque (non residens, ut supra) dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia, contra eos, juxta sacrorum canonum constitutiones, procedatur. » Hæc ibi.

125. *Canonicus illicite absens, non tenetur fructus restituere ante sententiam condemnatoriam judicis, etsi secus sit in episcopis, aliisque curatis.* — Ex quibus verbis infertur primo, quod canonicus illicite absens, qui ob absentiam in pœnam privationis fructuum incidit, non teneatur istos ante sententiam condemnatoriam judicis restituere : uti patet ex verbo, *Privetur*, quod non operatur ipso jure, sed per sententiam. Garcias, part. II. *de Beneficiis*, cap. II. n. 151. et 152. post Rotam in causa Caurien. *Fructuum*, coram D. Orano, 10 aprilis 1592; Barbosa, cap. XI. *de Canonicis*, n. 22. citans alios. Quamvis secus sit dicendum de episcopis, et curatis inferioribus : hi enim, si debite non resideant, ipso jure tenentur restituere fructus pro rata temporis absentiæ, utpote quos non fecerunt suos : adeo, « ut nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere possint; » prout expressis verbis decrevit concilium Tridentinum, sess. 23. cap. XII. *de Reform.* estque jam dictum supra n. 50. et 51. et 59.

126. *Ad incurrendam a canonico non residente pœnam privationis fructuum, non est opus prævia monitione, ut resideat.* — Infertur secundo, quod ad prædictam pœnam privationis fructuum, a canonico non residente incurrendam, non sit opus prævia monitione, ut resideat : prout satis desumitur ex allegatis verbis concilii Tridentini, utpote nullam de præmittenda monitione mentionem facientibus, atque a sacra congregatione concilii decisum fuisse, refert Garcias cit. cap. II. n. 145. Eo tamen addito, ut canonicus, qui ultra tres menses abfuit, ante impositionem dictæ pœnæ citandus sit ad allegandum, si forsan possit, quare non debeat puniri secundum istud decretum concilii.

127. *Fructus illi, quibus canonici non residentes priventur cui debeant applicari?* — Cæterum fructus illi, quibus canonici non residentes privandi sunt, debent applicari in usum Ecclesiæ, et utilitatem, sive fabricam ipsius, quatenus indiget; alias alteri pio loco, arbitrio ordinarii : prout decisum fuisse, refert Garcias d. cap. II. n. 146. et 147.

128. *Hujusmodi pœnam non potest episcopus remittere in totum : bene tamen ante sententiam minuere, vel augere.* — Atque hujusmodi pœnam non potest episcopus remittere in totum, cum non possit dispensare contra generale concilium : peccaretque episcopus, si absque justa causa dissimularet canonicum ultra tempus absentem punire. Navarrus, consil. 3. *de Cleric. non resident.*, n. 1. et 2. Garcias sæpe cit. cap. II. n. 149. et 151. Quamvis ante sententiam ex causa talem pœnam minuere, vel augere valeat. Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* alle-

gat. 53. n. 151; Garcias, ubi supra n. 150. referens declarationem sacræ congregationis, sequentibus verbis: « Fructus præbendæ, in quibus canonici absentes ultra tres menses mulctantur, sunt applicandi Ecclesiæ, ad utilitatem ipsius: potest tamen episcopus hanc pœnam ante sententiam minuere, vel augere, sed non in totum tollere. » Et hactenus dicta procedunt in dignitatibus, et canonicis, primo, aut secundo anno debite non residentibus; sicque privandis dimidia parte fructuum, aut omnibus fructibus unius anni: nunc loquendo de perseverantibus in tali negligentia residentiæ.

129. *Crescente contumacia, contra canonicos non residentes procedendum est, juxta sacrorum canonum constitutiones.* — Resp. III. « Crescente vero contumacia (sive, quando canonici primo, et secundo anno debite non residentes puniti sunt per privationem fructuum, ut supra) contra eos, juxta sacrorum canonum constitutiones procedatur. » Textus est in concilio Tridentino cit. sess. 24. cap. XII. *de Reform.*

130. *Unde hodie non possunt statim privari suis beneficiis, etsi intra terminum sibi præfixum non redierint, quidquid olim fuerit.* — Ex quibus verbis infertur primo, quod dignitates, vel canonici, seu portionarii Ecclesiarum cathedralium, aut collegiatarum, si non resideant debito modo, non possint hodie statim privari suis beneficiis; haud obstante, quod fuissent moniti residere. Siquidem concilium Tridentinum loc. cit. expresse decrevit, ut debite non residens primo anno, seu prima vice, privetur duntaxat dimidia parte fructuum; secundo autem anno id ipsum faciens, privetur omnibus fructibus illius anni: ac postmodum crescente contumacia, sive contra tertio etiam anno residere negligentem, « juxta sacrorum canonum constitutiones, procedatur; » videlicet usque ad privationem beneficii, Flaminius Parisius, lib. I. *de Resignat. Beneficior.* quæst. 10. n. 63; Garcias d. part. III. cap. II, numer. 140, citans alios; atque subjungens declarationem sacræ congregationis concilii, quæ aiebat: Redarguitur episcopus, qui primo anno in cathedrali, vel collegiata Ecclesia non residentem privat; Fagnanus c. *Licet.* n. 26. *de Præbend.* asserens, quod ita hodie correcta sit dispositio antiquorum canonum, secundum quam canonicus absens privari poterat beneficio, si infra congruum terminum sibi præfixum, ad residentiam non rediisset; uti habetur c. *Pervenit.* 28. *de Appellat.* et c. *Inter quatuor.* 10. et cap. ult. h. t.

131. *Sed expectandus est lapsus trium annorum, ac servandi gradus pœnarum a concilio Tridentino præscripti.* — Accedit declaratio sacræ congregationis concilii, quam idem Fagnanus cit. n. 26. vers. *Unde*, refert, videlicet (cum episcopus Tarentinus olim petiisset declarari a sacra congregatione concilii: An recte processisset contra subcantorem canonicum Ecclesiæ suæ jam decem et octo menses absentem, cum ei comminatus fuisset pœnam privationis, si intra mensem non rediret? Sacra congregatio declaravit concilium clare disposuisse, expectandum esse lapsum trium annorum, antequam ad privationem in totum procedatur; ut in d. cap. XII. sess. 24. vers. *Præterea obtinentibus.* Nam in primo amittit non residens dimidiam, in secundo omnes fructus, in tertio privatur titulo: et ita rescriptum fuit plurimis episcopis.) Hactenus Fagnanus. Unde quod necessario servandi sint memorati gradus pœnarum, a concilio Tridentino, loc. cit. præscripti, antequam deveniatur ad privationem; adeo, ut hæc cæteroquin sit nulla: decisum fuisse in Rota Romana coram Illust. Seraphino, in una Salamantina de Petroso, die 15 decemb. 1576. et in una Oriolen. Canonicatus. 14 martii 1622, coram Rev. Navarro, inter alios refert Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episcop.*, allegat. 53, n. 148.

132. *In quo consistant constitutiones sacrorum canonum, juxta quas contra canonicos, contumaciter triennio absentes, procedendum est?* — Resp. IV. Constitutiones sacrorum canonum, juxta quas contra obtinentes in cathedralibus, et collegiatis Ecclesiis dignitates, canonicatus, Præbendas, aut portiones, et contumaciter tertio anno non residentes, procedendum est etiam usque ad privationem, consistunt in sequentibus. Primo quidem, postquam privatio medietatis, aut omnium fructuum priorum duorum annorum præcessit, ut dictum, canonicus ultra contumaciter absens, seu cessante legitimo impedimento non residens, si sciatur, ubi existit, debet personaliter moneri, seu citari, ut redeat in termino, sibi arbitrio episcopi præfigendo ad residentium; idque sub pœna privationis, nisi resipiscat, c. *Ex parte vestra.* 8. et c. *Clericos.* 17. h. t. Si vero ignoretur, ubi existit, tunc trinæ citationis edictum, in valvis

Ecclesiæ beneficii affigendum, publicari debet; atque post ultimum per sex menses expectari : c. *Ex tuæ.* 11. h. t. Deinde tempore isto elapso, si canonicus cessante justo impedimento, legitime allegato et probato, redire, atque residere contempserit, tunc « contra eum, juxta sacrorum canonum constitutiones procedendum est ; » uti loquitur concilium Tridentinum d. sess. 24. cap. XII. Ac proinde non amplius est privandus fructibus, sed beneficio, prout decisum refert Barbosa cit. allegat. 53. n. 146. Nisi forsan contra contumaciter absentem arbitretur episcopus, utendum esse pœnis medicinalibus suspensionis, ac excommunicationis, antequam ad actualem privationem deveniatur, juxta c. *Ex tuæ.* 11. § *Contra eos.* h. t. estque jam dictum supra § 1. n. 26.

133. *Quid dicendum de residentia clericorum, simplex duntaxat beneficium habentium.* Quæritur IV. Quid dicendum de residentia clericorum. simplex duntaxat beneficium habentium ? Resp. breviter, circa horum residentiam non occurrere specialem difficultatem. Nam beneficia simplicia vel ex generali consuetudine Ecclesiæ universalis personalem residentiam non requirunt ; sed sufficit, impleri officia divina, missas, aliasque obligationes per constitutum vicarium. Vel si eadem beneficia simplicia ex fundatione, dotatione, consuetudine, aut qualibet alia ratione, personalem requirunt residentiam ; contra contumaciter non residentes procedendum erit conformiter c. *Conquerente.* 6. et c. *Inter quatuor.* 10. et cap. ult. h. t. estque uberius dictum supra § 1. numer. 20. et seqq. Siquidem de clericis, simplex duntaxat beneficium obtinentibus, concilium Tridentinum non reperitur aliquid speciale constituisse : sicque standum erit piæ fundatorum intentioni, atque regulis ex jure communi, vel generali Ecclesiæ universalis consuetudine desumptis. Vide etiam dicenda inferius § seq. n. 160. et 161. quoad obligationem residendi ex fundatione impositam et longæva contraria consuetudine non observatam. (ADNOTATIO XLV.)

§ V.

UTRUM BENEFICIARII RATIONE STUDIORUM, VEL OB SERVITIUM EPISCOPI, AUT VI CONSUETUDINIS, EXCUSENTUR A RESIDENTIA ?

134. *Inter causas a residentia excusantes, communiter numeratur absentia studiorum causa ; et cur?* — Quæritur I. Utrum ratione studiorum liceat clericis abesse a suis beneficiis, atque interim horum fructibus gaudere ? Resp. I. Inter causas legitime excusantes a residentia personali beneficiariorum, etiam curatorum, communiter doctores connumerant absentiam studiorum causa ; juxta textum expressum c. *Relatum.* 4. h. t. istis verbis : « Nisi forte de licentia suorum prælatorum, vel studio litterarum, vel pro aliis honestis causis contigerit eos abesse ; » cum concordantiis in progressu allegandis. Et hæc quidem causa solet reduci ad quartam ex enumeratis a concilio Tridentino sess. 23. cap. I. *de Reform.* quæ est « Evidens ecclesiæ, vel reipublicæ utilitas. » Siquidem totius Ecclesiæ universalis permaxime interest, ad sui regimen viros habere litteratos, c. *Cum ex eo.* 34. *de Election.* in 6. « Qui cum docti fuerint, in Dei Ecclesia velut splendor fulgeant firmamenti ; ac veluti stellæ in perpetuas æternitates mansuri, ad justitiam valeant plurimos erudire, cap. ult. *de Magistris.* »

135. *Spectato jure antiquo possunt beneficiarii, etiam curati, quinque annis, abesse ratione studii theologiæ, vel juris canonici, et interim fructus percipere, etc. Idemque dicendum de docentibus theologiam, vel jus canonicum, quandiu docuerint.* — Resp. II. Spectato jure antiquo possunt beneficiarii, etiam curati, quinque annis abesse, ut in universitate quapiam theologiæ, vel juri canonico studere valeant, proventus suorum beneficiorum interim (exceptis distributionibus quotidianis) integre percipiendo : quod ipsum est dicendum de docentibus theologicam, aut canonicam facultatem; et quidem absque memorata temporis limitatione, sed quandiu in scholis docuerint. Ita habetur decisum in cit. cap. ult. *de Magistris* : ubi licet expressa mentio fiat solum de theologia, idipsum tamen communiter doctores extendunt ad jus canonicum, hujusque studium : nam sub theologia etiam comprehendi jus canonicum, arg. c. *Super specula*, juncto Abbate n. 7. *Ne Clerici vel Monachi*, etc. uberius jam dictum est supra in Procemio libri I. § 13. n. 231.

136. *Tempus illud quinquennale postea extensum fuit ad septennium, accedente dispensatione episcopi.* — Resp. III. Tempus istud quinquennale, beneficiariis concessum pro studio theologico (sive canonico) postea Bonifacius VIII. relatus c. *Cum ex eo.* 34. *de Election.* in 6. extendit ad septennium, illis

verbis : « Præsenti constitutione sancimus, ut episcopi, eorumque superiores cum his, qui hujusmodi subjectas sibi ecclesias obtinent, vel obtinuerint in futurum, dispensare possint libere, ut usque ad septennium litterarum studio insistentes promoveri minime teneantur, nisi ad ordinem Subdiaconatus duntaxat : ad quem infra prædictum annum recipiendum (ne, sicut a multis de Christi patrimonio sublimatis olim factum esse dignoscitur, a statu recedere valeant clericali) omnino astringi volumus : et nisi receperint, pœna contenta in dicto concilio (privationis ipso jure) eo ipso percelli. » Hæc Pontifex; subjuncta obligatione constituendi ad interim idoneum vicarium, ex proventibus ecclesiarum parochialium congrue sustentandum. Ubi tamen Glossa ỷ. *Septennium*, inter alia commendabile asserit, ut episcopus a principio non statim det dispensative totum septennium; sed experiatur, si clerici ejusmodi in studiis pro speranda ecclesiæ utilitate proficiant : et tunc vel det ulterius tempus, vel deneget.

137. *Ut clerici beneficiarii studiorum causa sic possint abesse, plures requiruntur conditiones.* — Resp. IV. Nihilominus, ut clerici beneficiarii studiorum causa possint abesse, atque excusentur a residentia personali, plures requiruntur conditiones, quæ tum in allegatis juribus continentur; tum per diversas declarationes sacræ congregationis concilii, quas refert Garcias part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 80. et 81. Zerola part. I. *Praxis Episcopal.* ỷ. *Studium.* n. 2. ac seqq. amplius manifestantur, atque patebunt inductione.

138. *Ut beneficiarius studio vacaturus, non ultra triginta annos.* — Primo siquidem requiritur, ut clericus beneficiarius, studio vacaturus, non sit ultra triginta annos; nisi jam antea studium incœpisset, et adhuc illud non absolvisset. Ita sacra congregatio apud Zerolam, et Garciam, ubi supra, declarans, quod si quis eorum sit ætatis annorum triginta, nulla facultas concedi debeat : ideoque etiam ætas sit exprimenda, nisi jam studia incœpisset, et illa nondum absolvisset. Accedit ratio : quia cap. ult. de Magistr. habetur, quod ad theologicæ professionis studium non nisi *Docibiles destinentur.* Atque tales ordinarie non censentur, qui annorum triginta existunt, neque antehac studia incœperunt; ergo.

139. *Atque accedat licentia episcopi.* — Secundo requiritur licentia episcopi, vel alterius prælati, c. *Relatum.* juncta Glossa ỷ. *Prælatorum.* et Abbate n. 1. et 5. et Barbosa n. 7. ibid. h. t. Concordat textus cit. c. *Cum ex eo.* 34. *de Election.* in 6. ac notat Pirhing, h. t. n. 35. Nec immerito. Cum enim non nisi docibiles, et habiles ad studia sint mittendi, d. cap. ult. *de Magistr.* Superiorum erit prius examinare, num tales existant studere volentes, ac probatis tandem licentiam concedere. Concordat concilium Tridentinum sess. 23. cap. I. vers. *Eadem omnino. de Reform.* ubi prohibet, ne parochi, aliive curati absint, « nisi causa prius per episcopum cognita et probata, ejusque licentia in scriptis obtenta. » Atque ideo hodie necessariam esse licentiam episcopi, in scriptis redactam, ut beneficiarius studiorum causa possit abesse : tenet etiam Zerola cit. part. I. ỷ. *Studium.* n. 1. et Garcias, d. part. III. cap. II. n. 74. 75. et seqq. ac n. 87. et seqq. citans plures alios : atque subjungens, ita declarasse Pium IV. in quadam constitutione. Quidquid olim in contrarium docuerit Glossa cap. ult. ỷ. *De licentia. de Magistr.* et Navarrus cap. XXV. *Manual.* n. 121. cum nonnullis aliis.

140. *Et si parochus absit, interim constituatur idoneus vicarius, per episcopum approbandus.* — Tertio requiritur, ut si parochus, vel alius curatus absit, interim constituatur idoneus vicarius, per episcopum approbandus, atque de redditibus Ecclesiæ congrue sustentandus; per textum expressum cit. c. *Cum ex eo.* § *Porro. de Election.* in 6. juncto concilio Tridentino, sess. 23. cap. I. vers. *Eadem omnino.* Secus dicendum quoad alios beneficiarios, puta, canonicos : nam hi studiorum causa absentes, non tenentur constituere vicarium, qui pro ipsis interim deserviat Ecclesiæ, conformiter dictis super n. 123.

141. *Sicque absens studeat in loco studii generalis; puta, in universitate.* — Quarto, ut taliter absens studeat in loco studii generalis; puta, in universitate, vel academia, aut alio publico loco, per principem, vel consuetudinem immemorialem, pro publico exercitio studiorum deputato : non autem in villa, vel castello, ubi nullum est, aut minus competens studiorum exercitium. Alioquin is non gauderet privilegio studentium, juxta textum apertum in c. *Tuæ fraternitatis.* 21. h. t.

142. *Simulque assumat studium theologicum, vel canonicum. Et quid de studio philoso-*

phico, vel juris civilis, aut grammaticæ? — Quinto requiritur, ut assumatur studium theologicum, vel canonicum, cap. ult. *de Magistr.* Nam hæc duo studia vel maxime necessaria sunt Ecclesiæ Dei, et reipublicæ christianæ, serviuntque ad cultum divinum immediatius promovendum : quamvis in c. *Cum ex eo,* 34. *de Election.* in 6. ubi cum obtinentibus parochialem ecclesiam potest Episcopus dispensare usque ad septennium, etiam videatur concessum studium philosophicum pro primo biennio, veluti prævium ad sacram theologiam, vel sacros canones rite intelligendos. Imo Glossa cit. c. *Cum ex eo.* ℣. *Septennium.* et ℣. *Litterarum.* Istud ampliat ad jus civile, atque grammaticam; eo quod textus indistincte loquatur, *Litterarum studio* ac proinde videatur intelligendus generaliter. Verum quia citata decretalis requirit dispensationem episcopi, hæc quoad alia studia dari nequibit, nisi subsistente speciali, et legitima causa : alioquin enim dispensatio, contra Jus commune data ab inferiore, non valeret, ut aliunde notum.

143. *Hactenus dicta potissimum procedunt spectato jure antiquo.* — Et hactenus dicta potissimum procedunt spectato jure antiquo, sive canonico, prout continetur in *Quinque Decretalium* libris, juncto sexto, Clementinis, atque Extravagantibus; unde n. 135. notanter additum fuit ly, *Spectato jure antiquo.* Quidnam autem de facto, sive post œcumenicum concilium Tridentinum sit dicendum, restat breviter edicere : unde.

144. *De facto privilegium percipiendi fructus beneficiorum in absentia ratione studii, est sublatum quoad ecclesias parochiales.* — Resp. V. De facto privilegium percipiendi fructus beneficiorum in absentia ratione studii, est sublatum quoad ecclesias parochiales; adeo, ut cum obtinentibus eas non amplius possint ad septennium episcopi dispensare : secus dicendum de canonicatibus, atque beneficiis sine cura animarum residentiam exigentibus. Ita Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 81. et 83. et 85. ac seqq. allegans multiplicem declarationem sacræ congregationis concilii; Barbosa, c. *Relatum*, n. 7. h. t. et part. III. *de Offic. et potest. episc.* n. 77; Pirhing, h. t. n. 36; Gonzalez, ad reg. 8. *Cancellar.* gloss. 6. n. 150. et seqq. et alii; quidquid quoad priorem partem in contrarium dicat Navarrus, cap. XXV. *Manual.* n. 118. cum nonnullis antiquioribus; eamque dubiam esse censeat Zerola cit. ℣. *Studium.* § *Ad septimum.*

145. *Idque probatur.* — Prior pars fundatur in concilio Tridentino, ac multiplici declaratione ipsius. Siquidem dictum concilium, sess. 23. cap. I. § *Eadem omnino, de Reform.* decernit, ut curati inferiores non nisi causa prius per episcopum cognita et probata, abesse possint; simulque discedendi licentia « ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant. » Unde facultas, olim episcopis concessa dispensandi ad septennium ex causa studiorum cit. c. *Cum ex eo. de Election.* in 6. videtur revocata : nam per posterius decretum concilii generalis, tollitur prius eidem directe contrarium, quamvis istud fuisset corpori juris canonici insertum, nec eidem expresse derogetur, arg. cap. I. *de Constitut.* in 6. Fagnanus c. *Nonnulli*, n. 31. et. 42. ac seqq. *de Rescript.* istud confirmans ex praxi, ac stylo sacri concilii Tridentini, estque jam dictum supra lib. I. tit. II. *de Constitutionibus*, n. 523. et 524.

146. *Solvitur instantia.* — Nec obstat ly, *Nisi ex gravi causa*, in relatis concilii Tridentini verbis contentum. Nam existente gravi causa potest quidem episcopus concedere parochis absentiam ultra bimestre, nempe ad tres menses, juxta dicta superius n. 77. non vero ad quinque, vel septem annos : prout olim fieri poterat ex causa studiorum. Accedit, quod de facto juxta concilium Tridentinum, sess. 24. cap. XVIII. *de Reform.*, ecclesiæ parochiales debeant conferri per concursum; ac proinde is, qui veluti magis idoneus parochialem ecclesiam per concursum alios superando consecutus est, jam prius ita studuisse præsupponatur.

147. *Refertur multiplex declaratio sacræ congregationis concilii quoad hoc.* — Et hoc ipsum sacra congregatio concilii declaravit, sequentibus verbis : « Obtinentibus parochiales ecclesias post concilium Tridentinum studendi licentia, et in absentia studiorum causa fructus percipiendi, non datur. » Ita verbatim dictam Declarationem referunt Gonzalez cit. gloss. 6. n. 251. et Garcias, ubi supra, n. 84. Addit idem Garcias, n. 81. sex alias consimiles Declarationes; earumque quarta sic sonat : « Congregatio die 22. februar. 1590, censuit parocho causa studiorum non esse dandam licentiam; cum hodie per concilium non admittantur, nisi per concursum magis idonei fuerint judicati. » Sexta vero sic loquitur, 8 jun. 1595 : « Congregatio concilii censuit, non licere parochis causa

studiorum a parochialibus ecclesiis post concilium abesse, nec episcopum licentias ad id concedere posse, eaque, si concessæ fuerint, non suffragari. » Hæc ibi.

148. *Secus dicendum de canonicatibus, atque beneficiis sine cura animarum residentiam exigentibus. Quod non mutatur, quare stare prohibetur.* — Altera pars datæ conclusionis, seu quod « secus sit dicendum de canonicatibus, » etc. ex professo docetur a Garcia loc. cit. n. 85. Siquidem circa canonicatus, et alia beneficia sine cura animarum residentiam requirentia, nihil reperitur jure novo Concilii Tridentini quoad absentiam studiorum causa immutatum : unde subintrat illud vulgatum, et l. *Sancimus.* c. *de Testament.* contentum : « Quod non mutatur, quare stare prohibetur? » Juncta l. *Præcipimus.* § fin. c. *de Appellation.* Accedunt diversæ declarationes sacræ congregationis desuper factæ, atque apud Garciam loc. cit. videndæ. Quod intellige, nisi forsan alicubi per antiquam, ac legitime præscriptam consuetudinem, contrarium obtinuerit; cap. ult. *de Consuetud.* cum similibus.

149. *Duo canonici in servitio episcopi constituti, integre percipiunt fructus præbendarum in absentia, exceptis distributionibus quotidianis. Imo censentur esse præsentes : et quomodo?* — Quæritur II. An et qualiter canonici, aliique clerici in servitio episcopi constituti, excusentur a residentia? Resp. I. Episcopus potest uti opera, seu servitio duorum canonicorum, qui absentes cum episcopo, seu in ejus servitio, integre percipiunt fructus præbendarum in absentia, exceptis distributionibus quotidianis. Ita communis doctorum : atque habetur clare decisum c. *De cætero.* 7. h. t. illis verbis : « Statuimus, ne canonicis, donec in servitio tuo fuerint, quicquam subtrahi debeat, vel auferri, quod de communitatis sibi beneficio debetur : Nisi forte sint victualia, quæ non consueverunt absentibus exhiberi. » Concordat textus in c. *Ad audientiam,* 15. h. t. ubi hoc ipsum decrevit Pontifex, non obstante constitutione ecclesiæ, juramento, et auctoritate Sedis apostolicæ confirmata, ut canonici, qui non resident, suarum priventur fructibus præbendarum : « Cum (inquit Papa, rescribens episcopo Meldensi) absentes dici non debeant, sed præsentes, qui tecum pro tuo, et ipsius ecclesiæ servitio commorantur. » Ubi ly, *Sed præsentes,* verificatur per fictionem juris, seu loquendo de residentia ficta, juxta dicta § 1. n. 7.

150. *Etiamsi nunquam accedant ad Ecclesiam, sed semper in episcopi servitio occupati existant. Episcopus in Ecclesia est et Ecclesia in episcopo.* — Porro hujusmodi duo canonici, in episcopi servitio constituti, excusantur a personali residentia, fructibusque præbendæ gaudent, etiamsi nunquam accedant ad ecclesiam, sive chorum, sed semper in episcopi servitio occupati existant; ut puta, ipsum ad visitationem comitando, etc. Barbosa, *Tract. de canonicis et dignitat.* cap. xxv. n. 5. allegans declarationem sacræ congregationis. Et sufficit, quod duo illi canonici absint pro servitio episcopi, quatenus episcopus est, licet directe utilitatem ecclesiæ non prosequantur. arg. cit. *De Cætero.* ubi Fagnanus n. 4. et 12. h. t. Nam servitium Episcopi, quatenus Episcopus est, censetur quasi servitium Ecclesiæ, cui præsidet; siquidem « Episcopus in ecclesia est, et ecclesia episcopo, » prout legitur can. *Scire debes.* 7. q. 1. Concordat c. *Ad audientiam.* 15. h. t. non obstante, quod a nonnullis in contrarium allegetur. Ibi quippe duo canonici, qui antea « in tuo (sive episcopi) servitio existentes dicebantur, censetur in fine capituli, pro tuo (seu episcopi) et ipsius ecclesiæ servitio commorantes : » ut proinde, qui est in servitio episcopi, servire ecclesiæ intelligatur, prout loquitur Glossa fin. ibid. solum adde, quod ultra duos canonicos episcopus in suo servitio habere non possit, qui in absentia gaudeant fructibus præbendæ. Fagnanus cit. c. *De Cætero.* n. 7. et 8; Barbosa d. cap. xxv. *de Canonic. et dignitat.* n. 8. allegans declarationem sacræ congregationis, die 9. Septemb. 1628.

151. *Solvitur instantia. Lex generalis posterior, limitatur per priorem specialiter loquentem.* — Objicies contra datam conclusionem, majoris claritatis gratia. Citatis cap. *De cætero.* et c. *Ad audientiam.* h. t. derogatum fuit per concilium Tridentinum sess. 24. cap. xii. § *Præterea. de Reform.* ubi canonicorum absentia ultra tres menses sub privatione fructuum, aliisque pœnis gravioribus, est prohibita; ergo nihil exinde probatur. Resp. neg. anteced. Siquidem lex generalis posterior limitatur, ac determinatur per priorem specialiter loquentem; puta concilium Tridentinum, loc. cit. generaliter loquens de canonicis, per cap. *De cætero.* et c. *Ad audientiam.* h. t. specialiter de canonicis in servitio episcopi constitutis loquentia, arg. l. *Non est novum.* et seqq. ff. *de Legib.* juncta reg. 34,

juris in 6. *Generi per speciem derogatur*, cum concordantiis : atque amplius dictum est supra lib. I. tit. II. *De Constitutionibus*. § 19, n. 496 et 497. Et ita tenet, atque a sacra congregatione concilii sæpius fuisse declaratum, asserit Garcias, part. III. *de Beneficiis*. cap. II. n. 346. et 347; Fagnanus c. *Licet*, n. 71. et 106. *de Præbend.* et Pirhing h. t. n. 29. cum aliis.

152. *Duo illi canonici, etiam inviti compelli valent ab episcopo ad sibi inserviendum.* — Addunt doctores, quod illi duo canonici non solum possint, verum etiam inviti compelli valeant ab episcopo, ad inserviendum ipsi in his, quæ respiciunt ipsius, et ecclesiæ utilitatem. Glossa c. *Ad audientiam*. ỳ. *Ut duo*. h. t. ibi : « Ultra duos non posset cogere, » etc. ac notat Abbas ibid. n. 3. et Innocentius c. *De cætero*. et Fagnanus ibid. n. 15. eod. ac Joan. Gutierez, *Canonic. quæstion.* lib. I. cap. I. n. 149. et alii. Unde causa absentiæ pro servitio episcopi, ut episcopi, non solum est justa et probabilis, verum etiam necessaria : cum sit justificata, et approbata a jure, atque includat necessitatem obsequendi, prout subdit Fagnanus n. 16.

153. *An illi duo canonici, non solum possint esse de ecclesia cathedrali, sed etiam collegiata? variant doctores. Affirmativa sententia est probabilior, jurique conformior.*—Resp. II. An duo illi canonici episcopo inservientes, non solum possint esse de ecclesia cathedrali, sed etiam de ecclesia collegiata, variant doctores : sententia tamen affirmativa est probabilior, jurique conformior. Ita Fagnanus d. c. *De cætero*. n. 11. et 14. h. t.; Navarrus cap. XXV. *Manual.* n. 121; Rebuffus in *Praxi Benefic.* tit. *Dispensatio de non residendo*, n. 35. et 36; Barbosa *De canonicis et dignitat.* cap. XXV. n. 8. asserens se non semel vidisse in dubium revocari, an idem dicendum, si episcopus in sui servitium velit habere duos canonicos ex collegiata ; sed affirmativam esse veriorem : pro qua citat etiam Monetam *de Distribud. quotid.* p. 2. q. 8. n. 6. et Lotterium, lib. III. *de Re beneficiar.* q. 27. n. 190. Id ipsum (subdit Barbosa) fuit decisum a sacra congregatione concilii die 9 septemb. 1628. Quæ proposito sibi hoc dubio, censuit, « Episcopum posse uti opera duorum canonicorum, sive de cathedrali, sive de collegiata ecclesia. »

154. *Solvuntur contrariæ.* — Dices cum Pirhing h. t. n. 30. oppositum tenente. In cap. *De cætero*. 7. et cap. *Ad audientiam*. 15. h. t. unde prior conclusio desumitur, sermo duntaxat est de canonicis ecclesiarum cathedralium; ergo dispositio in eisdem facta, non est extendenda ad canonicos ecclesiarum collegiatarum, atque clericos inferiores. Probatur consequentia; tum quia non est tanta unio inter istos et episcopum, quanta est inter episcopum et canonicos cathedrales, qui constituunt unum corpus, cujus ille caput, et isti membra esse noscuntur, cap. *Novit*. 4. *De his, quæ fiunt a prælatis*, etc.; tum quia memorata dispositio, ut duo canonici cathedrales in servitio episcopi gaudeant fructibus suæ præbendæ, est exorbitans a regula communi, vi cujus non nisi præsentes fruuntur istis fructibus, sicque non debet extendi ad casus alios, præsertim disparatos. Resp. neg. anteced. Quia, ut notat Fagnanus in cit. cap. *De cætero*. n. 2. h. t. textus hujus decretalis loquitur simpliciter de « Canonicis, donec in servitio tuo fuerint, » statuendo, ut supra : neque colligitur ex superscriptione, cui, et de quibus canonicis, ecclesiarum collegiatarum, vel cathedralium duntaxat, decretalis eadem loquatur. Atqui, « ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, » ut loquitur summarium in l. *De pretio*. ff. *de Publiciana in rem action.* cum similibus.

155. Nec urget, quod non sit tanta unio inter episcopum et beneficiarios inferiores, quanta est inter episcopum et capitulum cathedrale, ejusque canonicos. Etenim in citatis canonibus ac præsertim cap. *Ad audientiam*. h. t. pro ratione fundamentali, atque finali relatæ dispositionis, non affertur major unio, sed præstitum servitium, ibi : « Cum absentes dici non debeant, sed præsentes, qui tecum pro tuo, et ipsius Ecclesiæ servitio commorantur : » atqui hæc ratio æque militat in canonicis ecclesiarum collegiatarum, non minus, ac cathedralium; tum quia eædem decretales emanarunt principaliter ad bonum ecclesiarum, atque servitium episcopis præstandum, in quibus est ecclesia, cit. can. *Scire debes*. 7. q. 1. Unde, veluti ecclesiis favorabiles, potius sunt ampliandæ, quam restringendæ : nam, ubi favor et odium ab invicem nequeunt separari, lex principaliter lata in favorem alicujus (puta, episcopi, seu ecclesiæ, ut hic) censetur omnino favorabilis, sicque late interpretanda, juxta Glossam cap. *Statutum*. ỳ. *Numerandum*. *de Præbend.* in 6. estque ex professo declaratum supra lib. I. tit. II. *De Constitutionibus*. § 17. n. 437. 439. et seqq. Ac per hoc patet responsio ad alteram probationem consequentiæ, numer.

præc. allatam. Negatur enim assumptum, sive quod dispositio cit. c. *De cætero.* et cap. *Ad audientiam.* h. t. sit exorbitans a regula communi : cum potius hanc favorabiliter limitet, ad bonum commune ecclesiarum.

156. *Idemque dicendum de clericis inferioribus, quando ex canonicis non adsunt æque idonei ad servitium episcopi, exceptis tamen curatis.* — Et hæc ratio tam fortiter stringit : ut allatam conclusionem secundam etiam de quibusvis aliis ejusdem ecclesiæ clericis procedere, asserat Fagnanus c. *De cætero.* n. 11. et 14. et Navarrus cap. xxv. *Manual.* n. 121. etsi dissentiat Barbosa d. cap. xxv. *de Canonic. et dignitat.* n. 8. vers. *Cum ergo Jura.* Eamdemque conclusionem pariter in clericis inferioribus admittendam esse, saltem quando ex canonicis cathedralibus æque idonei haberi non possunt ad tale servitium episcopo præstandum : censet Abbas cap. *Ad audientiam.* n. 8. h. t. Layman lib. IV. *Theolog. moral.* tract. II. cap. vi. ac ipsemet Pirhing cit. n. 30. vers. *Excipi.* h. t. Dummodo hinc excipiantur parochi, aliique curati, juxta dicta superius § 3. n. 94. et 95.

157. *Consuetudo contraria, an excuset a residentia in beneficiis? Loquendo de beneficiis curatis, respondetur negative.* — Quæritur III. Utrum consuetudo contraria excuset a residentia in beneficiis, ejusque obligationem tollat? Resp. I. Loquendo de beneficiis curatis, nulla consuetudine, etiam immemoriali induci potest, ut rector ecclesiæ in ipsa non resideat, neque idoneum vicarium pro se constituat. Ita Abbas cap. *Extirpandæ.* in Repetit. § *Qui vero.* n. 36. *de Præbend.* et communis. Ratio est clara, quia talis consuetudo esset irrationabilis. Cederet enim in magnum damnum ecclesiarum, suo rectore penitus destitutarum : certumque contineret periculum animarum parochialium, cum nemo adesset, qui ipsis indigentibus sacramenta Ecclesiæ ministraret, atque in cæteris curam animarum gereret : quia ut hæc conclusio supponit, neque idoneus vicarius relinqueretur.

158. *Consuetudo etiam immemorialis, inserviendi per vicarium in beneficio curato, fructusque in absentia percipiendi, non valet.* — Resp. II. Consuetudo, etiam immemorialis inserviendi per vicarium in beneficio curato, sicque fructus in absentia percipiendi, non valet. Ita Abbas cit. n. 36; Joan. de Selva *Tractatum* tom. XV. tract. *de Beneficio*, part. IV. quæst. 2. n, 1; Fagnanus cap. *Ex parte.* n. 27. h. t. citans alios; quamvis non desint oppositum tenentes, loquendo tamen de consuetudine immemoriali, ac signanter Navarrus, consil. 21, n. 4, et seqq. *de Cleric. non resident.* et Pirhing h. t. n. 14. Ratio conclusionis est, quia etiam talis consuetudo est irrationabilis; cum sit periculosa animabus parochianorum, eo quod in commissione curæ animarum eligatur industria personæ : atque ideo non est rationabile, quod talis persona electa, possit curam animarum suæ industriæ specialiter commissam, in perpetuum relinquere, aliique committere. Accedit quod residentia beneficiorum curatorum sit de jure divino, ut dictum n. 10. Atqui juri divino nulla contraria consuetudine derogari potest, etiamsi sit immemorialis; cum verius sit corruptela, cap. ult. *de Consuetud.* Et huic sententiæ concordat concilium Tridentinum, sess. 23. cap. i. § *Eamdem omnino, de Reform.* ejusmodi consuetudinem appellans corruptelam, illis verbis : « Consuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela censenda est. »

159. *Consuetudo temporis immemorialis, an æquipolleat privilegio?* — Dices. Consuetudo temporis immemorialis æquipollet privilegio, ita ut quidquid induci potest per privilegium, possit etiam per talem consuetudinem, l. *Hoc jure.* § *Aquæ ductus.* ff. *de Aqua quotidian. et æstiv.* et c. *Super quibusdam.* 26. § *Præterea. de Verb. signif.* Sed per privilegium Papæ induci potest, ut rector ecclesiæ parochialis non teneatur exercere curam animarum per se ipsum, sed duntaxat per alium; sicuti jure communi statutum est, ut istud fiat per vicarios perpetuos : ergo id ipsum induci potest per consuetudinem, saltem immemorialem. Resp. cum Fagnano c. *Cum contingat.* n. 8. et 11. *de Foro compet.* dictum illud, in majori allegatum, non procedere universaliter; ac præsertim tunc non, quando consuetudo est a jure reprobata (prout fit in proposito, dum concilium Tridentinum eam potius « corruptelam censendam » asserit) quia talis nullo modo habet vim privilegii, c. *Cum instantia.* 17. *de Censib.* Vide plura de hoc superius lib. I. tit. IV. *De consuetudine.* § 3. n. 65.

160. *In beneficiis simplicibus valet consuetudo generalis excusans a residentia personali, nisi ex fundatione, etc., oppositum habeatur.* — Resp. III. Loquendo de beneficiis non curatis, est distinguendum. Quia aut est sermo de beneficiis simplicibus : et valere generalem consuetudinem, quod quis non teneatur

personaliter residere, sed per substitutum possit satisfacere suæ obligationi nisi ex fundatione, statuto, aut consuetudine particularis ecclesiæ, ad residentiam personalem astringatur, patet ex dictis supra n. 9.

161. *Imo et data tali fundatione, potest per longævam consuetudinem obligatio residendi tolli.* — Atque istud ampliatur, etiamsi in fundatione fuerit imposita obligatio personaliter residendi. Adhuc enim per longævam, et legitime præscriptam consuetudinem, hujusmodi obligatio tolli potest, arg. c. *Cum omnes.* juncta Glossa fin. *de Constitution.* ac notat Abbas ibid. n. 10. istud intelligens, dummodo non fiat præjudicium magnum Ecclesiæ. Felinus cit. cap. *Cum omnes.* n. 32. vers. in gloss. fin.; Navarrus consil. 6. *de Clericis non resident.* n. 1. et seqq.; Joan. de Selva cit. tract. *de Beneficio,* part. IV. quæst. 2. n. 1. et seqq.; Gonzalez ad reg. 8. *Cancellar.* gloss. 5, n. 107. citans alios; atque asserens, ita fuisse declaratum per sacram congregationem concilii.

162. *Loquendo de dignitatibus non curatis, et canonicatibus, valebat antiquitus consuetudo percipiendi fructus in absentia.* — Aut est sermo de dignitatibus non curatis, et canonicatibus ecclesiarum cathedralium vel collegiatarum : et tunc antiquitus valebat consuetudo, quod quis in absentia potuerit percipere beneficium, ubi talis consuetudo vigebat, arg. cap. *Cum omnes.* juncta Glossa fin. *de Constitut.* Dummodo Ecclesia non indiguisset servitoribus, sive ministris, eo quod multi fuissent beneficiati in Ecclesia, qui tenebantur residere, et non nisi pauci eorum sese absentare solebant; sicque consuetudo illa non intulisset gravamen Ecclesiis. Alias secus : ut cap. I, *de Consuetud.* et cap. ult. *de Rescript.* in. 6. ac notat Abbas cit. cap. *Extirpandæ.* in Repetit. § *Qui vero.* n. 31. *de Præbend.* et Fagnanus cap. *Cum omnes.* n. 18. *de Constitut.* post Innocentium, Hostiensem, Joann. Andream, et alios ibid.

163. *Hæc tamen consuetudo novissime per concilium Tridentinum sublata fuit. Quamvis hoc ipsum non ubique fuerit usu receptum.* — Additur notanter, « et tunc antiquitus, » etc. Nam hujusmodi consuetudo percipiendi fructus in absentia in ecclesiis, cathedralibus, et collegiatis, novissime per concilium Trident. sess. 24. cap. XII. vers. *Præterea. de Reform.* sublata fuit, atque cassata, sequentibus verbis : « Præterea obtinentibus in eisdem cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses, ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse, » etc. Atque, ut notat Fagnanus c. *Cum omnes.* n. 21 et 22 *de Constitut.* et Garcias part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 197. ex sententia sacræ congregationis, per allegatum decretum concilii sublata fuit consuetudo etiam immemorialis, secundum quam ex quavis causa, et ultra tres menses, quolibet anno ab eisdem ecclesiis abesse licuerat; prout amplius patet ex declarationibus dictæ sacræ congregationis, quas verbatim adducit Garcias cit. n. 197. Verum tamen, quod præfata constitutio concilii Tridentini in multis locis, ac (præsertim Germaniæ) ecclesiis, non fuerit usu recepta, inter alios observat Pirhing h. t. n. 6 et 15, Sannig, eod. cap. III. n. 9. (ADNOTATIO XLVI.)

§ VI.

DE DISTRIBUTIONIBUS QUOTIDIANIS, EARUMQUE CONSTITUTIONE, AC LICITA PERCEPTIONE.

164. *In ecclesiis cathedralibus et collegiatis, collectio omnium fructuum annuorum, appellatur* Mensa communis. — Quæritur I. Quid intelligatur nomine distributionum quotidianarum : et unde sint deducendæ : et cur? Resp. I. Prænotandum est, quod in ecclesiis tum cathedralibus, tum collegiatis, collectio omnium fructuum annuatim toti capitulo obvenientium, appelletur *Mensa communis* : ut est textus in. c. *Cum M. Ferrariensis.* 9. *de Constitut.* Et hujusmodi mensa communis complectitur universos fructus totius capituli, postmodum dividendos in singulos canonicos, aliosque ejus officiales, prout cujusque merita seu labores deposcunt. Deinde inter ipsosmet fructus, canonicis pro rata dividendos, est differentia : nam alii vocantur fructus annui, seu grossi : alii vero, distributiones quotidianæ. Et quidem.

165. *Fructus annui, seu grossi, qui? Vocantur etiam* Fructus præbendæ : *vel absolute* Præbenda. — Fructus annui, seu grossi, sunt illi, qui dantur propter annuam residentiam in loco canonicatus. Atque isti non raro dicuntur *Fructus præbendæ* : vel absolute, *Præbenda* : ut cit. c. *Cum M. Ferrariensis. de Constitut.* ibi : « Antiquis canonicis præbendas, cum integritate percipientibus. » Et c. *Dilectus* 19. *de Præbend.* ibi : « Idem fructus præbendæ percipere non deberet : » cum si-

milibus. Et hujusmodi redditus annuos, seu fructus grossos, sive præbendam lucrari etiam ab illis canonicis, qui ex legitima, et à superiore approbata causa absunt a loco beneficii, certum est, atque hactenus in pluribus jam casibus declaratum : censentur enim esse residentes fictione juris, licet vere ac realiter non resideant, juxta dicta superius § 1. n. 7.

166. *Distributiones quotidianæ, seu præsentiæ, quæ? Dicuntur etiam* Victualia, *et* Manualia beneficia. — Distributiones quotidianæ, seu (ut vulgo appellantur) præsentiæ, dicuntur illi fructus canonicales, qui propter singulas præsentias in choro, sive divino servitio, dantur canonicis interessentibus, seu vere, et actualiter præsentibus. Et hæ in c. *De cætero* 7. h. t, alio nomine vocantur *Victualia*, illis verbis : « Nisi forte sint victualia, quæ non consueverunt absentibus exhiberi. » Imo in cap. un. h. t. in 6. etiam dicuntur *Manualia beneficia, seu Victualia*. Atque de istis in præsenti Paragrapho specialiter est sermo : unde.

167. *Hæc vel sunt constitutæ ab antiquo per pias fundationes, vel debent constitui deducendo tertiam partem fructuum mensæ capitularis.* — Resp. II. Distributiones quotidinæ in Ecclesiis cathedralibus, et collegiatis, vel jam sunt constitutæ ab antiquo per speciales pias fundationes : vel si in eisdem non adsint, aut nimium tenues existant, pro eisdem constituendis tertia pars fructuum mensæ capitularis deduci debet. Ita novissime decrevit concilium Tridentinum, sess. 24. cap. III. *de Reform.* illis verbis : « Statuit sancta synodus in ecclesiis tam cathedralibus, quam collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, et quorumcunque proventuum, et obventionum, tam dignitatum, quam canonicatuum, personatuum, portionum, et officiorum, separari debere, et in distributiones quotidianas converti, quæ inter dignitates obtinentes, et cæteros divinis interessentes, proportionaliter juxta divisionem ab episcopo, etiam tanquam apostolicæ Sedis delegato, in ipsa prima fructuum deductione faciendam, dividantur : Salvis tamen, » etc. Hæc ibi.

168. *Et hoc posterius declaratur.* — Ex quibus sacri concilii verbis inter cætera patet, quod illa tertia pars fructuum in distributiones convertenda, non possit deduci, nisi ex canonicatibus, et aliis beneficiis in cathedrali, vel collegiata ecclesia existentibus aut ipsis unitis : neque extra ecclesiam cathedralem, aut collegiatam, hoc decretum habere locum. Prout a sacra congregatione concilii fuisse declaratum, refert Garcias part. III. *de Beneficiis*, cap. II. num. 473 et 474. ac seqq. apud quem plura de hoc.

169. *Distributiones quotidianæ principaliter institutæ sunt ad promovendum cultum divinum.* — Resp. III. Distributiones ejusmodi quotidianæ principaliter in ecclesiis cathedralibus, et collegiatis institutæ, atque decretæ fuerunt ad promovendum cultum divinum : sive, ut clerici eo libentius, atque studiosus, intersint officiis divinis, si præsentem accipiant aliqualem remunerationem, eadem cæteroquin cerituri. Textus est in concilio Tridentino cit. sess. 23. cap. III. *de Reform.* ubi a principio, et pro ratione motiva, seu finali, detrahendæ tertiæ partis fructuum, ut supra, præmittitur sequens « Cum beneficia ad divinum cultum, atque ecclesiastica munia obeunda sint constituta : ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei debitum in rebus omnibus obsequium præstetur : statuit sancta synodus, » etc. præcipiens, ut supra. n. 167. tertiam partem fructuum pro distributionibus quotidianis separandam esse.

170. *Aliud est* Residere in loco beneficii : *aliud* Interesse divinis. — Unde sciendum, quod aliud sit, « Residere in loco Beneficii : » et aliud, « Interesse divinis officiis. » Nam *Residere* censetur ille clericus, qui in loco beneficii, debito tempore commoratur, etiamsi ad modicum absit : puta canonicus ad duos vel tres menses. *Interesse* vero divinis solummodo dicitur ille, qui obtinens beneficium ipsis officiis divinis celebrandis actualiter præsens est (sive interest) et ministerium eorum celebrationi, ac altari exhibet. Glossa in cap. un. ℣. *Adfuerit*. h. t. in 6. Covarruvias lib. III. *Var. resol.* cap. XIII. n. 3. et alii. Atque istis interessentibus duntaxat debentur distributiones quotidianæ, ut hac ratione magis excitentur canonici ad interessendum officiis divinis spe alicujus præsentandæ remunerationis, qua cæteroquin carere cogerentur ; sicque cultus divinus promoveatur.

171. *Simoniacum non est, dare distributiones quotidianas iis, qui intersunt officiis divinis, et cur?* — Neque ex dictis quis perperam inferat, istud esse simoniacum, dum distributiones quotidianæ, quæ sunt quid temporale, dantur pro actuali exercitio cultus divini, sive ministerio mere spirituali. Resp. enim ejusmodi distributiones non dari pro ministe-

riis spiritualibus, ut pretium ex pacto; sed ut temporale stipendium pro honesta clerici in ecclesiastico servitio occupati sustentatione, juxta illud Salvatoris, *Matth.* cap. x, 10. *Dignus est operarius cibo suo*, cum concordantiis. Simile quid contingit in celebratione Missarum pro consueto stipendio : imo et in fructibus grossis præbendarum : nam etiam hi non dantur nisi canonicis residentibus cum effectu, seu ecclesiastica ministeria personaliter exequentibus. Quanquam Glossa magna, cap. un. h. t. in 6. circa fin. notet, peccare canonicum graviter, et simoniam mentalem committere, quando ad Horam canonicam vadit principaliter propter denarium, sive distributionem, arg. c. *Tua nos.* 34, et cap. ult. *de Simonia*. Ubi tamen ponderandum ly, « principaliter propter denarium. »

172. *Regula est, quod distributiones solum debeantur præsentibus, et interessentibus, non obstante quocunque statuto, vel consuetudine : et aliter eas recipiens, rerum sic receptarum dominium non acquirit, etc. Refertur quoad hoc textus.* cap. un. h. t. in 6. *et concilii Tridentini.* — Quæritur II. Quinam canonici valide ac licite, percipere possint præsentias, seu distributiones quotidianas? Resp. I. Regula est, quod distributiones quotidianæ solum præsentibus, seu Divinis officiis interessentibus, dari debeant, non obstante quocunque statuto, aut consuetudine : et qui aliter illas receperint (exceptis casibus in jure concessis) rerum sic receptarum dominium non acquirant, imo ad earum omnium restitutionem teneantur. Ita communis; estque per Bonifacium VIII. cap. un. h. t. in 6. expresse decretum illis verbis : « Consuetudinem, quæ in quibusdam partibus inolevit (recipiendi videlicet distributiones quotidianas in absentia) penitus improbantes : Statuimus, ut distributiones ipsæ quotidianæ, in quibuscunque rebus consistant, canonicis, ac aliis beneficiatis et clericis ecclesiarum ipsarum, qui eisdem officiis in ipsis ecclesiis adfuerint, tribuantur juxta ecclesiæ cujuslibet ordinationem rationabilem jam factam, seu etiam faciendam. Qui vero aliter de distributionibus ipsis quicquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret) rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas : imo ad omnium restitutionem, quæ contra hujusmodi nostram constitutionem receperit, teneatur. » Atque hanc constitutionem Bonifacianam concilium Tridentinum, sess. 24. cap. XII. *de Reform.* innovavit, et confirmavit, sequentibus verbis : « Distributiones vero, qui statis horis interfuerint, recipiant : reliqui quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant, juxta Bonifacii VIII. decretum, quod incipit, *Consuetudinem :* quod sancta synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscunque statutis, et consuetudinibus. » Hactenus Concilium : unde.

173. *Consuetudo percipiendi distributiones in absentia non valet, sive introducta fuerit ante constitutionem Bonifacianam, sive post.* — Resp. II. Adeo data conclusio procedit, ut consuetudo percipiendi distributiones quotidianas in absentia non valeat, sive introducta fuerit ante relatam constitutionem Bonifacianam, sive post. Ita Covarruvias, lib. III. *Variar. resol.* cap. XIII. n. 2. et seqq.; Barbosa, cap. un. n. 4, h. t. in 6; Pirhing h. t. n. 83; Fagnanus c. *Licet.* n. 77 et 79. *de Præbend.* asserens sacram congregationem sæpius respondisse, quod citato decreto concilii Tridentini, sess. 24. cap. XII, etiam immemorialis consuetudo sublata fuerit. Ratio est; quia constitutio Bonifacii VIII. cap. un. h. t. in 6, non solum simpliciter derogat consuetudini recipiendi distributiones in absentia : sed etiam ipsi resistit, eamque reprobat ut iniquam, et irrationabilem : prout liquet ex illis verbis : « Consuetudinem, quæ in quibusdam partibus inolevit, etc., penitus improbantes. » Atqui, ubi jus resistit consuetudini, eamque penitus improbat, nempe ut irrationabilem, et iniquam, censetur sublata consuetudo non tantum præterita, verum et futura, imo et immemorialis, c. *Cum venerabilis.* 7. et cap. ult. *de Consuetud.* estque jam dictum supra lib. I. tit. IV. *De Consuetudine.* § 2. n. 35. 37 et 45.

174. *Etiamsi speciali cujuspiam Ecclesiæ statuto confirmata sit.* — Ampliatur conclusio, ut non valeat consuetudo percipiendi distributiones quotidianas in absentia, etiamsi speciali cujuspiam Ecclesiæ statuto confirmata sit. Hujusmodi enim statuta expresse sublata sunt per concilium Tridentinum, cit. sess. 24. cap. XII. *de Reform.* ibi : « Non obstantibus quibuscunque statutis. » Accedit, quod capitulum nequeat condere statuta juri communi contraria : atqui statutum percipiendi distributiones in absentia, est contrarium juri communi; puta, cap. un. h. t. in 6. et concilio Tridentino, loc. cit. ergo. Major patet ex eo, quia inferior nequit

tollere legem superioris, can. *Inferior*. dist. 21. et Clem. *Ne Romani*. § 1. *de Election*. estque ex professo dictum supra lib. I. tit. II. *De Constitutionibus*. § 4. n. 85. et seqq.

175. *Canonici non gaudent distributionibus, dum duobus, aut tribus mensibus a concilio permissis absunt.* — Ampliatur ulterius, ut distributionibus quotidianis non gaudeant canonici, dum duobus, aut tribus mensibus, a concilio Tridentino permissis, absunt. Quia licet eo tempore censeantur residere, utpote brevi reversuri; ac proinde possint percipere præbendam, sive fructus grossos: non tamen pro tunc intelliguntur interesse divinis officiis, sicque non gaudent distributionibus; cum casus iste non sit exceptus in allegata constitutione Bonifacii VIII. confirmata per concilium Tridentinum loc. cit. et concordant dicta superius n. 113.

176. *Quamvis interim inserviant per substitutum.* — Ampliatur rursus conclusio, ut procedat, etiamsi canonici absentes inserviant per substitutum: quia nihilominus distributiones quotidianas percipere non possunt, neque valet contraria consuetudo. Fagnanus cit. c. *Licet*. n. 82. *de Præbend*. plures alias consimiles ampliationes subjungens.

177. *Excipiuntur casus, in quibus de jure dubium est, an distributiones debeantur absentibus: tunc enim consuetudo easdem concedens, censetur valida.* — Fallit tamen data conclusio in illis casibus, in quibus de jure dubium est, an distributiones absentibus debeantur, necne. Tunc enim consuetudo easdem concedens, censetur esse valida; potestque juris ambiguitatem interpretari, et declarare: uti notat Covarruvias, l. III. *Var. resolut.* cap. XIII. n. 3. vers. Prima sane, citans Baldum inter *Consilia cardinal*. consil. 53; Decium c. *Cum omnes*. in 1. lect. col. 1. *de Constitut*. et alios; atque sequitur Fagnanus loc. cit. n. 134. circa fin. Accedit ratio, quia in tali casu nihil novum, aut juri communi aperte contrarium inducitur; sed solummodo casus, de jure dubius, longævo usu declaratur. Unde subintrat illud, quod l. *Si de interpretatione*, 36. ff. *de Legib.* habetur: « Si de interpretatione legis quæratur, imprimis inspiciendum est, quo jure civitas retro in hujusmodi casibus usa fuisset: optima enim est legum interpres consuetudo: » cum concordantiis.

178. *Sic valida est consuetudo, qua canonicis tempore pestis absentibus dantur distributiones.* — Sic, quia dubium esse potest, utrum canonicis tempore pestis absentibus a loco beneficii, de jure debeantur distributiones quotidianæ (tale enim præsentaneum periculum mortis videtur justa causa abessendi, comprehensa sub rationabili corporali necessitate, de qua fit mentio cap. un. h. t. in 6.). Hinc sacra congregatio censuit quidem, canonicis, qui tempore pestis abfuerunt, non deberi distributiones: sed cum limitatione, nisi probaretur consuetudo legitima, quod distributiones hujusmodi darentur absentibus ex justa causa. Atque ita decisum fuisse, refert Garcias part. III. *De Beneficiis*, cap. II. n. 362. et Fagnanus cit. c. *Licet*. n. 95. *de Præbend.* atque post Franciscum a Ripa in tract. *de Peste*. part. II. n. 145. etiam tradit Covarruvias cit. cap. XIII. n. 8. vers. *Nono*. et Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 53, n. 170. citans alios.

179. *Similiter valida videtur consuetudo, ut canonicus ob negotia Ecclesiæ suæ absens, post reditum, vel ante discessum suum, per duos vel tres dies lucretur distributiones, etsi non intersit divinis.* — Deinde ex eadem ratione valida videtur consuetudo, ut canonicus ob negotia Ecclesiæ suæ absens (secus, si ob res suas privatas abfuisset) post suum reditum per duos, vel tres dies distributiones lucretur, etsi divinis officiis personaliter non intersit: quia taliter fessus ex itinere, adhuc censetur agere negotia Ecclesiæ suæ; simulque post graviorem itinerum defatigationem non nihil quiescendum esse, suadet rationabilis necessitas corporalis, Pirhing, h. t. n. 84; Azorius, part. II. lib. VII. cap. VII. quæst. 5. vers. *Quæres secundo*, citans insuper Joan. Monachum in cap. un. h. t. in 6; Castro Palao, part. II. disp. 3. *de Oratione publica in choro*. punct. 9. § 12. n. 16. allegans alios; atque istud amplians ad canonicum profecturum in causa Ecclesiæ suæ, cui ex consuetudine pariter concedi possunt duo, vel tres dies, pro præparatione itineris, una cum distributionibus in absentia chori: nam, qui se ad viam præparat, censetur in illa jam esse, arg. l. *Qui mittuntur*, juncta Glossa ỷ. *Agere*. ff. *Ex quibus causis majores*, etc. et l. *Legato*. ff. *de Legationib.*

180. *Quoad distributiones, quas absentes non fuerunt lucrati, nulla valet remissio.* — Resp. III. Conclusio n. 172. data ulterius urget in tantum, ut quoad distributiones, quas absentes non fuerunt lucrati, nulla valeat remissio, mediante qua sibi invicem canonici

punctaturas absentiarum, sive carentiam distributionum, remittere possint. Ita communis. Obstat enim huic remissioni tam juris communis dispositio, cit. cap. un. h. t. in 6. obligans receptores ad earum omnium restitutionem; quam concilium Tridentinum d. sess. 24. cap. XII. *de Reform.* ibi : « Reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant. »

181. *Et si secus fiat, debet episcopus eas in pœnam fraudis, applicare fabricæ Ecclesiæ.* — Quinimo, si canonici hujusmodi distributiones sibi invicem remitterent, tunc episcopus deberet eas in pœnam fraudis applicare fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco : prout à sacra congregatione responsum fuisse, testatur Fagnanus, ubi supra n. 91. Haud obstante, quod canonici interessentes divinis, postquam portiones non residentium perceperunt illas quibus placuerit dare valeant.

182. *Distributiones quotidianæ ordinariæ, amissæ per non interessentes, accrescunt clericis interessentibus.* — Quæritur III. Ad quos spectent distributiones quotidianæ, amissæ per canonicos non interessentes officiis divinis? Resp. I. Distributiones quotidianæ, ordinariæ et proprie sumptæ, amissæ per non interessentes divinis officiis, accrescunt cæteris clericis interessentibus. Ita Glossa in Clem 2. ỷ. *Pars dimidia. de Ætat. et qualitat.* etc. istud inter alia probans ex cap. un. h. t. in 6. « Nisi (inquit) esset aliter ordinatum. » Et alia Glossa in Clem. 2. ỷ. *Suspensus. de Vita et honest. cleric;* Covarruvias lib. III. *Var. resolut.* cap. XIII. n. 7; Navarrus, cap. XXV. *Manual.* n. 123; Barbosa, *de Canonicis et dignitat.* cap. XXII. n. 14; Azorius, part. II. lib. VII. cap. VII. quæst. 8. et 9; Garcias, part. III. *de Beneficiis,* cap. II. n. 445. et 446. citans plurimos alios, ac Rotam in una Valentina emolumentorum, coram Illustr. Mantica, 14 maii 1593. Conclusio hæc fundatur in jure accrescendi : quia enim distributiones quotidianæ, et proprie dictæ, constituuntur dividendæ inter clericos præsentes, tanquam in mercedem et honorarium majoris diligentiæ : ac novissime decrevit concilium Tridentinum sess. 21. cap. III. *de Reform.* Hoc ipso, quod isti præsentes non eveniant alios, qui secum concurrant, soli utentur distributionibus in totum : prout in simili decisum habetur l. I. § fin. ff. *de Usufruct. accrescend.* et § *Si eadem res. Instit. de Legatis.* Concordat Declaratio secunda sacræ congregationis concilii, relata per Garciam loc. cit. n. 465 asserens, quod portiones absentium accrescunt deservientibus, si ex decreto concilii sess. 21. cap. III. separatæ sunt : secus vero, si ex Decreto capit. III. sess. 22. tunc enim fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, vel alteri pio loco arbitrio ordinarii applicabuntur.

183. *Secus, quando pro distributionibus datur certa quantitas.* — Additur notanter in conclusione, « Distributiones quotidianæ ordinariæ, et proprie dictæ. Quales censentur esse, si certa quantitas, seu portio earum non est assignata singulis ; sed omnibus ita relinquuntur, ut inter solos præsentes, ac divinis officiis interessentes, dividi debeant : tunc enim distributiones per absentes amissæ, jure accrescendi debentur cæteris. Secus dicendum, quando pro distributionibus quotidianis certa quantitas, v. g. thalerus, aut determinata portio panis vel vini, assignata est : quia in hoc casu datur quidem cuilibet divinis officiis interessenti, sua determinata portio panis, v. g. aut vini, vel pecuniæ ; absentium vero portio non dividitur inter præsentes, sed pertinet ad Ecclesiam, atque in ejus utilitatem convertitur, vel remanet in mensa communi. Cessat quippe in tali casu quævis conjunctio inter canonicos absentes et interessentes, sicque etiam cessat jus accrescendi : nam interessentibus debetur solum sua portio determinata, absentibus vero nihil. Garcias cit. part. III. cap. II. n. 443. et 444. ac seqq. allegans multiplicem declarationem sacræ congregationis concilii. Barbosa, d. cap. XXII. n. 16 ; Pirhing, h. t. num. 101.

184. *Concordatur decretum concilii Tridentini, sess. 22, cap.* III. de Reform. *cum alio ejusdem decreto, sess. 21, cap.* I. de Reform. — Dices. Concilium Tridentinum, sess. 22. cap. III. *de Reform.* expresse decrevit, ut distributiones propter intermissum debitum personale servitium amissæ, « fabricæ Ecclesiæ, quatenus indiget, aut alteri pio loco, arbitrio ordinarii applicentur : » ergo hæ non accrescunt aliis clericis præsentibus. Resp. Licet in concordando isto decreto concilii Tridentini, cum alio ejusdem concilii decreto, quo sess. 21. cap. III. *de Reform.*, distributiones quotidianæ jubentur inter divinis interessentes proportionaliter dividi, non nihil varient doctores ; uti videre est apud Barbosam cap. XXII. *de Canonic. et dignitat.* n. 14. ac seqq. ; Navarrus, *Miscell.* 59. *de Oration.* n. 9, Garcias, d. part. III. cap. II.

n. 459. 460. et seqq. Cæteris tamen opinionibus dimissis, et conformiter diversis declarationibus sacræ congregationis concilii, per eumdem Garciam loc. cit. n. 465. relatis, videtur dicendum, quod concilium d. sess. 21. cap. III. *de Reform.* loquatur de distributionibus ordinariis, ac proprie dictis, quæ usque ad tertiam partem fructuum a canonicatibus, et portionibus, de necessitate detrahi debent, ubi nullæ, vel nimis tenues reperiuntur distributiones quotidianæ, prout ibidem præcipitur: tales enim distributiones, quæ amittuntur per absentes accrescunt præsentibus, cum sint constitutæ de communibus fructibus pro servitiis communiter obeundis ab omnibus. At vero sess. 22. capit. III. *de Reform.* idem concilium Tridentinum loquitur de distributionibus quotidianis extraordinariis, ac impropriis, quæ nimirum per episcopum usque ad tertiam partem deductæ fuerunt ex particularibus dignitatibus, personatibus et officiis, etiam non ex necessitate, sed in odium absentium: nimirum, ut ejusmodi dignitates, personatus, vel officia obtinentes, si debite divinis officiis non interessent, nec personaliter competens sibi servitium præstarent, per earum amissionem singulis vicibus punirentur. Et quia hæ distributiones non de fructibus communibus, ut priores; sed de redditibus particularibus dignitatum, personatuum, vel officiorum constituuntur, lucrifaciendæ ab illis solis, qui eas dignitates, personatus vel officia obtinent, ac servitium sibi competens personaliter præstant; alias vero per eos amittendæ. Hinc cessat ratio, cur hæ cæteris clericis interessentibus accrescant, eo quod non sint detractæ de communibus fructibus: ac proinde, si per negligentem absentiam amittantur, merito vel fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco, arbitrio episcopi applicari debent. His adde declarationem sacræ Congregationis concilii n. 182. in fin. relatam.

§ VII.

DE CASIBUS, IN QUIBUS CANONICI ABSENTES LUCRANTUR DISTRIBUTIONES QUOTIDIANAS.

185. *Generatim loquendo, ut canonici absentes lucrentur distributiones, requiritur justa causa absentiæ, et licentia ordinarii, seu prælati.* — Quæritur I. Utrum aliquando, et præsertim ratione infirmitatis, canonici a choro absentes lucrentur distributiones quotidianas? Resp. I. Generatim loquendo, ut canonici absentes a personali servitio suæ ecclesiæ lucrentur fructus, et distributiones quotidianas, duo copulative requiruntur; videlicet, justa causa absentiæ, et licentia ordinarii, seu prælati. Ita Glossa c. *Relatum.* ℣. *Prælatorum.* et Abbas ibid. n. 1. h. t. et notat Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 53. n. 153. allegans Rotam in una Leciensi fructuum, 21 april. 1603. coram card. Pamphilio; Angelus in *Summa* ℣. *Clericus.* 7. n. 3; Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 10. et alii.

186. *Dantur nonnulli casus, in quibus canonici sic absentes lucrantur distributiones quotidianas.* — Resp. II. Dantur nonnulli casus, in quibus canonici ex juxta causa, ac de licentia ordinarii, seu prælati absentes, licite recipiant, atque lucrantur distributiones quotidianas. Ita communis omnium; atque patebit inductione, enumerando hujusmodi casus. Et quidem spectato jure communi, seu constitutione Bonifacii VIII. relata cap. un. h. t. in 6. et innovata per concilium Tridentinum sess. 24. cap. XII. *de Reform.* excipiuntur tres principales casus, in quibus canonici absentes fruuntur distributionibus quotidianis; nempe illi, « quos infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiæ utilitas excusaret. » Hæc ibi. Et quidem loquendo de istis casibus singillatim.

187. *Sic accidit ratione infirmitatis; et cur?* — Resp. III. Ratione infirmitatis debentur absentibus distributiones quotidianæ, quando infirmitas est talis, quæ a celebratione divinorum officiorum excusat, arg. c. *Significatum.* 11. *de Præbend.* ac notat Glossa cit. cap. un. ℣. *Infirmitas.* h. t. n. 6. Quia enim afflicto non est addenda afflictio, c. *Ex part.* 5, *de Clerico ægrot.* Et alioquin, si ob supervenientem ægritudinem clerici destituerentur victualibus, seu distributionibus quotidianis, ob hujus timorem forte non posset, qui militaret ecclesiæ, reperiri, cap. I. eod. Hinc merito infirmitas excusat canonicos ab interessentia divinorum officiorum, absque amissione distributionum quotidianarum.

188. *Adeo, ut tempus infirmitatis non sit computandum pro tempore vacationum, seu trium mensium. Et quid, si canonicus, dum abest in tribus mensibus, infirmetur?* — Et hoc adeo procedit, ut tempus, quo canonicus fuit infirmus, non sit computandum pro tempore vacationum (hoc est, duorum aut trium

mensium, quibus juxta concilium Tridentinum sess. 24. cap. XII. *de Reform.* abesse potest) prout sacram congregationem declarasse, refert Fagnanus c. *Licet.* n. 140. *de Præbend.* Ita tamen, ut si canonicus, dum abest in tribus mensibus a concilio permissis, in morbum incidat, distributiones illius temporis, sive trimestrales non lucretur: siquidem ægritudo tunc non esset causa non interessendi, cum jam antea vacasset a servitio ecclesiæ. Quod si vero ultra tres menses morbus perdurasset, ab eo tempore distributiones non forent ipsi subtrahendæ: quia, cum ante hac solitus fuisset interesse divinis, verisimiliter expletis tribus mensibus vacationis, ad servitium chori rediisset, nisi infirmitas fuisset causa non interessendi. Et hoc ipsum declarasse sacram congregationem concilii, refert Fagnanus loc. cit. n. 140.

189. *Prædicta procedunt etiam nulla probata, vel existente consuetudine, dandi infirmis distributiones in absentia.* — Cæterum data conclusio procedit non solum stante, et probata consuetudine, dandi infirmis distributiones in absentia; sed etiam nulla probata, vel existente tali consuetudine: prout contra Philippum Franchum cit. cap. un. h. t. in 6. concludit Covarruvias, lib. III. *Variar. resolut.* cap. XIII. n. 8. vers. *Ergo contrariam*, et Fagnanus c. *Licet.* n. 136. et 137. *de Præbend.* asserens, ita servare Curiam.

190. *Dummodo non absit consuetudo in contrarium: hæc enim valida foret. Idem dicendum de consuetudine legitime præscripta non dandi distributiones absentibus ex cæteris causis, cap. un. h. t. in 6. contentis.* — Intellige, dummodo non adsit consuetudo in contrarium. Nam hac stante secus foret dicendum. Sic quippe, ut refert Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 361. Sacra congregatio concilii declaravit, his verbis: « Consuetudo in aliqua ecclesia introducta, ut canonici infirmi fructus tantum suæ præbendæ, non distributiones quotidianas percipiant, si legitime præscripta sit, tollit constitutionem: » illam videlicet, qui habetur, cap. un. h. t. in 6. Atque ad hoc requiritur consuetudo, quadraginta annorum spatio præscripta; prout notat Garcias cit. n. 361. post Vegam in *Summa*, part. I. cap. CXXVIII. cas. 19. et Azevedo consil. 21. n. 4. et consil. 24. n. 31. Et hoc ipsum est dicendum de consuetudine alicubi legitime præscripta, et probata, secundum quam absentes ob cæteras causas, in cit. cap. un. h. t. in 6. contentas, distributiones non percipiunt: valida quippe existit talis consuetudo, arg. cap. ult. *de Consuetud.* cum similibus, et rursum dicetur infra n. 197.

191. *Solum statutum capituli, seclusa consuetudine, non obstat, quominus absentibus ex causa infirmitatis, etc., dandæ sint distributiones.* — Solum vero statutum capituli; seclusa videlicet consuetudine legitime præscripta, non obstat, quominus absentibus ex causa infirmitatis, vel alia quacunque causa, dandæ sint distributiones. Præterquam enim tale statutum capituli, utpote factum contra jus commune. cap. un. h. t. 6. nullius sit roboris: illud etiam non esse confirmandum, cum sit contra bonum ecclesiæ, ob rationes n. 287. allatas, censuit sacra congregatio; prout refert Fagnanus cit. c. *Licet.* n. 138. *de Præbend.* Cur autem contra jus commune et sacros canones valeat consuetudo, non item statutum inferiorum, dictum est supra lib. I. tit. IV. *de Consuetudine.* § 1. n. 11.

192. *Tunc solum canonico infirmo debentur distributiones, quando cum esset sanus, consueverat interesse divinis: alias secus.* — Resp. IV. Nihilominus proxime data conclusio tunc solum procedit, quando canonicus infirmus, dum esset sanus, consueverat interesse divinis officiis: alias secus. Ita Abbas c. *Ad audientiam.* n. 5. h. t.; Covarruvias lib. III. *Variar. resolut.* cap. XIII. n. 8. vers. *Sexto;* Felinus c. *Apostolicæ.* n. 12. *de Exception.* dicens, ita tenere omnes; Joan. Guttierrez *Canonicar. Quæstion.* lib. I. cap. I. n. 128. et 139. Ubi proinde dictam conclusionem intelligit, quando infirmus est præsens in loco, ubi est ecclesia: alioquin enim etiam sanus, hoc ipso, quod si absens, non interesset divinis: quod tamen intellige conformiter dictis n. 18. *de Præbend.;* Barbosa, cap. un. n. 16. h. t. in 6. et cap. XXIV. *de Canonic. et Dignitat.* n. 36. et part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 53. n. 167. aliique communiter. Ratio est, quia tunc demum infirmitas excusat absentem, præbetque justam causam percipiendi distributiones, quando fuit causa non interessendi divinis: atqui istud solummodo contingit in illo ægro canonico, qui dum sanus erat, solitus fuit interesse divinis; alioquin enim, sic nec sanus interesse solebat, infirmitas non præstaret impedimentum. Atque ita tenuisse Rotam in una *Hispal. distributionum.* 2 maii 1603, coram

Rev. D. Coccino, refert Barbosa cit. allegat. 53. n. 167.

193. *Quæ infirmitas sit sufficiens ad effectum recipiendarum distributionum, judicis arbitrio relinquitur. Enumerantur nonnullæ tales infirmitates.* Resp. V. Quæ infirmitas sit dicenda sufficiens ad effectum recipiendarum distributionum in absentia, judicis arbitrio est relinquendum. Ita Menochius lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 60. n. 5; Barbosa d. cap. XXIV. n. 28. et alii. In quo quidem puncto oportet attendere, an infirmitas sit talis, quæ causet damnum, vel aggravet morbum, si infirmus exeat domo, atque divinis intersit, nec ne. Sic excusantur, atque distributiones ratione infirmitatis percipiunt, qui vel omnino ecclesiam accedere nequeunt, ut debilis cruribus, seu tibiis, laborans podagra, cæcus, et hujusmodi: vel saltem non possunt accedere chorum sine vitæ periculo, aut aggravatione morbi; circa quod multum operatur judicium conscientiosi, et periti medici. Item, si quis lepra, vel alio morbo contagioso correptus, non audet chorum frequentare, vel etiam cogitur ab urbe discedere: aut si causa sanitatis ad balnea, vel alium locum de licentia ordinarii se conferat. Barbosa, ubi supra; Fagnanus cit. c. *Licet*. n. 141. et seqq. *de Præbend.* et alii ab his citati.

194. *Ratione infirmitatis lucratur canonicus distributiones, licet propria culpa in eam inciderit.* — Atque istud procedit, etiamsi quis propria culpa in morbum inciderit: nam etiam tali debentur distributiones, postquam vera infirmitate præpeditus, divinis personaliter interesse non potest; tum quia cap. un. h. t. in 6. indistincte excipitur infirmitas; tum quia in hoc etiam casu, morbi impedimentum a DEO provenire solet, c. *Cum infirmitas*. 13. *de Pœnitent. et remission*. Atque, ut inquit sanctus Gregorius, can. *Cum percussio*. 7. q. 1. relatus: « Cum percussio corporaliter imminet, utrum pro purgatione, an vindicta contingat, Dei in hoc judicium ignoratur: et ideo non debet a nobis addi flagellatis afflictio. » Et ita tenet Fagnanus d. c. *Licet*. n. 147. *de Præbend*, allegans declarationem sacræ congregationis concilii, atque approbationem Gregorii XIII; Covarruvias. cit. lib. III. *Variar. resolut.* cap. XIII. n. 8. vers. *Septimo distributiones*; Barbosa cit. cap. un. n. 15, h. t. in 6, et allegat. 53. n. 168; Azorius, part. II. lib. VII. cap. VII. quæst. 11. ubi idem dicit de eo, qui ex culpa vulnus accepit; et alii: quidquid apud citatum Covarruviam contradixerit Philippus Probus, cap. un. n. 17. h. t. in 6.

195. *Canonicis absentibus debentur distributiones, quando eos justa et rationabilis corporalis necessitas excusat.* — Quæritur II. An, et quando canonicis, ob rationabilem corporalem necessitatem, vel evidentem ecclesiæ utilitatem absentibus, debeantur distributiones quotidianæ? Resp. I. Secundus casus, in quo canonicis absentibus debentur distributiones quotidianæ, est ille, si eos « justa et rationabilis corporalis necessitas excusaret. » Textus est in cit. cap. un. h. t. in 6. Ubi nomine *Corporalis necessitatis* intelligunt doctores varia. Primo si canonicus potionem medicam, sive medicinam sumpsit, vel sanguine minutus est. Joan. Andreas ad cit. cap. un. n. 1. et Ancharanus, ibid. n. 2. h. t. in 6; Fagnanus c. *Licet*. n. 150. *de Præbend*, asserens, istud sequi cæteros omnes.

196. *Et quid nomine Corporalis necessitatis intelligatur?* — Deinde nomine corporalis necessitatis intelligitur casus ille, quo quis injuste in carcerem mittitur; vel inique excommunicatus, postea per sententiam absolvitur; aut si quis expulsus e civitate propter seditiones, absque sua culpa divinis interesse non potest: talis enim integre debet percipere distributiones quotidianas; Barbosa cit. cap. un. n. 17. h. t. in 6; Fagnanus, loc. cit. n. 151. et 153. et alii. Quinimo Joan. Andreas cit. n. 1. vers. *Vidi jam*, istud ad eos, qui propter partialitates in ecclesiis, vel ipsarum civitatibus, morari non audent: nam cum necessitas proprii corporis tuendi illos teneat absentes, ex quo in culpa non sunt, satis videntur sub hac exceptione includi, ac proinde percipere distributiones in absentia.

197. *An ad istud requiratur consuetudo, dandi absentibus ex justa causa distributiones quotidianas?* — Addit quidem Covarruvias, lib. III. *Variar. resolut.* cap. XIII. n. 8. ✠. *Decimo*, istud verum esse, ubi consuetudo definivit, quod absentibus ex juxta causa, dentur distributiones quotidianæ. Verum merito hanc limitationem reprobat Fagnanus loc. cit. n. 152. Quia (inquit) in cap. un. h. t. in 6. sub eodem contextu, ac unica verborum structura, excipitur « infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiæ utilitas: » ergo textus ille debet singulos hosce casus æqualiter determinare, l. *Quamvis* c. *de Impub.* et l. *Jam hoc jure*. ff.

de Vulgari et pupill. substitut. Atqui ex causa infirmitatis absentes lucrantur distributiones, etiamsi talis consuetudo non extiterit, neque probetur, dummodo non subsit contraria consuetudo legitime præscripta, juxta dicta n. 189. et 190. atque fatetur ipsemet Covarruvias cit. n. 8. vers. *Ergo contrariam:* idem igitur est dicendum in aliis duobus relatis casibus. Accedit ratio superius jam allata, quia afflicto non est addenda afflictio, c. *Ex parte.* 5. *de Cleric. ægrot.* Atqui injuste incarceratus, excommunicatus, expulsus, etc. jam hoc ipso afflictus est; ergo non est ipsi addenda afflictio per subtractionem distributionum quotidianarum, cum per ipsum non steterit, quominus interesset divinis.

198. *Canonicis absentibus ob evidentem Ecclesiæ utilitatem debentur distributiones; secus: si non sit evidens.* — Resp. II. Tertius tandem casus, ob quem juxta sæpe cit. cap. un. h. t. in 6. distributiones debentur canonicis in interessentibus, « est evidens Ecclesiæ utilitas. » Et dicitur notanter *Evidens:* nam occulta necessitas, seu utilitas, quam quis fingeret, simulando se ire, aut mitti ob causam occultam arduam, nec revelandam, non sufficeret, arg. c. *Monasteria.* juncta Glossa ỷ. *Rationabili. de Vita et honest. Cleric.* ac notat Joan. Andreas cit. cap. un. n. 3. ỷ. *Evidens.* h. t. in 6.

199. *Evidens hæc utilitas debet esse illius Ecclesiæ in specie, de cujus distributionibus quæritur.* — Additur vero in singulari, « Ecclesiæ : hoc est, illius Ecclesiæ in specie, de cujus distributionibus quæritur; » prout formalibus hisce verbis loquitur Joan. Andreas loc. cit. et sequitur Ancharanus d. cap. un. n. 4. h. t. in 6; Fagnanus c. *Licet.* n. 160. *de Præbend.* subjungens, secus esse dicendum, si absentia contingat ob utilitatem alterius ecclesiæ particularis, vel etiam generalis.

200. *Atque istud varie probatur.* — Atque hoc ultimum, sive quod utilitas evidens ecclesiæ, requisita ad lucrandas distributiones in absentia, debeat esse illius Ecclesiæ in specie, de cujus distributionibus quæritur, probatur ulterius ex eo; tum quia distributiones quotidianæ, spectato jure communi, non debentur canonicis existentibus in servitio papæ, arg. c. *Cum Dilectus.* 14. h. t. ac notat. Glossa ibid. ỷ. *fructus;* quam Fagnanus cit. c. *Licet.* n. 99. et 160. sequitur, et asserit, omnium consensu esse approbatam: et tamen ipsi censentur servire ecclesiæ universali, per textum cit. c. *Cum dilectus.* h. t. ibi : « Familiares nostri, qui circa nos se obsequiales exhibent universis, » tum quia pariter duo canonici, existentes in servitio episcopi, non lucrantur distributiones, c. *De cætero.* 7. et c. ad Audientiam. 15. eod. haud obstante, quod et hi censeantur inservire ecclesiæ generali, seu toti diœcesi : cum episcopus sit in ecclesia, et ecclesia in episcopo, can. *Scire debes.* 7. q. 1; tum tandem, quia absentes studiorum causa non percipiunt distributiones quotidianas, c. *Licet.* 32. *de Præbend.* quamvis absint pro utilitate ecclesiæ universalis, quæ ipsorum doctrina illuminatur, cap. ult. *de Magistris,* et alibi.

201. *Distributiones quotidianas recipit canonicus missus ad concilium generale, provinciale, vel synodum diœcesanam.* — Conclusio sic declarata exemplificatur, simulque exemplificando probatur. Sic imprimis canonicus missus a capitulo ad concilium generale, provinciale, aut synodum diœcesanam, recipit distributiones quotidianas. Rebuffus in *Praxi beneficior.* tit. *Dispensatio de non residendo.* n. 34. asserens, ita declaratum fuisse in concilio Constantiensi pro præsentibus dicto concilio. Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* n. 158. cum aliis. Præsertim si canonicus tanquam theologus, vel canonista interest, missus a capitulo : quia censetur abesse in utilitatem suæ ecclesiæ, ac rem ipsius utiliter gerere. Barbosa cit. n. 158. et cap. XXIV. *de Canonicis, et dignitatibus.* n. 8. et 10. citans plurimos alios; atque istud post Monetam *de Distribut. quotid.* part. II. q. 11. n. 91. et Cenedo *Practic. et Canon. quæst.* lib. I. quæst. 1. n. 67. amplians ad eos, qui a capitulo mittuntur in aliquo publico munere; puta, magistratus, si ecclesia habet jurisdictionem; vel saltem causa legationis ad Papam, vel principem.

202. *Item canonicus actu incumbens animarum curæ, quæ imminet suæ dignitati, vel canonicatui.*—Deinde canonicus incumbens animarum curæ, quæ imminet suæ dignitati, vel canonicatui, dum actu administrat sacramenta, vel alia ad ipsius curam spectantia, habetur tanquam præsens in choro, sicque lucratur distributiones quotidianas. Garcias part. III. *de Beneficiis.* cap. II. n. 335. adducens, declarationem sacræ congregationis; Barbosa, *de Canonicis et dignitat.* cap. XXIV. n. 11. et 12. allegans alios, et sacram congregationem cardinalium, negotiis episcopo-

rum et regularium præpositorum, in una Laudensi, 24 novemb. 1617.

203. *Pœnitentiarius quoque, quando actualiter audit confessiones.*— Pœnitentiarius quoque, dum confessiones in ecclesia audit, interim præsens in choro censetur; sicque distributiones acquirit, juxta concilium Tridentinum, sess. 24. cap. VIII. *de Reform.;* Barbosa cit. allegat. 53, n. 160 et cap. XXIV. *de Canonic. et dignitat.*, n. 6; Garcias part. V. *de Beneficiis*, cap. IV. n. 123. 124. et seqq. allegans diversas Declarationes sacræ congregationis. Quæ tamen notanter addunt pœnitentiarium tunc solummodo censeri præsentem in choro, quando actualiter audit confessiones; non autem pro eo tempore, quo residet quidem in confessionali, sed non audit confessiones, aliis in choro divina peragentibus. Ratio horum generalis est, quia canonici exercentes curam animarum, suæ dignitati, seu canonicatui incumbentem, aut pœnitentiarius actu excipiens confessiones, hoc ipso censentur abesse ob evidentem ecclesiæ suæ utilitatem, utpote cujus obligationi in exercenda cura animarum satisfaciunt.

204. *Et canonicus missus a capitulo pro aliquo servitio Ecclesiæ, seu capituli, v. g. ad prosequendas lites, procuranda communia negotia.* — Rursum canonicus missus a capitulo pro aliquo servitio ipsius ecclesiæ, seu capituli, puta, ad prosequendas lites, vel procuranda communia negotia, percipit omnes fructus, ad distributiones quotidianas. Barbosa, cit. cap. XXIV. n. 19. Idemque dicendum, si canonicus mittatur Romam ad agenda negotia ecclesiæ suæ; vel alibi existat pro defensione jurium ecclesiæ, vel beneficii sui: lucrantur enim distributiones quotidianas in absentia, cum absit pro evidenti utilitate ecclesiæ suæ, cit. cap. un. h. t. in 6. et c. *Ex parte tua.* 13. h. t.; Covarruvias lib. III. *Var. resolut.* cap. XIII. n. 8. vers. *Decimo;* Garcias, lib. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 362; Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 53, n. 172, adducens multiplicem decisionem Rotæ. Accedit ratio, quia præterquam, quod talis canonicus censeatur abesse pro evidenti ecclesiæ suæ utilitate, ut dictum: « non decet alicui suum officium esse damnosum, » prout loquitur pontifex c. *Cum non deceat.* 30. *de Election.* in 6.

205. *Concordatur c.* Cum non deceat de Election. *in* 6. *cum cap. ult. h. t. in* 6. — Dices. In hoc ipso cap. *Cum non deceat*, *de Election.* in 6. expresse traditur oppositum, statuendo videlicet, ut illi, qui ecclesiarum suarum prosequuntur utilitatem, censeri quidem debeant residentes, sicque fructus beneficiorum suorum integre percipere, sed « quotidianis distributionibus duntaxat exceptis : » ergo. Ad hanc instantiam, et evitandam antinomiam inter cap. un. h. t. in 6. et citatum c. *Cum non deceat. de Election.* in 6. variæ sunt responsiones doctorum; uti videre est apud Glossam cit. cap. un. ỷ. *Utilitas.* h. t. in 6; Fagnanum c. *Licet.* n. 159. *de Præbend.;* Pirhing, h. t. n. 29. et alios. Dimissis tamen cæteris, breviter respondetur cum Fagnano loc. cit. vel potius cum sacra congregatione concilii, quæ examinatis singulorum opinionibus, et articulo diligenter discusso, intellixit, textum in d. c. *Cum non deceat. de Election.* in 6. loqui in eo casu, in quo ex consuetudine cujuspiam particularis loci, absentes ob ecclesiæ utilitatem non percipiunt distributiones : talem enim consuetudinem valere, jam dictum est supra n. 190. At vero non probata hujusmodi consuetudine, censuit eadem congregatio absentes ob evidentem ecclesiæ utilitatem distributiones lucrari perinde, ac si divinis interessent, juxta textum in cit. cap. un. h. t. in 6. Et congregationis sententiam sanctæ memoriæ Paulus V. ad se relatam approbavit. Ita refert Fagnanus cit. n. 159. vers. *Verum.*

206. *Præter dictos tres casus dantur nonnulli alii, in quibus canonici absentes possunt percipere distributiones.* — Quæritur III. An præter dictos tres casus, cap. un. h. t. in 6. expressos, dentur nonnulli alii, in quibus canonici justa de causa absentes lucrentur distributiones quotidianas? Resp. Dantur nonnulli alii casus, in quibus sive spectato jure communi, juncto concilio Tridentino, sive ex privilegio apostolico, aut novissimis constitutionibus pontificiis, canonici absentes lucrantur distributiones quotidianas. Conclusio hæc probatur ex iis, quæ quoad propositum late tradit Barbosa, *Tract. de Canonicis et dignitatibus*, cap. XXIV. per totum; et Fagnanus c. *Licet.* n. 124. et seqq. *de Præbend.* atque declaratur inductione quoad singula membra; quamvis per hoc non negetur, unum vel alterum sequentium casuum posse reduci ad tertium, quid cit. cap. un. h. t. in 6. exprimitur sub ly : « Aut evidens ecclesiæ utilitas excusaret. »

207. *Uti fit quando universi redditus capituli in solis distributionibus quotidianis consistunt :*

nam tunc canonicus legitime absens lucratur duas partes, dempta tamen tertia. — Imprimis quidem spectato jure communi, juncto concilio Tridentino, canonici ex quacunque justa causa, obtenta tamen prius legitima licentia absentes, percipiunt distributiones quotidianas, quando universi redditus capituli in solis distributionibus quotidianis consistunt : ita tamen, ut post concilium Tridentinum, sess. 21. cap. III. *de Reform.* solummodo duæ partes ipsarum canonicis ita absentibus debeantur. Fagnanus cit. c. *Licet.* n. 124. 125. et 126. allegans multiplicem declarationem sacræ congregationis concilii. Accedit ratio, quia, ubi redditus omnes consistunt in distributionibus, tertia harum pars retinet naturam distributionum, juxta concilium Tridentinum cit. cap. III; reliquæ vero duæ succedunt in locum præbendæ. Siquidem juxta sacros canones non datur canonia sine præbenda, c. *Relatum*, 9. et c. *Dilectus*, 19. *de Præbend.* atqui canonici legitime absentes lucrantur præbendam, sive fructus grossos, etsi non distributiones extra casus specialiter expressos ; ergo.

208. *Idque exemplificatur in duobus canonicis, qui existunt in servitio episcopi; aut, qui absunt studiorum causa.* — Hinc, quando omnes redditus capituli consistunt in solis distributionibus quotidianis, duo canonici in servitio episcopi existentes percipiunt distributiones ejusmodi : ne alioquin ipsis suum officium, atque privilegium jure communi concessum, redderetur inutile : excepta tamen tertia parte, quæ retinet naturam distributionum, ac proinde interessentibus accrescit. Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 351. et 353. allegans multiplicem declarationem sacræ congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum. Idemque esse dicendum de canonicis absentibus causa studiorum, tenet Garcias, loc. cit. n. 353, allegans declarationem dictæ sacræ congregationis, die 13 septemb. 1595. Quod ipsum, ait, procedere in canonico legente sacram Scripturam in publica universitate, ex declaratione ejusdem sacræ congregationis, 2 febr. 1597, et aliis hujusmodi casibus.

209. *Habens ex legitima dispensatione canonicatum, et ecclesiam parochialem simul, si residet in parochiali, lucratur distributiones integras, si canonicatus solum in distributionibus consistat.* — Hinc tamen excipitur casus, quo quis ex legitima dispensatione, canonicatum et ecclesiam parochialem habens, residet in parochiali, juxta præscriptum beati Pii V. Nam talis distributiones quotidianas lucratur integras, si canonicatus consistat solum in distributionibus, non habens præbendam : prout declaravit eadem sacra congregatio, atque decrevit Papa, apud Garciam cit. cap. II. n. 115. et n. 352, asserentem, esse speciale in hoc casu, quod omnes sunt distributiones acquirantur, non deducta tertia parte : et hoc in favorem curæ animarum, et propter onus residentiæ parochialis. Atque conformiter istis limitanda sunt dicta superius § 3. n. 99.

210. *Canonicus absens ab Ecclesia sua ex privilegio Summi Pontificis, potest percipere distributiones.* — Deinde ex privilegio apostolico, aut novissimis constitutionibus apostolicis, plures gaudent distributionibus quotidianis. Et quidem generatim loquendo, canonicus absens ecclesia sua ex privilegio summi Pontificis, potest percipere distributiones quotidianas. Barbosa *de Canonicis et dignitat.* cap. XXIV. n. 13. allegans Geminianum n. 4. et Franchum n. 3. in cap. un. h. t. in 6, pluresque alios. Privilegium enim non residendi in aliquo canonicatu a Papa concessum, idem operatur, ac si canonicus vere resideret, arg. c. *Cum dilectus.* 14. et c. *Ad audientiam.* 15. h. t.; Barbosa cit. n. 13. et alii. Nam ad Romanum Pontificem pertinere plenariam ecclesiarum, personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum dispositionem, textus est in c. *Licet Ecclesiarum.* 2. *de Præbend.* in 6. et Clem. 1. *Ut lite pendente*, etc. Episcopus vero non potest aliquem excusare a residentia in choro, nisi in casibus a jure expressis. Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 406. et 407, referens declarationem sacræ congregationis concilii. Barbosa, ubi supra, et alii.

211. *Ut auditores Rotæ Romanæ.* — Hoc ipsum exemplificatur, atque declaratur loquendo de nonnullis in specie. Sic quippe auditores Rotæ Romanæ percipiunt fructus, et distributiones suorum beneficiorum in absentia, ac si actualiter interessent officiis divinis. Ita concessit eisdem Clemens VII. in sua constitutione 13, quæ incipit : *Convenit*, et habetur tom. I. *Bullarii Romani.* Id ipsum tradit Barbosa cit. cap. XXIV. n. 1. et part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 53, n. 155, cum aliis.

212. *Inquisitores hæreticæ pravitatis; et quomodo? Collector generalis cameræ apostolicæ, subcollector, etc.* — Similiter inquisitores hære-

ticæ habentur in suis præbendis, et dignitatibus, pro præsentibus et interessentibus: non quidem spectato jure communi, sed per specialia Indulta apostolica, ab uno quinquennio ad aliud renovanda. Garcias, c. part. III. cap. II, n. 356, referens declarationem sacræ congregationis concilii; Barbosa d. allegat. 53, n. 156. allegans alios. Ubi pariter n. 157, subjungit aliam concessionem Sixti V. die 8 maii 1590, factam, vi cujus collector generalis cameræ apostolicæ, subcollector, advocati, procuratores, fiscales, et notarii in causis spoliorum, eorum officio durante, lucrantur distributiones quotidianas in absentia.

213. *Canonici missi ab ipsorum episcopo ad* Limina Apostolorum *ejus nomine, vel comitantes episcopum ad eadem, lucrantur distributiones.* — Rursum canonici missi ab ipsorum episcopis ad *Limina Apostolorum* eorum nomine, vel comitantes ipsos episcopos ad eadem Limina, distributiones lucrantur ex decreto S. D. N. Sixti V. Ita declaratio sacræ congregationis concilii, quam his ipsis verbis refert Garcias cit. part. III. cap. II. n. 349. Idemque docet Fagnanus c. *Licet.* n. 134. vers. *Fallit sexto, de Præbend.;* Barbosa d. allegat. 53, n. 159. et alii, quos citat.

214. *Canonici absentes possunt percipere distributiones in absentia, quando eis in statuto Ecclesiæ, per Sedem apostolicam confirmato indulgetur. Vel quando ad hoc habent indultum apostolicum.* — Insuper canonici possunt percipere distributiones in absentia, quando eis ex statuto ecclesiæ per Sedem apostolicam confirmato, indulgetur, ut absentes in aliquo casu participent de distributionibus quotidianis. Idemque dicendum, si canonici habeant Indultum apostolicum vacandi a servitio Ecclesiæ, et nihilominus percipiendi distributiones. Fagnanus d. c. *Licet,* n. 132. et 133. *de Præbend.* Accedit ratio, quia, licet concilium Tridentinum, sess. 24. cap. XII. § *Distributiones, de Reform.* sustulerit quæcunque statuta, et consuetudines percipiendi distributiones in absentia, contra decretum Bonifacii VIII. relatum cap. un. h. t. in 6, non tamen sustulit privilegia apostolica per Sedem apostolicam confirmata ex certa scientia, ut cum causæ cognitione. Idque propter duplex vinculum: uti notat Glossa in Clem. *Dudum.* ℣. *Pacta. de Sepultur.* citans Joan. Monachum, et Fagnanus cit. c. *Licet,* n. 59. et n. 132. ac seqq.

215. *Canonici obtinentes præbendam theologalem lucrantur distributiones diebus illis, quibus actu legunt; quod tamen limitatur.* — Tandem, ut nonnulli alii casus taceantur, de quibus doctores hactenus citati, canonici obtinentes præbendam theologalem non solum possunt percipere fructus grossos sui beneficii, quandiu in scholis docuerint, cap. ult. § *Docentes. de Magistris,* juncta declaratione sacræ congregationis, quam refert Fagnanus d. c. *Licet,* n. 114 et 115. Sed etiam diebus illis, quibus actualiter legunt, habendi sunt sicut præsentes in choro, et interessentes; sicque lucrantur distributiones quotidianas; prout declaravit Gregorius XIII. teste Fagnano loc. cit. n. 116 et 169. et Garcias cit. part. III. cap. II. n. 120 et 121. Quamvis iste n. 122. subjungat, hanc gratiam non competere indiscriminatim omnibus (jure enim communi spectato, oppositum foret dicendum, arg. cap. ult. juncta Glossa ℣. *Integre, de Magistris*) sed illis duntaxat, qui ipsam a sacra congregatione specialiter petierint, atque impetraverint. (ADNOTATIO XLVII.)

TITULUS V.

De Præbendis et Dignitatibus.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — De bonis clericorum internis tam animi, quam corporis, eorumque officio tractarunt priores tituli: nunc agendum restat de ipsorum bonis externis, nempe de præbendis et dignitatibus, seu beneficiis ecclesiasticis, ex quibus debite residendo, seu eisdem deserviendo, honestam suam sustentationem habere valeant, juxta illud I. Corinth. IX, 13: *Qui alteri deserviunt, cum altari participant:* ne alioquin in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare, vel negotiari cogantur. Quia vero præsens titulus amplissimam contineat materiam, de qua plenos libros quidam ediderunt, ne prolixitas ipsius confusionem pariat, operæ pretium erit, eumdem in diversos paragraphos dividere.

§ I.

DE NATURA PRÆBENDÆ, AC BENEFICII ECCLESIASTICI, HUJUSQUE REQUISITIS.

2. *Præbendæ nomen sumitur multipliciter.* — Quæritur I. Quid nomine *Præbendæ* intel-

ligatur, præsertim in rubrica hujus tituli? Resp. I. Nomen *Præbendæ* sumitur multipliciter: uti notat Glossa c. *Cum M. Ferrariensis.* ỳ. *Receperint.* et Abbas, ibid. n. 22. et Felinus, n. 13. *de Constitut.;* Gonzalez, ad reg. 8. *Cancellar.* Gloss. 5. §. 1. n. 1. et seqq.; Vallensis, h. t. § 1. n. n. et alii. Primo siquidem præbenda potest singulariter considerari, ac prout est separata a jure spirituali ipsius canonicæ: et hoc modo præbenda consistit in mera temporalitate bonorum, quæ cuipiam debentur ex redditibus Ecclesiæ propter aliquod officium. Unde in hac acceptione etiam laicus, puta advocatus, procurator, vel musicus Ecclesiæ, est capax præbendæ; potestque dici præbendatus, quamvis nequeat esse canonicus. Glossa, Abbas, Felinus, ubi supra. Gonzalez, n. 6. Anton. Nebrissensis in *Vocabulario juris*, ỳ. *Præbenda.* et alii. Verum hæc acceptatio non est ad nostrum propositum, ubi sermo est de Præbenda, prout est jus quoddam spirituale, atque individuum; uti appellatur c. *Dilecto filio.* 25. § *Præterea.* h. t. et alibi.

3. Secundo igitur præbenda accipi solet pro canonica portione, seu pro fructibus annuis, sive grossis, qui de communi bonorum, proventuumque ecclesiasticorum massa sumuntur, et propter spirituale ministerium, sive ratione annuæ residentiæ in loco canonicatus, *Præbentur* singulis canonicis pro sua portione. Unde et *Præbendæ* nomine indigitantur: atque non raro etiam dicuntur *Fructus præbendæ*, vel absolute *Præbenda*, prout fit in c. *Dilectus filius.* 19. h. t. ibi: « Idem fructus præbendæ percipere non deberet. » juncto c. *Cum M.* 9. *de Constitut.* ibi: Antiquis canonicis præbendas cum integritate percipientibus, » et alibi.

4. *Et quid sit proprie loquendo?* — Tertio, et proprie, magisque stricte loquendo, *Præbenda* est jus ipsum spirituale, pro canonico institutum ad utendum, et fruendum rebus, atque juribus ad hoc deputatis, et recipiendum atque administrandum ea ratione officii, seu canoniæ. Ita Abbas cit. c. *Cum M.* n. 22. et Fagnanus, ibid. n. 27. *De Constitut.* et alii. Additur notanter, « ratione officii, seu canoniæ: » siquidem jus istud ex *Canonia* (quæ est jus, quod provenit ex electione, seu receptione alicujus in fratrem, sive canonicum) ejusque officio, descendit tanquam sequela: quia, ex quo aliquis habet canoniam, seu officium, debet habere præbendam, seu beneficium; prout dicitur c. *Relatum.* 9. et c. *Dilectus.* 19. h. t. cum similibus.

5. *Præbenda, qualiter accipiatur in rubrica hujus tituli?* — Resp. II. Nihilominus in proposito, atque in rubrica præsentis tituli, *Præbenda* sumitur non specifice pro sola præbenda cathedralis, vel collegiatæ Ecclesiæ; sed generice pro omni beneficio ecclesiastico, saltem inferiori. Ita Barbosa ad rubric. h. t. n. 6; Pirhing, h. t. n. 1; Vallensis, eod. § 1. n. 1. et alii. Idque patet ex c. *Referente.* 7. et c. *Cum non ignores.* 15. et c. *Tuis quæstionibus.* 23. h. t. cum similibus hoc titulo passim occurrentibus, et in quibus de beneficiis generaliter agitur. Accedit can. *Si quis dator.* 1. q. 3. ubi indistincte dicitur, quod « Dei Ecclesias, vel ecclesiastica beneficia, quidam præbendas » vocant. Concordat textus in c. *Quia in tantum.* 5. h. t. et c. *Tua nobis.* 32. *de Verb. signif.* Quo tamen non obstante ly, *Præbenda*, prout accipitur in præsenti rubrica, merito restringitur ad inferiora beneficia, ne altera ejusdem pars, nimirum ly, « et Dignitatibus, » superfluere videatur. Occasione cujus

6. *Beneficium ecclesiasticum, quid?* — Quæritur II. Quid sit beneficium ecclesiasticum? Resp. I. Beneficium ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, propter aliquod officium spirituale, personæ ecclesiasticæ auctoritate Ecclesiæ constitutum. Ita Barbosa, lib. III. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. IV. n. 8; Vallensis, h. t., § 1, n. 3; Engel, eod. n. 1; Zœsius, n. 2; Sannig, cap. I, n. 4; Layman, lib. IV. *Theolog. moral.* tract. II. cap. I. n. 1; et in re communis. Nisi quod Navarrus *de Redditib. ecclesiast.* quæst. 1. monit. 55. n. 4. addat ly, « Jus perpetuum in se, vel quoad recipientem: » alii vero, et signanter Garcias, part. I. *de Beneficiis.* cap. II, n. 2. et 65, et Pyrrhus Corradus, in *Praxi Beneficiaria.* l. I. cap. I. n. 1. omittant ly, *perpetuum*, juxta dicenda n. 8.

7. *Est jus spirituale.* — Dicitur imprimis, *Jus.* Quod intellige de jure spirituali, propter connexitatem, ac dependentiam a spirituali: quin nimirum præsupponit clericatum, et datur propter officium, seu ministerium sacrum. Alioquin enim jus percipiendi fructus, utpote res temporales, in se foret temporale quid: sed in proposito, veluti connexum spirituali, censetur spirituale. Concordant dicenda inferius n. 11.

8. *Et quidem perpetuum. Differt beneficium*

per hoc a pensione. — Et additur, *perpetuum.* Quamvis enim nonnulli Auctores hanc particulam omittant; ut Garcias cit. part. I. *de Beneficiis.* cap. II. n. 65. et seqq. asserens cum quibusdam aliis, a se citatis, quod non sit de essentia beneficii, esse perpetuum: tamen idem Garcias paulo inferius, seu n. 79. quamdam in beneficio ecclesiastico requirit perpetuitatem, saltem aptitudine. Cæteri vero doctores passim tradunt, de natura, atque essentia beneficii ecclesiastici esse, quod sit perpetuum: idque merito; tum quia per hoc differt beneficium essentialiter a pensione: nam pensio non confertur in perpetuum, sed solummodo ad vitam gravati, vel ad summum ad vitam pensionarii: eoque mortuo cessat, et extinguitur. E contra vero de natura beneficii ecclesiastici est, ut semel legitime institutum, perpetuo duret: unde obitu beneficiarii non extinguitur, neque cessat; sed dicitur vacare, donec rursum alteri conferatur. Azorius, part. II. l. II. quæst. 2. § *Ex his.* et alii.

9. *De essentia beneficii ecclesiastici est, ut conferatur in perpetuum. Ly,* perpetuum, *quomodo hic sumatur?* — Deinde, quod de essentia beneficii ecclesiastici sit, ut non conferatur ad certum duntaxat tempus, sed in perpetuum (hoc est, ad totam vitam beneficiati, arg. l. I. ff. *Pro socio;* ubi in simili dicitur, quod « societas coiri potest, vel in perpetuum: id est, dum vivunt, » etc.) desumitur ex can. *Sanctorum.* dist. 70. ibi: « In qua Ecclesia quilibet intitulatus est, in ea perpetuo perseveret. » Id ipsum confirmat textus in cap. un. juncta Glossa ỹ. *Perpetui. de Capell. monach.* in 6. atque tenet Abbas, consil. 46. n. 1. lib. II. dicens, proprium esse beneficii ecclesiastici, ut sit perpetuum quantum ad eum, cui confertur. Joan. de Selva *Tractatuum*, tom. XV. tract. *de Beneficio.* part. I. quæst. 1, n. 4, asserens, tale esse proprie beneficium ecclesiasticum: atque fusissime, et ex professo tradit Pyrrhus Corradus lib. I. *Praxis beneficiar.* cap. VI. n. 261. et seqq. Accedit ratio, quia inter Ecclesiam et presbyterum, est matrimonium spiritale, can. *Sicut in unaquaque.* 21. q. 2. ubi Ecclesia dicitur *Sponsa* vel *uxor* presbyteri: aut potius quasi matrimonium (nisi presbyter ille sit episcopus) prout late probat Fagnanus in c. *Quanto* n. 5. et 6. *de Translat. episcop.* Atqui matrimonium, ex sua natura est perpetuum: idem ergo dicendum de beneficio ecclesiastico, utpote matrimonium, vel quasi matrimonium involvente.

10. *In beneficio ecclesiastico tria possunt distingui: nempe, officium spirituale.* — Dicitur ulterius in data beneficii definitione, « percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter aliquod officium spirituale. » Quia, ut inter alios notat Vallensis h. t. § 1. et Barbosa lib. III. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. IV. n. 9. et 10, tria in beneficio ecclesiastico distingui possunt. Primum est, « Officium aliquod spirituale: » puta, obligatio recitandi Horas canonicas in choro, vel saltem extra illum; item obligatio deserviendi in officiis spiritualibus cuipiam Ecclesiæ, celebrandi missas, aut hujusmodi. Et istud est omnino spirituale; non tamen est beneficium, sed fundamentum et causa ipsius, hoc est juris percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis: nam « propter officium datur beneficium ecclesiasticum, » uti habetur cap. ult. *de Rescription.* in 6.

11. *Jus percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis.* — Alterum est, « Jus percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis. » Et istud jus, proprie dicitur beneficium; estque spirituale, quia oritur ex spirituali officio, ipsique connectitur, juxta c. *Cum secundum.* 16. h. t. ibi: « Cum secundum Apostolum, qui altari servit, vivere debeat de altari, » etc. junctis dictis supra n. 7.

12. *Ac ipsi fructus percipiendi ex istis.* — Tertium, sunt ipsi « fructus percipiendi ex bonis ecclesiasticis: » id est, ex bonis Deo dicatis, et Ecclesiæ donatis. Et hi sunt quid temporale, ac proinde licite venduntur absque labe simoniæ: uti patet in fructibus decimarum. Et per hoc patet ad proximo relatas particulas dictæ definitionis beneficii.

13. *Beneficium debet conferri personæ ecclesiasticæ. Ejusque collatio in personam laici facta, ipso jure est nulla.* — Rursus dicitur in eadem definitione, « personæ ecclesiasticæ: » id est saltem prima tonsura initiatæ. Nam alias quilibet, et ad quodlibet beneficium, inhabilis existit: adeo quidem, ut non sufficiat post illud jam acquisitum tonsurari arg. c. *Ex litteris.* 6. *de Transaction.* et notat Glossa fin. et Abbas ibid. n. 3. istud limitans, nisi forsan Papa dispensaverit cum laico, ut possit beneficium recipere, et postea primum tonsurari. Alioquin vero collatio beneficii in personam laici, seu necdum prima tonsura initiati facta, ipso jure nulla est, et invalida: nam laicus est incapax omnis juris ecclesiastici, c. *Causam.* 7. *de Præscrip-*

tion. Id ipsum patet ex c. *Cum adeo*. 17. juncta Glossa ✝. *Nec clericus, de Rescript*. et cap. II. *de Institut*. estque jam dictum supra lib. I. tit. VI. *de Election*. § 9. n. 219.

14. *Beneficium debet erigi auctoritate Ecclesiæ*. — Dicitur tandem in definitione beneficii, « auctoritate Ecclesiæ constitutum, non nisi interveniente legitima auctoritate Ecclesiæ constitutum. » Siquidem beneficia ecclesiastica, non nisi interveniente legitima auctoritate Ecclesiæ (hoc est, approbatione episcopi, vel alterius prælati ad hoc potestatem habentis) constitui, seu erigi possunt; juxta Glossam in Clem. 2. ✝. *Si beneficiorum*, in fin. *de Decimis*, a contrario sensu istud inde desumentem: ac fuse tradit Pyrrhus Corradus *de Beneficiis*, lib. I. cap. II. n. 1. et seqq. Adeo, ut antequam accedat auctoritas episcopi, non dicatur beneficium ecclesiasticum; sed pia quædam donatio, seu legatum pium. Rebuffus in *Praxi Benefic*. tit. *Quare instituta sunt beneficia*. n. 10; Pyrrhus Corradus cit. cap. II, n. 28. et 29; Gonzalez ad reg. 8. Cancell. Gloss. 5, n. 20; Barbosa lib. III. *Jur. ecclesiastic. univ*. cap. IV, n. 16. et seqq. allegans Rotam, decis. 361, n. 3, part. II. *Recent*. et alii passim.

15. *Et ante consensum episcopi non est beneficium, sed res stat in pendenti*. — Quandiu igitur deficit consensus episcopi, non est beneficium, sed res stat in prudenti. Barbosa cit. n. 16. Neque fundator ipsius, acquirit jus patronatus ante approbationem episcopi. Felinus c. *Ex parte*. il. 2. n. 2. *de Rescript*. Quamvis ante memoratam episcopi approbationem possit beneficium illud concedi a fundatore cuipiam sacerdoti, sed per modum simplicis duntaxat deputationis. Lotterius *de Re benefic*. lib. I. q. 5, n. 57; Barbosa, loc. cit. n. 18. et 19, subjungens cum aliis, quod capellaniæ, sub onere celebrandarum missarum constitutæ sine auctoritate episcopi, censeantur laicales.

16. *Estque pium legatum, atque laicale*. — Unde ulterius, si quis in aliqua Ecclesia certas missas, vel etiam anniversaria, sub competenti stipendio in perpetuum fundaverit, nisi approbatio episcopi accesserit, non erit beneficium; sed solummodo pium legatum, aut pia donatio. Rebuffus, Barbosa, ubi supra; Zerola in *Praxi episcop*., part. II. ✝. *Beneficium*. vers. 10; Engel, h. t. n. 1. Et quia tale legatum caret erectione, seu institutione ordinarii, sine qua beneficium ecclesiasticum esse suum non habet, erit quid laicale, et temporale. Barbosa cit. cap. IV. n. 20; Gonzalez ad reg. 8. *Cancell*. Glossa 5, n. 20; Guido Papæ decis. 187, n. 1; Pyrrhus Corradus, cit. cap. II, n. 28 et 29, allegans alios, atque Rotam in una Monopolitan. Hebdomad. Vener. 14. decemb. 1612. coram Manzanedo. Accedit ratio, quia nullus privatus sine episcopi auctoritate, potest locum sacrum, vel rem spiritualem constituere, arg. c. *Ad hæc*. 4. *de Religios. domib*. ac notat Gonzalez cit. Gloss. 5, n. 7.

17. *Requisita, seu qualitates, ex quibus cognoscantur beneficia ecclesiastica, sunt sex; et quæ?* — Quæritur III. Quæ sint requisita, seu qualitates, ex quibus cognoscantur beneficia ecclesiastica? Resp. Talia requisita potissimum esse sex, quæ enumerant Abbas consil. 47. n. 1. lib. II. Card. Tuschus litt. B. Concl. 54. n. 5. Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episcop*. allegat. 57. n. 141. Gonzalez ad reg. *Cancell*. Gloss. 5. n. 6. et seqq. et Pyrrhus Corradus de lib. I. *Praxis beneficiar*. cap. I. n. 12. per quinque sequentia capita fuse de singulis disserens. Primum requisitum est, quod beneficium ecclesiasticum episcopi auctoritate sit erectum: juxta proxime dicta. Secundum, quod habeat aliquid spiritualitatis annexum; puta, quod detur propter divinum officium: secus si pars redditu um ecclesiasticorum daretur propter ministerium mere temporale, v. g. cantori. æedituo, et hujusmodi, pro laboribus suis laicalibus. Tertium, quod conferatur a persona ecclesiastica, puta, a Papa, vel episcopo; non vero a laico: nam laici non possunt conferre beneficia ecclesiastica (haud obstante, quod juspatronatus eisdem competat, sicque idoneum clericum ad beneficium vacans præsentare valeant) sed ea conferunt soli Ecclesiæ Prælati, horumque officiales, c. *Ex frequentibus*. 3. *de Institut*. et can. *Si quis deinceps*. et can. *Si quis Clericus*. et can. *Nullus laicorum*. 16. q. 7. Quarto, quod conferatur clerico, non laico. Quinto, quod sit perpetuum, juxta dicta in explicatione definitionis beneficii. Sexto, quod sibi non possit retineri, sed necessario sit conferendum alteri, cap. ult. *de Institution*.

18. *Uno eorum deficiente, beneficium dici non potest: secus, si omnia concurrant, quocunque nomine appelletur. Non est vis in nomine, sed debet attendi natura rei*. — Porro, si unum præmissorum requisitorum deficiat, beneficium ecclesiasticum dici non potest: nam hæc omnia sunt substantialia in bene-

ficio. Pyrrhus Corradus, ubi supra; Gonzalez, d. gloss. 5, n. 16, citans Rotam, decis. 508, n. 3 et 4. part. I. *Divers.* et alios. Siquidem ubi plura requiruntur ad substantiam alicujus rei, uno deficiente, nihil censetur actum : ut l. *Si unus* C. *de Testament.* Quod si vero prædicta concurrant, non est curandum, quo nomine beneficium appelletur, sive dicatur beneficium, sive officium, aut præstimonium, vel pensio, quia non est vis in nomine, sed potius attendi debet natura rei, arg. l. *Si uno anno.* § I. ff. *Locati.* et c. *Ea quæ.* 16. *de Simonia.* Abbas cit. consil. 47, n. 2. part. II, Felinus c. *in nostra.* n. 9. vers. *De quarto. de Rescript.* Gonzalez loc. cit. n. 16.

§ II.

DE MULTIPLICI DIVISIONE BENEFICIORUM : UBI PLURA DE BENEFICIO MANUALI.

19. *Beneficium latissime sumptum; et beneficium principis proprie dictum, quid?* — Quæritur I. Quotuplex sit beneficium ecclesiasticum? Et additur notanter, « Ecclesiasticum : » quia hic non agitur de « Beneficio latissime sumpto. » prout aliud non est, quam benevola actio tribuens gaudium capienti. Neque de « Beneficio principis proprie et stricte sumpto, » ac prout contra distinguitur a privilegio, et rescripto : nec aliud est, quam benevola actio, seu liberalitas quædam concessa sine alterius præjudicio præter jus commune; de quo jam dictum est supra, lib. I. tit. II. *De Constitutionibus.* § 17. n. 444. et 445. Igitur impræsentiarum solum agitur de beneficio ecclesiastico proxime explicato : quo prænotato.

20. *Beneficia ecclesiastica alia sunt majora, alia minora.* — Resp. I. Beneficium ecclesiasticum est multiplex, varieque dividitur. Et primo quidem ratione diversæ excellentiæ ipsorum, beneficia alia dicuntur majora, alia minora, « Beneficia ecclesiastica majora, » sunt papatus, cardinalatus, patriarchatus, archiepiscopatus, et episcopatus : quibus Vallensis h. t. § 2, n. 1, Garcias part. I. *de Beneficiis*, cap. VI. n. 2. et alii, etiam addunt Abbatiam. Cætera vero his inferiora, censentur beneficia minora.

21. *Notabilis differentia inter hæc illa appellantur* Culmina dignitatum. — Est autem notabilis differentia inter hæc. Siquidem beneficia majora communi nomine *Beneficii*, ac nisi secus exprimatur, in materia odiosa et pœnali non solent comprehendi : cum sint culmina dignitatum, prout appellantur cap. penult. seu c. *Venerabilis.* 37. h. t. Unde dispensatio impetrata ad omnia beneficia, non extenditur ad episcopatum, propter eminentiam dignitatis, quæ est speciali nota digna. Pirhing h. t. numer. 9, cum aliis. Nam dispensatio, tanquam vulnerans jus commune, est odiosa et stricte accipienda, cap. I. *de Filiis presbyt.* in 6. ac notat Fagnanus c. *Mandato.* n. 33. *de Simonia*, Vallensis, h. t. § 2. n. 1. estque ex professo dictum supra, lib. I. tit. II. *De Constitutionibus*, § 18. n. 451. et seqq.

22. *Beneficium regulare, et sæculare, quod?* — Resp. II. Ratione diversi status hominum, quibus conferenda sunt, beneficia ulterius dividentur in regularia, et sæcularia. Beneficium regulare est, quod solis regularibus competit. Sive dein id contingat ex primæva fundatione, seu institutione; ut abbatia, prioratus, et hujusmodi : sive ex consuetudine, seu legitima præscriptione, eo quod per regulares regi consueverit, et administrari, per quadraginta saltem annos, c. *Cum de Benefic.* 5. juncta Glossa fin. *de Præbend.* in 6, Rebuffus in *Praxi beneficiorum*, tit. *Regularia beneficia.* n. 1.; Garcias, *de Beneficiis*, part. VII, cap. X, n. 1. allegans alios. Beneficium sæculare e contra dicitur, quod addictum, et debitum est sæcularibus clericis : id est, illis, qui nullam sunt professi regulam, sed in sæculo militant, et serviunt Deo sub statu clericali.

23. *Beneficia omnia censentur sæcularia, donec contrarium probetur.* — Ubi sciendum, quod omnia beneficia censeantur sæcularia, nisi contrarium probetur. Garcias part. I. *de Beneficiis*, cap. VI. n. 11 et 12. post Rotam, decis. 2. *de Præbend.* alias 32. *In novis*; card. Tuschus, litt. B. concl. 54, n. 4; Navarrus, consil. 3. *de Præbend.* n. 1; Zerola, part. II. *Praxis episcop.* ✝. *Beneficium* vers. *Decimo secundo*, Vallensis h. t. § 2. n. 9, Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *Quotuplex sit beneficium.* n. 3. et Mascardus *de Probation.* concl. 172. n. 1. asserens, istud ab omnibus esse receptum. Quia (inquiunt) postquam D. Petrus fuit clericus sæcularis, præsumitur, ita beneficia fundata fuisse sequendo illum primum parochum.

24. *Et qua ratione istud probari possit? In beneficiis* (*imo et in aliis causis*) *debet attendi ultimus status.* — Additur notanter, « donec

contrarium probetur. » Tunc quippe secus erit dicendum : uti sit, si ex ipsamet beneficii fundatione cautum habeatur, ut sit regulare; vel istud ex legitima superioris institutione concessum, aut saltem ex longæva consuetudine, seu præscriptione quadraginta annorum obtentum fuerit; cit. c. *Cum de beneficio.* 5. *de Præbend.* in 6, Navarrus, Zerola, Vallensis, ubi supra, aliique passim. Ubi etiam optime notant doctores, quod in Beneficialibus (imo et in aliis causis) attendendus sit ultimus status beneficii : puta, an tempore vacationis proxime contingentis per obitum beneficiarii, ipsum beneficium fuerit regulare, vel sæculare; curatum, vel non curatum; manuale, vel non manuale, etc. Nam ratione possessionis, vel quasi possessionis, secundum hunc ultimum statum debet judicari, donec contrarium probetur. Felinus c. *Eam te.* n. 22. *de Rescript.*; Gonzalez ad reg. 8. *Cancellar.* gloss. 45, § 2. n. 14; Mascardus *de Probation.* concl. 572, n. 8; Garcias, part. VII. *de Beneficiis*, cap. x, n. 34, post Rotam decis. 2. *de Præbend. In novis*; Pirhing h. t. n. 120 et alii quos citant.

25. *Beneficia in monasteriis, seu Ecclesiis regularium fundata, in dubio, præsumuntur regularia.* — Limitatur quoque dictum illud, nempe quod « Beneficia censeantur sæcularia : nisi, » etc. ut non procedat, si capellæ, seu beneficia sint fundata in monasteriis, seu ecclesiis regularium. Etsi enim beneficia hujusmodi non hoc ipso censeantur regularia, quod sint fundata in regularium ecclesiis (pendet enim ex arbitrio fundatorum, an pro sæcularibus, vel regularibus beneficium erigere velint) nihilominus in dubio, et quandiu non apparet de contraria fundatorum, intentione, beneficium in monasterio fundatorum intentione, beneficium in monasterio fundatum semper præsumitur regulare. Rebuffus, cit. tit. *Quotuplex sit beneficium.* n. 6; Mascardus, loc. cit. concl. 172, n. 17; Engel, tit. *de Capellis monach.* n. 1. vers. *Porro,* addita ea ratione : Quia non est verisimile, quod erigens beneficium cum onere legendi missas in ecclesiis regularium, voluerit ab eo ipsos regulares excludere; cum potius videamus, religiosorum preces multum a devotis hominibus, ipsisque fundatoribus desiderari.

26. *Beneficia sæcularia sæcularibus, et regularia regularibus, sunt conferenda : quod limitatur.* — Insuper notandum, quod de præfata beneficii divisione loquatur vulgatum illud axioma canonistarum: « Sæcularia beneficia sæcularibus, et regularia regularibus sunt conferenda; » prout desumitur ex c. *Cum ad nostram.* 37. et c. *Officii.* 38. *de Election.*, juncto Tridentino concilio, sess. 14. cap. x. *de Reform.* et sess. 25. cap. XXI. *de Regularib.* Siquidem rationi non congruit, ut homines disparis professionis; vel habitus, simul in eadem ecclesia socientur, atque deserviant, Clem. 1. *de Election.* ac notat Garcias part. VII. cap. x. n. 2. et 3; Vallensis h. t. § 2. n. 14. et alii. Intellige, nisi causa necessitatis exigente, deque consensu superioris, aliud fieri expediat : puta, quia alii idonei non reperiuntur, arg. c. *Inter quatuor.* 5. *de Religios. donib.* Garcias d, cap. x. n. 16; Gonzalez ad reg. 8. *Cancell.* gloss. 8, n. 43. cum aliis.

27. *Alia beneficiorum divisio ratione annexæ curæ animarum, administrationis, aliorumve jurium.* — Resp. III. Beneficia ecclesiastica ratione annexæ curæ animarum, administrationis, aliorumve jurium, dividuntur in curata, et non curata; item in duplicia, et simplicia: ex quibus duplicia subdividuntur in dignitates, personatus, et officia. Probatur istud inductione, seu potius explicatione terminorum. Et quidem.

28. *Beneficia curata, et non curata, quæ? In dubio beneficium censetur non curatum.* — Beneficia curata dicuntur, quæ curam animarum habent annexam. Beneficia non curata, seu sine cura sunt, quibus nulla ejusmodi animarum cura est annexa. Et in dubio beneficium habet curam, nisi habeat populum. seu clerum : ac proinde asserenti curam, incumbit hujus probatio; ut L. II. ff. *de Probation.* ac notat Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *Sæculare Beneficium, quotuplex. n.* 11; Menochius, lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 201. n. 62; Gonzalez ad reg. 8. *Cancell.* gloss. 6. n. 91. post Bellameram decis. 676. *Si impetrans,* et Rotam, decis. 17. n. 1. part. I. *de Beneficiis,* cap, VI. n. 8. Vallensis h. t. § 2. et alii passim.

29. *Beneficia curata sunt duplicis generis; nam quædam habent curam animarum in foro externo; alia in foro interno, seu pænitentiali. Hæc dicuntur proprie curata.* — Porro beneficia curata sunt duplicis generis. Nam quædam habent curam animarum in foro externo, seu contentioso, quatenus habent jurisdictionem spiritualem visitandi, corrigendi, excommunicandi, et alia hujusmodi præstandi, juxta textum notabilem in c. *Dudum.* 54. § *Sed cum in jure. de Election.*

Ubi proinde Abbas n. 8. notandum ait, quod beneficium dicatur curatum, sive habeat curam fori pœnitentialis, sive fori contentiosi : et concordat Garcias part. I. *de Beneficiis*, cap. VI. n. 7. et Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 57. n. 163. citans alios. Quamvis Gomezius ad regul. *Cancellar. De Idiomate.* quæst. 11. n. 4. et Gonzalez ad reg. 8. *Cancellar.* gloss. 6. n. 60. et 61. pluresque alii asserant, quod potestas fori externi, seu contentiosi (qualis versatur circa exercitium jurisdictionis spiritualis, delinquentes suspendendo, excommunicando, interdicendo, beneficiis privando, visitando, et alia hujusmodi ad correctionem morum spectantia peragendo) solum large, et improprie dicatur *Cura animarum;* cum etiam non sacerdotibus, puta archidiacono, convenire possit. Alia vero beneficia habent curam animarum in foro interno, seu animæ, quatenus habent potestatem ligandi, et solvendi in foro pœnitentiali, simulque subditis suis administrandi ecclesiastica sacramenta in foro interno, ac externo. Et talia censentur stricte, et proprie beneficia curata : qualis habent parochi. Garcias loc. cit. n. 5. et 6; Mascardus *de Probationibus,* concl. 469, n. 2; Gonzalez, ubi supra, n. 69, citans alios, atque Rotam in una Conchensi archipresbyteratus. 29 januarii 1594. coram R. D. Penna.

30. *Ad beneficium proprie curatum, seu ad Ecclesiam parochialem, quatuor requiruntur; et quæ?* — Notant autem doctores, et signanter Gomezius loc. cit.; Gonzalez d. Gloss. 6, n. 34 et seqq.; Barbosa cit. allegat. 57. n. 159; Chokier in reg. 8. *Cancellar.* Gloss. 2. n. 1. et alii, ad hoc, ut aliquod proprie dicatur beneficium curatum, seu ecclesia parochialis, plura requiri, ac præsertim quatuor sequentia. Primo, ut habeat annexam potestatem ligandi, et solvendi in foro pœnitentiali : et quidem ex officio suo, ita ut necessitate astringatur ecclesiastica ministrare sacramenta; et fideles subditi sint astricti, ut in istis ad eos recurrant. Glossa in Clem. *Dudum.* ℣. *Impendant. de Sepult.* Et hæc potestas ex Christi institutione non nisi sacerdotibus convenire potest. Secundo requiritur, ut sit certa parochia, vel locus determinatis limitibus constitutus, ac designatus, in quo populus alicui ecclesiæ deputatus degit, can. *Ecclesias.* 13. quæst. 1. juncto concilio Tridentino, sess. 24. cap. XIII. *de Reform.* ibi : « Ubi parochiales ecclesiæ certos fines non habent, » etc. Tertio requiritur, ut possessor talis beneficii curam animarum suo nomine, et non alieno exerceat. Et quarto, ut solus suo nomine illud regat : nam una ecclesia non nisi unius sacerdotis esse debet, c. *Cum non ignores.* 15. h. t. Sicut et unum corpus nequit habere duo capita; alioquin foret monstruosum. Chokier, et alii, qui supra. Nunc pergendo ad alia membra datæ divisionis.

31. *Beneficia duplicia, quæ? Beneficia non curata, an recte dicantur simplicia?* — Beneficia duplicia sunt ea omnia, quæ vel curam animarum habent annexam, vel quamdam jurisdictionem, præcedentiam sive administrationem adjunctam continent : uti sunt dignitates, personatus, et officia. Vallensis, h. t. § 2, n. 3; Lessius, lib. II. *de Justit. et jur.*, cap. XXXIV, dubitat. 2, n. 9; Garcias, part. I. *de Beneficiis*, cap. VI. n. 9, cum aliis. Et merito talia beneficia dicuntur *duplicia*, quia præter recitationem Horarum canonicarum, aliaque beneficiariis omnibus communia, habent etiam adjunctam curam animarum, aut aliam administrationem, vel saltem præeminentiam quamdam. Unde patet, quod licet beneficia non curata sæpius appellentur *simplicia*, tamen in rigore loquendo, atque indistincte, istud non recte dicatur; neque subsistat, nisi benigne interpretetur. Nam personatus, v. g. vel officium, curam animarum non habent annexam; nec tamen sunt beneficia simplicia, sed duplicia, propter adjunctam eis administrationem, vel præeminentiam quamdam. Quod ut melius intelligatur.

32. *Hæc vocabula,* Dignitas, Personatus, Officium, *quandocunque sumuntur pro synonymis : stricte tamen differunt.* — Notandum est cum Glossa in cap. I. *A princip. de Consuetud.* in 6. communiter recepta, quod hæc tria vocabula, videlicet *Dignitas*, *Personatus*, et *Officium*, quandoque sumantur pro synonymis; uti fit. c. *Cum accessissent.* 8. *de Constitut.* ubi idem primiceriatus imprimis appellatur *Personatus*, deinde *Dignitas*, et tandem *Officium :* ac proinde in horum vocabulorum usu attendendam esse locorum consuetudinem, passim observent doctores; ut Pirhing h. t. n. 10; Vallensis, loc. cit. § 2, n. 7. et cumprimis Abbas c. *De multa.* n. 21. h. t. inter alia dicens, quod in multis locis, dignitas appelletur personatus; et in aliquibus quodlibet beneficium curatum dicatur personatus; ideoque in istis debeat attendi substantia rei magis, quam denominatio. Nihilo-

minus stricte loquendo, prædicta inter se differunt in jure; prout convincitur clare ex c. *De multa.* 28. *de Præbend.* ubi textus de dignitate, et personatu, tanquam de diversis, aperte loquitur, dicens: « In eadem ecclesia nullus plures dignitates, aut personatus habere præsumat. » Id ipsum constat ex cap. I. *de Consuetud.* in 6. ibi: « Nisi unicum personatum, vel dignitatem — aut officium perpetuum, » cum similibus. Etenim

33. *Dignitas stricte, quid?* — Dignitas stricte sumpta, ac prout ab aliis distinguitur, est præcedentia cum jurisdictione. Glossa cit. cap. I. *de Consuetud.* in 6; Rebuffus in *Praxi Beneficiar.* tit. *Sæculare beneficium, quotuplex.* n. 7; Vallensis h. t. § 2, n. 4. Unde ea beneficia censentur esse dignitates, quæ habent præeminentiam, seu administrationem rerum ecclesiasticarum cum imperio, ac jurisdictione: et quidem (ut notat Sylvester ℣. *Dignitas* n. 1.) in foro externo contentioso: ut præpositura, decanatus, archidiaconatus, abbatia, et hujusmodi.

34. *Potest etiam oriri ex institutione, consuetudine, ac denominatione.* — Addunt tamen doctores, et signanter Rebuffus cit. n. 7, dignitatem etiam oriri posse ex institutione, seu primæva fundatione: ut si in erectione certi beneficii cautum fuerit, quod sit dignitas, etiamsi quamdam jurisdictionem super alios non habeat. Item ex consuetudine: nam si de consuetudine ecclesiæ aliqua reputetur dignitas, licet de jure non sit talis, tamen dignitas censeri debet. Rebuffus loc. cit.; Mascardus, *de Probationibus*, concl. 515. n. 5, allegans alios. Probatur insuper dignitas ex denominatione; sive ex eo, quod quis beneficium habeat, cujus nomen de jure communi dignitatem innuit; ut archidiaconatus: nam archidiaconatus jure communi est nomen dignitatis, imo prima dignitas post episcopalem, cap. I. et c. *Ad hæc. de Offic. archidiacon.* Unde, licet archidiaconus alicubi de consuetudine non habeat jurisdictionem, quia tamen archidiaconatus de jure communi est nomen dignitatis, censetur ille esse in dignitate, etiam non habita alia jurisdictione; dummodo quamdam habeat prærogativam in ecclesia sua, tam in choro, quam in capitulo. Mascardus, d. concl. 515, n. 2 et seqq. citans Rotam, decis. 442. alias 17. *de Concess. Præbend.* in novis.

35. *Personatus, quid?* — Personatus est præcedentia sine jurisdictione: qualem habere censetur ille, qui præ cæteris canonicis sui ordinis locum magis honorificum in choro, in capitulo, in processionibus, et hujusmodi obtinet. Unde beneficium illud, cui talis præeminentia sedis, et aliorum, absque jurisdictione est annexa, dicitur esse *Personatus:* ut hic Frisingæ est scholastria, alibi vero primiceriatus, seu cantoria, aut hujusmodi.

36. *Officium, quid?* — Officium denique dicitur administrando rerum ecclesiasticarum sine alia speciali præcedentia, vel jurisdictione. Qualem administrationem habent sacrista, custos, thesaurarius, et hujusmodi.

37. *Beneficia simplicia, quæ? Rescripta, ut cuipiam provideatur de beneficio simplici qualiter sint intelligenda?* — Porro beneficia simplicia sunt ea, quæ neque curam animarum, neque dignitatem, neque personatum, neque officium adjunctum habent: sed tantum sunt instituta ad preces Deo persolvendas, aliaque divina officia peragenda. Et de talibus intelligenda sunt rescripta Papalia, quæ volunt cuipiam de beneficio simplici provideri: nam si quid prædictorum beneficio est annexum, illud erit non simplex; atque idcirco nullatenus tali conferendum, arg. c. *Quamvis plenissima.* 4. et c. *Cum in illis.* 16. et c. *Cum de non sacerdotali.* 27. *de Præbend.* in 6. cum similibus; tum quia fines mandati apostolici diligenter sunt observandi, c. *Cum dilecta.* 22. *de Rescript.* tum quia litteræ super beneficiis ecclesiasticis, cum sint ambitiosæ, restringi debent; prout notavit Pontifex cit. c. *Quamvis plenissima.* 4. h. h. in 6.

38. *Canonicatus plerumque non veniunt nomine beneficiorum simplicium, et cur?* — Excipe etiam canonicatus. Hi enim, licet curam animarum non habeant, neque, proprie et simpliciter sint dignitates, aut personatus (modo proxime explicato) ac proinde beneficiis simplicibus annumerari possent: quia tamen personalem residentiam de facto requirunt, ex concilio Tridentino, sess. 24. cap. XII. *de Reform.* simulque canonici majorem præ cæteris clericis præcedentiam habent, c. *Statutum.* 22. *de Election.* in 6. ideo canonicatus plerumque nomine beneficiorum simplicium non veniunt. Engel, h. t. n. 5. Unde dicta, tit. præced. § 1. n. 9, de beneficiis simplicibus, nempe quod de consuetudine generali residentiam personalem non requirant, non possunt applicari ad canonicatus, juxta concilium Tridentinum cit. cap. XII. Nec vi provisionis apostolicæ de conferendo

beneficio simplici, potest conferri canonicatus, arg. c. *Cui de non.* 27. *de Præbend.* in 6. juncto c. *Quamvis plenissima.* 4. eod. in 6.

39. *Beneficia alia sunt electiva, alia patronata, alia collativa, seu libera.* — Resp. IV. Beneficia ecclesiastica juxta triplicem modum, quo communiter conferri solent, dividuntur ulterius in collativa seu libera, patronata, et electiva. Atque ex his beneficia electiva dicuntur, quæ conferuntur per electionem legitime celebratam, atque a superiore confirmatam. *Patronata* sunt, quæ ad patroni præviam præsentationem, et subsecutam institutionem a prælato factam, conferuntur : seu brevius, quæ subsunt juri patronatus. Tandem beneficia *collativa*, seu *libera*, appellantur ea, quæ liberam superioris collationem sine prævia capitulari electione, vel alterius præsentatione, conferuntur : quanquam hæc de facto, sive post concilium Tridentinum sess. 24. cap. XVIII. *de Reform.* conferenda sint per concursum, de quo infra § 5. n. 134. 135. et seqq. ex professo dicetur.

40. *Beneficia patrimonialia, et non patrimonialia, quæ?* — Resp. V. Juxta diversas alias qualitates, quibus subjacent, atque qualificantur, beneficia dividuntur etiam in *patrimonialia*, et *non patrimonialia.* Beneficia *patrimonialia* sic dicuntur, non quod patrimonii naturam, seu rationem habeant; sed quia non possunt conferri, nisi clericis ex tali patria, loco, vel familia oriundis, quando adsunt idonei. Beneficia *non patrimonialia* vicissim sunt, quæ cuilibet digno undecunque.oriundo conferri possunt.

41. *Beneficium monoculum, et non monoculum, quod?* — Deinde beneficium aliud vocatur monoculum, aliud non monoculum. Beneficium *monoculum* dicitur, quando prælatus illud solummodo habet ad conferendum. *Non monoculum* e contra explicatur. Vallensis h. t. § 2. n. 18; Gonzalez ad reg. 8. *Cancell.* gloss. 9, § 4, n. 4 et 5. (ADNOTATIO XLVIII.)

42. *Beneficia consistorialia, quæ? Beneficia Papæ reservata : et beneficia vacantia in curia. Remissive.* — Rursus beneficia alia dicuntur *manualia*, seu ad nutum revocabilia. Alia *non manualia*, sive collata in perpetuum : de quibus ex professo agetur quæst. seq. Accedunt beneficia *Consistorialia;* suntque illa, de quibus Papa disponit in consistorio coram cardinalibus: ut sunt episcopatus, abbatiæ, et nonnullæ aliæ dignitates, tam sæculares, quam regulares. Pyrrhus Corradus in *Praxi dispensationum.* lib. VI. n. 45; Flamin. Parisius, *de Resignat. benefic.*, lib. II, quæst. 2. n. 15. et 6. citans alios. Tacentur « Beneficia Papæ reservata : » nec non « Beneficia apud Sedem apostolicam, seu in Curia vacantia : » nam de his infra § 13, n. 379 et § 15, n. 433 et seqq. ex professo agetur.

43. *Beneficia manualia, quæ? Appellantur etiam* Revocabilia. — Quæritur II. Quid sit dicendum de beneficiis manualibus, et an sint beneficia proprie dicta? Resp. I. Beneficia manualia sunt, quæ non conferuntur alicui in perpetuum, sed ad nutum conferentis, vel alterius; ita ut beneficiarius pro libitu ipsius amoveri possit. Ita Gonzalez ad reg. 8. *Cancell.* gloss. 5, § 6, n. 2. et in re communis. Et hujusmodi beneficia manualia alio nomine appellantur *revocabilia* : quia videlicet ad nutum conferentis, seu alterius, cui talis facultas reservata est, revocari possunt.

44. *Possunt dari ex fundatione, etc. Atque magis expedit, talia erigi in capellaniis jurispatronatus.* — Hujusmodi beneficium manuale foret, quando fundator per suam ordinationem, ab ordinario approbatam, fundavit sive dotavit beneficium, seu capellaniam; voluitque, ac disposuit, ut eidem præficiatur capellanus, seu beneficiarius, quem ipse, atque hæredes et successores sui, vel episcopus loci, ad nutum amovere valeant. Pyrrhus Corradus lib. I. *Praxis beneficiar.* cap. VI. n. 269; Garcias, part. I. *de Beneficiis,* cap. II. n. 72; Gonzalez cit. § 6, n. 8. et alii, concorditer docentes, quod beneficia sæcularia ex fundatione possint esse temporalia, seu manualia, et ad nutum revocabilia. Quinimo loquendo de capellaniis jurispatronatus, magis expedire censet Navarrus consil. 9. n. 2. *de Offic. ordinar.* et Card. de Luca. *de Jurepatronat.* discurs. 15, n. 3, quod erigantur manuales potius, quam perpetuæ capellaniæ : quia sic magis, ob timorem amotionis, compelluntur capellani ad implenda debita onera, vitamque clericalem agendam.

45. *Beneficia manualia possunt revocari ad nutum conferentis; et qualiter? ly* Ad nutum, *quid importet?* — Additur notanter in data definitione, « ad nutum conferentis, » etc. Hoc est, ad liberam ipsius et absolutam voluntatem, et non necessario regulatam : id enim importat ly, « ad nutum. » Garcias cit. cap. II. n. 85; Pyrrhus Corradus, d. cap. VI. n. 270. et seqq. et alii. Unde, qui habet fa-

cultatem amovendi capellanum ad nutum, non tenetur ad observantiam Juris; Felinus, cap. I. *de Constitution.* n. 51, vers. «Et si dicatur, committimus voluntati tuæ, » etc. citans alios. Potestque etiam absque causa amovere capellanum (cessante tamen malitia) et alterum præsentare. Garcias loc. cit. n. 85. et 88. Pyrrhus Corradus n. 273; card. de Luca *de Beneficiis*, discurs. 80, n. 5, asserens, ita perpetuo tenuisse Rotam; ut decis. 778. part II. divers. et alias sæpe. Barbosa, part. III. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. VI, n. 65; hoc intelligens, quando non subest alia malitia, sive odium; Gonzalez, cit. Gloss. 5, § 6. n. 46 et 47. istud limitans n. 40. et seqq., dummodo id non fiat cum præjudicio aliorum interesse habentium. Alioquin enim, licet taliter amotus non audiretur pro interesse suæ personæ (nam removens ipsum a beneficio ad nutum revocabili, utitur jure suo; sicque non facit ipsi injuriam, l. *Injuriarum actio.* § 1. ff. *de Injuriis*, et l. *Nullus videtur.* ff. *de Reg. jur.*) adhuc tamen alii interesse habentes possent contradicere tali amotioni: ut puta, si ex tali amotione capellani graviter læderetur locus, sive communitas, carens exinde bono pastore animarum suarum; de quo plura Gonzalez, loc. c. (ADNOTATIO XXIX.)

46. *In dubio beneficia sæcularia censentur perpetua : regularia vero manualia.* — Resp. II. In dubio beneficia sæcularia consentur perpetua : beneficia regularia vero sunt manualia, et ad nutum superiorum amovibilia, nisi sint electiva, vel curata. Ita card. Tuschus, litt. B. concl. 55; Fagnanus c. *Ad aures.* n. 19. *de Temporib. ordinat.*; card. de Luca *de Beneficiis.* discurs. 97. n. 3. et 4; Garcias cit. part. I. *de Benefic.* cap. II. n. 66. et 70. et seqq.; Gonzalez d. Gloss. 5, § 6, n. 6. et 7; Pyrrhus Corradus, ubi supra cap. II. n. 262 et alii. Et quidem, quod sæcularia beneficia ex sua natura sint perpetua, et consequenter in dubio, ac nisi secus probetur, præsumantur talia : desumitur can. *Præcepta.* dist. 55. et cap. I. ac seqq. *de Clerico ægrotant.* ubi clerici debilitati nequeunt amoveri a beneficiis suis; ne forte cæteris, tali exemplo deterritis, amplius non reperirentur, qui militarent ecclesiæ. Concordant dicta superius § 1. n. 8. et 9.

47. *Episcopus justa de causa, et cum consensu patroni, potest beneficium simplex perpetuum efficere manuali.* — Additur tamen, « in dubio. » Nam quod beneficia sæcularia ex primæva fundatorum intentione possint esse manualia, et ad nutum revocabilia, proxime, seu n. 44. jam ditum est. Notat quoque Navarrus, consil. 9, n. 1. et seqq. *de Offic. ordinar.* et consil. 27. *de Præbend.*, ac post ipsum Gonzalez, cit. Gloss. 5, § 6, n. 62 et Pyrrhus Corradus, lib. I. *Praxi beneficiar.* cap. VI. n. 287, quod episcopus justa de causa, accedente consensu patroni, possit beneficium simplex perpetuum, puta capellaniam, efficere manuale, et ad nutum ipsius patroni revocabile.

48. *Respectu Papæ omnia beneficia censentur manualia. Potest Papa beneficium manuale conferre in perpetuum, expressa tamen hujus manualitate.* — Deinde, quod respectu summi pontificis omnia beneficia ecclesiastica etiam de sui natura perpetua, censeantur manulia; probat textus in c. *Licet Ecclesiarum.* 2. *de Præbend.* in 6. et Clem. 1. § fin. *Ut lite pendente,* etc. et notat Gonzalez cit. § 6. n. 24; card. de Luca *de Beneficiis*, discurs. 97. n. 24; Fagnanus c. *Quanto.* n. 38. *de Translat. episcop.* allegans quamplures alios. Unde beneficia perpetua sæcularia, possunt per Papam (non vero per inferiorem) ad tempus concedi, c. *Si gratiose.* 5. *de Rescript.* in 6. Et e contra beneficia manualia, conferri in perpetuum; expressa tamen manualitate. Pyrrhus Corradus cit. cap. VI, n. 288, 289, et seqq. Adeo, ut si Papa confirmaret provisionem factam alicui beneficio manuali, aut ipsemet conferret, sciens esse manuale, tunc durante vita provisi non posset per inferiorem revocari. Joann. Andreas c. *Præsenti.* n. 3. et Geminianus ibid. *de Offic. ordinar.* in 6; Gonzalez d. Gloss. 5. § 6. n. 25. citans alios; et Pyrrhus Corradus, ubi supra n. 298. istud notabili casu exemplificans.

49. *Papa simpliciter conferendo, non censetur voluisse alterare naturam beneficii.* — Intellige, quando Papa in perpetuum contulit beneficium sæculare manuale, expressa hujusmodi manualitate, seu hac præcognita. Nam in quacunque dispositione de beneficio manuali sæculari, de hujus manualitate oportet facere mentionem, ut evitetur subreptio : alioquin enim hac non expressa ac stante dubio, Papa simpliciter conferendo, non censetur voluisse alterare statum, naturamque beneficii, efficereque perpetuum, quod erat manuale; Pyrrhus Corradus, loc. cit. n. 291 et 292, allegans Lotterium, lib. I. q. 33. n. 58. et seqq. ac usum Datariæ Apostolicæ; Gonzalez d. § 6. n. 28. cum aliis.

50. *Statuto per Sedem apostolicam appro-*

bato prosunt beneficia sæcularia perpetua, fieri manualia. Imo et consuetudine legitime præscripta. — Ulterius ex privilegio, vel statuto per Sedem apostolicam confirmato, possunt beneficia sæcularia perpetua fieri manualia. Gonzalez d. reg. 8. *Cancell.* Gloss. 5. § 6. n. 8. et 59. citans alios. Idemque dicendum de consuetudine legitime præscripta : siquidem beneficium ex sua natura perpetuum, posse ex consuetudine legitime præscripta fieri manuale, probat textus in c. *Cum de beneficio.* 5. *de Præbend.* in 6. ac notat Gonzalez cit. Gloss. 5. § 6. n. 38. cum aliis.

51. *Beneficia tamen manualia, de consuetudine non possunt fieri perpetua : et cur?* — Nec obstat, quod beneficia manualia, de consuetudine non possint fieri perpetua : puta, quia Abbas priorem, vel episcopus clericum, habentem duntaxat beneficium manuale, nunquam revocavit ultra quadraginta annos, non idcirco istud evadit perpetuum : prout notat Abbas c. *Ad nostram.* n. 11. et Decius ibid. n. 6. *de Confirmat.* util. Resp. enim, istud ex eo contingere : quia non revocare aliquem, aut eum a beneficio non removere, est actus meræ facultatis : atqui ex actibus meræ facultatis non potest induci consuetudo, l. *Qui jure familiaritatis.* ff. *de Acquirend. possess.* cum similibus ; ergo.

52. *Beneficia manualia, vere et proprie beneficia non sunt.* — Resp. III. Etsi beneficia manualia, sed ad nutum revocabilia, vere et proprie beneficia non sint : dantur tamen nonnulli casus, in quibus ista nomine beneficii ecclesiastici veniunt. Ita Fagnanus c. *Ad audientiam.* n. 118. *de Rescript.* dicens, quod in materia favorabili appellatione *Beneficii* includuntur etiam beneficia manualia, quæ tamen vere et proprie non sunt beneficia ; uti tenet Staphilæus *de Litteris gratiæ*, nona forma expectativ. n. 94. Gambara *de Offic. legat.* lib. IV. rub. 1 ; Ludovic. Gomez *de Expectativ.* n, 94. Duarenus in tract. *de Beneficiis*, lib. II. cap. IV. et alii. Id ipsum, quantum attinet primam partem datæ conclusionis, tradit Navarrus consil. 9. n. 2. *de Offic. ordinar.* et consil. 27. n. 3. *de Præbend.* inde inferens, quod capellania desinat esse beneficium, si auctoritate ordinarii, ac de consensu patroni laici, ex perpetua fiat manualis, et ad nutum amovibilis : Quia (inquit) beneficium debet esse perpetuum. Concordat Barbosa, lib. III. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. VI. n. 38. post Rotam in Salamantina vicariæ. 16 maii 1596. coram card. Blanchetto, et alios docens, vicariam temporalem non esse beneficium. Gonzalez ad reg. 8, *Cancell.* gloss. 5. § 3. n. 35. et cit. gloss. 5, § 6, n. 21 ; Vallensis h. t., § 2 n. 16. et alii, asserentes, beneficia manualia, proprie beneficia non esse, quia non sunt jura perpetua ; prout requiritur ad rationem beneficii proprie dicti, juxta dicta superius § 1. n. 8. et 9. Quidquid in contrarium teneat Azorius part. II. lib. III. cap. XXVI. quæst. 12. et Garcias part. I. *de Benefic.* cap. II. n. 65. et. 77. ac seqq. qui cum nonnullis aliis volunt, beneficia manualia esse vere, proprie, ac simpliciter beneficia : neque de essentia beneficii esse, quod sit perpetuum.

53. *Et quid dicendum de ecclesiis parochialibus, quæ monasteriis, capitulis, etc. sunt incorporatæ, ac reguntur per vicarios temporales?* — Dices. Dantur ecclesiæ, etiam parochiales, monasteriis pleno jure incorporatæ, quæ non conferuntur in perpetuum, sed tantum vicariis temporalibus, seu ad nutum amovibilibus, Clem. 1. juncta Glossa ỳ. *Ad mensam.* in fin. *de Excessib. prælat.* Danturque ecclesiæ etiam parochiales, perpetuo unitæ alicui capitulo, vel dignitati, aut prælaturæ, seu etiam episcopatui, quæ conferuntur vicariis, duntaxat temporalibus, ac per istos cura geritur animarum. Card. de Luca *de Beneficiis.* discurs. 80, n. 16. Atqui tales ecclesiæ, præsertim parochiales, sunt beneficia simpliciter, ac proprie dicta ; ergo. Resp. majoris claritatis gratia, disting. min. Atqui tales ecclesiæ, etc. sunt beneficia simpliciter, ac proprie dicta, ratione suæ prioris perpetuæ collationis, seu incorporationis monasterio, vel capitulo, etc. factæ : conced. Alia ratione, sive ob constitutionem temporalis vicarii curam animarum exercentis, neg. min. Siquidem, ut observat card. de Luca cit. discurs. 80, *de Benefic.*, n. 16, et Ludov. Engel, h. t., n. 1, vers. *Dico.* 2, in tali casu rector principalis ecclesiæ dicitur ipsemet episcopus vel capitulum, seu dignitas, aut abbas monasterii, cujus vices constitutus vicarius temporalis gerere dignoscitur : sicque talis Ecclesia, incorporata mensæ episcopali, capitulo, monasterio, etc., vere erit beneficium proprie dictum, utpote rectori principali tribuens jus perpetuum, vicarius temporalis vero in eodem constitutus, et ad nutum amovibilis, habet se ad instar famuli conductitii (ut loquitur card. de Luca cit. n. 16), sive mercenarii, qui ab ecclesiæ prælatis, sub assignatione congrui stipendii

ad tempus assumitur ad peragendum curam animarum, et alia officia spiritualia. Vide dicta superius lib. I. tit. XXVIII. *De Officio Vicarii.* § 2, n. 45 et 46.

54. *Dantur tamen nonnulli casus, in quibus nomine beneficii ecclesiastici veniunt beneficia manualia. Sic contingit in materia favorabili.* — Altera pars conclusionis, nimium beneficia manualia in nonnullis casibus nomine beneficii ecclesiastici venire, probatur inductione. Sic quippe id contingit in materia favorabili. Fagnanus cit. c. *Ad audientiam.* n. 118, *de Rescript.* postea, n. 120, subjungens, quod distinctionem inter materiam odiosam, et favorabilem, in proposito sæpius probaverit sacra congregatio cardinalium concilii Tridentini interpretum. Hujus exemplum refertur § seq. n. 97 et 98. loquens de pensione, estque applicabile ad beneficium manuale, quod habet clericus minorista, gavisurus proinde privilegio fori.

55. *Ac in dipositionibus editis ob publicam utilitatem.* — Deinde, beneficia manualia continentur in dispositionibus editis ob publicam utilitatem; juxta decisionem Rotæ 26 januar. 1583, in una Aquil. quam citat Flaminius Parisius tract. *De Confidentiis beneficialibus*, quæst. 18, n. 18. Unde quod in illis committatur simonia confidentialis, sicut in cæteris beneficiis, eo quod confidentia fuerit prohibita ob publicam utilitatem; tradit idem Parisius cit. n. 18 et Pyrrhus Corradus lib. *Praxis Benefic.* cap. VI. n. 286; Garcias, part. I. *de Beneficiis.* cap. II. n. 69.

56. *De consuetudine, ac stylo curiæ romanæ, in impetratione beneficii facienda est mentio præhabiti beneficii manualis; et cur?* — Tandem, ut nonnulla alia his similia taceantur, licet beneficia manualia non sint proprie dicta beneficia ecclesiastica, neque nomine *Beneficii* veniant, saltem in materia odiosa: nihilominus de consuetudine, et stylo Curiæ Romanæ, praxique Cancellariæ apostolicæ observatur, ut ad evitandam subreptionem rescriptorum beneficialium, in impetratione cujuspiam beneficii, facienda sit mentio præhabiti beneficii manualis, sive amovibilis ad nutum superioris. Felinus c. *In nostra.* n. 18. *de Rescript.* post Calderinum consil. 9. *de Rescript.;* Menochius *de Arbitrar. Judic.* lib. II. cas. 201. n. 46. citans Rotam, referente Cassiodoro decis. 4. *de Præbend.;* Garcias cit. lib. I. *Beneficiis*, cap. II. n. 80; Pyrrhus Corradus, ubi supra, cap. VI. n. 291; Fagnanus c. *Ad audientiam.* n. 94 et 116. *de Rescript.* citans plures alios, ac Rotam in causa Seguntina, thesaurariæ, 29 april. 1596, coram Orano. Et ratio hujus consuetudinis, seu styli Curiæ Romanæ, videtur esse : Quia non ita facile Papa provideret ei de beneficio, quem novit habere beneficium manuale, aut pensionem auctoritate episcopi sibi constitutam : ac illi, qui nihil habet de fructibus ecclesiasticis, arg. c. *Postulasti.* 27. et c. *In nostra.* 32. et c. *Si proponente.* 42. *de Rescript.* et can. *Clericos.* et can. *Pastor.* 1. quæst. 2. cum similibus.

§ III.

QUID SIT CANONIA, VICARIATUS, COMMENDA, PRÆSTIMONIUM, AC PENSIO : ET AN HÆC VENIANT NOMINE BENEFICII ECCLESIASTICI.

57. *Canonia* (*vulgo, canonicatus*) *quid? Præbendæ, et canonicus præbendarius, quis?* — Quæritur I. Quid sit canonia, et an veniat nomine beneficii? Resp. I. *Canonia* (vulgo, *Canonicatus*) est jus spirituale, quod provenit ex electione, seu receptione alicujus in fratrem, sive canonicum. Ita Innocentius in. c. *cum M.* § *Canonicos. de Constitut.;* Calvinus in *Lexico jurid.* ℣. *Canonia.* et Nebrissensis in *Vocabular. jurid.* eod. ℣. *Canonia* et alii. Nam, si quis simpliciter in canonicum receptus fuerit, antequam redditus canonicales eidem assignentur, sive conferantur, dicitur habere *Canoniam*, hoc est canonicatum; nondum vero *Præbendam.* Siquidem præbenda ulterius importat jus ad percipiendos fructus annuos canonicæ, sive debitos ex titulo juris canonicalis. Unde qui habet utrumque, is *canonicus, præbendarius* appellantur, can *Sanctorum*, dist. 70.

58. *Jus, quod præbet canonia, in quo consistat?* — Porro jus illud spirituale, quod præbet canonia, consistit imprimis in jure habendi in choro sedem (vulgo stallum) et vocem in capitulo. Quanquam vox in capitulo, juxta concilium Tridentinum, sess. 22. cap. IV *de Reform.* non concedatur, nisi habentibus sacrum ordinem subdiaconatus : imo ex consuetudine plurium ecclesiarum tum cathedralium, tum collegiatarum, tunc primum concedi soleat, quando quis absolvit residentiam primi anni. Engel, h. t. n. 1. vel etiam actu jam habet præbendam, fruendo videlicet redditibus sui canonicatus. Circa quod proinde attendantur particulares singularum

ecclesiarum constitutiones, et consuetudines laudabiles.

59. *Canonico, quamprimum facultas se obtulerit, debet conferri præbenda.* — Deinde illud jus spirituale, importatum per canoniam, consistit in hoc, ut quamprimum facultas sese obtulerit, canonico eamdem legitime obtinenti etiam conferatur præbenda, seu competens portio fructuum canonicalium. Textus est in c. *Relatum.* 9. h. t. ibi : « Quia non est congruum, ut præbenda (vacante, vel proxime vacatura) careat, qui in canonicum noscitur esse receptus. » Concordat c. *Dilectus.* 19. eod. et c. *Cum M.* 9. *de constitut.* cum similibus.

60. *Canonia sine præbendu an et quando dari possit?* — Nec dicas. Si congruum non est, ut præbenda careat, qui est receptus in canonicum; ergo hoc ipso nequit dari simplex canonia. Ut quid igitur de ipsa inutiliter fit mentio? Resp. neg. seq. saltem loquendo in casu, quo necdum suppetit facultas omnibus in canonicos receptis conferendi Præbendam, seu redditus canonicales ob horum modicitatem. Tunc posse dari canoniam sine præbenda, aperte convincunt jura proxime citata, utpote de talibus casibus loquentia : dummodo cæteroquin cesset omnis fraus, atque pactio iniqua vel simoniaca. Qualis simoniaca pactio foret, si quis ex cupiditate habendi canonicatum, renuntiaret juri petendi præbendam : sic enim remitteretur jus temporale sibi competens ad percipiendos redditus, ut obtineretur spirituale, nempe canonicatus; quæ foret vera pactio simoniaca, ut c. *Per tuas nobis.* 37. *de Simonia.* Alioquin vero « Jus non impugnat, ut quis sit canonicus sine præbenda, si alias potest sustentari, imo laudat; » prout loquitur Abbas c. *Cum. M.* n. 16, et 19. *de Constitut.* Ea addita ratione : quia utile est Ecclesiis, habere plures consiliarios, et defensores, arg. can. *Obeuntibus* dist. 63. Id ipsum comprobat antiqua, receptaque praxis plurium Ecclesiarum, tum cathedralium, tum collegiatarum, in quibus dantur canonici habentes solam canoniam absque præbenda, et vocem in capitulo : prout simile quid antiquitus fuisse practicatum, legitur in c. *Cum. M.* 9. *de Constitut.* et c. *Relatum*, 9. *de Præbend.* et c. *Dilectus.* 19. eod.

61. *Solvitur instantia contra simplicem canoniam.* — Dices. Hæc praxis repugnat concilio generali, relato in c. *Nulla.* 2. *de Concess. Præbend.* et c. *Detestanda.* eod. in 6. ubi reprobatur quævis collatio, vel promissio beneficii vacaturi; ergo. Respondet Glossa in c. *Dilectus.* 19. ỿ. *Illicito.* in addit. h. t. ibi reprobari solummodo receptionem ad vacaturas (hoc est, promissionem beneficiorum in posterum vacaturorum) non vero simplicem receptionem ad jus canoniæ. Quod intellige, dummodo sic receptis ad jus canoniæ, postea conferatur etiam præbenda, seu actualis fructuum perceptio, quamprimum se facultas obtulerit : prout amplius declarabitur infra tit. VIII. *De Concessione præbendæ.* § 2. n. 23. 26. 28. et seqq. ADNOTATIO XLIX.)

62. *Canoniam sub expectationen præbendæ consecutus, stricte loquendo non censetur habere beneficium.* — Resp. II. Canoniam sub expectatione præbendæ consecutus, proprie ac stricte loquendo non censetur habere beneficium. Ita Abbas c. *In nostra.* 32. n. 1; et Layman ibid. n. 1. *de Rescript.;* Engel h. t. n. 1. et alii, contra Lud. Romanum consil. 447. et annotationem ad Abbatem loc cit. ỿ. *Ego puto.* Conclusio nostra desumitur ex cit, c. *In nostra. de Rescript.* ubi de receptis per litteras apostolicas in canonicos, dum præbendam nondum abent, sed primum expectant, dicitur, quod « nondum in eis (ecclesiis) ecclesiasticum beneficium sint consecuti. » Id ipsum confirmatur ex ipsamet beneficii ecclesiastici definitione, qua dicitur esse « jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter officium spirituale, » etc. Quale jus nondum importat simplex canonia. Et sic potius (inquit Abbas cit, n. 1.) ipsa præbenda, quam jus canoniæ, vocatur *Beneficium ecclesiasticum.* Quinimo canonicus sine præbenda, dicitur *Canonicus in herba* : prout loquitur Additio ad Abbatem, ubi supra, ỿ. *Sine præbenda*, citans Joan. Andream in. c. *Relatum* 9. et c. *Dilectus.* 19 h. t.

63. *Is tamen, si rescriptum pro assecutione beneficii alterius Ecclesiæ impetrare velit, tenetur mentionem facere præhabitæ canoniæ, et cur?* — Resp. III. Nihilominus simpliciter receptus in canonicum cum expectatione præbendæ, si alius litteras a Papa impetrare velit pro assecutione beneficii alterius ecclesiæ tenetur in sua supplicatione expressam mentionem facere de præhabita simplici canonia sua : alioquin rescriptum nullam istius mentionem faciens censetur nullum, et subreptitium. Ita textus notabilis in cit. c. *In nostra.* 32. *de Rescript.* ubi Summarium breviter sic loquitur : « Receptus per litteras apostolicas, licet præbendam expectet, per

alias litteras hoc supprimentes in alia ecclesia recipi non debet : » atque amplius tradit Glossa ibid. ỿ. *Mentionem*. et Abbas n. 1 et 2. et Barbosa in Collectan. n. 1. allegans alios: et sequitur Layman d. c. *In nostra*. n. 2 et 3. et Pirhing. n. 70. *de Rescript*. Accedit ratio : quia canonia præbet jus ad rem, respectu præbendæ in posterum percipiendæ; quinimo propter jus canoniæ, in brevi quis beneficium, ipsamque præbendam consecuturus est : ac proinde propter bonas litteras apostolicas canoniam conferentes, consequeretur quis in brevi duplex beneficium, proprie dictum, una cum præbenda seu fructibus utriusque. Atqui Papa non intendit ullo modo eidem providere de pluribus beneficiis, nisi istud exprimat; ut c. *Cum adeo*. 17. *de Rescript*. etc. *Cum teneamur*. 6. h. t. Etiamsi prius beneficium foret quantumcunque modicum, c. *Si motu*. 23. h. t. in 6. ergo.

64. *Simplex canonia præbet jus ad beneficium postea consequendum*. — Unde non obstat, quod simplex canonia non sit beneficium stricte loquendo. Quia saltem præbet jus ad beneficium proprie dictum postea consequendum : unde necessario debet exprimi in impetratione rescripti ad aliud beneficium, ne alioquin quis consequeretur a Papa duplex beneficium non facta mentione de priori; contra jura proxime allegata, et contra reg. 84. juris in 6. « Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti : » puta, ad acquisitionem secundi beneficii mediantibus litteris Apostolicis, non facta mentione de priori.

65. *Injuste spoliatus suo beneficio, tenetur in impetratione alterius de eo facere mentionem*. — Addit Abbas cit. c. *In nostra*. n. 10. et Layman ibid. n. 3. *de Rescript*. quod etiam ille, qui injuste spoliatus fuit suo beneficio, teneatur in impetratione alterius de eo facere mentionem. Rationem dant, tum quia per injustam spoliationem non perdit quis titulum beneficii, sed solummodo possessionem ejus; ut. c. *Conquerente*. 7. *de Restitut. spoliat*. juncta reg. 15. ff. de reg. jur. « qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur. » Tum quia juxta cit. c. *In nostra*. *de Rescript*. in impetratione litterarum Papalium ab beneficia, debet fieri mentio de jure quæsito ad rem respectu alterius beneficii : ergo etiam, et quidem a fortiori, debet fieri mentio de jure quæsito in re, seu in beneficio, quo postea quis injuste fuit spoliatus.

66. *Vicarius Ecclesiæ, quis?* — Quæritur III. Quid dicendum sid de vicaria, et capellania; et an sit de vicaria, et capellania; et an sit beneficium proprie dictum? Ubi prænotandum, quod *Vicarius* ecclesiæ dicatur presbyter ille, qui vice principalis rectoris deservit ecclesiæ : ut si ecclesia, seu parochia (juxta formam concilii Tridentini, sess. 7. cap. VII. *de Reform*. et sess. 24. cap. XIII et XV. *de Reform*.) ecclesiæ cathedrali, capitulo, monasterio, aut aliis piis locis perpetuo incorporata fuit; tunc presbyter, qui una cum assignatione competentis portionis fructuum dicti beneficii, illuc ponitur ad peragendum necessarium ecclesiæ, seu parochiæ servitium ecclesiasticum, proprie non dicitur *Parochus*, seu *Vicarius*, seu habere *Vicariam*. Quo prænotato.

67. *Vicaria alia temporalis, alia perpetua, sicut et vicarius Ecclesiæ?* — Resp. I. Vicaria alia est *temporalis*, quando nimirum vicarii sunt solum ad certum tempus destinati, vel alias ad nutum amovibiles. Alia vicaria est *perpetua*, quæ confertur cum canonica institutione, seu investitura, ac erectione tituli vicariæ. Unde et Vicarii in eisdem instituti, dicuntur *perpetui* habentque verum titulum: atque idcirco semel canonice instituti, nequeunt amplius amoveri, vel portione sua privari : nisi forsan aliquid committant dignum depositione, aut privatione beneficii, c. *Ad hæc*. 3. *de Offic. vicarii*.

68. *Vicaria temporalis non est proprie dictum beneficium, bene tamen vicaria perpetua*. — Resp. II. Vicariæ duntaxat temporales non sunt beneficia proprie dicta, seu de quibus sacri canones loqui solent : cum de natura beneficii proprie dicti sit, ut institutum perpetuo duret, can. *Sanctorum*. dist. 70. junctis dictis supra. § 1. n. 8. et 9. atque canonice collatum amplius auferri non possit, nisi in casibus a jure permissis. Secus dicendum de vicariis perpetuis : hæ enim æquiparantur beneficiis, et appellatione beneficiorum veniunt, per textum expressum in c. *Postulasti*. 27. *de Rescriptis*, ibi : « Non enim beneficio carere debet dici, cui competenter de perpetuæ vicariæ proventibus est provisum, » etc. ac notat Glossa ibid. ỿ. *Beneficium*, et communis doctorum.

69. *Vicarii perpetui Ecclesiarum, in pluribus æquiparantur parochis*. — Quinimo vicarii perpetui ecclesiarum parochialium in pluribus æquiparatur ipsis parochis, juxta textum expressum in. Clem. un. *de Offic. vicarii*, ibi :

« Quæ de Ecclesiis curam animarum habentibus, per receptionem aliarum similium amittendis : ac de ipsarum rectoribus promovendis ad sacerdotium ; et de eorum ætate, a jure statuta noscuntur : in perpetuis ecclesiarum parochialium vicariis, et assumptis ad eas, volumus observari. » Hæc ibi. Verum de hoc vide dicta superius lib. I. tit. XIV. *De Ætate, et qualitate, et ordine præficiendorum*. n. 29. 30. et seqq.

70. *In beneficiis curatis, quæ sunt perpetuo unita cathedrali, vel collegiatæ ecclesiæ, vel monasterio, regulariter constituitur vicarius perpetuus. Ex multiplici mutatione rectorum, Ecclesia patitur detrimentum.* — Porro in beneficiis ecclesiasticis curatis, quæ sunt perpetuo unita cuipiam cathedrali, collegiatæ, seu alteri ecclesiæ, aut monasterio, regulariter solet constitui vicarius pepetuus cum assignatione congruæ portionis fructuum, pro animarum cura debite peragenda : nam ex multiplici mutatione rectorum, non modicum ecclesia recipit detrimentum. Rota decis. 24. n. 1. ante fin. *de Præbend. in novis;* Gonzalez ad reg. 8. *Cancell. gloss.* 6, n. 206. Quod intellige conformiter concilio Tridentino, sess. 7. cap. VII. *de Reform.* ubi istud limitatur illis verbis : « Nisi ipsis ordinariis, pro bono Ecclesiarum regimine, aliter expedire videbitur. » Insuper dari nonnullos casus, in quibus nequit episcopus constituere vicarium perpetuum, jam dictum est supra cit. lib. I. tit. XXVIII, *de Officis vicarii*, § 2. n. 28. in quo paragrapho plura habentur de vicariis perpetuis, ac temporalibus, ibidem videnda.

71. *Capellania, quid, et an veniat nomine beneficii?* — Resp. III. Loquendo nunc de capellania (hoc est, de beneficio simplici fundato in capella, seu ecclesia quapiam cum auctoritate, atque consensu episcopi) si hæc fuerit perpetua, et concessa in titulum, venit nomine beneficii proprie dicti : alias secus ; demptis nonnullis casibus, paulo superius n. 54. 55. et 56. jam expressis, atque servata proportione huc applicandis. Unde Fagnanus c. *Ad audientiam.* n. 120. *de Rescript.* non immerito dicit, « Capellaniam desinere esse beneficium, si ex perpetua fiat ad nutum amovibilis. »

72. *Capellania erecta sine auctoritate episcopi nullo modo et beneficium ecclesiasticum. Nec est quid spirituale, sed duntaxat temporale : adeo, ut pactum circa eam interveniens, non sit simoniacum.* — Additur notanter, « cum auctoritate, atque consensu episcopi. » Nam si aliqua capellania erigeretur, seu fundaretur sine auctoritate episcopi, vel alterius superioris ecclesiastici, nullo modo ea foret beneficium ecclesiasticum ; sed duntaxat pia quædam donatio, vel legatum pium, juxta dicta superius n. 14. et seqq. Adeo quidem, ut in talibus capellaniis Episcopus non haberet jus instituendi, vel visitandi, nec aliud jus diœcesanum. Gonzalez ad reg. 8. *Cancell.* gloss. 5. n. 35. post Parisium consil. 34. n. 9. et 11. ac seqq. lib. IV. Et si ratione talis capellaniæ interveniat pactum absque auctoritate superioris, puta Papæ, istud non erit simoniacum : siquidem capellania illa esset duntaxat quid laicale, et temporale, juxta superius dicta n. 15. et 16. non vero beneficium ecclesiasticum, neque aliquid spirituale auctoritate episcopi constitutum. Rota decis. 365. n. 2. part. II. *Divers.* Gonzalez cit. Gloss. 5. n. 25. ad propositum referens notabilem casum, in cujus decisione per tres conformes sententias ita judicatum fuit.

73. *Commenda et commendatarius, quid?* — Quæritur III. Quid sit *Commenda.* et an beneficium propre dictum ? Resp. I. cum Glossa in c. *Nemo.* ꝟ. *Commendare. de Election.* in 6. quod commenda sit custodia Ecclesiæ alicui commissa. Unde *Commendatarius* dicitur ille, qui accepit Ecclesiam in commendam, seu custodiam ejusmodi.

74. *Olim commendæ dabantur ab episcopis, et ad sex menses ; nunc solent esse perpetuæ, et a solo Papa conferri.* — Et olim quidem commendæ ad sex menses, et non ultra, in Ecclesiis curatis pro earumdem evidenti necessitate (puta, quando vacarunt) aut utilitate fieri poterant ab ipsismet ordinariis, juxta cit. c. *Nemo. de Election.* in 6. Verum tamen illud de facto, seu post concilium Tridentinum, amplius locum non habet; cum in Ecclesiis curatis vacantibus debeant deputari vicarii, juxta formam a Tridentino concilio, sess. 24. cap. XVIII. *de Reform.* assignatam ; prout a sacra congregatione decisum refert Barbosa in *Collectan.* ad cit. cap. XVIII. n. 36. et Fagnanus in c. *Dudum.* il. 2. n. 44. *de Election.* Hodie etiam commendæ solent esse perpetuæ : et non nisi a Papa conferuntur personis qualificatis, ac bene de Ecclesia meritis, ut ex fructibus beneficii commodius sustentari valeant.

75. *Illæ principaliter fiebant in bonum Ecclesiæ : commendæ modernæ vero in bonum per-*

sonæ.—Est insuper differentia inter commendas antiquas, seu olim ab episcopis ad sex menses concessas; et inter modernas, seu in perpetuum, et a solo Papa personis bene meritis, et qualificatis conferri solitas: quod illæ principaliter fiebant in bonum Ecclesiæ, ut interim beneficium a commendatario administraretur, donec rector idoneus fuisset institutus: quod ipsum nunc per vicarium, cum congrua fructuum portionis assignatione constitutum præstatur, juxta decretum concilii Tridentini cit. sess. 24. cap. XVIII. *de Reform.* Commendæ vero nostri temporis, solum a Summo Pontifice in perpetuum concessæ, non fiunt principaliter in favorem Ecclesiæ (quinimo hæ graviter lædunt monasteria tam in temporalibus, quam spiritualibus; uti notat Fagnanus c. *Cum ad nostram.* n. 14. *de Election.*) sed conceduntur principaliter in favorem personæ, seu commendatarii, ut videlicet ex fructibus ejus commodius sustentari valeat.

76. *Commendatarius olim fructus non faciebat suos: secus de facto; et cur?* — Deinde commendatarius olim fructus non faciebat suos: quia erat tantum custos Ecclesiæ sibi commendatæ, bonorumque ipsius: unde non habebat jus in Ecclesia, neque in fructibus ejus, nisi ad colligendum, et gubernandum, et providendum sibi ac ministris, et quod supererat, in utilitatem Ecclesiæ convertendum; uti notat Glossa cit. c. *Nemo.* ỷ. *Commendare. de Election.* in 6. Secus est in commendis modernis perpetuis, et a Papa concessis: hæ enim ideo inventæ sunt, ut ii, qui sunt inhabiles ad obtinenda beneficia ecclesiastica in titulum (qui est modus ordinarius, et legitimus obtinendi beneficia) efficerentur habiles intuitu meritorum suorum ad ea obtinenda per modum commendæ (quæ est via extraordinaria, et tacite dispensativa) sicque ex eorum fructibus, quos faciunt suos, valeant commodius sustentari. Fagnanus cit. c. *Cum ad nostram,* n. 5. et 6. *de Election.*

77. *Commendæ antiquæ non habebant rationem beneficii proprie dicti.* — Resp. II. Commendæ antiquæ, seu quæ olim de jure communi fuerant temporales, atque per ordinarios locorum in Ecclesiæ utilitatem principaliter concedebantur, non habebant rationem beneficii proprie dicti. Ita communis; et ratio est clara, quia commendæ antiquitus permissæ neque concedebantur in perpetuum, neque jus aliquod respectu Ecclesiæ, aut redituum ipsius præbebant, sed meram custodiam: ac proinde definitio beneficii proprie dicti, et n. 6. ac seqq. jam assignata, ipsis neutiquam convenit.

78. *Atque olim uni poterant conferri duæ Ecclesiæ, una in titulum, altera in commendam.* — Unde et antiqui canones, non obstante, quod beneficiorum pluralitas eisdem semper fuerit invisa, permittebant, ut uni possent conferri duæ Ecclesiæ, una in titulum, et altera in commendam. Textus est in can. *Qui plures.* 21. q. 1. et c. *Dudum.* 54. § *Suggessit. de Election.* ibi: « Cum nullus potuerit plures Ecclesias Parochiales obtinere, nisi una penderet ex altera; vel unam intitulatam, et alteram commendatam haberet, » cum concordantiis.

79. *Commendæ perpetuæ nostri temporis, æquiparantur beneficiis proprie dictis.* — Resp. III. E contra vero commendæ perpetuæ, quales nostro tempore per Papam dantur in utilitatem personæ, habent rationem et effectum tituli, atque æquiparantur beneficiis proprie dictis. Ita colligitur ex concilio Tridentino, sess. 7. cap. II. et IV. et sess. 24. cap. XVII. *de Reform.* ubi prohibetur quis habere plura « Beneficia, etiam commendata. » Et hoc intellige. etiamsi unum haberet in titulum, et alterum in commendam; prout notat, atque decisum testatur Fagnanus c. *Dudum.* il. 2. n. 37. et seqq. *de Election.* Accedit ratio: quia commendæ hodiernæ, ex una parte sunt perpetuæ; ex altera vero parte tribuunt jus percipiendi fructus ecclesiasticos propter spirituale officium, sive ob custodiam Ecclesiæ exhibitam; conferunturque auctoritate ecclesiastica, nempe Papali, et quidem in perpetuum: ergo nihil ipsis deest, ad rationem beneficii proprie dicti requisitum.

80. *Præstimonium, quid?* — Quæritur IV. Quid sit præstimonium, et an censeatur esse beneficium? Resp. I. *Præstimonium* vi nominis idem est, ac *Præstans munium:* uti notat Hostiensis c. *Postulasti. de Rescript.* et Menochius, lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 201, n. 56, cum aliis. In proposito tamen per *Præstimonium* seu *Portionem præstimonialem,* intelligitur stipendium, quod ab ecclesiasticis redditibus abstractum dari solet canonicis, vel aliis clericis in vitæ subsidium, præsertim ubi litteris, seu studiis operam impendunt. Menochius, cit. n. 56; Layman, l. IV. *Theol. moral.* tract. II. cap. v. n. 5. et 6. cum aliis.

81. *Præstimonia ex sua institutione nullum servitium in Ecclesia habere solent, etc.* — Cæterum hujusmodi præstimonia, ex sua institutione, nullum servitium in Ecclesia habere solent : quamvis, si dentur in titulum perpetuum beneficii, habeant annexum onus spirituale, recitandi videlicet Horas canonicas. Garcias *de Beneficiis*, part. I. cap. II. n. 117. citans alios ; et Azorius part. II. *Institut. moral.* cap. VII. quæst. 1. vers. *In hac controversia*, dicens, quod « qui præstimonia nunc habent, liberi sint ab onere, obligatione, et præcepto residendi in Ecclesia, quarum sunt præstimonia, ita, ut nec per se, nec per alios in sui locum suffectos, inservire ullo jure cogantur : quod certe horum beneficiorum est proprium. » Hæc ille, postea, quæst. 5. amplius istud declarans.

82. *Si dantur duntaxat ad certum tempus in vitæ subsidium, puta, pro tempore studiorum, non sunt beneficium proprie dictum.* — Resp. II. Quando præstimonia, seu præstimoniales portiones dantur duntaxat ad certum tempus in vitæ subsidium, v. g. durante tempore studiorum, non sunt beneficium ecclesiasticum proprie dictum. Ita Menochius, cit. cas. 201. n. 57. et 60 ; Layman cit. cap. v. n. 5. et 6. citans alios ; atque subjungens, hujusmodi præstimoniales portiones non esse « beneficia ecclesiastica, sed mera stipendia. » Azorius, ubi supra, asserens in hoc convenire omnes. Ratio est quæ supra, quia videlicet de ratione beneficii ecclesiastici est, tribuere jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, etc. Atqui tale jus perpetuum non tribuitur per præstimonia temporalia, puta, ad tempus studiorum duntaxat concessa ; ergo.

83. *Bene tamen, quando conferuntur in titulum, ac in perpetuum.* — Resp. III. Quod si vero præstimonia conferantur in titulum, atque in perpetuum ; ita, ut cum obitu ejus, qui accepit, vacent (prout in Hispaniis communiter dari præstimonia, notat Fagnanus c. *Ad audientiam.* n. 62. *de Rescript.* et Garcias cit. part. I. cap. II. n. 218.) tunc ea connumerantur inter beneficia proprie dicta. Ita textus cap. ult. *de Concession. præbend.* in 6. ubi præstimonia aperte connumerantur inter beneficia illis verbis : « Concessione super canonicatibus, dignitatibus, præstimoniis, et aliis quibuscunque beneficiis ecclesiasticis. » Nam ista verba non nisi de præstimoniis datis in titulum, atque ad perpetuum, intelligi possunt, et debent. Unde quod hujusmodi præstimonia, sint beneficia proprie dicta (eo præsertim, quod ipsis nihil deficiat ex requisitis ad beneficium ecclesiasticum) tenet Menochius, d. lib II. *de Arbitrar. judic.* cas. 201, n. 58. et 59 ; Azorius, ubi supra, d. cap. VII. quæst. 2 ; Garcias cit. cap. II. n. 117. allegans plurimos alios : adeo, ut re ipsa hæc sit communis sententia. Et sub data distinctione auctores, qui prima fronte non nihil discordare videntur, facile revocantur ad concordiam.

84. *Pensio ut sic, quid?* — Quæritur V. Quid, et quotuplex sit pensio ; et an veniat nomine beneficii ecclesiastici ? Resp. I. Pensio ut sic est jus percipiendi partem fructuum ex alieno Beneficio. Ita Zœsius titul. *de Simonia*, n. 46, et in re communis. Vel, si pensionem pro ipsamet parte fructuum acceptam describere velis, dicendum est : Pensio est certa portio fructuum, ab aliquo beneficio, vel mensa, ex causa ad tempus, non vero in perpetuum separata. Ita Guillelmus de Monte Lauduno in Repetit. Clement. *Quia regulares*, n. 12. *de Supplend. negligent. prælat.* Barbosa part. III. *Jur. eccles. univ.* cap. XI. n. 3. subjungens, quod pensio dependeat a proprietate beneficii, sicut usus-fructus dependet a proprietate rei.

85. *Dividitur in laicalem et clericalem seu ecclesiasticam.* — Resp. II. Pensio dividitur in laicalem, et clericalem. Ita communis. Et quidem pensio laicalis est, quæ datur ob ministerium temporale, aut aliam temporalem causam ; et laico etiam convenire potest, v. g. œconomo Ecclesiæ, cantori, æedituo, et aliis hujusmodi. Pensio clericalis, seu ecclesiastica e contra est, quæ clericis auctoritate superioris ecclesiastici justis de causis constituitur, ipsisque solis competere potest : atque de hac sola nunc sermo est, non de priori seu laicali.

86. *Pensio clericalis est duplex : una, quæ assignatur in titulum beneficii.* — Resp. III. Pensio clericalis subdividitur in duas species. Una est, quæ assignatur in titulum beneficii ecclesiastici : prout accidit, quando ex beneficio pingui, quod caret sufficienti suffragio ministrorum, auctoritate superioris detrahitur certa portio fructuum, et alicui clerico ibidem ministranti conceditur in titulum beneficii perpetui, v. g. perpetuæ vicariæ, arg. c. *Conquerente*. 6. *de Cleric. non resident.* et notat Abbas cit. c. *Conquerente* n. 1. et 5. Fagnanus c. *Ad audientiam.* n. 41. *de Rescript.*

87. *Solvitur instantia contra hoc membrum.* — Nec obstat textus in c. *Extirpandæ.* 30. § fin. *de Præbend.* ubi dicitur : « Illud autem penitus interdicimus, ne quis in fraudem de proventibus Ecclesiæ, quæ curam habere debet proprii sacerdotis, pensionem alicui quasi pro beneficio conferre præsumat. » Resp. enim cum Abbate : et Fagnano, ubi supra, hic solum prohiberi, ne in fraudem constituatur talis pensio : sed ubi ex causa licita et honesta, ac omni fraude cessante, constituitur pensio ad modum beneficii ex redditibus Ecclesiæ, tunc valet talis constitutio ; sicque potest super uno beneficio creari aliud, dummodo primo rectori remaneat, tantum, unde honeste sustentari valeat.

88. *Alia quæ simpliciter constituitur ad tempus de fructibus beneficii. Hæc nomine pensionis (nisi secus exprimatur) communiter intelligitur.* — Alia pensio, et quæ nomine *Pensionis* (nisi secus exprimatur) communiter intelligitur, ea est, quæ simpliciter constituitur ad tempus de fructibus beneficii, justaque de causa cuipiam assignatur auctoritate superioris. Et talis est, quæ auctoritate episcopi assignatur parocho, ob senectutem resignanti, ad suæ vitæ sustentationem, vel quæ datur causa litis beneficiariæ componendæ, aut ob aliam similem causam rationabilem ; de quo plura inferius titul. XII. *Ut Ecclesiastica beneficia*, etc.

89. *Clericus habens pensionem, etc., tenetur recitare officium parvum beatæ Mariæ virginis.* — Solum præmissis adde, « quod quicunque pensionem, fructus, aut alias res ecclesiasticas clericus percipit, is ad dicendum officium parvum beatæ MARIÆ Virginis obligatus sit ; » uti his ipsis verbis decrevit beatus Pius V. in sua constitutione 135. quæ incipit : *In proximo* (et habetur tom. II. *Bullarii romani*). Ubi idem Pontifex addidit, ejusmodi clericum non recitantem *Officium parvum beatæ MARIÆ Virginis* (intellige de clerico minorista : nam alius satisfacit recitando Breviarium) eo modo « pensionum, fructuum rerumque ipsarum amissioni obnoxium » esse, sicuti clericus habens beneficium, et non recitans Breviarium.

90. *Pensio cuipiam collata in titulum est verum et proprie dictum beneficium.* — Resp. IV. Certum est, quod quando pensio cuipiam confertur priori modo, sive in titulum, ea sit verum et proprie dictum beneficium ecclesiasticum. Patet hoc ex d. c. *Conquerente.* 6. *de Cleric. non resident.* ubi talis pensio, viginti scilicet solidorum, sæpius appellatur beneficium, et ut tale ibidem censetur. Accedit ratio, quia tali pensioni, utpote datæ in titulum, atque tribuenti jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, etc. integre convenit definitio beneficii superius data.

91. *Non est vis in nomine, quando constat de re.* — Neque obstat, quod vocetur *Pensio:* quia non est vis in nomine, quando constat de re. Abbas consil. 47, n. 2, lib. II ; Covarruvias, *Practic. quæst.* cap. XXXVI, n. 10. vers. *Quarto, quoties ;* Fagnanus c. *Ad audientiam.* n. 44. et seqq. *de Rescript.* citans alios atque inde n. 46. cum aliis indubitanter inferens, quod de tali pensione facienda sit mentio in rescriptis beneficialibus, perinde ac de beneficio.

92. *Pensiones constitutæ ad tempus, in materia odiosa non veniunt nomine beneficii : bene tamen in materia favorabili.* — Resp. V. Loquendo tamen de pensionibus posterioris generis, seu quæ auctoritate superioris ex legitima causa cuipiam clerico constituuntur ad tempus, major difficultas est, an veniant nomine beneficii : videtur tamen distinguendum, quod quidem hujusmodi pensiones proprie beneficia ecclesiastica dici non possint, neque appellatione beneficii in materia odiosa veniant ; secus tamen sit dicendum in materia favorabili. Ita Fagnanus cit. c. *Ad audientiam.* n. 117. *de Rescript.* ubi, cum fusissime præmisisset contrarias doctorum opiniones, tandem n. 117. et seqq. easdem hac ratione conciliat : et addit n. 120. et 134. quod hanc distinctionem inter materiam odiosam, et favorabilem, sæpius probaverit sacra congregatio cardinalium concilii Tridentini interpretum. Quod ipsum repetit c. *Cum in cunctis.* n. 103. *de Election.*

93. *Probatur, in materia odiosa nomine beneficii non venire pensionem.* — Prima pars probatur ex eo : quia beneficium ecclesiasticum ex sui natura debet esse perpetuum ; ut can. *Scripsit mihi.* et can. *Quamvis triste.* 7. q. 1. et c. *Ex parte tua.* 5. *de Cleric. ægrot.* junctis dictis supra § 1. n. 8. et 9. Atqui pensio ista non est perpetua, sed temporalis ; ergo. Deinde « beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri, » juxta reg. 1. juris in 6. Secus dicendum de hac specie pensionis, utpote quæ non indiget tali institutione. Et hinc, ut plura alia taceantur, in c. *Quamvis plenissima.* 4. *de Præbend.* in 6. clare habe-

tur, in materia odiosa, et stricte accipienda, appellatione beneficii non venire pensionem, illis verbis : « Ei non in pensione, sed in beneficiis ecclesiasticis tantum volumus provideri : » et consequenter pensio nomine beneficii non venit in materia odiosa, de qua ibidem est sermo.

94. *Præsertim ex stylo concilii Tridentini, Beneficium ante decimum quartum ætatis annum acquiri non potest : bene tamen pensio.* — Præsertim vero, quod ex stylo concilii Tridentini appellatione beneficii non veniat pensio, patet ex sess. 21. cap. II. et sess. 23. cap. XVIII. et sess. 25. cap. XV. *de Reform.* ac notat Fagnanus cit. c. *Cum in cunctis.* n. 106. *de Election.* Et hinc fit, quod concilium Tridentinum sess. 23. cap. VI. *de Reform.* statuens, « ut nullus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere, » locum non habeat in pensionibus; prout declaravit sacra congregatio ejusdem concilii interpres, teste Fagnano d. c. *Cum in cunctis.* n. 12. *de Election.* Quia videlicet hæc materia, puta, incapacitas recipiendi beneficium, est odiosa; ac proinde non debet, ultra proprietatem vocabuli extendi ad pensiones, quæ super fructibus beneficii cuipiam assignantur auctoritate superioris duntaxat ad tempus; ac proin illæ non sunt beneficia proprie loquendo.

95. *Beneficia, et pensiones, an inter se æquiparantur? Ly, Aliud, non est repetitivum similium, quando per alia jura sic declaratur.* — Dices. In c. *Ad audientiam.* 31. *de Rescript.* beneficia, et pensiones, inter se æquiparentur, illis verbis : « Recipientes annuas pensiones, seu alia beneficia : » nam ly *Alia*, vi suæ significationis stat implicative, et est repetitivum similium, et consequenter etiam pensiones erunt beneficia. Resp. cum Fagnano in cit. c. *Ad audientiam.* n. 56. *de Rescript.* neg. anteced. cum sua probatione. Nam dictum illud, quod ly *Aliud* sit repetitivum similium, non verificatur, imo fallit : quando per alia jura est declaratum, aliud non esse simile : hoc autem fit in proposito per cit. c. *Quamvis plenissima.* 4. *de Præbend.* in 6. cum similibus.

96. *Subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur : quomodo intelligendum?* — Urgebis. « Subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur, » juxta textum, et Glossam c. *Ecclesia sanctæ Mariæ.* 3. ℣. *Successerunt. Ut lite pendente*, etc. ac Everardum in *Locis legalibus*, loc. 122. *A vi subrogationis.* n. 1. et seqq. late istud declarantem : Sed pensio subrogatur in locum beneficii; ergo sapit naturam ejus, sicque est beneficium proprie. Resp. negando ultimam consequentiam : etsi enim pensio sapiat naturam beneficii, non tamen est beneficium proprie, stricteque loquendo. Et generaliter, subrogatum sapit quidem naturam ejus, cui subrogatur; non tamen habet easdem semper qualitates, vel naturam cum ipso, imo hac ratione multipliciter solent differre : uti patet in sancto Matthia apostolo, subrogato in locum Judæ proditoris. Unde inter plures alias limitationes dictæ regulæ, Everardus, ubi supra, n. 20. ponit hanc, quod memorata regula, *Subrogatum*, etc. procedat quidem quoad naturam primordialem (qua ratione etiam pensio sapit naturam beneficii, cum non minus, ac istud, detur pro congrua sustentatione clerici) non vero semper procedat quoad naturam accidentalem.

97. *Pensionem in materia favorabili venire nomine beneficii, declaravit Gregorius XIII.* — Altera pars datæ, n. 92, conclusionis, quod nempe in materia favorabili pensio veniat nomine beneficii; probatur imprimis ex declaratione Gregorii XIII. qui ad consultationem sacræ congregationis, die 18 decembris 1576. declaravit, pensionarum censeri beneficiatum ad effectum gaudendi privilegio Fori ecclesiastici, de quo loquitur concilium Tridentinum sess. 23. cap. VI. *de Reform.* idque duplici de causa. Primo, quia cancellaria habet pensionarum pro beneficiato; ideoque vult exprimi in bullis pensiones, sicut beneficia. Secundo, quia beatus Pius V. coegit pensianorum ad dicendum *Officium parvum beatæ Mariæ Virginis*, ut dictum n. 89. Et rursum idem sanctissimus, proposito sibi dubio a sac. congregatione, dixit, in materia favorabili, ut est illa privilegii Fori, appellatione beneficii venire pensionem. Die 8 augusti 1577. prout refert Fagnanus cit. c. *Ad audientiam.* il. 2. n. 131. et 134. *de Rescript.*

98. *Et hujus ratio. Beneficia manualia in materia favorabili, includuntur nomine beneficii.* — Accedit ratio, quia in materia favorabili, præsertim, ubi reditur ad jus commune, debet fieri lata interpretatio; uti notat Glossa c. *Cum dilectus.* ℣. *Juri communi.* et Abbas ibid. n. 21. *de Consuetud.* Sic enim facienda est interpretatio, ut nulli sit onerosa, et secundum jus commune; ut c. *Causam quæ.* 18. *de Rescript.* et c. *Cum*

olim. 6. *de Consuetud*. Atqui privilegium fori, v. g. est favorabile, simulque per istud reditur ad jus commune, quo clerici jure divino sunt exempti a jurisdictione sæculari, can. *Si imperator*. dist. 96. et c. *Quanquam de Censib*. in 6. cum similibus; ergo est late interpretandum. Unde fit, quod pensio, si non ex proprietate vocis, saltem per interpretationem extensivam, possit intelligi, atque venire nomine Beneficii; sicuti post Gigantem quæst. 58. n. 28. loquitur Fagnanus loc. cit. n. 117, hoc ipsum n. seqq. amplians ad beneficia manualia : nam etiam hæc in materia favorabili (inquit) appellatione beneficii includuntur, quæ tamen vere et proprie non sunt beneficia : ut jam dictum supra § præced. n. 52. 54. et seqq.

§ IV.

DE ERECTIONE BENEFICIORUM, NEC NON QUALITATIBUS IN LIMINE FUNDATIONUM APPOSITIS.

99. *Quæ requirantur ad erectionem beneficii ecclesiastici? Ea debet fieri ad cultum divinum, sub onere præstandi officium spirituale.* — Quæritur I. Quæ requirantur ad erectionem beneficii ecclesiastici? Resp I. Ad erectionem beneficii ecclesiastici cumprimis requiritur, ut fiat ad cultum divinum, sub onere præstandi quodpiam officium spirituale, sive ecclesiasticum. Siquidem beneficium datur propter officium, cap. ult. *de Rescript*. in 6.

100. *Ad beneficii erectionem requiritur etiam congruentia dotis.*—Deinde requiritur congruentia dotis : sive, quod beneficium ejusmodi non solum in loco congruo erigatur, et quidem absque præjudicio aliarum ecclesiarum, sive beneficiorum; sed etiam sufficientes redditus, pro decenti sustentatione clerici beneficiarii, eidem assignentur. Unde ad episcopum pertinet, in limine fundationis rite examinare locum erectionis, dotisque congruentiam, et futurum regimen, sive onera beneficio imposita. Barbosa lib. III. *Jure ecclesiast. univ*. cap. IV. n. 21.

101. *Quæ, una cum loco erectionis, debet examinari per episcopum. Non decet unum altare discooperire, ut aliud cooperiatur.* — Et quidem locus erectionis debet examinari, an sit conveniens pro tali beneficio, nec hujus erectio tendat in præjudicium alterius. Quia « non decet unum altare discooperire, ut aliud cooperiatur; » prout loquitur Abbas c. *Pastoralis*. n. 3. « De his, quæ fiunt a Prælatis, » etc. id probans ex c. *Cum causam*. 36. h. t. estque vulgatum canonistarum. Dotis vero congruentia, juxta qualitatem beneficii, loci ac personarum, aliarumque circumstantiarum, examinari debet, ut videatur, an clericus inde honeste sustentari valeat? nam ut Salvator inquit *Matth*. X, 10. *Dignus est operarius cibo suo*. Atque secundum Apostolum, qui altari servit, vivere debet de altari, I. *Corinth*. IX, 13. *Cum secundum Apostolum*. 16. h. t. cum similibus.

102. *Ad erectionem beneficii insuper requiritur consensus episcopi, et quidem expressus.* — Tandem ad erectionem beneficii ecclesiastici requiritur auctoritas, sive consensus episcopi : adeo, ut non sufficiat consilium episcopi, aut petitio sui consensus; sed requiratur consensus expressus. Barbosa cit. cap. IV, n. 22, post Lambertinum *de Jurepatronat*, lib. I. part. I. in 7. quæst. art. n. 131. et concordat dicta superius § 1. n. 14. et seqq. (ADNOTATIO L.)

103. *Ubi constat de consensu episcopi in limine fundationis adhibito, præsumuntur omnia per episcopum diligenter discussa.* — Resp. II. Ubi constat de consensu episcopi in limine fundationis adhibito, præsumuntur omnia per eumdem diligenter discussa, etiam circa congruentiam dotis. Ita Rota decis. 521. n. 1. part. II. *Recent*. apud Barbosam, loc. cit. n. 22. Generaliter enim pro judice judicialiter procedente, aliisque viris litteratis, providis et honestis præsumitur, quod in suis negotiis rite processerint, donec contrarium probetur, c. *In nostra*. et Abbas ibid. n. 3. *de Procurat*. et c. *Cum dilectus*. 9. *de Fide instrument*., estque uberius dictum supra lib. II. tit. XXIII. *De Præsumptionibus* § 4. n. 86. et seqq.

104. *Et vicissim, beneficio in forma debita cæteroquin erecto, præsumitur, consensum episcopi ab initio intervenisse.*— Sicut et vicissim præsumitur, hanc episcopi auctoritatem ab initio intervenisse in erectione beneficii, si ecclesia ædificata, aliudve beneficium, cæteroquin reperiatur in forma debita; habeatque dotem, atque rectorem. Barbosa, ubi supra, n. 23. post Rotam in Hipporegiensi capella, 13 junii 1613. coram R. P. D. Pirovano, et alios. Concordat Mascardus, *de Probationib*., concl. 416. n. 4. allegatis pluribus aliis docens, quod consensum episcopi in fundatione ecclesiæ intervenisse, præsumatur ex diuturnitate temporis, si in ea publice sint celebrata divina.

105. *Fundator beneficii potest in limine fundationis adjicere quascunque qualitates, leges, et conditiones sibi bene visas, cæteroquin honestas.* — Quæritur II. Quid dicendum sit de qualitatibus, sive conditionibus, in limine fundationis beneficii per fundatorem appositis? Resp. I. Fundator beneficii potest in limine fundationis adjicere quascunque voluerit qualitates, leges seu conditiones sibi bene visas, cæteroquin tamen possibiles, ac honestas, cum consensu ordinarii. Ita desumitur ex c. *Significatum* 11. *de Præbend.* et c. *Præterea.* 23. *de Jurepatronat.* et c. *Quanto.* 16. *de Censib.* Et inter alios tradit Gonzalez ad reg. 8. cancell. Gloss. 5. n. 100. et seqq. allegans Rotam decis. 1. *de Præbend. in novis.* et decis. 2. *de Testament.* in antiq. atque, ut inquit card. de Luca, *de Beneficiis*, discurs. 95. n. 10. est regula generalis. Siquidem quilibet est moderator, et arbiter rerum suarum, l. *In re mandata.* C. *Mandati :* potestque de ipsis, sive in vita per pias, v. g. fundationes, sive mortis causa per testamentum, prout sibi bene visum est, disponere.

106. *Quæ omnimodis erunt observandæ. Refertur textus notabilis concilii Tridentini quoad hoc.* — Unde et jura ejusmodi qualitates, sive onera, et conditiones in limine fundationum adjectas, omnimodis observandas esse censuerunt : ut Clem. *Quia contingit.* § 1. *de Religios. domib.* ubi dicitur : « Ea, quæ ad certum usum largitione sunt concessa fidelium, ad illum debent, non ad alium (salva quidem Sedis apostolicæ auctoritate) converti. » Concordat textus in l. *Nulli licere.* C. *de Episc. et cleric.*, etc. *Nos quidem.* 3. *de Testament.* cum similibus : ac novissime concilium Tridentinum, sess. 25. cap. v. *de Reform.* illis verbis : « Ratio postulat, ut illis, quæ bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur : quando igitur ex beneficiorum quorumcunque erectione, seu fundatione, aut aliis constitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta; in beneficiorum collatione, seu in quacunque alia dispositione, eis non derogetur. » Et infra : « Aliter fracta provisio, subreptitia censeatur. »

107. *Idque exemplificatur in fundatione exprimente, ut beneficium vacaturum conferatur consanguineo fundatoris, etc. Et an valeat tunc collatio beneficii alteri facta?* — Sic, ubi fundator in limine fundationis ordinavit, seu expressit, ut emergente vacatura capellæ, beneficii a se erecti, istud conferatur cuipiam cæteroquin idoneo ex consanguineis descendentibus ex sua cognatione ; hæc conditio, seu qualitas instituendi, omnino erit observanda. Rota in una Cæsaraugustana, capellaniæ 16 martii 1587. coram illust. Seraphino. Et aliter facta præsentatio, seu provisio de non habente dictam qualitatem consanguinitatis, est invalida. Garcias, *de Beneficiis*, part. VII. cap. xv. n. 6. allegans alios. Dummodo adsit quispiam habilis ex consanguineis illius fundatoris, et quidem contradicens, atque opponens, sibique vi primævæ fundationis provisionem fieri postulans : alioquin enim, nemine opponente, sustinetur præsentatio, vel provisio; non minus, ac si fieret spreto patrono, et tamen non contradicente. Pyrrhus Corradus lib. II. *Praxis benefic.*, cap. x, n. 67 et 69. et Garcias cit. cap. xv, n. 7. et part. V. cap. ix. n. 231 et 232, allegans alios, et multiplicem decisionem Rotæ. Atque hoc ipsum, servata proportione, dicendum est de aliis similibus casibus.

108. *Qualitates seu conditiones turpes aut impossibiles, appositæ in limine fundationis habentur pro non adjectis.* — Additur notanter in conclusione, « cæteroquin tamen possibiles, ac honestas. » Nam qualitates, seu conditiones turpes, aut impossibiles appositæ in limine fundationis, ob favorem religionis habentur pro non adjectis, arg. cap. ult. *de Conditionib. apposit.* etc. ac notat Pyrrhus Corradus, cit. lib. II. *Praxis beneficior.* cap. x. n. 166.

109. *Idque exemplificatur. Fundator beneficii, an et qua ratione possit illud obtinere absque simonia?* — Hinc reprobatur illa fundatio beneficii, quæ fit cum pacto, et conditione, fundatori bona sua temporalia Ecclesiæ conferenti, postmodum liceat beneficium illud retinere. Nam talis pactio, sive conditio apposita, est turpis, atque simoniaca, juxta textum expressum in c. *Tua nos.* 34. *de Simonia :* cum in talibus, sive in beneficiis ecclesiasticis, omnis pactio, ac conventio cessare debeat juxta canonicas sanctiones, cit. c. *Tua nos.* et c. *Quæsitum.* 5. *de Rerum permutat.* Si tamen pure ac simpliciter quis erigat beneficium, et roget solummodo humiliter, ut illud sibi conferatur, poterit istud fieri absque ulla labe simoniæ cit. c. *Tua nos.* § *Si vero. de Simonia.*

110. *Qualitas, lex, aut conditio in limine fundationis apposita, si de se honesta sit et possibilis, est observanda, licet sit contraria juri communi : idque exemplificatur.* — Quod si

vero qualitas, sive lex, aut conditio in limine fundationis abjecta, de se sit honesta et possibilis, tunc ea est observanda; haud obstante, quod sit contraria juri communi. Glossa communiter approbata in c. *Cum dilectus.* ỷ. *Constitutum.* vers. *Satis tamen credo. de Consuetud;* card. de Luca *de Beneficiis.* discurs. 95. n. 10; Fagnanus c. *Cum in cunctis*, n. 72. et 73. *de Election.;* asserens, sic tenuisse sacram congregationem; quam secuta fuit Rota, decis. 194. n. 1. part, II. *Recent.* Atque istud exemplificat Fagnanus, ibid. in canonicatu, qui potest conferri ante ætatem a jure communi, vel concilio Tridentino præscriptam, si ita cautum fuerit in ejusdem fundatione. Et talem conditionem in erectione beneficii, etiam episcopus admittere potest.

111. *Fundatoris successor non potest alterare, aut derogare qualitatibus in limine fundationis appositis.* — Resp. II. Leges, conditiones, seu qualitates in limine fundationis appositas non potest patronus hæres, sive fundatoris successor alterare, aut eisdem derogare, etiam cum consensu episcopi. Ita conformiter concilio Tridentino, sess. 25. cap. v. *de Reform.* (cujus verba n. 106. relata sunt) card. de Luca *de Beneficiis*, discurs. 96. n. 6. et 7. citans Rotam in Alexandrina decanatus. 12. junii 1598. coram Orano; et aliam Rotam Decis. 496. n. 9. part. I. *recent.;* Pyrrhus Corradus in *Praxi Beneficiorum*. lib. II. cap. x. n. 145. et seqq. ubi sub n. 152. refert declarationem sacræ congregationis concilii, quæ cum inter alia interrogaretur: « Quarto, An de consensu patroni possit dispensari cum minori viginti quinque annorum ad capellaniam simplicem obtinendam, ad quam ex fundatione est præsentandus sacerdos? » Respondit: « Ad quartum, hanc dispensandi facultatem episcopis post concilium non competere. » Hæc ibi. Concordat Fagnanus in c. *Conquerente.* n. 24. *de Cleric. non resident.* pariter asserens, sacram congregationem censuisse, quod hodie ex decreto concilii Tridentini cit. sess. 25. cap. v. *de Reform.* non sit in facultate ordinarii, derogare qualitatibus in fundatione appositis, etiam de consensu patronorum. Garcias part. VII. *de Beneficiis.* cap. I. n. 107. et 111. ac seq. Quidquid olim Felinus c. *Cum accessissent.* n. 19. *de Constitut.* et nonnulli alii, apud eumdem Garciam n. 105. et 106. in oppositum tenuerint, asserentes, posse episcopum cum consensu Patroni successoris fundatoris pro una, vel altera vice alterare qualitates, seu conditiones in fundatione requisitas; ac dispensando contra eas, conferre beneficium non habenti dictas qualitates. Nam hæc opinio satis rejicitur ex verbis concilii Tridentini jam relatis, juncta præsertim declaratione sacræ congregationis concilii, ac tam multiplici decisione Rotæ.

112. *Bene tamen fundator ex justa causa, et cum consensu episcopi potest eas ex post facto alterare.* — Additur notanter in conclusione, « Patronus hæres, sive fundatoris successor, » etc. Nam, quod patronus fundator adhuc vivens ex justa causa, et cum consensu episcopi, possit tollere, seu alterare conditiones, sive qualitates tempore fundationis appositas, etiam ex post facto, censet Garcias cit. part. VII. cap. I. n. 103. post Felinum c. *Cum accessissent.* n. 19. et Decium n. 51. *de Constitution.;* Rochum de Curte *De Jurepatronat.* ỷ. *Pro eo quod.* quæst. 14. n. 30. et alios, quos citat, asserens, istud videri clarum.

113. *Sed non in præjudicium Ecclesiæ, aut juris tertio quæsiti.* — Fatendum tamen, quod oppositum teneat Pyrrhus Corradus cit. lib. II. *Praxis benefic.* cap. x. n. 157. et seqq. Quia (inquit) concilium Tridentinum, ubi supra, ac declarationes sacræ congregationis non distinguunt inter patronum viventem, et defunctum; ergo neque nos distinguere oportet, l. *De pretio.* ff. *de Publician. in rem action.* Eo præsentim: quia per fundationem ab episcopo authentizatam, jam est jus Ecclesiæ acquisitum: quod proinde ex post facto non amplius potest fundator eidem auferre, minuere, aut per novas conditiones infringere. Et hæc posterior sententia locum habere videtur, quando patronus ex intervallo vellet qualitates fundationis mutare in præjudicium Ecclesiæ. Card. de Luca, discurs. 6. *de Jurepatronat.* n. 16. Aut in præjudicium tertii, tollendo jus ipsi jam quæsitum. Card. de Luca, discurs. 16. de Jurepatronat. n. 2 et 3. post Rotam, Decis. 37, n. 1. et seqq. part. VII. *Recent.* et alibi sæpius. Alioquin secus. Idem card. de Luca, discurs. 18. *de Jurepatronat.* n. 4. citans alios.

114. *Redditibus beneficii diminutis, an missarum in fundatione impositarum, numerum possit episcopos reducere?* — Limitatur etiam a nonnullis data conclusio in casu, quo redditus ipsius beneficii postea ob temporum injuriam sunt diminuti, atque insufficientes reperiuntur ad supportanda onera in limine

fundationis imposita, legendi v. g. tot vel tot missas. Tunc enim posse episcopum cum consensu patroni, imo etiam isto invito, onera imposita, seu missas v. g. legendas moderari, et reducere ad minorem numerum juxta quantitatem redditaum beneficii; tradit Garcias cit. part. VII. cap. I. n. 134. 135 et seqq. post. Felinum in c. *Cum accessissent.* n. 19. *de Constitut.* ubi ait, quod cessantibus redditibus cessare debet ordinatio testatoris. Concordat Azorius part. II. lib. VI. cap. XXIV. quæst. 6.; Miranda in *Manual. prælat.* tom. quæst. 41. art. 24. vers. *Sed revera*, pluresque alii a Garcia, ubi supra, relati. Accedit ratio, quia alioquin non facile reperiretur, qui sub redditibus adeo tenuibus, atque diminutis, vellet antiqua onera sustinere; sicque piæ fundatorum voluntates penitus deperirent, nisi ob urgentem hanc diminutionis redditaum causam episcopali auctoritate temperari, atque ex parte saltem, quantum fieri potest, sustineri valerent, arg. c. *Cum accessissent.* 8. et c. *Ex parte.* 12. *de Constitution.* et quæ ibidem notant doctores. Quinimo ob hanc ipsam causam concilium Tridentinum. sess. 25. cap. IV. *de Reform.* facultatem dedit episcopis, ut in synodo diœcesana, itemque abbatibus, et generalibus Ordinum, ut in capitulis generalibus, re diligenter inspecta, possint pro sua conscientia reducere ad minorem numerum onera missarum, ex variis defunctorum relictis impositarum, quando eleemosynæ pro illis celebrandis adeo, sunt tenues, ut non facile inveniatur, qui huic sese muneri subjicere velit.

115. *Missarum ex relictis defunctorum impositarum, v. g. anniversariorum reductionem, ob tenuitatem redditaum, potest facere episcopus.* — Verum loquendo de oneribus missarum celebrandarum in fundatione appositis (sicut et de impositis post dictum concilium Tridentinum) contrariam sententiam tenent Gavantus in *Manual. episcop.* ℣. *Missa.* n. 55. et 56; Fagnanus c. *Significatum* n. 15. *de Præbend.*; Tamburinus lib. III. *de Sacrificio Missæ*, cap. I. § 2. n. 1. et 2; Diana part. II. tract. XIV. resol. 1. allegans Homobonum in *Exam. eccles.* part. I. tract. IV. cap. XIV. q. 129. pluresque alios, qui asserunt, reductionem talium missarum non posse fieri per episcopum, sed pro ea obtinenda recurrendum esse ad Papam. Rationem dant, quia concilium Tridentinum loc. cit. concedens episcopis facultatem reducendi onera missarum ad minorem numerum, loquitur solum « de magno missarum celebrandarum numero ex variis defunctorum relictis imposito; » uti sunt missæ, et anniversaria defunctorum non autem de missis impositis beneficio, seu capellaniæ, in limine fundationis: ac proinde inferunt memorati auctores, pro harum reductione recurrendum esse ad summum Pontificem. Accedit, quod ita novissime decreverit Urbanus VIII. in sua 45. constitutione, « Cum sæpe contingat (atque alio nomine, *decretum de Celebratione missarum*, appellatur) ubi, § 1. districte prohibet, atque interdicit, ne episcopi in diœcesana synodo, aut generales in capitulis generalibus, vel alias quoquo modo reducant onera ulla missarum celebrandarum, aut post idem concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad apostolicam Sedem recurratur, » etc, idque sub nullitate actus in declarationibus sacræ congregationis concilii, eidem decreto in citato *Bullario* subjunctis, respondendo ad primum dubium, quod non obstante tenuitate legatorum, « pro reductione onerum Sedes apostolica sit adeunda, quæ absque ulla impensa id statuet, quod magis in domino e re esse judicaverit. »

116. *Et an duntaxat in synodo diœcesana?* — Ubi pariter notandum est, quod concilium Tridentinum cit. sess. 25. cap. IV. *de Reform.* expresse addiderit, memoratam missarum ex variis defunctorum relictis impositarum reductionem, ab episcopo esse faciendam in synodo diœcesana: adeoque, spectato rigore ejusdem concilii, id fieri non posse extra memoratam synodum. Attamen, quod istud decretum in aliquibus episcopatibus non sit usu receptum, utpote in quibus reductiones non solum missarum capellaniarum, sed etiam anniversariorum, et dotationum ecclesiarum fiunt extra synodum; refert Garcias d. part. VII. cap. I. n. 136. Addit etiam Navarrus cap. XXV. Manual. n. 138. illud, quod concilium Tridentinum cit. sess. 25. cap. IV. *de Reform.* concessit, videri quidem « Jus novum quoad abbates et generales, sed non quoad episcopos, qui possunt hoc facere, etiam sine synodo, jure antiquo, arg. c. *Cum accessissent.* etc. *Ex parte. de Constitut.* quod non videtur per hoc sublatum, cum fuisset additum ad augendum. » Hæc Navarrus.

117. *Per clausulas generales derogatorias, an censeatur derogatum qualitatibus in limine fundationis appositis? Clausula* Non obstan-

tibus statutis, etc., *unde desumpta sit?* — Quæritur III. Utrum per clausulas generales derogatorias, in litteris apostolicis contentas, « Non obstantibus statutis, » etc. censeatur derogatum qualitatibus in limine fundationis requisitis? Ubi sciendum, quod clausula illa, « Non obstantibus, ejusdem ecclesiæ privilegiis, consuetudinibus, vel statutis, juramento, confirmatione apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, » quæ, communiter in rescriptis ad beneficia ecclesiastica, et præbendas ecclesiarum cathedralium, seu collegiatarum apponi solet (non vero in aliis beneficiis, ut inquit Garcias part. VII. *de Beneficiis*, cap. I. n. 123.) desumpta sit ex c. *Cum aliquibus*. 4. *de Rescript.* in 6. De cujus etiam intellectu, præter alios doctores, plura congerit Barbosa in tractat. *de Clausulis usu frequent.* clausul. 84. per totum. Quo prænotato.

118. *Per clausulam hanc derogatur statutis ecclesiarum generalibus.* — Resp. I. Etsi per clausulas ejusmodi generales derogetur statutis ecclesiarum generalibus, seu omnia beneficia cujuspiam ecclesiæ respicientibus : non tamen per ipsas censetur derogatum primævæ fundationi, seu qualitatibus in eadem pro consecutione certi cujuspiam beneficii requisitis, nisi expressa fiat mentio ipsiusmet fundationis. Ita Felinus c. *Nonnulli*, n. 22. *de Rescript.*; Garcias cit. part. VII. cap. I, n. 116, 117. et 118. et Barbosa cit. clausul. 84, n. 5. et 6. et 11. allegans alios, et multiplicem decisionem Rotæ. Prior pars ex eo liquet : quia Papæ nec deest potestas derogandis statutis ecclesiarum, cap. I. *de Constitut.* in 6. et c. *Licet ecclesiarum* 2. *de Præbend.* in 6. cum similibus. Nec voluntas, stante clausula illa : hæc quippe expressis verbis continet claram intentionem Papæ, volentis pro ea vice derogare statutis Ecclesiæ : cui rescriptum porrigi debet.

119. *Non tamen primævæ fundationi, seu qualitatibus in eadem requisitis pro consecutione beneficii, absque expressa mentione fundationis.* — Altera vero pars desumitur ex c. *Cum dilectus*. 28. juncta Glossa ỿ. *Quempiam præsentare.* circa fin. *de Jurepatron.* Siquidem Papa per clausulas generales non intendit præjudicare, nec derogare, piis fundationibus, seu legibus in earum limine appositis, ne fideles retrahantur a fundationibus, et ordinationibus beneficiorum. Glossa loc. cit. Garcias cit. cap. I. num. 118. allegans Rotam in Foroliviens. capellaniæ. 10 maii 1589. coram dom. Seraphino. et alios.

120. *Istud intelligendo tum in fundationibus laicorum, tum etiam clericorum.* — Atque istud procedit non solum in fundationibus laicorum, de proprio patrimonio fundantium Ecclesias, aliaque beneficia Ecclesiastica; sed etiam in fundationibus clericorum, juspatronatus duntaxat ecclesiasticum habentium : prout contra nonnullos alios, tenet Felinus cit. c. *Nonnulli* n. 23. *de Rescript.* et Garcias d. part. VII, cap. I. n. 120. et 121. Accedit ratio, tum quia etiam fundatio clerici facta ex bonis ecclesiasticis, est multum favorabilis; sicque non censetur ipsi derogatum, nisi de fundatione fiat expressa mentio; tum quia primæva fundatio, sive ordinatio in eadem posita, proprie non solet dici *Statutum*, sicque sub generali derogatione statutorum non venit, prout argumentatur Garcias cit. n. 121.

121. *Per clausulam illam* Non obstantibus fundationibus, etc., *derogatur quidem fundationibus clericorum; non est vero laicorum, nisi expressa de his fiat mentio.* — Resp. II. Quando in clausulis derogatoriis etiam apponitur ly, « Non obstantibus fundationibus, » etc., derogatur quidem fundationibus clericorum, atque qualitatibus, seu requisitis ipsarum; non vero fundationibus laicorum, seu factis ex bonis patrimonialibus, nisi de his fiat expressa mentio. Ita Glossa c. *Cum dilectus.* ỿ. *Quempiam præsentare. de Jurepatronat.* et alia Glossa in Clem. 2. ỿ. *Apostolicis de Præbend.* Garcias loc. cit. n. 122. Fagnanus c. *Quoniam.* n. 10. et 11. *de Jurepatronat* cum aliis generaliter docens, quod Papa non censeatur velle derogare jurispatronatus laicorum, nisi hoc exprimat.

122. *Et quæ ratio disparitatis?* — Accedit ratio simulque disparitas inter utramque partem conclusionis. Quia laici acquirunt juspatronatus ratione proprii patrimonii, quo fundaverunt, construxerunt, vel dotarunt Ecclesiam, aut beneficium : unde, ne alii retrahantur a faciendis similibus piis fundationibus neque consultum est, neque Papa præsumitur velle eisdem quoquo modo derogare, nisi istud clare exprimat. Secus dicendum de Clerico, seu patrono ecclesiastico, qui beneficium fundavit non ex proprio patrimonio, sed ex bonis suæ ecclesiæ, cæteroquin jurisdictioni Papæ specialiter jam subjectis. Verum de jurepatronatus, et qualiter acquiratur, plura inferius in proprio tit. XXXVIII. *de Jurepatronatus.*

§ V.

DE COLLATIONE BENEFICIORUM : UBI PLURA DE COLLATIONE ECCLESIARUM PAROCHIALIUM PER CONCURSUM.

123. *Beneficia ecclesiastica tribus potissimum modis conferuntur.* — Quæritur I. Quibus modis generatim conferantur beneficia ecclesiastica? Resp. breviter, id fieri potissimum tribus modis. Primo, per electionem canonicam, seu legitime celebratam a capitulo, vel aliis, quorum interest, atque a superiore confirmatam : et de hac dici solet, atque ex professo jam dictum est supra lib. I. tit. VI. *De Electione*, per totum. Secundo, per præsentationem præviam, et institutionem in beneficio factam a prælato : de quo modo conferendi beneficia ecclesiastica, dicetur inferius partim tit. VII. *De Institutionibus*, partim tit. XXXVIII. *de Jurepatronatus*. Tertio, per collationem liberam : quando videlicet beneficium solo jure prælati libere, seu absque prævia capitulari electione, vel alterius præsentatione, cuipiam idoneo clerico confertur : et de hoc agitur impræsentiarum, junctis dicendis infra cit. tit. VII. *De Institutionibus*. et tit. VIII. *De Concessione Præbendæ*, etc.

124. *Acquiruntur etiam nonnullis aliis modis ; et quibus?* — Dicitur notanter in conclusione, « tribus potissimum modis. » Quamvis enim hi tres sint communiores, et præcipue usitati modi, quibus beneficia ecclesiastica conferri, obtinerique solent : unde hac de causa communiter beneficia dividuntur in electiva, patronata, et collativa, seu libera, ut jam superius n. 39. dictum est. Nihilominus beneficia etiam acquiri possunt, et quandoque acquiruntur aliis modis : ut puta, per postulationem, de qua dictum est supra lib. I. tit. V. *De Postulatione prælatorum*, per totum. Item, per resignationem, secuta beneficii resignati collatione per ordinarium alteri facta : de qua, et qualiter fieri debeat, pariter cit. lib. I. tit. IX. *De Renuntiatione*, ex professo tractatum fuit. Item mediante beneficiorum permutatione, juxta dicenda inferius tit. XIX. *De rerum permutatione*. Tacetur specialis modus acquirendi episcopatum per translationem; de quo superius lib. I. tit. VII. *De Translatione episcopi*, fusius actum est : nec non modus acquirendi beneficia ad primas preces imperatoris, et hujusmodi. Nisi placuerit hoc ipsos conferendi beneficia modos reducere ad unum priorum trium, conformiter dictis supra lib. I. tit. VI. *De Electione*. n. 9.

125. *Quæ requirantur ad legitimam provisionem, seu collationem beneficii? Provisio est nomen latum, comprehendens sub se omnes modos providendi Ecclesiis. Provisio idem est, ac collatio.* — Quæritur. II. Quæ requirantur ad legitimam provisionem, seu collationem beneficiorum? Ubi prænotandum cum Glossa in Clem. ult. ℣. *Provisioni. de Election.* quod *Provisio* sit nomen satis latum, et veluti genus comprehendat sub se omnes modos, per quos providetur cuipiam de beneficio, ipsique Ecclesiæ de idoneo rectore : unde complectitur sub se nominationem, postulationem, præsentationem, collationem; estque amplius dictum supra lib. I. tit. VI. *De Electione*. n. 16. Atque in hoc sensu Glossa c. *Eum cui*. in Casu. *de Præbend*. in 6. asserit, quod « idem est Provisio, quod Collatio ; » juxta textum ibidem, quo canonicatus cuipiam a Sede apostolica *collatus*, postea *provisionis* ordine dicitur ipsi concessus. Idem tradit Glossa in Clem. un. ℣. *Conferantur. de Rerum permutat.* passim recepta. Quo prænotato.

126. *Collatio beneficii debet esse canonica.* — Resp. I. Generatim loquendo ad legitimam provisionem, seu collationem beneficii ecclesiastici, requiritur, quod sit *Canonica* : hoc est, facta juxta præscriptum sacrorum canonum; videlicet, sine vitio conferentis, recipientis, et formæ. Ita Joan. Andreas c. *Constitutus*. n. 2. *de Filiis presbyt*. et alii. Siquidem, ut habet reg. 1. jur. in 6. « Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri : » juncta reg. 64. eod. in 6. « Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi, » cum concordantiis.

127. *Ac celebrata juxta formam a jure communi, statuto, aut consuetudine, etc., præscriptam. Forma dat esse rei.* — Resp. II. Deinde in collatione, seu quacunque provisione beneficiorum, oportet observare formam a jure communi, vel statuto, aut consuetudine, vel fundatione præscriptam ; alioquin nulla erit. Ita communis; ac signanter Garcias part. IX. *de Beneficiis*, cap. I. n. 1. post Puteum decis. 338. lib. I. et alios. Siquidem formam dat esse rei, l. *Julianus*. § *Si quis rem*. ff. *Ad exhibendum*. Ac forma non servata, corruit actus, c. *Quia propter*. 42. § *Aliter. de Election*. et can. *Sine exceptione*. 12. quæst. 2. et c. *Cum dilecta*. 22. *de Rescript*. cum similibus;

et late tradit Everardus *in Loco*, *A defectu formæ*, n. 2. et 3. ac seqq. Garcias cit. part. IX. cap. I. n. 1. et alii. Cæterum, quænam forma in specie sit observanda in provisione beneficiorum per viam electionis, postulationis, renuntiationis, seu permutationis, ac hujusmodi, in propriis locis, imo et sub specialibus titulis, commodius explicari solet. Generatim autem loquendo.

128. *Collatio beneficii debet fieri gratis: alioquin erit simoniaca et invalida.* — Resp. III. Ad quamcunque provisionem, seu collationem beneficii ecclesiastici, vel maxime requiritur, ut fiat gratis : hoc est, non pretio, pecunia, seu mercede temporali interveniente, can. *Si quis dator*. et can. *Si quis objecerit*. et can. *Salvator*. 1. q. 3. cum innumeris concordantiis. Alioquin quippe contraheretur simonia, qua provisio beneficii vitiatur, ipsoque jure invalida existit ejus acquisitio. can. *Ea quæ*. 1. q. 3. et *Extravag. Cum detestabile. de Simon.* inter commun. cum similibus ; atque amplius, dici solet tit. *de Simonia.*

129. *Debet etiam fieri pure; hoc est, sine pacto, conditione, etc.* — Insuper requiritur, ut collatio et quævis provisio beneficii ecclesiastici, fiat pure : id est, sine pacto, conditione ac modo privata partium conventione adjecto : alioquin pariter censeretur simoniaca, et nulla c. *Super eo*. 7. *de Transaction.* et c. *Cum pridem*. 4. et c. *Cum Clerici*. 6. *de Pactis*, cum concordantiis. Nam, ut c. *Quæsitum*. 5. *de Rerum permutat.* legitur, « Pactio circa spiritualia , vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ. » Ac proinde merito cap. ult. *de Pactis*, dicitur : « Pactiones factæ pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti. » Videantur plura de hoc superius lib. I. tit. IX. *de Renuntiatione*. § 4. n. 75. et seqq. ubi hoc ipsum exemplificatur ; simulque n. 81. et seqq. declaratur clausula illa, « privata partium, conventione adjecto. »

130. *Et non esse obtenta subreptitie.* — Ulterius requiritur, ut collatio beneficii non sit obtenta subreptitie ; hoc est, per expressionem falsitatis, aut suppressionem veritatis de jure exprimendæ : alioquin ipsa non tenet ac nullius existit momenti, c. *Cum adeo*. 17. juncta glossa ℣. *De Præbenda*. et ℣. *Nec Clericus, de Rescript.* et c. *Ad audientiam*. 11. eod. et Clem. *de Præbend.* cum similibus ; estque ex professo dictum supra lib. I. tit. III. *De Rescriptis*. § 7, n. 171 et 172. ac seqq.

131. *Debetque fieri intra debitum tempus; et quale?* — Resp. IV. Ad validam provisionem, seu collationem beneficii etiam requiritur, ut fiat intra debitum tempus : hoc est, intra tres menses, loquendo de ecclesiis cathedralibus, et regularibus prælato perpetuo vacantibus : vel intra semestre, a die notæ vacationis computandum, loquendo de cæteris prælaturis, dignitatibus, et beneficiis ecclesiasticis. Textus est in c. *Ne pro defectu*. 41. *de Election.* et c. *Nulla*. 2. et c. *Quia diversitatem*. 5. § fin. *de Concession. præbend.* juncto c. *Licet*. 3. *de Supplend. negligent. prælat.* estque uberius dictum supra lib. I. tit. VI. *De Electione*. § 11. n. 278. usque ad n. 282. et tit. X. *De supplenda negligentia prælatorum*. n. 22. 23. et. 24. Ibi videatur.

132. *Quibus conferenda sint beneficia ecclesiastica? Remissive.* — Quæritur III. Quibus conferenda sint beneficia ecclesiastica? Resp. I. Generatim loquendo, talibus clericis conferenda sunt beneficia, præsertim curata, quos commendat « ætatis maturitas, gravitas morum, et litterarum scientia, » juxta textum expressum c. *Cum in cunctis*. 7. § 1. *de Election.* Et qui « digne possunt Dominica sacramenta tractare : melius est enim Domini sacerdoti, paucos habere ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, » prout habetur can. *Tales*, distinct. 23. Quique personaliter residere in loco beneficii, et curam ejus per se ipsos valeant exercere, c. *Quia nonnulli*. 3. *de Clericis non resident.* cum concordantiis.

133. Resp. II. Loquendo magis in specie, quænam ex parte promovendorum ad beneficia ecclesiastica, tum curata, tum non curata (puta, ad obtinendos episcopatus, ecclesias parochiales, vel vicariatus perpetuos; sive ad dignitates, personatus, canonicatus ecclesiarum cathedralium, vel collegiatarum, ipsaque beneficia simplicia) requirantur, in propriis locis jam dictum est. Præsertim vero de his copiose, simulque ex professo, actum fuit supra lib. I. tit. VI. *De Electione*. § 9. *De Qualitatibus eligendorum*, per totum ; et tit. XIV. *De Ætate, qualitate, et ordine præficiendorum*, pariter per totum ; ubi proinde videri poterit. (ADNOTATIO LI.)

134. *Quid dicendum de collatione ecclesiarum parochialium, per formam concursus.* — Quæritur IV. Quid dicendum de collatione

parochialium ecclesiarum per formam concursus. Resp. I. Cum maxime expediat animarum saluti, eas a dignis et idoneis parochis gubernari : hinc ut istud diligentius ac rectius perficiatur, concilium Tridentinum, sess. 24. cap. XVIII. *de Reform.* pro assumendis ad regimen parochialium ecclesiarum, novam formam examinis per Concursum (ut vocant) præscripsit, consistentem in sequentibus.

135. *Forma concursus non habet locum in beneficiis simplicibus, bene tamen in ecclesiis parochialibus.* — Et primo quidem sancta synodus statuit, ut examen hujusmodi servetur in omnibus ecclesiis parochialibus, etiamsi cura ecclesiæ, vel episcopo incumbere dicatur, aut per unum vel plures administratur, per obitum, vel resignationem vacantibus : « etiamsi ipsa parochialis ecclesia reservata, vel affecta fuerit generaliter, vel specialiter, » etc. Secus dicendum de beneficiis simplicibus : nam horum collatio non indiget prævio examine per concursus; unde nec ipsorum meminit concilium præfatum. Aloys. Riccius part. I. *Prax. fori eccle-siast.* resp. 362; Barbosa part. III. *de Offic. et potest episc.*, allegat. 60. n. 36, citans Rotam in una Calaguritana reductionis motus proprii, 29 martii 1592. coram Illustriss. Seraphino, inter hujus impressas decis. 942. n. 6. et 7.

136. *His vacantibus debet constitui idoneus vicarius, si opus fuerit.* — Secundo statuit, ut occurrente parochialis ecclesiæ vacatione « debeat episcopus statim, habita notitia vacationis ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore provideatur. » Ita concilium. Ubi ly, « si opus fuerit, » additum fuit ad excludendum casum, quo in eadem ecclesia adessent alii ministri sacramentorum, qui interea curam illam, quæ ad defectum spectabat, exercerent, etc. Garcias part. IX. *de Beneficiis*, cap. II. n. 13. allegans declarationem sacræ congregationis concilii.

137. *Et quæ alia quoad formam concursus præscripserit concilium Tridentinum?* — Tertio idem concilium statuit; « ut Episcopus, et qui juspatronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus, ab episcopo præscribendum, idoneos aliquot clericos ad regendam ecclesiam coram deputandis examinatoribus nominet. Aut pro regionis more, per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Transacto constituto tempore, omnes, qui descripti fuerint, examinentur ab episcopo, sive eo impedito, ab ejus vicario generali, atque aliis examinatoribus non paucioribus, quam tribus, » etc. in synodo diœcesana proponendis, et approbandis, atque habilitatis juxta præscriptum citati concilii Tridentini.

138. Quarto statuit, ut « peracto examine renuntietur, quotcunque ab his idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis; ex hisque episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, atque illi, et non alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. »

139. Quinto præscribit concilium, quid observandum sit, quando Ecclesia parochialis est jurispatronatus ecclesiastici, vel laicalis, illis verbis : « Si vero jurispatronatus ecclesiastici erit, ac institutio ad episcopum, et non ad alium pertineat, is quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituatur. Cum vero institutio ab alio, quam ab episcopo, erit facienda, tunc episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. Quod si juspatronatus laicorum fuerit, debeat, qui a patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis, ut supra examinari, et non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti. » Hæc ibi. Unde patet notabile discrimen inter juspatronatus ecclesiasticum, et laicale : nam in illo præmittendum est examen plurium, seu per formam concursus : secus in isto, ubi solus ille, qui a patrono laico præsentatus est, examinari debet, atque admitti, si dignus repertus fuerit. Ratio hujus disparitatis habetur supra n. 121. et 122.

140. Sexto statuit concilium, « ut in omnibus supra dictis casibus non cuipiam alteri, quam uni ex prædictis examinatis, et ab examinatoribus approbatis, juxta supra dictam regulam provideatur : » atque examinatorum relationem nulla devolutio, vel appellatio, etiam ad Sedem apostolicam impediat aut suspendat, etc. « Alias provisiones omnes, seu institutiones, præter supra dictam formam factæ, subreptitiæ esse censeantur; non obstantibus, etc., prout amplius, et quidem fusissime, allegatis pluribus sacræ

congregationis declarationibus, et Rotæ decisionibus, atque constitutione 33, beati Pii V. quæ incipit, *In conferendis,* edita 1556, 15 cal. april., declarat Nicol. Garcias part. IX. *de Beneficiis*, cap. II. per totum. et Barbosa par. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 60, n. 13. et seqq. et part. I. *de Offic. parochi.* cap. II. per totum, citans alios. His adde dicenda inferius n. 148. et 149.

141. *Dantur nonnullæ Ecclesiæ, etiam parochiales, in quarum provisione non requiritur forma examinis per concursum. Ut si Ecclesiæ parochiales sint omnino pauperes; vel timeantur factiones.* — Resp. II. Dantur nihilominus quædam Ecclesiæ, etiam parochiales, in quarum provisione, seu collatione, non requiritur forma examinis per concursum. Ita communis; et patet inductione. Imprimis enim concilium Tridentinum cit. sess. 24. cap. XVIII. circa fin. *de Reform.* hinc excipit Ecclesias parochiales pauperes, aut factionibus, dissidiis, vel gravioribus rixis, aut tumultibus expositas, illis verbis: « Si tamen adeo exigui redditus dictæ parochiales fuerint, ut totius hujus examinationis operam non ferant; aut nemo sit, qui se examini quærat subjicere; aut ob apertas factiones seu dissidia quæ in aliquibus locis reperiuntur, facile graviores rixæ ac tumultus possint excitari: poterit ordinarius, si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa, privatum aliud examen, cæteris tamen, ut supra, servatis, adhibere. » Hæc ibi.

142. *Item vicariæ perpetuæ parochialium unitarum Ecclesiis, collegiis, etc.* — Deinde a præfato concursus exceptæ sunt vicariæ perpetuæ parochialium unitarum, seu incorporatarum aliis ecclesiis, monasteriis, beneficiis, collegiis, vel locis piis, in quibus non proprie parochus, sed vicarius ponendus est. Hujusmodi quippe vicariæ non conferuntur per concursum; sed solum ad nominationem, seu præsentationem illorum, quorum dignitati, Ecclesiæ, vel monasterio, etc., parochialis unita est, vicarii, prævio ordinarii examine, sunt instituendi. Ita Garcias cit. part. IX. cap. II. n. 289. et seqq.; Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 60, n. 31. et 32, citans plurimos alios; estque communis. Sic quippe voluit, ac mandavit beatus Pius V. in constitut. 47, *Ad exequendum.* (quæ refertur tomo II. *Bullarii Romani*) ubi § 4. sic loquitur: « Volumus insuper, et ita mandamus, quod dicti vicarii perpetui non ad liberam ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum Ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum ordinariorum, seu eorum vicariorum prævia examine, et approbatione deputentur. » Hæc ibi.

143. *Aut monasteriis regularium: ubi de his nonnulla specialia habentur.* — Et specialiter de regularibus loquendo, subjungit Pontifex ibid. § 5. in hæc verba: « Et si dictæ parochiales unitæ erunt monasteriis regularium mendicantium, possint a superioribus dictorum monasteriorum nominari ex ipsis mendicantibus, quos si ordinarii prævio examine per se, aut eorum vicarios faciendo, idoneos ad curam animarum exercendam invenerint, et ita pro idoneis approbaverint, teneantur in vicarios, ad nutum tamen superiorum suorum amovibiles, deputare. Idemque etiam servetur in regularibus monachis tantum, dummodo in ea parochiali, in qua unus ex monachis fuerit, servata forma prædicta, vicarius deputatus, habitent cum eo saltem quatuor alii ex dictis monachis. » Hactenus Pontifex, aperte præmissis verbis determinando, quod in collatione parochialium unitarum aliis Ecclesiis, collegiis, monasteriis, etc., non requiratur forma examinis per concursum. Nec immerito: nam propter unionem perpetuo factam, Ecclesia parochialis censetur accessoria alteri Ecclesiæ, collegio, monasterio, etc. c. *Extirpandæ.* 30. § *Qui vero.* h. t. Atque per se nunquam censetur vacare, juxta Clem. un. § *Quidam etiam Ecclesias. de excessib. prælat.* Sed assumit naturam, consuetudines et privilegia principalis, cui est annexa. Glossa cap. I. ℣. *Uniendo. Ne Sede vacante*, etc. Simulque in ea tantum attenditur qualitas, et natura beneficii principalis; non autem accessorii, arg. Clem. *Per litteras. de Præbend.* juncta reg. 42. juris in 6. « Accessorium naturam sequi congruit principalis: » et amplius dicetur infra tit. XII. *Ut ecclesiastica beneficia,* etc. § 3. n. 44. 45. et seqq. Sicque concilium Tridentinum, requirens formam concursus in collatione Ecclesiarum parochialium, non habet locum in Ecclesiis hujusmodi, postquam perpetuo et accessorie fuerunt unitæ aliis Ecclesiis, collegiis, monasteriis, etc., horumque naturam et qualitates assumpserunt.

144. *Item dignitates curam animarum habentes in cathedralibus, vel collegiatis Ecclesiis.* — Tertio, dignitates curam animarum habentes in cathedralibus, vel collegiatis

Ecclesiis, pro sua collatione, a concilio Tridentino cit. sess. 24. cap. XVIII. *de Reform.* præscriptam. Siquidem concilium loc. cit. non loquitur de dignitatibus, Ecclesiis collegiatis, neque harum expressam mentionem facit; prout fecit alibi, ubi voluit. Fagnanus c. *Cum sit ars.* n. 19. et 22. ac seqq. *de Ætat. et qualitat.* etc. asserens, ita sensisse sacram congregationem concilii, hujusque sententiam a sanctissimo fuisse approbatam.

145. *Ac beneficium curatum, quod vero dignitas est.* — Similiter beneficium curatum, quod vere dignitas est, non esse conferendum per concursum; tradit, atque decisum refert Barbosa cit. part. III. *de Offic. et potest. episc.*, allegat. 60, n. 29. Idemque dicendum de dignitate, quæ parochialem sibi perpetuo accessorie unitam habet. Barbosa loc. cit. n. 25. et seqq. plures similes casus allegans. Garcias d. part. IX. cap. II. n. 193. referens declarationem sacræ congregationis: et concordat dicta n. 142. et 143.

146. *Sicut et in permutationibus parochialium Ecclesiarum non requiritur examen per formam concursus. Et an aliud examen permutantium tunc requiratur?* — Quarto, in permutationibus Ecclesiarum parochialium non requiritur examen per formam concursus: non enim possunt conferri, nisi permutare volentibus, Clem. un. *de Rerum permutat.* Imo, quod in permutationibus Ecclesiarum parochialium non requiratur aliquod examen, decisum esse a sacra congregatione, refert Garcias cit. cap. II. n. 165. vers. *Quarta.* et Barbosa, ubi supra n. 23. Ea tamen adjecta limitatione, ut si adsit magna inæqualitas numeri parochianorum, vel permutantes non fuissent examinati eo tempore, quo parochiales Ecclesias adepti sunt, tunc examinandi sint, sed absque concursu: ac similiter, si fiat permutatio cum beneficio simplici, tunc necessarium sit examen, sed absque concursu.

147. *Ecclesiæ parochiales jurispatronatus laicorum, etiam non conferuntur per formam concursus. Alii casus, in quibus cessat necessitas examinis per formam concursus. Remissive.* — Tacentur Ecclesiæ parochiales, quæ sunt jurispatronatus laicorum: nam has non conferri per concursum, ultro decrevit concilium Tridentinum loc. cit. estque jam dictum supra n. 139. Tacenturque nonnulli alii casus, in quibus cessat necessitas examinis per formam concursus, quorum universim enumerat novemdecim Barbosa d. part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 60. a n. 18. usque ad n. 39. Nam cæteri vel commode reducuntur ad unum præmissorum, vel sunt minus notabiles.

148. *Provisiones parochialium, præter et contra formam præscriptam factæ, nullius sunt roboris, ex constitutione beati Pii V.* In conferendis. — Pro coronide hujus quæstionis sciendum est, quod beatus Pius constitut. 33. quæ incipit, *In conferendis* (atque refertur tom. II. *Bullarii romani*) auctoritate Apostolica, « omnes et singulas collationes, provisiones præter et contra formam a concilio Tridentino, præsertim in examine per concursum faciendo, præscriptam factas, aut in futurum faciendas, nullas, irritas, ac nullius roboris vel momenti fore, et esse nullumque provisis jus, aut titulum etiam coloratum possidendi præbere, et parochiales Ecclesias hujusmodi vacabant, ex nunc vacare statuerit, decreverit, et declaraverit, » etc., easque sic vacantes Sedis apostolicæ dispositioni reservaverit: prout patebit legentibus citatam constitutionem § 3.

149. *Et in quibus diœcesibus hæc constitutio locum habeat?* — Sciendum tamen, quod Gregorius XIII. (prout refert Garcias sæpe cit. part. IX. cap. II. n. 4.) audita relatione congregationis, responderit, dictam constitutionem beati Pii V. non habere locum, nisi in his diœcesibus, in quibus fuit coacta synodus diœcesana; et in eis juxta formam cap. XVIII. sess. 24. fuerunt deputati examinatores. (ADNOTATIO LII.)

§ VI.

DE POTESTATE CONFERENDI BENEFICIA RESPECTU PAPÆ, EJUSQUE LEGATI: UBI ET DE MANDATIS APOSTOLICIS DE PROVIDENDO.

150. *Papa de jure communi habet potestatem conferendi omnia beneficia ecclesiastica totius mundi. Horumque omnium plenaria dispositio pertinet ad Papam.* — Quæritur I. An, et quibus modis Papa possit, ac soleat conferre beneficia ecclesiastica? Resp. I. Papa, sive Pontifex Romanus, de jure communi habet potestatem conferendi omnia beneficia totius mundi. Ita communis canonistarum, et theologorum; atque habetur expressum cap. II. *de Præbend.* in 6. illis verbis: « Licet ecclesiarum, personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur pon-

tificem pertinere; ita quod non solum ipsa, cum vacant, potest de jure conferre, verum etiam jus in ipsis tribuere vacaturis, » etc. Concordat Clem. 1. § fin. *Ut lite pendente*, etc. ubi pariter ad Romanum Pontificem « Ecclesiarum, personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plena et libera dispositio, ex suæ potestatis plenitudine, noscitur pertinere. » Unde receptum dictum Glossæ in c. *Cum nullus* ✝. *In eadem. de Temporib. ordinat.* in 6. quod Papa sit ordinarius ordinariorum : habens concurrentem potestatem cum omnibus ordinariis, can. *Cuncta per mundum*. 9. q. 3. et cap. ult. *de Foro compet.* cum similibus.

151. *Papa tribus potissimum modis solet conferre beneficia.* — Resp. II. Tribus potissimum modis Papa solet conferre beneficia : videlicet, jure præventionis, jure concursus, et jure devolutionis. Ita Rebuffus in *Praxi beneficiorum*. tit. *de Devolutionib.* n. 46. 47. et seqq.; Layman lib. IV. *Theolog. moral.* tract. II. cap. x; Sannig, h. t. cap. v, n. 4. et alii. Et quidem.

152. *I. Jure præventionis, concedendo cuipiam gratiam expectativam.* — Jure præventionis id contingit, quando Papa cuipiam confert gratiam expectativam ad beneficium primo vacaturum : ut cit. cap. II. *de Præbend.* in. 6. ubi dicitur, quod Romanus Pontifex possit « etiam jus in ipsis (beneficiis) tribuere vacaturis : » prout et factum esse, legitur in c. *Dudum*. 14. h. t. in 6. cum similibus. Cæterum ad præfatum modum conferendi beneficia jure præventionis, reducuntur diversæ reservationes collationis certorum beneficiorum, quæ tum in jure communi, tum in regulis cancellariæ, aliisque constitutionibus apostolicis continentur : prout infra. § 13. et 15, et § 16. per totum, ex professo dicetur.

153. *Atque istud est speciale in Papa.* — Atque istud, seu posse conferre beneficium ecclesiasticum jure præventionis, est speciale privilegium Papæ competens ob plenitudinem suæ potestatis : neque alteri cuipiam concessum est beneficium, seu præbendam nondum vacantem certæ personæ promittere, et ad eam jus dare, c. *Relatum*. et c. *Ex tenore. de Concessione præbend.* et c. *Detestanda.* eod. in 6. juncto concilio Tridentino, sess. 24. cap. XIX. *de Reform.*

154. *II. Jure concursus.* — Jure concursus Papa confert beneficium, quando illud confert concurrendo cum aliis collatoribus præter desidiam ipsorum : hoc est, quando ideo alicui providet de Beneficio, eo quod concurrentem cum quolibet ordinario, seu collatore inferiore, potestatem conferendi habeat, per jura n. 150. allegata. Unde summus Pontifex potest quælibet totius orbis beneficia ecclesiastica pro suæ potestatis plenitudine conferre, etiamsi nulla interveniat negligentia inferioris collatoris, ordinarii. Quamvis enim huic Papa potestatem conferendi beneficia dederit, sibi tamen majorem reservavit, c. *Dudum*. 14. § *Nos igitur. de Præbend.* in 6. ubi Pontifex sic loquitur : « Etsi memorato Episcopo prædictam concessimus potestatem, penes Nos tamen nihilominus remansit major. »

155. *Et quid, si tam Papa, quam collator ordinarius, diversis contulerunt idem beneficium?* — Unde sciendum conformiter c. *Si a Sede*. 31. *de Præbend.* in 6. quod inter Papam, et inferiores collatores ordinarios, detur locus præventioni; ita, ut qui prior tempore contulit, ejus collatio rata sit, juxta reg. 54. jur. in 6. cum concordantiis. Quod si idem beneficium a Papa uni, et ab ordinario collatore alteri eodem die sit collatum, nec appareat, quæ collatio fuerit primo facta, erit potior conditio possidentis : aut si neuter possideat, præfertur is, cui Papa, vel ejus legatus contulit beneficium; idque propter conferentis ampliorem prærogativam. Textus est in cit. c. *Si a Sede*. h. t. in 6.

156. *Origo concordatorum Germaniæ.* — Quia vero occasione horum frequentes olim in Germania suboriebantur controversiæ, seu difficultates, dum Papa uni, et collator ordinarius, adhuc ignarus collationis Papalis, idem beneficium contulit alteri : hinc, ad evitandas ulteriores ejusmodi difficultates, inter Nicolaum Papam V. ex una, et Fridericum imperatorem, inclytamque nationem Germanicam ex altera partibus, 1447. erecta sunt Concordata Germaniæ, certa beneficia collationi Sedis apostolicæ reservantia, cætera vero liberæ collationi ordinariorum Collatorum relinquentia ; quæ referuntur, tom. I. *Bullarii Romani*, constitut. 1. dicti Pontificis, quæ incipit, *Ad sacram Petri Sedem*. atque infra. § 18. allegabuntur.

157. *III. Jure devolutionis.* — Jure devolutionis tandem beneficia ecclesiastica conferuntur a Papa, quando propter negligentiam collatorum inferiorum, intra debitum tempus beneficium vacans non conferentium, vel ob moram eligendi ad illud, talis potestas

ab inferioribus devolvitur ad summum Pontificem. Quod ut melius intelligatur.

158. *Potestas conferendi beneficia vacantia devolvitur ab inferioribus, propter horum negligentiam, regulariter ad proximum superiorem, et gradatim ad Papam : et cur?* — Quæritur II. An, et qualiter potestas conferendi beneficia vacantia, devolvatur ab inferioribus ad Papam? Resp. I. Certum est, quod propter negligentiam conferendi, vel moram eligendi, talis potestas ab inferioribus devolvatur ad summum Pontificem. Patet enim hoc ex c. *Cum accessissent*. 8. § 1. *de Constitut.* ubi Pontifex sic loquitur : « Cum Canonici nostri auribus intimassent, quod primiceriatus in Tullens. ecclesia tanto tempore vacavisset, quod ad manus nostras illius personatus esset donatio devoluta. » Concordat c. *Quanquam*. 18. *de Election.* in 6. ibi : « Non ad dictum superiorem, sed ad Romanum Pontificem potestas eadem devolvetur. »

159. Accedit ratio. Quia juxta concilium generale, relatum c. *Ne pro defectu*. 41. *de Election.* ecclesiæ cathedrales, et regulares, ultra tres menses vacare, seu prælato carere non debent : alia vero beneficia inferiora intra sex menses, a die notæ vacationis computandos, conferenda sunt, juxta concilium Lateranense, relatum in c. *Nulla. de Concession. præbend.* Et hinc fit, quod si ordinarii electores, vel collatores, aliquem intra præfatum tempus eligere, aut ei beneficium vacans conferre negligant, seu eligant, et conferant illud indigno : ad evitandam damnificationem ecclesiarum, ex diuturniori vacatura impendentem, simulque castigandam negligentiam electorum, seu collatorum ordinariorum, jus eligendi, sive conferendi beneficium, regulariter devolvatur ad proximum superiorem, v. g. ad episcopum, qui habebit aliud trimestre, vel semestre : et episcopo etiam negligente intra tale tempus conferre, devolvetur jus eligendi, vel conferendi ad archiepiscopum ; et ab hoc ad patriarcham, cui subest ; et tandem gradatim ad Summum Pontificem, per jura proxime allegata : atque amplius declarat Abbas in c. *Nulla ecclesiastica*. n. 1. et 7. *de Concession. præbend.* estque communis aliorum. Et tunc censetur Papa ejusmodi beneficium vacans, conferre jure devolutionis.

160. *Limitatur istud in nonnullis casibus.* — Resp. II. Etsi propter negligentiam inferiorum collatorum, vel electorum, intra debitum tempus ecclesiæ, vel beneficio vacanti non providentium, regulariter jus eligendi, vel conferendi devolvatur ad proximum superiorem, et gradatim ad summum Pontificem ; hoc ipsum tamen fallit in nonnulis casibus, in quibus vel ad inferiorem, nempe ab episcopo ad capitulum, vel immediate ad Papam, talis potestas devolvitur. Ita communis ; et patet inductione.

161. *Sic, ubi collatio beneficii spectat ad episcopum, isto negligente conferre, devolvitur collatio illius ad capitulum, non ad superiorem.* — Sic imprimis, quando ad episcopum spectat collatio beneficii, et ipse ultra debitum tempus conferre distulit, tunc non ad superiorem, sed ad capitulum, devolvitur collatio illius beneficii ; prout habetur c. *Nulla*. 2. § fin. *de Concession. præbend.* Idque merito statutum fuit propter communionem, quæ est inter episcopum et capitulum, tanquam inter caput et membra ejusdem corporis mystici, c. *Novit*. 4. *De his quæ fiunt a prælatis*, etc. et c. *Requisisti*. § *Secus autem. de Testament.*

162. *Restringendo istud ad beneficia, quæ pertinent ad collationem episcopi jure proprio : non ex privilegio, delegatione, seu jure devolutionis : et cur?* — Istud tamen restringi debet ad beneficia, quæ pertinent ad collationem episcopi jure proprio ; non autem ex privilegio, delegatione, seu jure devolutionis ob negligentiam inferioris collatoris. In his enim casibus non fit devolutio ab episcopo ad capitulum, sed ad proximum superiorem ; uti notat Abbas c. *Nulla Ecclesiastica*. n. 6. *de Concession. præbend.* Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *de Devolutionibus*. n. 22. Garcias. part. X. *de Beneficiis*. cap. III. n. 34 ; Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.*, allegat. 126, n. 78. et alii. Nec immerito : quia in his non est tanta communio inter episcopum jure proprio ; estque jam dictum supra lib. I. tit. X. *De supplenda negligentia prælatorum*. § 2. n. 22.

163. *Si canonici ecclesiæ cathedralis scienter eligant indignum in episcopum, aut non servata debita forma, etc. electio non devolvitur ad proximum superiorem, sed immediate ad Papam.* — Deinde fallit superius data regula, atque immediate ad Papam devolvitur potestas eligendi, quando canonici ecclesiæ cathedralis scienter eligunt indignum in episcopum, sicque ipso jure privati existunt potestate eligendi : vel quando eorum electio per sententiam infirmatur, ob canonicam electionis formam non servatam. Tunc enim

novi episcopi electio, non ad metropolitanum, sed statim ad Romanum Pontificem devolvitur : ut est textus expressus in c. *Quanquam*. 18. *de Election*. in 6.

164. *Secus dicendum in ecclesiis inferioribus*. — Solum nota, quod istud duntaxat procedat in ecclesia cathedrali, seu in electione episcopi. Nam, ut in cit. c. *Quanquam*. in fin. *de Election*. in 6. expressis verbis subjungitur : « Secus in inferioribus ecclesiis est dicendum » Unde in istis cassata, vel neglecta electione, seu collatione beneficii, etiamnum fit devolutio gradatim ad proximum superiorem.

165. *Imo et prius limitatur, quando aliqui de canonicis cathedralibus contradixerunt electioni indigni in episcopum, etc.* — Quin etiam in priori casu notanda est singularis limitatio : videlicet, nisi pars canonicorum, et si minor, contradixerit. Nam quando aliqui de capitulo, quamvis pauciores, contradixerunt electioni indigni in episcopum ; tunc penes illos pauciores remanet jus eligendi, c. *Gratum*. 2. *de Postulat. prælat.* juncta Glossa. ỷ. *Pauciores*. et Abbate ibid. n. 5. Layman. lib. IV. *Theolog. moral.* tract. II. cap. XI. n. 6. estque jam dictum supra lib. I. tit. VI. *de Electione*. § 11. n. 160. et 161. Ac proinde tunc non devolvitur ad Papam potestas eligendi episcopum.

166. *Ab episcopo exempto non devolvitur potestas conferendi beneficia ad archiepiscopum, sed immediate ad Papam*. — Fallit ulterius dicta regula in episcopo exempto. Nam, si episcopus exemptus neglexerit intra debitum tempus conferre beneficium, non devolvitur potestas istud conferendi ad archiepiscopum : sed immediate ad Summum Pontificem, arg. c. *Licet. de Supplend. negligent. prælat.* ac notat Abbas cit. c. *Nulla ecclesiastica*. n. 7. *de Concession. præbend.*; Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *de Devolutionibus*. n. 36. post Romanum concil. 361. Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 126. n. 79, Garcias part. X. *de Beneficiis*, cap. III. n. 3, citans Rotam in una Toletana portionis, 9. december 1559, coram Illust. Mantica. Pirhing tit. *de Concession. præbend.* n. 34. Nec immerito, quia ille, qui non est superior (prout archiepiscopus non est superior respectu episcopi exempti) non potest supplere negligentiam alterius : ut cit. c. *Licet*. et c. *Sicut de Supplend. negligent. prælat.* Excepto capitulo, quod supplet negligentiam episcopi, in collatione beneficiorum commissam : non quidem ratione superioritatis (talem enim non habet respectu episcopi) sed propter communionem, quæ est inter episcopum et capitulum, juxta paulo superius dicta ; et notat Abbas loc. cit. n. 8. Quin imo nonnulli volunt, ut Barbosa, et Pirhing, ubi supra, quod in casa episcopi exempti, et negligentis conferre intra debitum tempus beneficia, potestas ista conferendi non ad capitulum, sed immediate ad Papam devolvatur.

167. *Mandatum apostolicum super collatione beneficiorum, quid, et quotuplex? Vocatur alio nomine*, Mandatum de providendo. — Quæritur III. Quid, et quotuplex sit mandatum apostolicum super collatione Beneficiorum? Resp. I. Mandatum apostolicum, prout impræsentiarum de eo agitur, est omne rescriptum, quo summus Pontifex jubet beneficium Ecclesiasticum cuipiam conferri. Textus est in c. *Mandatum*. 38. *de Rescript.* ac notat Azorius part. II. lib. VI. cap. XXXII. in princip. et Pirhing h. t. n. 234. Atque istud alio nomine appellatur *Mandatum apostolicum de providendo*, utpote vi hujus mandat Papa cuipiam provideri de beneficio.

168. *Continet quandoque* Gratiam factam, *quandoque* Gratiam faciendam : *quandoque dicitur* Gratia expectativa. — Porro istud potest varie fieri. Nam quandoque Pontifex actu confert cuipiam beneficium, et solum mandat alteri, ut suam collationem exequatur : quandoque autem Papa non confert beneficium, sed alteri committit potestatem, datque mandatum id conferendi, si expedire judicaverit, vel si supplicans videbitur dignus etc. Si igitur per Sedem apostolicam cuipiam jam collatum est beneficium, ac vi talis mandati apostolici solum deputantur executores, tunc illud censetur continere *Gratiam factam* : neque expirat morte Papæ concedentis, c. *Si super gratia*. 9. *de Offic. delegat.* in 6. Si vero nondum Papa contulit beneficium, sed istud primum conferri mandat stante hac, vel illa conditione, tunc mandatum ejusmodi censetur continere *Gratiam faciendam* : qualis expirat morte concedentis, c. *Si cui nulla*. 36. § fin. *de Præbend.* in 6. estque jam dictum supra lib. I. tit. III. *de Rescriptis*, § 10, n. 250. et seqq. Quod si tandem beneficium ecclesiasticum, super quo Papa dedit cuipiam mandatum de providendo, necdum vacat, sed primum in posterum est vacaturum ; tunc istud censetur continere *gratiam expectativam*, imo et tali nomine passim appellatur.

169. *Mandata apostolica de providendo quædam dantur* in forma pauperum *seu* in forma communi *et an hæc sint rescripta justitiæ, vel gratiæ?* — Resp. II. Mandata apostolica, seu litteræ beneficiales, quæ expediuntur pro beneficiis vacantibus, sunt in multiplici differentia. Imprimis enim quædam dantur in *forma pauperum*, seu in *forma communi*, quibus nimirum aliqui, paupertate ipsius allegata, de beneficio per Papam providetur. Et hujusmodi litteræ beneficiales, juxta nonnullos (quos sequitur Pirhing. h. t. n. 234.) dicuntur *Rescripta justitiæ :* quia videlicet æquum et justum est, ut pauperi clerico, et ad ordines promoto, beneficium conferatur. gratis tamen ac liberaliter. Verius tamen est, eas censeri litteras gratiosas, haud obstante, quod procedant de justitia : juxta Glossam In Extravag. *Sedes*, Joannis XXII. ỿ. *Gratiæ, de Concession. præbend.* et Rebuffum in *Praxi benefic.* tit. *de Rescripto in forma communi.* n. 6.

170. *Alia expediuntur* in Forma, Dignum : *vel* Rationi congruit : *vel* in Forma gratiosa : *et quæ?* — Aliæ litteræ beneficiales dantur nulla allegata paupertate supplicantis, sicque recensentur inter rescripta gratiæ. Et hæ vel expediuntur *in Forma Dignum :* dum videlicet Pontifex litteras suas sic ordiens, *Dignum arbitramur*, mandat, ut alicui beneficium conferatur, si post diligentem examinationem dignus, seu idoneus reperiatur. Vel vocantur, *Rationi congruit.* quia tale initium habent : quales solent dari, quando Papa successor expedit litteras super collatione beneficiorum, quas ejus Antecessor voluit, sed morte præventus non potuit expedire. Azorius cit. cap. XXXII. quæst. 5. vers. *Aliæ litteræ appellantur.* Vel dantur in *Forma gratiosa*, quando nimirum supponitur, provisum ad beneficium obtinendum esse, atque idoneum.

171. *Huc accedit* Motus proprius. — Huc accedit motus proprius, per quem intelliguntur litteræ apostolicæ, in quibus hæc clausula, *Motu proprio*, inserta habetur; juxta textum c. *Si motu proprio*, 23. *de Præbend.* in 6. Atque hujusmodi clausula tollit vitium subreptionis, ex taciturnitate veri alioquin de jure exprimendi proveniens : adeo, ut valeat provisio de beneficio cuipiam facta per Papam motu proprio, etiamsi non habeatur mentio de prioribus beneficiis per ipsum antea obtentis; prout cit. c. *Si motu proprio*, expresse deciditur.

172. *Litteræ apostolicæ super beneficiis litigiosis, aliæ dicuntur*, Si alteri; *aliæ*, Si neutri; Si nulli ; *et quæ?* — Resp. III. Insuper litteræ apostolicæ super beneficiis litigiosis obtentæ variis nominibus nuncupantur; idque fit ratione diversarum clausularum, quas continet, puta litteræ, vel rescripta : *si alteri*, *Si neutri*, *Si nulli*. Et quidem ; ubi inter duos lite orta super beneficio ecclesiastico, alter illorum a Papa litteras impetrat, ut sibi beneficium conferatur, ea conditione, si alteri litiganti jus in beneficio quæsitum non sit, dicuntur litteræ, *Si alteri*. Quod si vero duobus litigantibus, tertius a Papa impetrat litteras, ea conditione, ut si neutri litigantium jus competat, sibi beneficium conferatur : tunc is dicitur impetrasse litteras, *si neutri*. Si tandem tres litigent de beneficio, et alius a Papa litteras obtineat, ut si nulli litigantium sit jus in beneficio acquisitum, istud ipsi conferatur, tunc appellantur litteræ, *Si nulli*.

173. *Litteræ apostolicæ*, Perinde valere, *quæ?* — His accedunt litteræ apostolicæ, *Perinde valere :* quales dantur, quando Papa gratiam a se concessam, v. g. factam collationem beneficii, sed aliqua ex causa irritam (v. g. ob taciturnitatem beneficii antea obtenti) valere decernit. Barbosa tract. *de Clausulis*, claus. 100, n. 4 ac seqq. citans alios; atque subjungens, quod hujusmodi litteræ retrotrahantur, et efficiant concessionem valere, quæ subreptitia fuerat. Cætera, quæ concernunt mandata apostolica de providendo, sunt intelligenda conformiter dictis lib. I. tit. III. *De Rescriptis*, per totum : nam etiam ipsa nomine *Rescriptorum* veniunt.

174. *Legatus Sedis apostolicæ an possit conferre beneficia vacantia in sua provincia, vel in posterum vacatura suæ collationi reservare? Remissive.* — Quæritur III. Utrum legatus sedis apostolicæ, puta, legatus a Latere, vel etiam nuntius apostolicus, possit conferre beneficia, quæ in provincia sibi decreta tempore suæ legationis vacant : aut in posterum vacatura, suæ valeat reservare collationi? Resp. De hoc ex professo jam dictum est supra lib. I. tit. XXX. *De Officio legati*, n. 31 et 33. ac seqq. Ibi videatur. (ADNOTATIO LIII.)

§ VII.

DE POTESTATE CONFERENDI BENEFICIA RESPECTU EPISCOPI, CAPITULI SEDE VACANTE, VICARII GENERALIS, ET COLLEGII.

175. *Post Papam ordinarius collator beneficiorum suæ diœcesis, est episcopus.* — Quæritur I. An, et qualiter episcopo competat collatio beneficiorum? Resp. 1. Post Papam ordinarius collator beneficiorum in sua diœcesi, est episcopus. Ita communis : et patet ex can. *Regenda.* 10. q. 1. et can. *Omnes basilicæ.* 16. q. 7. et can. *Nullus omnino,* ead. caus. 16. q. 7. ubi sanctis canonibus constitutum dicitur, ut « animarum cura in episcopi judicio, et potestate permaneat. » Concordat cap. I. *de Capell. monach.* et c. *Conquerente.* 16. § *Nos autem. de Offic. ordinar.* et c. *Cum ex injuncto.* 12. § fin. *de Hæretic.* In quo posteriori loco sic habetur : « Ad cujus (episcopi videlicet) officium tam institutio, quam destitutio sacerdotum, noscitur pertinere. »

176. *Et quid, si aliquis episcopus fundet beneficium in diœcesi alterius?* — His adde, quod institutio sacerdotum pertineat ad episcopum loci etiam in eo casu, quo quis episcoporum in alienæ diœcesis territorio ecclesiam ædificavit. Siquidem « omnis ecclesiæ ipsius gubernatio ad eum (episcopum) in cujus civitatis territorio ecclesia surrexit, pertinebit, » juxta textum expressum can. *Si quis episcoporum.* 16. quæst. 5. Episcopo autem ædificatori competit solum juspatronatus respectu ecclesiæ a se ædificatæ, nempe facultas præstandi idoneum clericum ad ipsam : sicuti istud competit unicuique patrono privato. Abbas c. *Cum ecclesia Vulterana.* 31, n. 8. *de Election.*

177. *Episcopus habet fundatam intentionem super institutione, et destitutione clericorum, in beneficiis suæ diœcesis.* — Resp. II. Adeo ad episcopum loci de jure communi spectat collatio beneficiorum, ut is fundatam intentionem habeat super institutione, et destitutione sacerdotum, aliorumque clericorum in beneficiis suæ diœcesis : et, si aliud istud sibi vindicet, probare debeat, jure speciali id sibi competere. Ita habetur per jura proxime allegata, ex quibus patet, collationem beneficiorum suæ diœcesis, quantum est de jure communi, pertinere ad episcopum : ac notat Glossa in c. *Quanquam.* 18. ℣. *Devolvetur. de Election.* in 6; Abbas c. *Cum ex injuncto.* n. 2. *de Hæretic.* et c. *Cum ecclesia Vulterana* n. 8. *de Election.* Joan. de Selva tom. XV. *Tractatuum.* tract. *de Beneficiis*, part. II. quæst. 22. n. 1. et 41. et Garcias, part. V. *de Benefic.* cap. I. n. 235. cum aliis.

178. *Exceptis beneficiis electivis ecclesiarum cathedralium, et collegiatarum, atque abbatiis, etc.* — Hinc tamen oportet excipere beneficia ecclesiarum cathedralium, et collegiatarum, quæ spectato jure communi sunt electiva; sicque non per collationem, aut aliam provisionem episcopi, sed duntaxat per canonicam electionem obtineri possunt : ut cap. I. *de Election.* et c. *Quia propter.* 42. eod. cum similibus. Idem dicendum de Abbatiis, juxta can. *Congregatio.* 16. q. 7. et c. *Ne pro defectu.* 41. *de Election.* Tacentur nonnulla alia beneficia, quorum collatio an jure communi pertineat ad episcopum, fuse disputant auctores proxime allegati.

179. *Capitulum Sede vacante, an possit conferre beneficium? Nequit conferre beneficia libera, quorum collatio pertinet ad solum episcopum.* — Quæritur II. Utrum capitulum sede vacante possit conferre beneficia? Resp. I. Capitulum vacante Sede episcopali, non potest conferre beneficia libera, quorum collatio ad solum episcopum pertinet. Ita communis; estque clare decisum in c. *Illa.* 2. *Ne Sede vacante*, etc. Ubi ejusmodi collatio beneficii, Sede vacante per capitulum facta, reprobatur, atque irrita declaratur, ea addita ratione : « Cum nusquam inveniatur cautum in jure, quod capitulum vacante Sede, fungatur vice episcopi in collationibus præbendarum, » etc. Concordat cap. I. *de Institut.* in 6. expressis verbis pronuntians, quod « Capitulum Sede vacante beneficia, quæ ad collationem episcopi pertinent, conferre non possit. »

180. *Collatio beneficii ecclesiastici est quædam liberalitas, et donatio.* — Nec immerito sic statutum fuit : Siquidem collatio Beneficii Ecclesiastici est quædam liberalitas, et donatio c. *Relatum.* 9. h. t. et cap. ult. *de Offic. Vicarii*, in 6. et c. *Cum accessissent.* 8. *de Constitut.* ibi : « Ad manus nostras illius personatus esset donatio devoluta : » juncto c. *De multa.* 28. § *Is quoque.* h. t. cap. un § *Porro cum donatio. Ut Ecclesiastica beneficia*, etc. Atqui donare de bonis, et juribus episcopo competentibus, non potest capitulum Sede vacante; sed tenetur illa episcopo successori fideliter reservare, can. *Hæc hujus placiti.* 12. q. 2. et c. *Cum vos.* 4. *de Offic. ordinar.* et c. *Quia sæpe.* 40. *de Election.* in 6. et Clem. *Statutum.* 7. eod. cum similibus.

181. *Neque capitulum succedit episcopo in præsentatione; vel electione ad beneficia, quando hæc pertinet ad episcopum, dum vivit.* — Atque eadem de causa non succedit capitulum Sede vacante in præsentatione, seu electione ad beneficia, ubi præsentatio, sive electio pertinet ad episcopum : ac proinde illud non potest præsentare ad talia beneficia, quando jus præsentandi pertinet ad episcopum, dum vivit. Glossa in Clem. un. ℣. *Conferantur. de Rerum permutat.;* Joan. Andreas cap. un. n. 2. *de Majorib. et obed.* in 6; Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *de Devolutionibus.* n. 70; Azorius part. II. lib. III. cap. XXXVIII. q. 10; Garcias, part. V. *de Benefic.* cap. VII. n. 52. et alii. Nam verbum *Collatio*, comprehendit etiam *Præsentationem*, juxta Glossam loc. cit. et etiam Glossam c. *Eum cui in casu, de Præbend.* in 6. estque jam dictum supra § 5. n. 125. Simulque præsentatio est in fructu, sicut collatio, juxta Glossam. c. *Cum olim.* ℣. *Capitulum.* circa fin. *de Majorit. et obed.* Fructus autem beneficii debent reservari futuro successori, per juxta num. præced. allegata.

182. *Capitulum episcopo negligente confert beneficia, non vero Sede vacante : et quæ disparitas?* — Nec obstat primo, quod capitulum, episcopo negligente, conferat beneficia ad hujus collationem spectantia, c. *Nulla.* 2. § *Si autem de Concession. Præbend.* Resp. enim, istud procedere duntaxat in casu negligentiæ; sive, quando « Episcopus conferre distulerit, » uti loquitur textus cit. c. *Nulla.* Secus dicendum in casu Sedis vacantis : tunc enim nulla potest notari negligentia episcopi, beneficia conferre differentis; hoc ipso, quod « non adsit ibi superior, » sive episcopus, qui posset de facto, vel de jure conferre; prout respondet Pontifex c. *Illæ.* in fin. *Ne Sede vacante*, etc.

183. *Periculo ecclesiarum vacantium, quomodo tunc sit subveniendum.* — Nec obstat secundo periculum ecclesiarum, quod Sede episcopali diutius vacante ipsis immineret, si de novo conferri non possent per capitulum regnans. Resp. enim, huic periculo alia ratione competenter tunc subveniri posse, ac debere. Siquidem, ubi beneficium pertinens ad collationem episcopi, Sede vacante contigerit vacare, tenetur capitulum, seu vicarius capitularis ipsius, statim habita notitia vacationis ecclesiæ, idoneum in ea vicarium, si opus fuerit, cum congrua fructuum portionis assignatione constituere; qui onera ipsius ecclesiæ sustineat, donec electo novo episcopo, eidem de idoneo rectore provideatur : prout in simili casu novissime decrevit concilium Tridentinum, sess. 24. cap. XVIII. *de Reform.* Huc quadrat, quod antea docuit Abbas cit. c. *Illa.* n. 2. et 4. *Ne Sede vacante*, etc. asserens, in tali casu posse capitulum interim constituere œconomum in ecclesia vacante; hanc cuipiam dare in commendam, prout antiquitus fieri poterat, can. *Qui plures.* 21. q. 1. et c. *Nemo deinceps.* 15. *de Election.* in 6. donec eligatur novus episcopus : aut si hoc fieri non possit ob certas circumstantias, puta, ob diuturniorem vacaturam, recurrendum esse ad Dominum Papam, veluti ordinarium omnium.

184. *Beneficia devoluta ad episcopum ratione negligentiæ, vel delicti inferioris, non confert capitulum Sede vacante.* — Resp. II. Etiam beneficia devoluta ad episcopum ratione negligentiæ, vel delicti inferioris, non potest conferre capitulum Sede vacante. Ita Abbas c. *Cum olim*, n. 2. vers. *Mihi plus placet. de Majorit. et obed.* Baldus c. *Ne pro defectu.* n. 7. *de Election.* Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *de Devolutionibus*, n. 93; Garcias, part. V. *de Beneficiis.* cap. VII. n. 53, Barbosa, tract. *de Canonicis*, cap. XLII. n. 110. § *Verum;* Anton. Flamin. Marchettus in *Praxi vicarii capitularis*, part. II. tit. XXXII. n. 6. et seqq.; Diana, part. VIII. tract. IV. resol. 27; Azorius, part. II. lib. III. cap. XXXVIII. quæst. 6. asserens hanc opinionem esse recipiendam eamque videri communem : quamvis oppositum teneat Joan. Andreas c. *Quanquam.* n. 1. et 2. *de Election.* in 6. ac etiam Abbas, sibi contrarius, in c. *Illa.* n. 3. *Ne sede vacante*, etc.; Zerola in *Praxi episc.* part. I. ℣. *Capitulum.* Vallensis tit. *Ne Sede vacante.* n. 4. et nonnulli alii. Ratio conclusionis est; tum quia regula stat negative; videlicet, capitulum Sede vacante non posse conferre beneficia ad collationem episcopi pertinentia, c. *Illa.* 2. *Ne Sede vacante*, etc. et cap. un § *Cum vero*, eod. in 6. Nullibi autem ab hac regula reperiuntur excepta beneficia, quorum collatio spectat ad episcopum jure devolutionis ob negligentiam, vel delictum inferioris; tum quia eadem ratio, quæ militat de beneficiis jure proprio pertinentibus ad collationem episcopi, pariter urget de beneficiis devolutis : nam etiam horum collatio sapit aliquam donationem.

185. *Solvitur instantia.* — Dices. Devolutio collationis beneficii ob negligentiam, vel de-

lictum inferioris, pertinet ad jurisdictionem ordinariam episcopi : sed in jurisdictione ordinaria episcopi succedit capitulum Sede vacante; ergo. Resp. minorem varie esse limitandam, prout ex professo dicetur infra tit. IX. *Ne Sede vacante*, etc. § 2. et 3. ferme per totum. Præcipue vero eadem minor limitatur in illis, quæ sapiunt gratiam, et alienationem bonorum, seu jurium episcopalium : uti est collatio beneficiorum, etiam jure devolutionis ad episcopum pertinentium arg. cap. ult. *de Offic. vicar.* in 6. cum similibus.

186. *Quando collatio beneficii communiter pertinet ad episcopum et capitulum, mortuo Episcopo (vel effecto inhabili) confert illud capitulum.* — Resp. III. Nihilominus, quando collatio beneficii simul et communiter pertinet ad episcopum et capitulum, mortuo episcopo (imo et aliter effecto inhabili) potest capitulum Sede vacante conferre ejusmodi beneficium. Ita communis omnium, juxta textum expressum cap. un. *Ne Sede vacante*, etc. in 6. ubi dicitur : « Si ad episcopum et capitulum communiter pertineat collatio præbendarum, mortuo episcopo, vel a beneficiorum collatione suspenso, poterit capitulum vacantes conferre præbendas, etiamsi episcopus interesse habeat in collatione hujusmodi ut prælatus. » Hæc ibi. Accedit ratio, quam dat Glossa ibid. ỹ. *Etiamsi*, in addit. et Vivianus in *Rational. jur. canon.* Quia capitulum, et episcopus, censentur unum corpus quoad ea, quæ eis conveniunt communiter facienda, c. *Novit*. 4. *De his quæ fiunt a prælatis*, etc. ac proinde uno ipsorum effecto inhabili, succedit alterum. Nam jura corporis mystici, seu universitatis, conservantur in uno, l. *Sicut*. § fin. ff. *Quod cujusque universit. nomin.*

187. *Et vicissim capitulo reddito inhabili ad conferendum, confert solus episcopus.* — Unde et vicissim, si collatione beneficii communiter ad episcopum et capitulum reddatur inhabile ad conferendum (puta, quia est suspensum a collatione, vel singulariter omnes de capitulo sunt excommunicati) tunc vicissim solus episcopus poterit illud conferre, text. clar. cit. cap. un. *Ne sede vacante*, et c. in 6. Et ratio est, quæ supra.

188. *Secus quando collatio beneficii spectat ad solum episcopum : ita tamen, ut is teneatur requirere consilium, vel consensum capituli.* — Secus dicendum, quando collatio beneficii spectat ad solum episcopum; ita tamen, ut is teneatur requirere consilium, vel consensum capituli. Tunc enim mortuo episcopo, nequit capitulum conferre ejusmodi beneficium vacans. Idemque dicendum, si episcopus est suspensus ; nisi forsan episcopus fuerit in mora petendi relaxationem suspensionis. Textus est in cap. un. § *Cum vero. Ne Sede vacante*, et c. in 6.

189. *Capitulum sede vacante potest confirmare, aut infirmare electiones, ac præsentatos a patronis ad beneficia instituere.* — Resp. IV. Insuper potest capitulum Sede episcopali vacante, confirmare electiones ad beneficia celebratas, aut eas justa exigente causa infirmare; prout habetur c. *Cum olim*. 14. *de Majorit. et obed.* Potest etiam præsentatos a patronis ad beneficia instituere. Textus est expressus in cap. I. *de Institut.* in 6. illis verbis : « Etsi capitulum Sede vacante beneficia, quæ ad collationem episcopi pertinent, conferre non possit præsentatos tamen a patronis potest admittere, si sint idonei, et eos instituere in beneficiis, ad quæ fuerint præsentati. Licet ad episcopum (si superesset) admissio, vel institutio hujusmodi pertineret. » Hæc ibi.

190. *Disparitas inter potestatem instituendi in beneficiis præsentatos, atque confirmandi electos; et inter collationem liberam beneficii. Confirmatio et institutio, sunt jurisdictionis necessariæ : non sic libera collatio.* — Ratio autem diversitatis, et cur jura voluerint, capitulo Sede vacante competere potestatem instituendi in beneficiis præsentatos, et confirmandi electos, non autem conferendi ipsa beneficia, hæc est : quia collatio libera beneficii ecclesiastici, est quædam liberalitas, et donatio, per jura n. 180. allegata. Licet enim superior teneatur conferre beneficium vacans, tamen non tenetur illud conferre huic determinatæ personæ, præsertim in concursu æque digni : ac proinde huic illud conferendo, facit ipsi gratiam, et liberalitatem quamdam. Glossa in c. *Relatum*. 9. ỹ. *Liberaliter*. h. t. E contra vero confirmatio electi, vel institutio præsentati, non est donatio ; imo est necessaria, et debita tali personæ, si electus, vel præsentatus est idoneus : ut c. *Postquam*. 3. *de Election.* et can. *Decernimus*. 16. q. 7. cum similibus. Et hinc fit, quod confirmatio, et institutio, sint jurisdictionis necessariæ, in qua succedit capitulum Sede vacante : non sic libera collatio beneficii. Imo si hæc competeret capitulo, posset magnum fieri præjudicium episcopo

futuro. Abbas in c. *Illa*. n. 6. *Ne Sede vacante*, etc., et alii.

191. *Capitulum sede vacante, an possit recipere resignationes beneficiorum? Sententia affirmativa, ejusque fundamentum refertur.* — Quæritur III. An capitulum Sede vacante possit recipere resignationes beneficiorum? Resp. In resolutione hujus quæstionis variant doctores. Et quidem affirmat Abbas c. *Cum olim*. n. 2. vers. *Sexto dubitatur. de Majorit. et obed.* asserens, dominos de Rota fuisse in hoc vario, sed majorem horum partem ita censuisse. Federicus de Senis tom. XV. *Tractatuum*, tract. *de Permutation. beneficior.* quæst. 36. n. 61. et Felinus cit. c. *Cum olim*. n. 4. *de Majorit. et obed.* cum aliis asserentes, posse capitulum Sede vacante recipere beneficiorum resignationes, non tamen ea conferre, quando ipsorum collatio ad solum episcopum pertinet; sed hanc futuro episcopo esse reservandam, atque interim œconomum, seu vicarium in beneficio constituendum. Rationem dant, quia capitulum Sede vacante potest aliquem ex causa legitima privare beneficio; ergo etiam ex pari causa ejus resignationem, qui potest destituere; ut inquiunt Innocentius, et alii, in c. *Quod in dubiis. de Renuntiat.*

192. *Negativa, hujusque rationes adducuntur.* — Negativam e contra sententiam tenet Glossa in Clem. un. ✝. *Conferantur. de Rerum permutat.*: Flamin. Parisius lib. VII. *de Resignat. beneficior.* quæst. 23. n. 37. et 38. hanc opinionem appellans veriorem, et communem, quam etiam tenuit Rota in una Ilerden. die 6 novemb. 1545. coram Reum; Pirhing. tit. *de Majorit. et obed.* n. 57. et alii. Rationem asserunt, tum quia resignationes beneficiorum, ad collationem solius episcopi spectantium recipere, nullibi reperitur in jure concessum capitulo Sede vacante; ergo subintrat regula negativa, quæ habetur c. *Illa*. 2. *Ne Sede vacante*, etc.; tum quia hoc ipsum videtur capitulo expresse denegatum, cap. un. § *Cum vero* eod. in 6. ubi absolute dicitur, quod si « ad solum episcopum præbendarum spectat collatio, defuncto episcopo capitulum se non possit intromittere eisdem. » Atqui capitulum eisdem se intromitteret, si talium præbendarum, seu beneficiorum reciperet resignationem; ergo; tum tandem, quia admissio resignationis, absolute et libere factæ, importat gratiam atque liberalitatem; per eam quippe remittitur resignanti onus, atque obligatio inserviendi Ecclesiæ: atqui in his, quæ sunt gratiæ et liberalitatis, capitulum Sede vacante non succedit episcopo; ergo.

193. *Solvitur fundamentum affirmativæ.* A diversis non valet illatio. — Nec urget (inquit) ratio prioris sententiæ. Nam a diversis non valet illatio, l. *Papinianus*. ff. *de Minorib.* Atqui valde diversa sunt, capitulum ex causa privare posse clericum beneficio, et posse ejus resignationem admittere: istud quippe sapit gratiam et liberalitatem, atque pertinet ad jurisdictionem voluntariam: illud vero spectat ad justitiam, atque jurisdictionem contentiosam. Hanc autem competere capitulo Sede vacante, patet ex c. *His quæ*. 11. juncta Glossa fin. *de Majorit. et obed.* licet prior, sive jurisdictio voluntaria, respectu jurium episcopalium eidem minime competat.

194. *Refertur sententia media, procedens sub distinctione.* — Tertiam tandem, mediamque sententiam, tenet Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *de Devolutionib.* n. 95; Garcias, part. V. *de Beneficiis*, cap. VII. n. 72; Layman, l. IV; *Theol. mor.* tract. II. cap. X. n. 5. Ant. Flaminis Marchettus in *Praxi vicarii capitularis*, part. II. tit. XXXII. n. 18. et Diana, part. VIII. tract. resol. 29. Atque hæc opinio asserit capitulum Sede vacante non posse recipere resignationes liberas, seu simpliciter factas beneficiorum ad collationem solius episcopi pertinentium: bene tamen resignationes ex justa causa permutationis factas, vi cujus beneficia resignata necessario sunt conferenda clericis resignantibus post admissam ipsorum resignationem Clem. un. *de Rerum permutat.* sicque redit ratio n. 190. allegata.

195. *Capitulum sede vacante potest recipere resignationes beneficiorum, quorum collatio spectat ad capitulum, etc.* — In hac sententiarum varietate cumprimis dicendum est post Glossam cit. Clem. un. ✝. *Conferantur. de Rerum permutat.* communiter receptam, quod capitulum Sede vacante possit recipere, atque auctorizare resignationes beneficiorum, quando horum collatio spectat ad solum capitulum, vel ad episcopum et capitulum simul. Quia enim tunc potestas conferendi beneficia pertinet ad capitulum Sede vacante, cap. un. *Ne Sede vacante*, etc. in 6. nihil obstat, quin eorum etiam resignationem recipere possit, quasi jure quodam accrescendi. Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 69. n. 8. cum aliis, quos citat.

196. *Item resignationes ex causa necessaria; non autem libere ac simpliciter.* — Deinde capitulum Sede vacante potest recipere resignationes ex causa necessaria, non autem libere ac simpliciter loquendo. Barbosa cit. n. 8. et alii. Istud contingit, quando fit resignatio beneficii ratione delicti commissi, atque in pœnam ipsius resignantis: quia tunc nulla intervenit gratia, seu liberalitas huic facta, sed debita ejus punitio. Flamin. Parisius cit. lib. VII. quæst. 23. n. 35; Marchettus d. tit. XXXII. num. 21. et alii. Idemque dicendum, quando resignatio fit ob inhabilitatem personæ resignantis, sicque in utilitatem aut necessitatem Ecclesiæ: nam capitulum Sede vacante succedit episcopo in illis, quæ sunt contentiosæ jurisdictionis; aut quæ instante necessitate, vel justitia, sunt expedienda. Flamin. Parisius d. lib. VII. *de Resignat. benefic.* quæst. 23. n. 35. et seqq.; Pirhing ubi supra. n. 57; Quaranta in *Summa Bullarii.* ℣. *Capitulum Sede vacante.* quæst. 9. et alii. In cæteris vero casibus, seu libere ac simpliciter loquendo, atque in gratiam sive favorem ipsius resignantis, nequit capitulum Sede vacante recipere resignationes beneficiorum spectantium ad collationem solius episcopi, per rationes n. 192. et 193. relatas; et concordant dicta superius lib. I. tit. IX. *De Renuntiatione.* § 1. n. 7.

197. *Vicarius generalis nequit conferre beneficia ad collationem episcopi pertinentia, nisi ipsi specialiter fuerit concessum.* — Quæritur IV. Quid juris competat vicario generali episcopi circa collationem beneficiorum? Resp. I. Vicarius generalis episcopi habens mandatum generale, non potest idcirco conferre beneficia, quorum collatio pertinet ad episcopum: nisi eorum collatio fuerit ipsi specialiter concessa. Ita habetur expresse decisum cap. ult. *de Offic. vicarii,* in 6. ea addita ratione: « Quia in generali concessione nequaquam illa veniunt, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus; nec regulariter donare valeat is, cui bonorum administratio etiam libera est concessa. » Hæc ibi.

198. *Potest tamen a patronis præsentatos, vi mandati generalis, in beneficiis instituere.* — Resp. II. Possunt nihilominus vicarii generales episcoporum (alias *Officiales* dicti, cap. ult. *de Offic. vicarii,* in 6.) per commissionem officii generaliter sibi factam, a patronis præsentatos instituere in beneficiis; ita habetur c. *Ex frequentibus.* 3. *de Institut.* Et ratio disparitatis inter institutionem, et collationem beneficii, patet ex dictis n. 190. Institutio enim præsentati in beneficio est necessitatis, ipsique debita, si cæteroquin sit habilis seu dignus: non sic collatio beneficii, utpote quæ respectu talis personæ libere fit, sicque habet rationem liberalitatis, et donationis cujuspiam.

199. *Si jus præsentandi spectet ad collegium præsentabit prælatus de consensu capituli: alioquin, deficiente hujus consensu, irrita est præsentatio.* — Quæritur V. Quid juris, quando præsentatio spectat ad Ecclesiam aliquam collegiatam? Resp. I. Si jus præsentandi spectet ad collegium, seu Ecclesiam collegiatam, præsentabit prælatus ejusdem de consensu capituli, vel majoris partis ipsius: alioquin, si consensu capituli non adfuisset, irrita foret præsentatio a solo prælato facta, et inde secuta institutio clerici in beneficio. Textus est in c. *Novit. De his quæ fiunt a prælatis*, hic juncta Glossa ℣. *Carere,* et Abbate ibid. n. 8. asserentibus, has ipso jure esse irritas: quod intellige sub limitationibus n. seq. ponendis. Concordat. c. *Ea noscitur.* 6. eod.

200. *Istud tamen limitatur in certis casibus. In pertinentibus ad prælatum et collegium simul, sufficit tacitus consensus collegii.* — Resp. II. Limitari tamen debet data conclusio, nisi ex antiqua consuetudine, vel privilegio competat prælato, ut possit solus, et absque consensu capituli quempiam præsentare; prout habetur cit. c. *Ea noscitur.* 6. § fin. *de His quæ fiunt a prælatis,* etc. Vel nisi tacitus saltem consensus capituli, utpote scientis, non reclamantis, accesserit: nam in illis, et quæ pertinent ad prælatum et collegium simul, sufficere tacitum collegii consensum, textus est in c. *Continebatur,* 2. eod.

§ VIII.

DE PLURALITATE, ET INCOMPATIBILITATE BENEFICIORUM.

201. *Utrum pluralitas beneficiorum sit prohibita. Beneficia singula singulis sunt conferenda.* — Quæritur I. Utrum pluralitas beneficiorum sit prohibita; et cur? Resp. I. Regula est, quod beneficia singula sint conferenda, non plura uni. Patet istud ex can. *Sanctorum.* dist. 70. et can. *Singula.* dist. 89. In quo posteriori loco notanter dicitur. « Singula ecclesiastici juris officia singulis quibusque per-

sonis singulatim committi juvemus » : idque exemplo corporis humani, in quo indecorum est, alterum membrum fungi alterius officio, cum omnia non eumdem actum habeant. Concordat can. *Clericus.* cum seqq. 21. quæst. 1. et c. *Quia in tantum*, 5. h. t. ubi pluralitatem ecclesiarum simul retentarum « certum continere periculum animarum, » asseritur. Et concilium Tridentinum sess. 24. cap. XVII. *de Reform.* pluralitatem beneficiorum ex professo reprobans, atque inter alia inquiens, « quod ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat clericorum et quod improbæ cupiditatis affectu se ipsos, non Deum decipiant, qui ea, quæ bene constituta sunt, variis artibus eludere, et plura simul beneficia obtinere non erubescunt. »

202. *Enumerantur inconvenientia, quæ ex pluralitate beneficiorum ab eodem detentorum proveniunt.* — Accedit, quod ex pluralitate beneficiorum per execrabilem, atque insatiabilem, et plus semper ambientem ambitionem ab eodem simul detentorum, atque importuna petentiam improbitate a Romanis Pontificibus extortorum potius, quam obtentorum, plura noscantur inconvenientia oriri, quæ deplorat Joannes Papa XXII. in Extravag. *Execrabilis*, h. t. quæ etiam reperitur inter Extravag. *Commun.* eod sequentibus verbis : « Unde inter cætera inconvenientia. subscripta nascuntur : quod videlicet interdum unus, qui unum, quamvis modicum vix officium implere, sufficeret, plurimorum sibi vendicet stipendia, quæ multis litteratis viris vitæ puritate, ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abunde sufficere, æqua distributione collata. Habentibus ipsa paratur vagandi materia, divinus cultus minuitur, hospitalitas in ipsis beneficiis debita non servatur. Et dum non sunt sui in unaquaque regione rectores, ecclesiarum detrahitur commodis, et honori : quæ carentes defensorum auxilio in juribus suis, et libertatibus, multipliciter collabuntur; et ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat decessorum. « Et (quod amarius est dolendum) animarum cura negligitur; et vitiorum sentibus fomentum periculose præbetur. » Hæc Pontifex, misera experientia amplius comprobata : quæ merito quemlibet, suæ salutis memorem, deterrere valerent a sollicitanda beneficiorum pluralitate, ne et ipse certum incurrat animæ suæ periculum; sitque in numero eorum, de quibus dicit sanctus Apostolus ad Philipp. II, 21. *Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt Jesu Christi.*

203. *Dantur aliqui casus in quibus plura beneficia simul retinere, peccatum non est.* — Rep. III. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus plura beneficia ecclesiastica simul retinere, peccatum non est : dummodo id fiat cum recta intentione. Ita divus Thomas *Quodlibet.* 9. art. 15. Fagnanus c. *Quia in tantum*; n. 11, *de Præbend.* et communis. Ratio est, tum quia habere plura beneficia ecclesiastica, non est intrinsece malum : ut est, mentiri, fornicari, etc. Sed quamvis habeat quamdam mali speciem, ob inconvenientia inde nasci solita et proxime enumerata : nihilominus hæc ipsa concurrentibus certis circumstantiis excludi, atque cohonestari possunt; tum quia dantur aliqua beneficia, quæ inter se non sunt incompatibilia, sed compatibilia : prout desumitur ex c. *Gratia.* 7. *de Rescript.* in 6. dum dicitur : « Si talia sint beneficia, quæ simul nequeant de jure teneri.» Ubi proinde Glossa ℣. *de Jure teneri*, plura enumerat beneficia, quæ simul retineri possunt. Quod ipsum manifeste supponit concilium Tridentinum, sess. 7. cap. IV. *de Reform.* illis verbis : « Plura curata, vel alias incompatibilia beneficia. » Frustra enim adderetur ly, « vel alias incompatibilia, » nisi darentur quædam beneficia inter se compatibilia.

204. *Dummodo id fiat cum recta intentione.* — Additur tamen, « dummodo id fiat cum recta intentione : » ut puta, ob majus bonum ecclesiarum, sufficienti clericorum ministerio destitutarum, vel ob veram insufficientiam prioris beneficii pro honesta clerici sustentatione, aut hujusmodi. Nam si quis ea intentione plura recipiat beneficia, ut ditior evadat, ut lautius vivat, ut facilius ad episcopatum perveniat in aliqua ecclesiarum ubi beneficium habet, etc. non tolluntur, supra memoratæ deformitates, sed augentur ; quia cum tali intentione, utpote ex radice avaritiæ, gulæ vel ambitionis procedente, etiam unicum habere beneficium, illicitum est, et peccaminosum divus Thomas loc. cit.; Fagnanus d. n. 11. et alii. Verum occasione præmissorum, ac supposita bona intentione.

205. *In quibus casibus plura beneficia simul licite retineantur?* — Quæritur II. In quibus casibus plura beneficia ecclesiastica simul licite retineantur? Resp. Istud contingere potissimum in sequentibus casibus. Primo, per legitimam dispensationem, ex causa rationabili factam : de qua ex professo agetur infe-

rius § seq. per totum, quærendo simul, an istud pariter fieri possit vi longævæ consuetudinis.

206. *Istud accidit, quando beneficia de se non sunt incompatibilia simulque unum eorum non sufficit ad honestam clerici sustentationem. Ultra duo tamen non possunt eidem per episcopum conferri.* — Secundo id accidit, et quidem sine dispensatione, quoties ipsa beneficia de se non sunt incompatibilia, simulque unum eorum non sufficit ad honestam clerici sustentationem. Patet hoc ex concilio Tridentino sess. 24. cap. XVII. *de Raform.* ubi partim antiquos canones innovando, partim de novo decernendo, « statuitur, ut in posterum unicum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur : quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferre, » etc. Hæc ibi. Plura vero beneficia duobus, etiamsi hæc ad honestam clerici sustentationem non sufficerent, non posset conferri per episcopum absque dispensatione apostolica, fuisse decisum a sacra congregatione concilii, refert Garcias part. II. *de Beneficiis*, cap. v. n. 310; Fagnanus c. *Cum jam dudum*, n. 71. *de Præbend.*; Barbosa part. III *de Offic. et potest. episc.* allegat. 62, n. 6, atque amplius dicetur infra n. 211. et n. 268 et seqq.

207. *Quando ecclesia cathedralis, vel collegiata, tenues habet præbendas, potest ipsi per episcopum uniri beneficium simplex.* — Tertio id ipsum contingit, quando ecclesia cathedralis, vel collegiata insignis, adeo tenues habet præbendas, ut una cum distributionibus quotidianis non sufficiant decenti canonicorum sustentationi. Tunc enim licitum est episcopo, cum consensu capituli aliqua simplicia beneficia, non tamen regularia, eisdem unire, quæ proinde simul cum præbendis illis retineri possunt, juxta concilium Tridentinum sess. 24. cap. XV. *de Reform.* Quanquam, si istud non sufficiat, possint etiam servatis servandis aliquæ dictarum præbendarum supprimi, prout concedit idem concilium loc. cit.

208. *Talis unio beneficiorum, etiam curatorum fieri potest cum curatis, propter eorum paupertatem.* — Similiter possunt episcopi, etiam tanquam Sedis apostolicæ delegati, « facere uniones perpetuas quarumcumque ecclesiarum parochialium, et baptismalium, et aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum cum curatis, propter earum paupertatem, et in cæteris casibus a jure permissis. » Textus est in concilio Tridentino sess. 21. cap. v. *de Reform.* Unde facta tali unione, possunt illa beneficia simul retineri : quia beneficium perpetuo, et accessorie unitum alteri, censetur unum cum illo, et naturam ejus induit, etiamsi fuerit simplex; imo et prædium ejus reputatur, ut proinde hoc casu magis unicum beneficium obtineatur, quam plura. Vallensis h. t. § 4. n. 14. vers. *Tertiò*; Sannig, eod. cap. II. n. 3. et amplius dicetur infra tit. XII. *Ut Ecclesiastica beneficia*, etc. § 3. n. 45, 46, et 47.

209. *An possint plura beneficia simul retineri, quando unum datur in titulum, alterum in commendam?* — Quarto, spectato jure communi possunt plura beneficia simul retineri, quando unum datur in titulum, et alterum in commendam ad tempus puta, ad sex menses : quia commenda temporalis, etiam sit de Ecclesia parochiali, non inducit incompatibilitatem can. *Qui plures*, 21. q. 1. et c. *Nemo deinceps*. 15. *de Election.* in 6; Vallensis, loc. cit. vers. *Quarto*; Piasecius, part. II. *Praxis episc.* cap. v, n. 76. et alii. Secus dicendum de commendis perpetuis, quales de facto solent concedi, et quidem per Papam duntaxat, juxta dicta superius n. 36, 40 et 41. nisi accesserit legitima dispensatio Papæ.

210. *Potest quis ex consuetudine in eadem ecclesia una cum canonicatu obtinere dignitatem, personatum, etc.* — Quinto, potest quis accedente auctoritate episcopi, statuto, vel consuetudine ecclesiæ, in eadem ecclesia una cum canonicatu obtinere dignitatem, personatum, vel officium : puta, quod quis sit præpositus, decanus, scholasticus, aut custos, et simul canonicus. Glossa in cap. I. ✝. *Nisi unicum. de consuetud.* in 6. et Barbosa, ibid. n. 4. et Franchus, n. 7; Pirhing tit. *de Consuetud.* n. 97; Garcias, *de Beneficiis*, part. II. cap. v. n. 246. et 247. asserens, quod sacra congregatio in una Valentina. 1593. censuerit, consuetudini permittenti, quod in eadem ecclesia dignitates cum præbendis canonicalibus teneantur, non esse derogatum a concilio Tridentino, sess. 24. cap. XVII. *de Reform.* Videtur enim (inquit Garcias loc. cit. n. 248.) hujusmodi consuetudo esse rationabilis, et introducta, ut obtinentes dignitates decentius sustententur.

211. *Non tamen potest quis esse triplex in eadem ecclesia; absque dispensatione papali.* — Addit tamen Garcias cit. part. II. cap. 5. n. 238. cum pluribus aliis, quod in eadem

ecclesia nullo modo possit quis esse triplex, absque dispensatione speciali; neque valeat consuetudo, vel statutum in contrarium, juxta cit. cap. I. *de Consuetud.* in 6. et notat Dominicus ibid. n. 5. et 12. et Franchus n. 7. pluresque alii apud eumdem Garciam. Concordat Glossa fin. in Clem. ult. *de Præbend.* dicens, quod nemo potest esse triplex in ecclesia sine dispensatione papali, nec valet in hoc consuetudo. cit. cap. I. *de Consuetud.* in 6. Id ipsum, seu quod nemo possit esse triplex in Ecclesia, censuit sacra congregatio concilii relata per Garciam, ubi supra, n. 249. 8 Januar. 1594. Accedant dicenda inferius n. 267. et 268. et seqq.

212. *Beneficiorum incompatibilitas generatim ex duplici capite oritur.* — Quæritur III. Unde generatim consurgat incompatibilitas beneficiorum? Resp. I. Generatim loquendo, pluritas beneficiorum, ab eodem simul retentorum, ex duplici capite inordinationem continet, sicque oritur incompatibilitas eorum: videlicet, si vel ipsa beneficiorum institutio non permittit, ut plura ab eodem administrentur: vel quando unum eorum ad honestam beneficiati sustentationem sufficit; nam tunc plura beneficia, licet cæteroquin compatibilia, simul retineri nequeunt. Ita Layman, lib. IV. *Theol. mor.* tract. II. cap. VIII. n. 2; Pirhing, h. t. n. 124. et in re communis.

213. *Videlicet si vel ipsa beneficiorum institutio non permittit, plura ab eodem administrari; idque exemplicatur.* — Et quidem prior pars de se patet: soletque exemplificari in beneficiis, personalem residentiam requirentibus; ut puta, in duobus episcopatibus, duabus parochiis, aliisque beneficiis curatis, utpote jure naturali, ac divino, personalem residentiam continuam postulantibus. Idemque dicendum de cæteris beneficiis, quæ vel jure ecclesiastico requirunt perpetuam residentiam; ut dignitates, canonicatus, personatus, etc., ecclesiarum cathedralium, et collegiatarum, juxta concilium Tridentinum, sess. 24. cap. XII. *de Reform.* juncto c. *Quia nonnulli.* 3. et c. *Inter quatuor.* 10. *de Cleric. non resident.* et alibi. Vel saltem ex primæva fundatione, statuto, aut consuetudine, continuam residentiam expostulant. Quia enim nullus in duobus locis simul existere, atque personaliter residere potest, clarum est, beneficia illa, quorum quodlibet continuam requirit residentiam personalem, hoc ipso esse incompatibilia: ac proinde simul obtineri, et retineri non posse.

214. *Vel, quando unum eorum ad honestam clerici sustentationem sufficit.* — Altera vero pars, seu quod incompatibilitas beneficiorum etiam ex eo consurgat, quod unum ipsorum honestam clerici sustentationem sufficiat, licet alioquin, seu quantum est ex se, incompatibilia non forent: est Glossa in c. *Dudum.* il. 2. ỷ. *Retinere de Election.* dicentis, « quod qui habet plura beneficia, quorum alterum per se sufficeret, non potest sine mortali peccato retinere aliud, » etc. Eamdem Glossam approbat Abbas ibid. n. 36. et c. *Extirpandæ.* in *Repetit.* § *Qui vero.* n. 34. et seqq. h. t.; S. Bernardus Epist. 271. *ad Comitem Theobaldum;* et lib. II. *de Considerat. ad Eugenium Papam*, cap. VI; Navarrus cap. XXV. *Manual.* n. 125; Azorius, part. II, lib. VI, cap. X. quæst. 2. et 7. asserens pluralitatem beneficiorum, quorum unum honestæ clerici sustentationi sufficit, jure etiam naturali damnatam esse. Sylvester ỷ. *Beneficium.* cap. IV. quæst. 2. in fin.; Layman, d. lib. IV. tract. 2. cap. VIII. n. 2; Alfons. Hoieda *Tractatuum*, tom. XV, part. I. tract. *de Beneficior. incompatibilit.* cap. XIX. n. 1.; Flamin. Parisius, lib. V. *de Resignat. beneficior.* quæst. 6. n. 115. et seqq.; Piasecius in *Praxi Episcopali*, part. II. cap. V. art. 3. n. 83.; Sannig h. t. cap. II. n. 1; Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 62. n. 6. cum plurimis aliis, quos citant: adeo, ut hæc sit communis sententia.

215. *Atque istud multipliciter probatur.* — Atque ista pars conclusionis desumitur imprimis ex can. *Sanctorum.* dist. 78. et can. *Clericus.* 21. q. 1. cum similibus, pluralitatem beneficiorum abhorrentibus. Concordat c. *Conquerente*, 6. *de Cleric. non resident.* et c. *Cum teneamur.* 6. h. t. ubi habetur, etiam ad mandatum Papæ non esse providendum illi de beneficio, « qui aliud beneficium habeat, de quo valeat commode sustentari, » nisi hoc ipsum fuerit expressum. Idque clarius probatur ex concilio Tridentino, sess. 24. cap. XVII. *de Reform.* ubi præmissa illa generali ratione, « quod ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat clericorum: statuitur, ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur; » et si istud ad honeste sustentandam vitam beneficiarii non sufficiat, tunc primum liceat aliud simplex beneficium eidem conferre. Accedit ratio, quia repugnat lumini naturali, ut quis plura simul non necessaria beneficia occupando, defraudet alios idoneos

clericos a consecutione competentium beneficiorum, quibus commode sustentari possent. Hoc enim non solum pugnat contra primævam fundatorum intentionem, ab ecclesia acceptatam, et approbatam : sed etiam contra illud jure naturæ notum, « Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. » His adde inconvenientia, quæ ex pluralitate beneficiorum, ab eodem quandoque detentorum, oriri solent, juxta dicta superius n. 201. et 202. Occasione horum, atque pro meliori intelligentia hujus secundæ partis datæ conclusionis.

216. *Consuetudo, etiam immemorialis, non excusat coram Deo retinentes plura beneficia, quorum unum sufficit ad honestam sustentationem, licet excusare possit a pœnis temporalibus.* — Quæritur IV. Utrum quis ratione longævæ consuetudinis, vel dispensationis, possit obtinere, atque retinere plura beneficia, haud obstante, quod unum eorum jam sufficiat ad honestam ipsius sustentationem? Resp. I. Adeo incompatibilitas beneficiorum ex secundo capite proxime allegato consurgit, ut passim fateantur doctores, quod consuetudo in contrarium, etiam immemorialis, non excuset coram Deo retinentes plura beneficia, quorum unum ad honestam eorum sustentationem sufficit. Foret enim irrationabilis illa consuetudo, utpote pugnans contra lumen naturale, juxta proxime dicta : essetque nutritiva peccati; cum inducat vagationis, et ambitionis materiam; una cum aliis incommodis, et damnis Ecclesiarum, in Extravag. *Execrabilis.* Joann. XXII et h. t. inter commun. enumeratis. Unde et hujusmodi consuetudinem, « corruptelam (cum sacris sit inimica canonibus, et de ambitionis radice processerit) merito reputans » Pontifex cap. I. *de Consuetud.* in 6. eam auctoritate apostolica reprobavit : quæ proinde nullo unquam tempore induci poterit, c. *Cum venerabilis.* 7. et cap. ult. *de Consuetud.* cum similibus. Atque ita tenet Abbas c. *Extirpandæ.* in *Repetit.* § *Qui vero.* n. 36. h. t. allegatis pluribus rationibus contrariam consuetudinem apellans *corruptelam.* irrationabilem, et impræscriptibilem. Idemque tenet Hoieda cit part I. tract. *de Incompatibilit. benefic.* cap. XIX n. 9. et Fagnanus c. *Quia in tantum.* n. 17. et 18. *de Præbend.* asserens, consuetudinem obtinendi plura beneficia simplicia, etiam personalem residentiam non requirentia, si unum sit sufficiens, esse corruptelam; et ideo impræscriptibilem. Flaminius Parisius d. lib. V. *de Resignat. benefic.* quæst. 6. n. 115. et seqq.; Piasecius cit. cap. V. art. 3. n. 83. Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. Episc.* allegat. 62. n. 9. asserens cum auctoribus proxime enumeratis, quod opposita consuetudo (quam in Hispaniis vigere, iidem referunt post Garciam d. cap. V. n. 323.) sit contraria juri naturali : neque excuset a peccato mortali, pœnisque æternis, licet excusare possit a pœnis temporalibus. Garcias cit. part. II. cap. V. n. 270; Pirhing h. t. n. 127.; Sannig eod. cap II. n. 1. pluresque alii ab his allegati.

217. *Et cur nihilominus plura beneficia passim acquirantur, retineantur, et conferantur, quibus placuit?* — Neque urget, quod passim acquirantur, atque retineantur plura beneficia, saltem de se compatibilia, imo et per collatores ordinarios, conferantur, placuerit, nulla habita ratione, an prius beneficium sit pingue, atque ad honestum sustentationem clerici sufficiens, nec ne. Resp. enim cum Garcia d. part. II. *de Beneficiis,* cap. V. n. 330. allegante Zechium *de Republic. ecclesiast.* cap. *de Beneficiatis.* n. 4. istud per superiores fieri ex eo, quia relinquunt conscientiæ cujusque : cum non possit dari certa regula, quantum cuilibet beneficiario sufficiat ad honeste vivendum pro statu suo : sed istud dependeat a qualitate personarum; variisque aliis circumstantiis, juxta proxime dicenda quæst. seq.

218. *Neque per dispensationem, etiam papalem, potest clericus post obtentum beneficium ad suam sustentationem sufficiens, adhuc aliud recipere, et retinere.* — Resp. II. Neque per dispensationem etiam papalem, fieri potest, ut Clericus post obtentum unum, vel alterum beneficium sufficiens ad suam honestam sustentationem, aliud adhuc recipere, et retinere valeat : nisi subsit justa et rationabilis causa sic dispensandi. Ita Abbas c. *Cum conquerente,* n. 2. *de Cleric. non resident.* asserens, quod sine peccato mortali non potest quis tenere plura beneficia, quando alterum per se sufficit : nisi subsit justa causa sic dispensandi. Et idem Abbas c. *Quia in tantum.* n. 2. *de Præbend.* istud probans ex eo : quia secundum sanctum Bernardum, ubi non est legitima causa dispensandi, ibi non est dispensatio, sed dissipatio. Fagnanus cit. c. *Quia in tantum.* n. 14. et 15. ac seqq. istud intelligens de dispensatione tum episcopali, tum papali, si facta fuerit sine causa. Azorius part II. lib. VI. cap. XII. quæst. 7.; Pirhing, h. t. n. 127. et alii : nonnullis tamen exceptis, qui volunt, papam solo nutu, voluntate, posse

plura beneficia eidem clerico conferre. Ratio est, quia juri naturali repugnat, ut clericus habeat plura beneficia, quorum unum ad honestam ejus sustentationem sufficit : uti proxime dictum. Atqui contra jus naturale non potest Papa dispensare, nisi subsistente gravi, ac legitima causa : prout liquet in dispensatione votorum, ac juramenti, et hujusmodi (talis enim esset invalida, neque excusaret hominem quoad Deum, nisi subesset justa causa dispensandi) ergo.

219. *Nisi subsit justa causa sic dispensandi; et qualis sufficiat.* — Additur tamen, « nisi subsit justa, et rationabilis causa sic dispensandi. » Qualis foret juxta Abbatem cit. n. 2. et Innocentium c. *Cum jam dudum*. circa fin. h. t. si dispensatio in tali beneficiorum pluralitate fiat non ratione personæ clerici, seu principaliter ad honorem ipsius : sed propter utilitatem ecclesiarum, sive beneficiorum; puta, quia clericus ille est persona bona, et industria, ac litterata, bonæque famæ, et conscientiæ, quæ melius sciret, ac possit regere duas ecclesias, vel decem, quam alius unam. Tunc enim communis utilitas ecclesiæ præferri poterit privatæ, can. *Mutationes*. 7. q. 1. Ita tamen, ut fructus beneficiales superflui, per sic dispensatum in pluralitate beneficiorum, non nisi in causas pias licite erogentur, juxta dicenda inferius Tit. XV. *de Peculio clericorum*.

220. *Papa habet plenariam dispensationem de beneficiis et quomodo?* Nec obstat, quod Papa plenariam habeat dispositionem de beneficiis, c. *Licet*. 2. h. t. in 6. Ac proinde sola ejus voluntas stet pro ratione : nam de factis ejus judicare non licet, c. *Nemini*. 17. q. 4. Resp. enim cum Abbate c. *de multa*. n. 9. *de Præbend.* et Fagnano, ubi supra, n. 16. citante alios, dictum istud procedere quoad ecclesiam militantem, eo quod nulli liceat de factis Papæ judicare : secus quoad Deum; quia non debet sine causa relaxare jus commune, ne sit dissipator potius, quam dispensator. Concordant dicenda inferius § seq. n. 246. et seqq.

221. *Quodnam beneficium generatim censeatur sufficiens ad honestam clerici sustentationem.* — Quæritur V. Quodnam beneficium censeatur sufficiens ad honestam clerici sustentationem, sicque inducat incompatibilitatem cum alio beneficio obtinendo? Resp. I. Generatim loquendo, illud beneficium censetur taliter sufficiens, ex cujus redditibus clericus pro status sui conditione, et se, et familiam suam, honeste valet sustentare, juraque episcopalia persolvere, atque hospitalitatem servare. Ita Glossa in can. *Clericus*. 21. q. 1. ℣. *Necessitatem* : et alia Glossa c. *Conquerente*, ℣. *Sufficientia. de Clericis non resident.* et in re communi. Idque desumitur partim ex can. *Ex his autem*. 12 q. 1. et c. *Cum secundum*. 16. h. t. ubi dicitur, quod secundum Apostolum I, *Corinth.* IX, 13. *Qui altari servit, vivere debet de altari*, cum similibus, Partim ex c. *de Monachis*. 12. h. t. ubi prohibetur in ecclesia parochiali ad præsentationem religiosorum clericus institui, « nisi tantum ei de proventibus ecclesiæ fuerit assignatum, unde jura episcopalia possit persolvere, et congruam sustentationem : ac simul hospitalitatem tenere valeat. » Nam, ut inquit Glossa ibid. ℣. *Hospitalitatem*, ad hanc clerici præcipue tenentur : idemque patet ex can. *Volumus*. dist. 89. et can. *Quoniam quidquid*. 16. q. 1. et Extravag. *Execrabilis*. § 1. h. t. inter *Commun.* ubi etiam « Hospitalitas in beneficiis debita » censetur; junctis concordantiis a Glossa ℣. *Debita*, relatis. Unde non mirum, quod sumptus ad charitativam Hospitum, seu « peregrinorum Fratrum » receptionem necessarii, computari debeant in massa honestæ sustentationis clericorum, cit. can. *Ex his autem*. 12. q. 1. atque tenet Glossa, ubi supra, et communis.

222. *Beneficiarius potest ex redditibus ecclesiasticis sustentare parentes, fratres, consanguineos pauperes; non vero augere.* — Addit Vallensis tit. *de Concession. Præbend.* § 4. n. 10 post. Zipæum *de Jure benefic.* lib. III. *de Cleric. non resident.* et alios, quod ad honestam clerici sustentationem, etiam revocandi, atque in ea computandi sint parentes, fratres, et consanguinei egentes ipsius. Nam et hos potest beneficiarius ex redditibus ecclesiasticis honeste pro statu suo sustentare, non vero augere : prout desumitur tum ex can. 37. *Apostolorum*; tum ex concilio Tridentino sess. 25. cap. I. *de Reform.* Quo utroque in loco prohibetur beneficiariis, ne « res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed, si pauperes sint, iis, aut pauperibus, distribuant : » et consequenter, si pro statu suo vere indigeant, potest ipsis clericus ex bonis ecclesiasticis subvenire, non minus, ac aliis pauperibus; imo magis, quam istis, ob adjunctum fœdus naturale sanguinis, virtutemque amicitiæ, qua specialiter præ aliis astringuntur consanguineis suis.

223. *Quodnam beneficium, in specie censeri*

debeat sufficiens pro sustentatione clerici judicis arbitrio relinquitur pro foro externo. — Resp. II. Quodnam beneficium in specie debeat censeri sufficiens pro honesta clerici beneficiarii sustentatione, nullibi in jure reperitur definitum, neque ob diversitatem casuum una certa regula statui potest : ac proinde istud pro foro externo relinqui debet arbitrio judicis, paulo plus, vel minus æstimandum, consideratis tamen considerandis; videlicet qualitate personarum, conditione locorum, temporumque diversitate. Ita Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 226. n. 12. et seqq.; Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 62, n. 11, et lib. III. *Jur. Ecclesiast. univ.* cap. XIII. n. 183; Flamin. Parisius *de Resignat. benefic.* lib. V. quæst. 6. n. 131; Gonzalez ad Reg. 8. cancell, gloss. 15. n. 39; Alfons. Hoieda *Tractatuum.* tom. XV. tract. *de Incompatibilit. benefic.* part. I. c. 19. n. 22, Piasecius, part. II. *Praxis episcop.* cap. v. art. 3. n. 85. et alii. Ratio est, quia illa, quæ nec a jure definita sunt, neque ob diversitatem personarum, temporum, et locorum, aliarumque circumstantiarum, certa lege definiri possunt, non nisi prudenti judicis arbitrio relinquenda sunt, arg. can. 1. et seqq. dist. 20. juncto textu aperto in l. 1. ff. *de jure deliberand.* et l. *Continuus.* § *Cum ita* ff. *de Verbor. obligation.* cum concordantiis. Sic autem fit in proposito; ergo.

224. *Et hujus multiplex ratio.* — Accedit : quia, ut inquit Glossa in c. *Conquerente.* ℣. *Sufficientia. de Cleric. non resident.* plura in hac sufficientia, considerantur : puta, nobilitas, et scientia personæ; quia tales personæ majoribus redditibus sunt honorandæ, c. *De multa.* 28. § fin. h. t. Dignitas etiam consideranda est, ut l. *Sed et si quid.* §. 1. ff. *de Usufruct.* ubi dicitur, sufficienter quempiam ali, et vestiri debere secundum ordinem, et dignitatem suam. Item attendi debet, ut clericus possit sufficere sibi et suis; atque insuper valeat hospitalitatem servare, et jura episcopalia solvere, cit. c. *de Monachis.* h. t. Talia enim plurium variantur juxta diversitatem personarum, locorum, ipsorumque beneficiorum : ac non raro sufficit uni, quod non sufficit alteri, can. *Non cogantur.* dist. 41. Minusque sufficit manenti extra vias communes, quam in viis publicis, ubi major hospitum, seu peregrinorum fratrum copia advenire solet Glossa in can. *Clericus.* 21. q. 1. ℣. *Necessitatem.* in fin. His adde, quod debeat haberi ratio consuetudinis patriæ, seu loci : in una enim regione potest videri beneficium sufficiens, quod in altera censeretur tenue, juxta varietatem pretii rerum ad victum necessariam. Menochius cit. cas. 216. n. 3. et 14; Piasecius, ubi supra, n. 86. Atque hoc ipsum est ampliandum ad diversitatem temporum, puta, abundantiæ vel charitatis, belli vel pacis, ac hujusmodi. Nam de his omnibus, ac similibus nequit dari certa regula; ac proinde non nisi judicis arbitrio erit determinandum, saltem pro foro externo.

225. *Pro foro interno relinquitur id cujuslibet conscientiæ.* — Et additur, « pro foro externo. » Nam pro foro interno relinquitur cujuslibet conscientiæ, ut Deum præ oculis habendo judicet, an ipsi unum beneficium sufficiat; recto corde advertens, quod Deum omnia inspicientem fallere non possit. Gonzalez ad Reg. 8. cancell. gloss. 15. n. 39; Piasecius d. cap. v. art, 3. n. 84; post Zecchium *de Benefic.* cap. x. et alios : quamvis addat, quod tutior et communior sententia sit, ut istud remaneat judicis arbitrio.

226. *Ad effectum dijudicandi sufficientiam beneficii, etiam computandæ sunt distributiones quotidianæ.* — Existimat tamen Garcias part. II. *de Beneficiis.* cap. v. n. 321. cum aliis, ad effectum dijudicandi sufficientiam beneficii pro honesta clerici sustentatione, etiam computandas esse distributiones quotidianas : quidquid Caputaquen. decis. 65. n. 3. part. I. et Flamin. Parisius *de Resignat. benefic.* lib. V. quæst. 6. n. 131. in oppositum sentire videantur.

227. *Non autem bona patrimonialia clericorum.* — Cæterum in hujusmodi sufficientia judicanda, non debere haberi rationem bonorum patrimonialium clerici beneficiarii : merito censet Barbosa cit. allegat 62. et Piasecius d. part. II. *Praxis episcopal.* cap. v. art. 3. n. 86. allegans alios. Etenim potest clericus habens beneficium, et patrimonium, vivere de redditibus beneficii, juxta illud Apostoli. I. *Corinth.* IX, 13. *Qui altari deserviunt, cum altari participant*, cum similibus : atque patrimonium suum, fructusque ejus sibi reservare. Nam *quis militat stipendiis suis unquam*, uti loquitur idem sanctus apostolus, *ibid.* 7. et latæ probat Covarruvias, cap. I. *de Testament.* n. 2 et seqq. solvens contraria : et esse communem doctorum sententiam, inquit Piasecius cit. n. 86. allegans alios.

228. *Beneficia de se compatibilia, quæ.* — Quæritur IV. Quæ beneficia censeantur de se compatibilia, vel incompatibilia? Resp. I. Illa

beneficia censentur de se compatibilia, quæ vel ex jure communi, vel ex antiqua consuetudine, aut particulari statuto, seu fundatione, simul obtineri, atque retineri possunt. Talia imprimis sunt beneficia simplicia, non requirentia personalem residentiam; vel quorum unum requirit residentiam, alterum vero non. Atque istud procedit indistincte, sive beneficia talia simplicia existant in diversis ecclesiis, sive in eadem: dummodo cæteroquin non sint uniformia, seu ejusdem omnino rationis, et obligationis personalis.

229 et 230. *Referuntur horum exempla. Canonicatus Germaniæ, qui ex antiquissima consuetudine non requirunt residentiam majoris partis anni, de se non sunt beneficia incompatibilia.* — Deinde beneficia de se compatibilia censentur, quæ in diversis ecclesiis existunt, et nullam, vel saltem non incompatibilem residentiam exigunt. Layman, lib. IV. *Theol. mor.* tract. II. cap. VIII. n. 6 et 7. Ubi proinde is cit. n. 6. et post ipsum Pirhing h. t. n. 132. advertit, quod quidem duo canonicatus diversarum ecclesiarum, in quibus observatur Decretum concilii Tridentini, sess. 24. cap. XII. *de Reform.* injungens canonicis perpetuam residentiam, demptis duobus, aut tribus mensibus cujuslibet anni, de se sint incompatibiles: quia tamen in nonnullis Germaniæ cathedralibus ecclesiis, ex immemoriali consuetudine hactenus retenta, non requiritur residentia totius anni, nec majoris partis ipsius, sed sufficit residentia sex, quinque, aut quatuor, vel trium saltem mensium, tales canonicatus, seu præbendæ memoratarum ecclesiarum inter beneficia de se incompatibilia non debeant computari; cum non requirant residentiam incompatibilem, sed talem duntaxat, cui utrique satisfieri potest, residendo præscriptis mensibus in singulis ecclesiis. Additur tamen, « inter beneficia de se incompatibilia, » etc. Nam si alter canonicatus se solo sufficeret ad honestam canonici sustentationem, aliunde consurgeret ipsorum incompatibilitas, conformiter dictis supra n. 214. et seqq. Tertio beneficia compatibilia in eadem ecclesia censentur, quæ difformia sunt; ut puta, præpositura, et simplex canonicatus. Qualia proinde, cum utrique simul serviri valent, etiam simul retineri possunt, arg. cap. I. *de Consuetud.* in 6, junctis dictis supra n. 210. Nisi forsan alicujus ecclesiæ specialis constitutio, aut consuetudo repugnet. Layman, loc. cit. n. 7.

231 et 232. *Beneficia de se incompatibilia, quæ? Et horum exempla.* — Resp. II. Beneficia de se incompatibilia (id est, abstrahendo ab eo, quod unum eorum ad honestam clerici sustentationem sufficiat) sunt illa, quæ vel ex jure naturali, divino, aut ecclesiastico, vel saltem ex consuetudine, statuto, sive fundatione continuam, vel aliunde incompatibilem residentiam personalem postulant. Talia sunt duo episcopatus, duæ abbatiæ, duæ parochiæ, duæ perpetuæ vicariæ, et cætera beneficia curata; utpote quæ jure naturali, divino, ac ecclesiastico obligant ad perpetuam residentiam, juxta dicta superius tit. præced. § 3. n. 57. et seqq. Deinde intra beneficia de se incompatibilia, spectato rigore juris communis (quod additur ob dicta n. 229), comprehenduntur duæ dignitates, personatus, canonicatus, aut duo officia; utpote spectato jure canonico perpetuam personalem residentiam requirentia, sicque incompatibilia, c. *Ad hæc.* 13. et c. *Præterea.* 14. et c. *Cum non ignores.* 15. et c. *De multa.* 28. h. t. juncto concilio Tridentino sess. 24. cap. XII. *de Reform.* Idemque dicendum de aliis beneficiis, etiam simplicibus, quæ existunt in diversis ecclesiis, atque ex consuetudine, statuto, aut fundatione speciali, personalem residentiam requirunt: nam hoc ipso, quod nemo possit simul in distinctis locis existere, ibique residere, seu inservire; necesse est, talia beneficia de se esse incompatibilia. Quod ultimum ut melius intelligatur.

233. *Beneficia sub eodem tecto, quæ dicantur?* — Quæritur VII. Quænam beneficia intelligantur esse sub eodem tecto, simulque uniformia, et incompatibilia? Resp. I. « Beneficia sub eodem tecto » dicuntur ea, quæ existunt intra eamdem ecclesiam: hoc est, vel in ipsa ecclesia, atque intra parietes ipsius sunt: vel saltem intra claustrum, aut cœmeterium contiguum ipsius continentur. Ita Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 62. n. 15. Garcias, part. II. cap. V. n. 259; Pirhing, h. t. n. 24. Qui tamen addunt, secus esse dicendum, quando beneficium est situm in capella, vel cœmeterio non contiguo principali ecclesiæ, sed extra; tunc enim non censetur esse sub eodem tecto ecclesiæ principalis, arg. cap. un. *de Consecrat. Eccles.* in 6. ubi polluta ecclesia polluitur cœmeterium illi contiguum, sed non remotum.

234. *Beneficia uniformia sub eodem tecto,*

quæ? — Resp. II. Beneficia sub eodem tecto alia dicuntur uniformia, seu similia : alia difformia, seu dissimilia. Et quidem « Beneficia uniformia sub eodem tecto « dicuntur illa, quæ in eadem ecclesia sunt instituta ad eumdem finem; adeo, ut habeant idem prorsus onus, et officium eodem tempore peragendum. Ita Piasecius part. II. *Praxis Episcopal.* cap. v. art. 3. n. 73; Pirhing h. t. n. 24. Talia sunt duo canonicatus, duæ portiones, duo personatus, duo præstimonia, duæ capellaniæ ; prout exemplificat Azorius, part. II. lib. VI. cap. xi. quæst. 1.

235. *Et an talia sint duæ capellaniæ in eadem ecclesia.* — Intellige tamen istud ultimum de duabus capellaniis, quæ sunt ejusdem prorsus rationis, et obligationis personalis. Alioquin enim, si fuerint diversæ rationis, distinctique oneris (prout sunt duæ capellaniæ in duobus altaribus ejusdem ecclesiæ fundatæ, cum onere, ut in uno altari bis v. g. in hebdomada celebretur, in altero ter aliis distinctis diebus) tunc eæ non forent beneficia uniformia sub eodem tecto, nec proinde incompatibilia. Navarrus, consil. 16. *de Præbend.;* Garcias, part. II. *de Benefic.* cap. v. n. 225. et 229; Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 10. n. 33 et 35. allegans plures alios, ac multiplicem decisionem Rotæ. Flamin. Parisius, lib. III. *de Resignat. benefic.* q. 1. n. 128; Layman, cit. lib. IV. *Tract.* II. cap. VIII. n. 7. et alii. Ratio est, quia, licet uno nomine generali capellaniæ appellentur, cum tamen habeant distincta onera, seu officia in diversis altaribus peragenda : re ipsa non sunt beneficia uniformia sub eodem tecto, sed difformia.

236. *Ad uniformitatem beneficii sub eodem tecto, non sufficit identitas nominis.* — Nec obstat identitas nominis, seu quod simili nomine capellaniæ appellentur. Resp. enim, ad hoc, ut aliqua beneficia dicantur uniformia sub eodem tecto, non sufficere, quod uno nomine generali appellentur : alioquin enim omnia beneficia simplicia uniformia, quia eodem nomine *Beneficii simplicis* nominantur. Nam ad uniformitatem beneficiorum ulterius requiritur, ut eorum munera, atque onera naturalia sint uniformia, et similia. Navarrus cit. consil. 16. *de Præbend.* n. 2. et alii proxime allegati.

237. *Beneficia difformia, seu dissimilia sub eodem tecto, quæ?* — Resp. III. « Beneficia difformia, seu dissimilia sub eodem tecto, » contrario modo declarantur; nempe, quod quidem intra parietes ejusdem ecclesiæ consistant, non tamen ad eumdem finem, sive officium eodem tempore peragendum ordinentur : ut sunt juxta Azorium, ubi supra, unus canonicatus et portio, dignitas aliqua et canonicatus, personatus et beneficium curatum, ac hujusmodi.

238. *Horum duo possunt absque dispensatione apostolica simul retineri, quando unum non sufficit ad honestam sustentationem clerici. Et an ad hoc requiratur dispensatio episcopi, etc.?* — Resp. IV. Duo beneficia difformia sub eodem tecto, quando ad honestam clerici sustentationem unum non sufficit, possunt absque dispensatione apostolica simul obtineri, et retineri. Ita communis doctorum : cum hoc tamen discrimine, quod nonnulli eorum velint, ad istud saltem requiri dispensationem episcopi, vel statutum, aut consuetudinem illius ecclesiæ ; in qua existunt talia beneficia difformia ; cæteri vero arbitrentur, ejusmodi beneficia esse compatibilia de jure communi : prout videre est apud Garciam, part. II. *de Benefic.* cap. v. n. 231. et seqq. Ubi, postquam pro priori opinione allegasset Glossam in cap. I. ♰. *Nisi unicum. de Consuetud.* in 6. pluresque alios : tandem n. 235. post Abbatem consil. 96. part. II. Navarrum consil. 28. *de Præbend.* Rotam in Cesanatem canonicatus. 19 februar. 1590. coram Gipsio, Rebuffum pluresque alios, concludit beneficia hujusmodi de jure communi esse compatibilia, nisi alias sint sibi repugnantia ratione residentiæ, seu servitii. Nam non video (inquit Garcias, ibid. n. 237.) textum aliquem, ex quo contraria sententia probetur. Atque huic posteriori sententiæ etiam favet Fagnanus c. *Cum jam dudum.* n. 49. h. t. et Pirhing eod. n. 186.

239. *Probatur, duo beneficia difformia sub eodem tecto posse simul retineri, etc.* — Et quidem duo beneficia difformia sub eodem tecto posse simul obtineri, atque retineri, ubi unum non sufficit ad honestam clerici sustentationem, etiam sine dispensatione Papæ (quidquid sit de necessitate dispensationis episcopalis, statuti, aut consuetudinis ecclesiæ, circa quod controvertunt doctores, ut proxime dictum) desumitur ex c. *Eum te.* 7. *de Rescript.* ubi absolute dicitur, quod aliquis fuerit archidiaconus, et canonicus ejusdem ecclesiæ, nulla facta mentione dispensationis apostolicæ, sive episcopalis, aut statuti, vel consuetudinis ecclesiæ. Idipsum, et quidem fortius, probatur ex cap. I. *de Con-*

suetud. in 6. ubi circa finem decernitur, « quod nulli liceat de cætero, nisi unum personatum, vel dignitatem, aut præposituram sive administrationem, vel officium perpetuum, quocunque nomine censeantur, cum præbenda in simul absque dispensatione Sedis apostolicæ in eadem ecclesia obtinere, vel jam obtenta tenere. » Unde ponderando ly, « nisi unum ; » et quia exceptio firmat regulam in oppositum, L. *Quæsitum.* 12. § *Idem respondit.* 13. ỿ. *Denique.* ff. *de Fundo instructo.* cum similibus : inferre licet, quod una cum præbenda, sive canonicatu, possit in eadem ecclesia, etiam absque alia dispensatione Sedis apostolicæ, simul obtineri unus personatus, dignitas, aut præpositura, etc. dummodo ita requiratur ad honestam sustentationem clerici.

240. *Secus dicendum de duobus beneficiis uniformibus sub eodem tecto.* — Resp. V. Duo tamen beneficia uniformia sub eodem tecto, puta, duos canonicatus, duas portiones, aut alia duo uniformia beneficia, etiam simplicia, in eadem ecclesia nemo, potest simul obtinere, atque retinere. Ita Garcias, part. II. *de Beneficiis*, cap. v. n. 182; Azorius part. II. lib. VI. cap. XI. quæst. 1; Flamin. Parisius, lib. III. *de Resignat. beneficior.* quæst. 1. n. 182. et 121 ; card. Tuschus, Litt. B. concl. 66. n. 9 et 10; Pirhing, h. t. n. 131. et communis aliorum. Idque desumitur ex c. *De multa.* 28. § *Hoc idem de Præbend.* ubi in concilio generali statutum legitur : « Hoc idem in personatibus esse decernimus observandum ; addentes ut in eadem ecclesia nullus plures dignitates, aut personatus habere præsumat, etiamsi curam non habeant animarum. » Concordat c. *Litteras.* 9. *de Concession. Præbend.* ubi rejicitur allegata consuetudo generalis, quod unus in eadem ecclesia plures habeat præbendas : atque per assecutionem secundæ præbendæ, prior ipso jure vacare dignoscitur ; prout amplius declarant Glossa, et doctores ibid. Accedit Clem. ult. h. t. ubi virtute mandati apostolici adeptus in ecclesia dignitatem quampiam, puta, archidiaconatum, habentem annexam præbendam, perdit primam præbendam, quam habebat in eadem ecclesia, veluti vacantem ipso jure.

241. *Et quæ ratio disparitatis?* — Accedit ratio, simulque disparitas inter hanc, et priorem conclusionem, quia, si quis haberet duo beneficia uniformia sub eodem tecto, v. g. duos canonicatus, minueretur numerus ministrorum ecclesiæ, simulque cultus divinus : nam unus, idemque, non posset stare loco duorum, v. g. canonicorum in choro, vel capitulo ; sicque detraheretur et numero ministrantium, et cultui divino, ut patet. Secus accidit in beneficiis difformibus ; puta, si quis habet in eadem ecclesia simul canonicatum, et dignitatem : nam, quia ipse ista habet diverso jure, recte inter dignitates supplet numerum dignitatum, et inter Canonicos numerum canonicorum ; potestque modo hujus, modo illius negotia resque administrando, utrique obligationi suæ satisfacere, neque indiget substituto aliquo. Abbas c. *Cum olim.* n. 6. *de Sentent. et re judicat.* Garcias, part. II. *de Benefic.* cap. v. n. 245. Idemque (servata proportione) accidit in aliis beneficiis difformibus, vel non difformibus sub eodem tecto, uti patebit consideranti.

242. *Non valet consuetudo retinendi duo beneficia uniformia sub eodem tecto, etiam immemorialis.* — Ampliatur primo data conclusio, ut non valeat consuetudo contraria ; videlicet, retinendi duo beneficia uniformia sub eodem tecto, etiam immemorialis, cit. c. *Litteras. de Concessio. præbend.* ac notat Glossa ibid. ỿ. *Ex consuetudine*, asserens, quod hæc consuetudo potius censenda sit corruptela ; Abbas c. *Extirpandæ.* in. *Repetit.* § *Qui vero.* n. 41. h. t.; Flamin. Parisius, lib. III. *de Resignat. benefic.* quæst. 1. n. 124; Azorius cit. cap. XI. quæst. 1 ; Garcias, d. part. II. cap. v. n. 180. cum pluribus aliis, quos citat.

243. *Neque in his simul habendis potest dispensare episcopus.* — Ampliatur secundo, ut episcopus in duobus beneficiis uniformibus, v. g. duabus canoniis ejusdem ecclesiæ simul habendis, dispensare non valeat. Glossa fin. in Clement. ult. h. t.; Joan. Andreas c. *Litteras* n. 3. et Abbas, n. 2 et 3. *de Concession. præbend.* juncto textu ibid.; Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 62, n. 12 ; Azorius, cit. cap. II. quæst. 4; Flamin. Parisius, loc. cit. n. 123 ; Garcias, n. 185, allegans alios. Quia episcopus non potest dispensare contra sacros canones, nisi in casibus sibi a jure concessis, c. *Dilectus.* 15. juncta Glossa ỿ. *Permissa*, et Abbate ibid. n. 3. *de Temporib. ordinat.*

244. *Et dispensatus per Papam ad habenda simul duo beneficia, nequit duo uniformia obtinere in eadem ecclesia, etc. Jura magis abhorrent, ut quis in eadem ecclesia obtineat duo beneficia uniformia, quam in diversis.* — Am-

pliatur tertio, ut etiam per Papam dispensatus ad habenda simul duo beneficia, nequaquam censeatur dispensatus, ut duo uniformia, v. g. duos canonicatus, obtineat in eadem ecclesia : nisi istud expressum fuerit. Abbas c. *De multa*. n. 4. h. t.; Azorius cit. cap. II. quæst. 1; Pirhing, h. t., n. 131; Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 62, n. 15 et 16; Flamin. Parisius, d. lib. III. cap. I. n. 125; allegans Petrum de Acharano c. *Permittimus. de Ætate et qualitat.*, cardinalem consil. 53. et alios, cum communi. Siquidem jura magis abhorrent, ut in eadem ecclesia, et sic sub eodem tecto, quis obtineat duo beneficia uniformia, v. g. duas præbendas, quam in ecclesiis diversis; uti patet ex juribus n. 240. allegatis, ac notat Glossa fin. in Clem. ult. h. t. Abbas c. *Litteras*. n. 2. et Fagnanus, ibid. n. 6. et 7. *de Concession. præbend.*; Garcias, d. cap. v. n. 190. citans Rotam in Toletana capellaniæ de Baraias. 15 februar. 1591. coram dom. Pamphilio; Flamin. Parisius cit. lib. III. quæst. 1, n. 121; Barbosa, Azorius, ubi supra, et alii.

§ IX.

DE DISPENSATIONE, ET CONSUETUDINE CIRCA PLURALITATEM BENEFICIORUM.

245. *Papam posse dispensare super pluralitate beneficiorum, cum id ratio postulaverit, certum est.* — Quæritur I. Utrum Papa, quibusque ex causis, possit dispensare in pluralitate beneficiorum? Resp. I. Certum est, quod ex causa rationabili, et legitima possit Papa dispensare super pluralitate beneficiorum simul retinendorum, etiamsi ea cæteroquin forent incompatibilia. Textus est in c. *De multa*. 28. § fin. h. t. ubi dicitur : « Circa sublimes tamen et litteratas personas, quæ majoribus sunt beneficiis honorandæ, cum ratio postulaverit, per Sedem apostolicam poterit dispensari. » Accedit ratio : quia Papa in beneficiis plenissimam habet potestatem, plenariamque dispositionem, cap. II. *de Præbend.* in 6. et Clem. *Si duobus*. 1. § fin. *Ut lite pendente*, etc. eo quod beneficia de jure positivo ecclesiastico sint introducta, et singulæ Ecclesiæ singulis presbyteris divisæ, can. *Ecclesias*. 13. q. 1. Unde, quia Papa secundum plenitudinem potestatis, de jure potest supra jus dispensare, c. *Proposuit*. 4. *de Concession. præbend.* dubium non est, quin circa pluralitatem beneficiorum, cum ratio postulaverit, dispensare valeat.

246. *Quando Papa dispensat Motu proprio, præsumitur subesse justam causam dispensandi: alias secus.* — Additur notanter, « cum ratio postulaverit. » Licet enim in illis, quæ sunt juris positivi humani, Papa possit valide dispensare, etiam sine causa : quia tamen dispensatio facta sine causa, non meretur dici dispensatio, sed potius dissipatio, ut inquit sanctus Bernardus lib. III. *de Considerat.* paulo ante fin. Hinc quando Papa dispensat, motu proprio, semper præsumitur, quod subsit justa causa dispensandi, atque ex legitima causa dispensaverit Pontifex, can. *si Papa*, dist. 40; ac notat Abbas c. *In causis*. n. 2. *de Sentent. et re judicat*; Felinus c. *Ad aures* n. 7. *de Rescript.*; Piascius part. II. *Praxis episcopal.* cap. v. art. 3. n. 79. et alii. Secus dicendum, quando Papa dispensaret ad instantiam partis : quia tunc subintelligeretur conditio illa : « Si preces veritate nitantur, » juxta textum expressum c. *Ex parte*. 2. *de Rescript.* ac proinde non subsisteret dispensatio pontificia, veluti sub aut obreptitie obtenta, c. *Sedes*. 15. et c. *Super litteris*. 20. *de Rescript.* cum concordantiis. His adde dicta superius § præced. n. 218. 219. et 220.

247 et 248. *Causæ legitimæ dispensandi in pluralitate beneficiorum, sunt tres. Et quæ?* — Resp. II. Causa legitima dispensandi in pluralitate beneficiorum communiter triplex assignari solet; videlicet, necessitas Ecclesiæ, utilitas Ecclesiæ, ac evidens prærogativa meritorum. Ita Abbas in c. *De multa*. n. 7, h. t. et c. *Extirpandæ*. in *Repetit*. § *Qui vero*. n. 34. eod.; Azorius, part. II. lib. VI. cap. XII. n. 6; Layman, lib. IV. *Theol. moral.* tract. II. cap. VIII. n. 2. et alii. Idemque desumitur ex can. *Tali conjugio*. 1. q. 7. ubi in simili habetur, quosdam ecclesiasticis ordinibus non esse applicandos, « nisi forte eos aut maxima Ecclesiæ utilitas, vel necessitas postulet, vel evidens meritorum prærogativa commendet. »

Et quidem « Ecclesiæ necessitas » quandoque postulat, ut uni plura beneficia conferantur, si est penuria sacerdotum, aut aliorum idoneorum ministrorum Ecclesiæ; puta, in locis hæresi infectis. Utilitas vero, quando clericus sua prudentia, auctoritate seu potentia, plus communi reipublicæ christianæ bono, atque ecclesiarum commodis profuturus videtur, quam plures alii. Tandem « evidens meritorum prærogativa » beneficiatum,

utpote doctrina, consiliis, scripturis, aut hujusmodi, de Ecclesia valde meritum, promovere potest ad plurium beneficiorum emolumenta tum spiritualia, tum temporalia dispensative recipienda, juxta illud Apostoli I ad *Timoth.* v, 17. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur* (id est, munerum largitione, ut interpretatur S. Hieronymus cap. xv. Matth.) *maxime, qui laborant in verbo, et doctrina.* Unde et c. *De multa.* 28. § fin. h. t. dicitur, « quod sublimes et litteratæ personæ majoribus sunt beneficiis honorandæ, » etc.

249. *Justa causa dispensandi in pluralitate beneficiorum ultra necessariam sustentationem, non est, propositum erogandi superfluos redditus in pias causas.* — Resp. III. Nihilominus justa causa dispensandi in pluralitate beneficiorum, ac præsertim hæc simul retinendi ultra necessariam vitæ sustentationem, non est, quod clericus propositum habeat redditus superfluos in pias causas erogandi. Ita Azorius, part. II. lib. VI. cap. xII. quæst. 3. et Layman, lib. IV. tract. II. cap. vIII. n. 2. vers. *Illud. vero.* allegans communem, contra cardinalem in Clem. *Gratiæ de Rescript.* et Navarrum cap. xxv. *Manual.* n. 128. Ratio est, quia, ut justa subsit causa dispensandi atque retinendi pluralitate beneficiorum, præsertim ultra necessariam vitæ sustentationem, etiam requiritur, ut aliæ deformitates tollantur, vel saltem æquali utilitate publica cohonestentur; videlicet, subtractio alimentationis respectu aliorum clericorum, Ecclesiæ damnum ob absentiam beneficiarii, cultusque divini diminutio, ac hujusmodi; et notat Layman, loc. cit. Tales autem deformitates non tolluntur, neque cohonestantur per solum propositum dandi superflua in pias causas, nisi subsit alia gravior causa, præsertim publica. Et hinc sanctus Carolus Borromæus ab Ecclesia universali pie laudatur, quod ecclesiasticos proventus, quibus a Pio IV. avunculo suo copiose fuerat cumulatus, sponte dimiserit: nonnullis retentis, quibus ad proprios usus, et egenorum necessitate utebatur; uti habetur in lectionibus *Breviarii Romani*, die Festo ipsius, seu quarto novembris.

250. *Rescripta, atque dispensationes super beneficiis ecclesiasticis obtinendis, stricte interpretari debent. Dispensatio est vulnus juris.* — Quæritur II. Quomodo intelligi debeat dispensatio facta super beneficiis, ac præsertim super pluralitate ipsorum? Resp. I. Rescripta, seu Litteræ Apostolicæ, atque dispensationes super beneficiis ecclesiasticis obtinendis, stricte interpretari debent: nec extendi ultra proprietatem verborum. Ita communis, tum quia generaliter loquendo, istud procedit de cæteris rescriptis ad beneficia, per textum expressum in c. *Quamvis plenissima.* 4. *de Præbend.* in 6. ibi: « Quamvis plenissima sit alias in beneficiis interpretatio facienda; litteræ tamen super obtinendis beneficiis impetratæ debent, cum sint ambitiosæ, restringi: » estque ex professo dictum supra lib. 1. tit. III. *De Rescriptis.* § 5. n. 126. 128. et 129; tum quia dispensatio, est vulnus juris: siquidem per eam Jus commune vulneratur, can. *Ipsa pietas.* 23. q. 4. Barbosa part. II. *de Offic. et potest. episc.* allegat 33. num. 7. et alii. Cum igitur omnis recessus a jure censeatur odiosus, et nequaquam trahendus ad consequentiam, juxta reg. 28. jur. in 6. etiam dispensationes, v. g. super beneficiis, eorumque pluralitate, sunt odiosæ, ac stricte interpretandæ; ut cap. I. § fin. *de Filiis presbyter.* in 6. Ubi loquendo de dispensatione facta cum illegitimo ad obtinendum beneficium, dicitur: « Quam exhorbitantem a jure oportet, veluti odiosam, restringi, » cum similibus. Proinde

251. *Dispensatus super defectu, ut possit ad beneficium promoveri, non potest nisi unicum beneficium, vi talis dispensationis, obtinere. Adeo, ut nec successive possit duo consequi.* — Resp. II. Si cum aliquo dispensatum fuerit, quod non obstante defectu aliquo, v. g. natalium, possit ad beneficium, etiamsi curam habeat animarum, promoveri; non potest is prætextu talis dispensationis, nisi unicum beneficium obtinere. Textus est expressus in cit. cap. I. § fin. *de Filiis presbyter.* in 6. addita ratione proxime relata; quia nimirum talis dispensatio est a jure exorbitans, sicque debet veluti odiosa restringi: ac proinde virtute ipsius, non potest quis duo beneficia in simul obtinere, prout loquitur Summarium ibid. Quinimo, ut notat Ancharanus ibid. n. 3. vers. *Quæro dicitur*, post Archidiaconum; Barbosa, part. II. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 45. n. 36. post Cardos. in *Praxi Judicum.* ℣. *Dispensatio.* n. 19; Pirhing tit. *de Filiis presbyt.* n. 24. dispensatus a Papa, ut possit habere unum beneficium curatum, non poterit vi talis dispensationis etiam successive obtinere duo: adeo, ut si unum fuerit consecutus, non possit eo dimisso obtinere secundum. Siquidem per

adeptionem primi beneficii curati, dispensatio jam est sortita suum effectum; ac proinde, veluti odiosa, non debet extendi ad aliud beneficium, arg. c. *Non potest*. 21. h. t. in 6. mox allegando: quamvis Joan. Andreas hic n. 4. asserat, istud durum valde videri; ac proinde teneat oppositum:

252. *Dispensatio, ut possit quis duo beneficia curata recipere, ac simul retinere, intelligitur solum de primis duobus beneficiis postea ei collatis.* — Deinde dispensatio apostolica cuipiam facta, ut possit duo beneficia curata recipere, ac simul licite retinere: intelligitur solum de primis duobus beneficiis quæ post dictum Indultum apostolicum ipsi collata fuerunt. Textus est in c. *Non potest*. 21. § *Illud autem*. h. t. in 6. Cujus rationem affert Vivianus in *Rationali*, ibid. Quia, quamprimum taliter dispensatus recepit duo prima beneficia, adimpleta est gratia dispensationis, arg. l. *Boves*. § *Hoc sermone*. ff. *de Verb. signif.* atque ideo, cum dispensatio illa, veluti odiosa restringi debeat, non potest extendi ad alia, seu tertia vel quarta vice vacatura beneficia.

253. *Et si talis postea obtineat aliam dispensationem, ut plura beneficia simul obtinere possit, tacito illo defectu, non valet dispensatio. Dispensatio addita dispensationi non valet, nisi in secunda fiat mentio de prima.* — Ulterius, si quis post obtentam a Sede apostolica dispensationem super defectu, v. g. natalium, et beneficium exinde impetratum, tacito defectu ejusmodi obtineat aliam a Sede præfata dispensationem, ut duo vel plura beneficia simul obtinere possit, non valet dispensatio; sed veluti per subreptionem obtenta, nullius penitus est momenti. Ita textus, Glossa, et doctores in cap. *de Filiis presbyter*. in 6. Accedit ratio, quia non est verisimile, quod Papa dispensasset in pluralitate beneficiorum cum eo, qui patitur talem defectum, v. g. natalium, si hoc ei fuisset expressum; prout loquitur Pontifex ibid. Unde notat Vivianus in *Rationali*, ad cit. c. *Si is*. 2. *de Filiis presbyter*. in 6. post Decium in l. *Liberos*. c. *de Collationib.* quod dispensatio addita dispensationi non valet, nisi in dispensatione secunda fiat mentio de prima.

254. *Provisus de beneficio sub clausula* non obstante, quod aliud beneficium obtinere noscaris, *non potest primum beneficium retinere cum secundo.* — Resp. III. Si cuipiam per Papam provideatur de beneficio, addita clausula, « Non obstante, quod aliud beneficium obtinere noscaris. » per hoc non censetur cum ipso dispensatum, ut primum beneficium cum secundo retinere valeat; sed id solummodo clausula illa operatur, quod facta ei gratia nequeat subreptitia judicari. Ita rursum textus expressus in cit. c. *Non potest*. fin. h. t. in 6. Et ratio est: quia dispensationes, veluti odiosæ, atque exorbitantes, a jure communi, stricte sunt intelligendæ, atque restringendæ, ut dictum: unde cum præfata clausula modo prædicto jam suum consequatur effectum, id sufficit. Neque enim de primo beneficio simul retinendo (contra claram juris dispositionem) Papa cogitasse videatur; cum in ipsa dispensatione id non expressit. Vivianus in *Rational.* ibid.

255. *Secus, si istud exprimatur.* — Secus foret dicendum, si Pontifex in litteris dispensationis dixisset: « Liceatque tibi beneficium istud cum priori retinere. » Tunc enim verba forent clara, sicque juxta ea oporteret judicare; ut c. *Porro*. 7. *de Privileg.* et l. *Licet Imperator*. ff. *de Legat*. *I*. et alibi. Nam verba clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam. Abbas consil. 97. lib. I. Barbosa, *Axiome*. 222. n. 32. et communis; estque amplius dictum supra lib. I. tit. II. *De Constitutionibus*. § 16. n. 384 et 385.

256. *Dispensatus super pluralitate beneficiorum, censetur etiam dispensatus super residentia, et aliis connexis, ac necessario consecutivis.* — Ampliatur istud, ut dispensatus super pluralitate beneficiorum simul retinendorum, censeatur etiam dispensatus super accessoriis, connexis, et necessario consecutivis ex tali dispensatione; puta, super residentia, et hujusmodi. Glossa can. *Si quis in Clero*. 7. q. 1. ÿ. *Solemnibus*: et alia Glossa c. *Quia in tantum*. ÿ. *Plures*. et ibi Abbas, n. 3. Fagnanus, n. 2. *de Præbend.*; Pirhing, h. t. n. 198. et alii; estque pariter dictum supra lib. I. tit. II. *de Constitutionibus*. § 18. n. 451.

257. *Taciturnitas beneficii præhabiti, quantumcunque modici, vitat dispensationem super pluralitate beneficiorum. Imo et cætera rescripta ad beneficia.* — Resp. IV. Taciturnitas beneficii præhabiti, quantumvis modici, vitiat dispensationem super pluralitate beneficiorum simul retinendorum. Textus est in c. *Non potest*. 21. § 1. h. t. in 6. Ubi Glossa ÿ. *Modicum*, hujus rationem reddit: quia si in impetratione Beneficii, sive in rescriptis ad beneficia, istud habet locum, ut tacitur-

nitas beneficii præhabiti, quantumcumque modici, vitiet rescriptum impetratum ad novum beneficium, nisi fuerit concessum motu proprio, c. *Si proponente*. 42. *de Rescript*. et c. *Si motu*. 23. h. t. in 6. estque jam dictum supra lib. I. tit. III. *De Rescript*. § 7. n. 167. et 170. ac seqq. Multo fortius illud in dispensatione ad plura beneficia locum habere debet; cum etiam tales dispensationes sint ambitiosæ, ac restringendæ, c. *Quamvis plenissima*. 4. h. t. in 6. juncto cap. II. *de Filiis presbyt*. in 6. cum similibus.

258. *Utrum episcopus possit dispensare in pluralitate beneficiorum? Olim is poterat dispensare in duobus ecclesiis curatis simul retinendis; non item in duobus canonicatibus.* — Quæritur III. Utrum episcopus possit dispensare in pluralitate beneficiorum? Resp. I. Spectato jure antiquo poterat episcopus dispensare in duabus ecclesiis curatis simul retinendis, non item in duobus Canonicatibus. Textus est in can. *Sanctorum*. dist. 70. ubi in concilio Urbani II. sic statutum legitur: « Omnino autem in duabus ecclesiis aliquem titulari non liceat; sed unusquisque, in qua titulatus est, in ea tantum canonicus habeatur. Licet enim episcopi dispositione, unus diversis præesse possit ecclesiis; canonicus tamen præbendarius, nisi unius ecclesiæ, in qua conscriptus est, esse non debet. » Hæc ibi.

259. *Et quæ ratio disparitatis?* — Nec dicas, esse mirabile, quod concedatur episcopis facultas dispensandi in duabus ecclesiis, seu parochiis simul retinendis, et non in duabus præbendis; cum tamen hæ non habeant annexam curam animarum, sicut ecclesiæ parochiales. Resp. enim cum Abbate in c. *Cum jam dudum*. n. 9. h. t. istud non esse mirandum: quia dispensatio quoad diversas ecclesias fieret propter publicam utilitatem, ut nempe populus per idoneos; magisque qualificatos pastores regeretur, quando ita episcopis videretur expediens, vel ob defectum ministrorum omnino necessarium foret. At vero dispensatio quoad diversas præbendas, fieret duntaxat propter privatam utilitatem: nam præbenda datur canonico, ut inde vivat; ecclesia vero principaliter datur, ut quis populum regat.

260. *De facto nequit episcopus dispensare circa plura beneficia curata, vel dignitates, aut personatus.* — Resp. II. De facto nequit episcopus dispensare circa plura beneficia curam animarum habentia; neque etiam circa plures dignitates, aut personatus ab eodem obtinendos, etiamsi curam non habeant animarum. Ita desumitur ex c. *De multa*. 28. juncta Glossa fin. et Barbosa in *Collectan.* ibid. n. 22. h. t.; Abbas in c. *Extirpandæ*. in *Repetit*. § *Qui vero*. n. 38. eod.; Azorius part. II. lib. VI. cap. XII. quæst. 6; Garcias part. XI. *de Beneficiis*. cap. V. n. 337, allegans plurimos alios, decis. 4. *De Offic. legat. in novis*. alias 286; Alfons. Hoieda *Tractatuum*, tom. XV. tract. *de Incompatibilit. Beneficior*. part. II. cap. XII. n. 17; Pirhing, h. t. n. 185. contra nonnullos alios, ab eodem Hoieda n. 16. et Garcia n. 338. in oppositum citatos.

261. *Idque probatur.* — Ratio Conclusionis est: Quia, licet antiquitus potuerint episcopi dispensare quoad pluralitatem ecclesiarum, seu beneficiorum curatorum, cit. can. *Sanctorum*. dist. 70. nihilominus hæc potestas episcopis adempta fuit in concilio generali, relato in d. c. *De multa*. 28. § fin. h. t. illis verbis: « Cum ratio postulaverit, per Sedem apostolicam poterit dispensari. » Nam, ut argumentatur Glossa fin. et Barbosa idid. n. 22. ex eo, quod dicit, « Per Sedem Apostolicam, » patet a contrario sensu, quod per alios Papa inferiores in talibus non possit dispensari: quia, quod de uno conceditur, de altero negatur, l. *Maritus*, citra. juncta Glossa fin. C. *de Procuratorib.*; Barbosa Axioma. 196. n. 20. Sicut e contra, quod de uno negatur, de altero concessum intelligitur, can. *Qualis*. dist. 25. et c. *Nonne*. *de Præsumption*. cum. concordantiis.

262. *Cur episcopis fuerit adempta potestas dispensandi in pluralitate beneficiornm curatorum? Privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.* — Unde non obstat cit. can. *Sanctorum*. dist. 70. Nam, ut notat Glossa fin. in d. c. *De multa*. et Abbas cit. *Repetit*. § *Qui vero*. n. 40. propter indiscretas, et stultas episcoporum dispensationes, virtute illius canonis olim factas, potestas in posterum taliter dispensandi merito episcopis subtracta fuit: « Siquidem privilegium omnino meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate, juxta textum expressum can. *Privilegium*. 11. q. 3. et can. *Ubi ista*. dist. 74. et c. *Ut privilegia*. *de Privileg*. cum similibus.

263. *Episcopus nequit dispensare contra jus commune, nisi in casibus sibi a jure concessis.* — Confirmatur data conclusio ex c. *Ordinarii locorum*. 3. § *Si vero*. *de Offic. ordinar*. in 6.

juncta Glossa ℣. *Sui beneficii*, exinde inferente, quod solus Papa possit dispensare in pluribus curatis. Accedit concilium Tridentinum, sess. 24. cap. XVII. *de Reform.* statuens, « quod in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur : quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandum non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens — eidem conferri. » Et consequenter, ponderando ly, « aliud simplex, » nequit habenti beneficium curatum, per episcopum conferri aliud curatum. Neque enim episcopus potest dispensare contra jus commune, nisi in casibus sibi a jure concessis, c. *Dilectus.* 15. juncta Glossa ℣. *Permissa. de Temporib. ordination.* cum similibus.

264. *An is possit dispensare in pluralitate beneficiorum, occurrente casu magnæ necessitatis?* — Excipitur tamen casus magnæ necessitatis, vel utilitatis, in quo Papa consuli, atque dispensatio ab eo peti non potest. Tunc enim episcopum posse dispensare in pluralitate beneficiorum curatorum, docet Abbas cit. c. *Extirpandæ.* in Repet. § *Qui vero.* n. 38. h. t. Hoieda, ubi supra, n. 22; Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *de Dispensatione ad plura beneficia.* n. 30. citans Archidiaconum in c. *Licet canon. de Election.* lib. VI. Layman, lib. IV. *Theol. mor.* tract. II. cap. VII. n. 9; Pirhing, h. t., n. 185. et alii. Qui tamen post Garciam cit. part. XI. cap. V. n. 340. et alios, notant, rarissime talem casum accidere posse, commode enim necessitatibus ecclesiarum subveniri poterit per constitutum vicarium temporalem, qui interim regat ecclesiam vacantem, donec dispensatio apostolica advenit.

265. *Episcopus potest dispensare ob tenuitatem v. g. redditmum, ut quis una cum prœbenda canonicali obtineat personatum, vel dignitatem.* — Resp. III. Potest tamen episcopus ex justa causa, ut puta, ob insufficientiam redditum pro honesta sustentatione clerici, dispensare, ut quis in eadem ecclesia una cum præbenda canonicali possit obtinere unum personatum, vel dignitatem, aut præposituram, sive administrationem, vel officium perpetuum. Textus, Glossa ℣. *Nisi unicum*, et doctores communiter, cap. un. *de Consuetud.* in 6. Idipsum admittunt doctores de statuto, vel consuetudine ecclesiæ, juxta Glossam proxime citatam. Quinimo plures volunt, nulla hodie opus esse dispensatione, etiam episcopali, ad talia beneficia (utpote difformia sub eodem tecto) simul obtinenda, ac retinenda; cum jus ipsum istud concedat, dummodo Beneficiarius, spectato statu suo, eisdem vere indigeat pro sua honesta sustentatione. Rebuffus cit. tit. *de Dispensatione ad plura Beneficia.* n. 29. Layman, cit. n. 9. allegans alios; et concordant dicta superius n. 210. et n. 238. et 239.

266. *Vel ut quis habeat duo beneficia simplicia, aut curatum cum simplici.* — Hoc ipsum ampliatur ad duo beneficia simplicia, quorum, neutrum, vel saltem non utrumque, personalem residentiam requirit. Item ad beneficium curatum tenue, cui proinde ad honestam clerici sustentationem potest per episcopum adjungi aliud beneficium simplex sufficiens, personalem tamen residentiam non requirens; juxta textum expressum in concilio Tridentino, sess. 24. cap. XVII. *de Reform.* cujus verba n. 263. jam sunt allegata. Quod tamen intellige, dummodo episcopus nulli conferat duo beneficia uniformia, etiam simplicia, sub eodem tecto; conformiter dictis supra § præced. n. 240. et seqq. Simulque ultra duo nulli conferat. Quod ultimum ut magis intelligatur.

267. *An episcopus habenti duo beneficia, etiam simplicia, sed honestam sustentationem clerici non sufficientia, possit conferre tertium. Antiquitus id licitum fuit.* — Quæritur IV. An episcopus habenti duo beneficia, etiam simplicia, et ad honestam clerici sustentationem non sufficientia, possit sua auctoritate ordinaria conferre tertium? Resp. I. Antiquitus, sive ante concilium Tridentinum, licitum fuit, ex dispensatione episcopi plura beneficia, alias tamen compatibilia, simul retinere, etiam ultra duo, usque ad congruam sustentationem. Ita Abbas c. *Cum jam dudum.* n. 8. et c. *Extirpandæ.* in *Repetit.* § *Qui vero.* h. t. Alfons. Hoieda *Tractatuum*, tom. XV. tract. *de Beneficior. incompatibilitat.* part. II. cap. I, n. 15 et 35. Navarrus, consil. 19. n. 2. asserens, sententiam Abbatis communiter esse receptam. Pirhing, h. t. n. 187; Garcias part. II. *de Beneficiis*, cap. V, n. 306, citans alios. Ratio est, quia nullo Jure antiquo istud reperitur prohibitum.

268. *Secus de facto, sive post concilium Tridentinum.* — Resp. II. De facto, sive post concilium Tridentinum sess. 24. cap. XVII. *de Reform.* potest quidem ordinarius habenti beneficium tenue, seu non sufficiens ad ejus honestam sustentationem, conferre secundum; sed non ultra duo ad effectum retin-

tionis. Ita Garcias part. II. *de Beneficiis*, cap. v. n. 310. et seqq. ubi plures refert declarationes sacræ congregationis concilii Tridentini; quarum secunda, quam allegat, sic habet : « Episcopus potest conferre secundum beneficium, si primum non sufficit ad sustentationem : sed si duo non sufficerent, non posset conferri tertium absque dispensatione apostolica. » Cæteræ plures declarationes, per eumdem Garciam adductæ, tradunt hoc ipsum. Concordat Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 62. n. 6. et lib. III. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. XIII. n. 180. citans pariter declarationem sacræ congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum. Pirhing h. t. 187. idipsum probans ex declaratione sacræ congregationis concilii in cap. XVII. sess. 24. quæ verbatim concordat cum priori per Garciam relata.

269. *Idque probatur ex eodem concilio, junctis declarationibus sacræ congregationis.* — Eamdem sententiam, ex professo a se examinatam, tenet Fagnanus in c. *Cum jam dudum*. n. 31. et seqq. *de Præbend.* eamque distinctim, refutatis pluribus antiquorum opinionibus, probat ex novissimo decreto concilii Tridentini, sess. *de Reform.* ubi (omissis nunc prioribus ejusdem verbis) statuit : « ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur : quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. » Siquidem sacra synodus verbis, « statuit, ut in posterum, » etc. induxit jus novum, juxta notata per Glossam in Clem. *Eos qui.* ℣. *Deinceps. de Regularib.* Deinde illis verbis, « Unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, » junctis sequentibus verbis illis, « Aliud simplex, » concilium constituit regulam, ut unum tantum Beneficium singulis conferatur : et permittit secundum in eo solum casu, in quo primum est insufficiens. Atque hanc esse mentem sacri concilii Tridentini, patet ex declarationibus sacræ congregationis, quæ teste eodem Fagnano cit. c. *Cum jam dudum*. n. 71. h. t. sæpius in casibus contingentibus respondit, « Episcopum habenti unum simplex beneficium, quod non sufficiat ad ejus sustentationem, possit aliud simile conferre, sed non posse ultra duo absque dispensatione Sedis apostolicæ, etiamsi omnia simul ad illius sustentationem non sufficiant. » Hæc Fagnanus, olim eidem sacræ congregationi a secretis, sicque pleniori de præmissis cognitione præditus.

270. *Afferuntur auctores, et rationes oppositæ sententiæ.* — Nec obstat, quod oppositam sententiam teneant Navarrus, consil. 10. *de Præbend.* Flamin. Parisius, lib. III. *de Resignat. benefic.* cap. I. n. 141. et Alfons. Hoieda cit. part. II. *de Incompatibilit. benefic.* cap. I. n. 15. et seqq. ac præsertim n. 36. ubi asserit, hanc opinionem esse receptam, et approbatam a stylo curiæ Romanæ : Nam videmus (inquit) quod post publicationem concilii Tridentini, et ejus confirmationem, Romani Pontifices, nempe Pius IV. Pius V. et Gregorius XIII. concesserunt sæpius, et sæpissime uni beneficiario multa beneficia simplicia residentiam non requirentia simul. Addunt rationem, quia habere plura beneficia cæteroquin compatibilia, quando duo ad honestam sustentationem non sufficerant, licebat jure antiquo, juxta dicta concl. præced. et istud non est mutatum per concilium Tridentinum loc. cit. ergo ita dicendum de facto, l. *Præcipimus*. C. *de Appellat.* cum similibus. Resp. enim, stylum Curiæ Romanæ procedere duntaxat respectu auctoritati pontificiæ, per quam posse obtineri, simulque retineri plura beneficia usque ad congruam sustentationem, nemo negat : secus loquendo de auctoritate, et dispensatione episcopali; prout liquet ex declarationibus sacræ congregationis concilii n. 268. et 269. relatis.

271. *Atque solvuntur.* — Ad alterum, negatur assumptum. Nam, quod concilium Tridentinum, ubi supra, statuendo jus novum, quamdam circa hanc mutationem induxerit, patet ex dictis n. 261. et seqq. Et dato, quod verba dicti concilii nonnullam continerent obscuritatem, neque adeo clare istud expressissent : nihilominus ejusdem concilii interpretatio non pertinebit ad privatos auctores, puta, Navarrum, Parisium, et Hoiedam, ob expressam prohibitionem Pii IV. sed duntaxat ad sacram congregationem Concilii, quæ hactenus ita sensit, intellexit, declaravitque memoratum Concilium. Porro, quod hujus Declarationes, si afferantur in debita forma (prout, si opus fuerit, facile haberi poterunt) sint auctoritativæ, vimque obligandi in utroque Foro habeant, ex professo dictum est supra in Proœmio, lib. I. *Decretal.* n. 130. et seqq.

272. *Quid, si alicubi vigeat consuetudo, ut episcopus possit eidem conferre tria beneficia ad*

honestam ejus sustentationem? — Et hæc procedunt spectato jure communi. Nam, si alicubi vigeret consuetudo recepta, atue legitime præscripta, ut si duo beneficia honestæ clerici sustentationi non sufficiunt, aliud simplex conferatur etiam episcopi auctoritate, non videtur negandum, quin id sola episcopi voluntate fieri possit : prout notat Azorius part. II. lib. VI. cap. XI. quæst. 8. in fin. Idque probatur per vulgata juris principia, tum quia consuetudo rationabilis, et legitime præscripta, derogat juri positivo humano, cap. ult. *de Consuetud.* cum similibus; tum quia consuetudo legitime præscripta tribuit jurisdictionem, c. *Duo simul.* 9. *de Offic. Ordinar.* et c. *Cum contingat.* 13. juncta Glossa *de Foro competent.* Adeo, ut virtute ejusdem possit episcopus justa de causa dispensare quoad sacros canones, juxta dicta superius lib. I. tit. II. *de Constitutionibus* § 18. n. 471. Quanquam consuetudinem esse difficilis probationis, ac proinde non illico asserendam, passim notent doctores cum Glossa fin. cit. cap. ult. *de Consuetud.* Simulque hinc excipi debeant tria beneficia sub eodem tecto, conformiter dictis paulo superius n. 211.

273. *Vel, si episcopus conferat tertium, non ad effectum retentionis, sed ut unum ex prioribus dimittatur?* — Additur tamen in data n. 268 conclusione, « sed non ultra duo ad effectum retentionis. » Nam secus dicendum, quando ordinarius habenti duo beneficia, ad honestam ejus sustentationem insufficientia, confert tertium, non ut is omnia tria simul retineat; sed ut adepta pacifica possessione tertii Beneficii, forsan pinguioris, unum ex prioribus dimittat : talis enim collatio tertii esset valida. Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 62. n. 6. citans alios; ac Nicol. Garcias cit. part. XI. *de Benefic.* cap. V. n. 10. referens plures quoad propositum sacræ congregationis declarationes, ac præsertim sequentem. Nam proposita dubitatione, « Primo an si ordinarius conferat tertium beneficium habenti jam duo beneficia simplicia, et dicta duo non sufficiant ad sustentationem, talis provisio tertii beneficii sit valida, vel potius nulla; vel per assecutionem tertii vacent omnia dicta priora jam alias obtenta, aut quodnam illorum? » Sacra congregatio censuit, respondendo ad primum, « Collationem tertii beneficii esse validam : sed si tertium sit sufficiens, vacare illa duo priora beneficia sin minus, teneri provisum dimittere alterum ex ipsis. » Hæc ibi. Concordant dicenda inferius. § seq. n. 287. et 300.

274. *Utrum per longævam consuetudinem induci possit, ut quis plura simul beneficia obtinere, et retinere possit? Loquendo de beneficiis curatis, non valeat ejusmodi consuetudo, etiam immemorialis; et cur?* — Quæritur V. Utrum per longævam consuetudinem induci possit, ut quis plura simul beneficia obtinere, atque retinere valeat? Resp. I. Loquendo cumprimis de beneficiis curatis, non valet consuetudo, etiam immemorialis, obtinendi plures Ecclesias parochiales, seu alia beneficia curata in diversis ecclesiis. Ita Abbas. in c. *Extirpandæ.* in *Repetit.* § *Qui vero.* n. 36. h. t. Joan. de Selva *Tractatuum*, tom. XV. tract. *de Benefic.* part. IV. quæst. 3. n. 1; Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *Dispensatio de non residendo.* n. 66. et alii passim; nisi quod Navarrus, consil. 21. *de Cleric. non resident.*; Pirhing, h. t. n. 141. et alii quidam hinc excipiant consuetudinem immemorialem. Ratio conclusionis est : quia ejusmodi consuetudo foret irrationabilis; cum sit damnosa ecclesiis, et periculosa animabus parochianorum : utpote suo proprio rectore atque pastore, cujus industria personalis pro meliori earumdem regimine eligebatur, in perpetuum, vel saltem ad longum tempus destitutis. Foret insuper irrationabilis consuetudo illa, eo quod pugnet contra præceptum divinum, juxta concilium Tridentinum sess. 23. cap. I. *de Reform.* imo et contra jus naturale, quo rector ecclesiæ tenetur personaliter residere, ac vi suscepti officii pastoralis, genere curam commissarum sibi ovium Christi : istud enim præstari non posset, stante consuetudine retinendi plura beneficia curata in diversis ecclesiis. Atqui consuetudo irrationabilis, et pugnans contra jus naturale, et divinum, nullo unquam tempore, etiam immemorabili, induci potest, cap. ult. *de Consuetud.* cum similibus; ergo. Concordant dicta superius tit. præced. § 5. n. 158, et 159. ubi et fundamentum Navarri, atque iliorum, consuetudinem immemorialem admittentium diluitur.

275. *Idem dicendum de consuetudine obtinendi, præter canonicatum, duos personatus, dignitates, etc. in eadem ecclesia.* — Resp. II. Loquendo de beneficiis curam animarum non habentibus, nulla pariter consuetudine, etiam immemoriali, fieri potest, ut « Canonici duos personatus, aut duas di-

gnitates, vel præposituras, seu administrationes, aut duo officia (perpetua) vel eorum alterum cum reliquo (puta, dignitatem eum personatu, vel præpositura cum officio perpetuo, etc.) possint in eadem ecclesia licite absque dispensatione sedis apostolicæ obtinere. » Ita Textus, Glossa, et doctores in Cap. I. *de Consuetud.* in 6. Ubi Pontifiex ejusmodi consuetudinem « Corruptelam (cum sacris sit inimica canonibus, et de ambitionis radice processerit) reputans, eam auctoritate apostolica reprobavit : » sicque veluti irrationabilis, et cui jus ipsum resistit, nullo unquam tempore introduci potest, c. *Cum venerabilis.* 7. et cap. ult. *de Consuetud.* estque amplius dictum supra lib. I. tit IV. *De Consuetudine.* § 1. n. 36. 37. et 45. Cæterum, quod his non obstantibus, de consuetudine possit quis in eadem ecclesia præter canonicatum, obtinere præposituram, vel dignitatem etc. dictum est supra. § præced. n. 210. et n. 238. et 239.

276. *Nulla consuetudine, etiam immemoriali, potest induci, ut quis licite retineat plura beneficia, quando unum eorum sufficit ad honestam ipsius sustentationem. Quid dicendum de nonnullis aliis talibus consuetudinibus? Remissive.* — Resp. III. Nulla consuetudine, etiam immemoriali, potest, induci, ut quis licite recipere simulque retinere valeat plura beneficia, quando unum eorum ad honestam talis beneficiarii sustentationem sufficit. Patet istud ex dictis supra. § 8. n. 214. 215. 216. et seqq. Quod ipsum ampliatur ad consuetudinem retinendi duos canonicatus diversarum ecclesiarum Germaniæ, juxta dicta superius. n. 229.

Tacentur nonnulli alii casus, in quibus valere consuetudinem quoad pluralitatem beneficiorum, necne, dubitari posset : nam de his vel in propriis locis videri poterit, ut paulo superius n. 210. et 211. ac seqq. et cit. n. 229. et n. 242. et alibi. Vel recurrendum erit ad generalia principia juris, quæ quoad propositum tradi solent, atque supra lib. I. tit. IV. *de Consuetudine,* per totum, ex professo tradita fuerunt : quanquam principaliora eorum ex proxime dictis satis colligi, atque ad alios consimiles casus applicari valeant.

§ X.

DE VACATIONE BENEFICIORUM PER ASSECUTIONEM ALTERIUS INCOMPATIBILIS.

277. *Qua ratione successive statutum fuerit, ut per receptionem secundi beneficii incompatibilis vacaret prius?* Concorda tempora, et concordabis jura. — Quæritur I, Qua ratione a sacris canonibus successive statutum fuerit, ut per receptionem secundi beneficii incompatibilis vacaret prius? Et additur notanter, « successive : » nam impræsentiarum specialiter sibi locum vindicat illud vulgatum, *Concorda tempora, et concordabis jura;* quod desumitur ex can. *Si peccaverit.* 2. q. 1. juncta Glossa can. *Si Ecclesia* 23. q. 4. ỷ. *Temporibus.* Siquidem pro temporum varietate, atque exigentia, diversæ desuper emanarunt decretales, atque constitutiones apostolicæ, quarum posteriores semper aggravarunt rigorem priorum; sicque a præcedentibus nonnihil discordant.

278. *Quinque tempora quoad propositum sunt distinguenda.* — Notandum est cum Abbate c. *Quia nonnulli.* n. 4. *de Cleric. non resident.* Garcias, part. II. *de Beneficiis,* cap. v. n. 1. et seqq. Fagnano in c. *Referente,* n. 6. h. t. et aliis communiter, quod pro recta intelligentia, et conciliatione, seu concordia sacrorum canonum, quantum ad propositum, quatuor tempora sint distinguenda ante concilium Tridentinum; quibus de facto oportet addere quintum tempus, videlicet tempus post memoratum Tridentinum.

279. *Primum tempus, erat ante concilium Lateranense.* — Et quidem primum tempus erat ante concilium Lateranense, celebratum sub Alexandro III. anno Domini 1179. quo tempore habens duas ecclesias parochiales, vel dignitates, compellebatur quidem alteram dimittere, sed data optione, quam maluerat, eligendi, atque retinendi; sicque neutra vacaverat ipso jure. Et pro hoc tempore procedit c. *Referente.* 7. et c. *Præterea.* 14. h. t. quorum utrumque fuit editum ab Alexandro III. ante memoratum Lateranense concilium; prout desumitur ex superscriptione ipsorum, et notat Abbas cit. n. 4. Verum tamen dispositio horum capitulorum successu temporis fuit immutata; et an de facto locum adhuc habeat in uno, vel altero casu, dicetur infra n. 282. et 283.

280. *Secundum, ejusdem concilii Lateranensis sub Alexandro III.* — Secundum tempus est dicti concilii Lateranensis, sub Alexan-

dro III. celebrati. In hoc siquidem concilio cap. XIII. statutum fuit; ut uni plures dignitates, vel ecclesiæ parochiales non conferantur; sed cum « Ecclesia, vel ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, et curam ejus per seipsam valeat exercere. Quod si aliter actum fuerit, et qui receperit, quod contra sacros ordines accepit, amittat: et qui dederit, largiendi potestate privetur. » Hæc ibi: atque refertur c. *Quia nonnulli*. 3. *de Cleric. non resident*. Quod proinde intelligendum est pro hoc secundo tempore, ubi recipiens plures dignitates, vel parochias, privabatur posterius accepta (non quidem ipso jure, sed per sententiam judicis; prout indicat ly, « amittat, » atque notat Abbas in cit. c. *Quia nonnulli*. n. 4. et Fagnanus, ubi supra, n. 7.) simulque ita illicite conferendi pro ea vice. Verum etiam istud capitulum successu temporis quoad priorem suam partem immutatum fuit, etsi remanserit incorrectum quoad posteriorem; estque jam dictum supra tit. præced. § 1. n. 19.

281. *Tertium, concilii generalis, seu ulterius Lateranensis sub Innocentio III. Et quid tunc statutum fuerit quoad vacationem beneficiorum incompatibilium?* — Tertium tempus est concilii generalis; id est, Lateranensis alterius, sub Innocentio III. celebrati anno 1216. quodque per antonomasiam appellatur *Concilium Generale*, juxta dicta superius in proœmio libri I. *Decretalium*. n. 112. in hoc siquidem generali concilio, cum priores constitutiones propter præsumptiones, et cupiditates quorumdam, minus proficuæ reperirentur, expressius providendo statutum fuit, « ut quicunque receperit aliquod beneficium curam habens animarum annexam, si prius tale beneficium habebat, eo sit ipso jure privatus, et si fore illud retinere contenderit, etiam alio privetur. Is quoque, ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionem alterius libere conferat, » etc. Hactenus concilium generale; idque paulo inferius decernit, hoc ipsum esse observandum in dignitatibus, et personatibus ejusdem ecclesiæ, etiamsi curam non habeant animarum; uti patet ex c. *De multa*, 28. h. t. quod est desumptum ex præfato concilio generali; sicque intelligendum pro statu tertii temporis præallegati. Unde pro hoc tempore non amplius relinquitur optio retinendi unum ex duobus beneficiis curatis, dignitatibus vel personatibus, quæ quis recepit; neque alterutro eorum solum per sententiam judicis privari debet: sed prius per receptionem secundi vacat ipso jure, ita ut statim alteri conferri valeat; prout liquet ex allegatis verbis. Quanquam istud solummodo locum habeat in beneficiis curatis, dignitatibus et personatibus, utpote de quibus tantum ibidem fit mentio, atque uberius dicetur in progressu.

282. *Cur c. Referente, etc. Præterea de Præbend. non superfluant in libris Decretalium?* — Hinc si contra præmissa objicias, stante cit. c. *De multa*. 28. h. t., nihil amplius operatur c. *Referente*. 7. et c. *Præterea*. 14. *de Præbend.* Ergo frustra hæc duo capitula posita fuerunt in compilatione quinque librorum *Decretalium* Gregorii IX. contra dicta in proœmio eorumdem, ibi: « Resecatis superfluis. » Resp. cum Abbate in d. c. *Referente*. n. 3. h. t.; Pirhing eod. n. 146. et aliis, neg. anteced. Quia enim relatum c. *De multa*. h. t. solum loquitur de pluribus beneficiis curatis, ac dignitatibus et personatibus simul receptis, quorum primum decrevit ipso jure vacare per receptionem posterioris: hinc alia memorata duo capitula post tempus cit. c. *De multa*, h. t. et quando fiebat compilatio quinque librorum *Decretalium* Gregorii Papæ IX. non superfluebant, sed locum habebant in cæteris beneficiis: nam in his adhuc proviso relinquebatur optio plura habenti, ut eligeret retinendum, alterum vero dimitteret, vel eodem privaretur; puta, in beneficiis non curatis, nec dignitatem vel personatum habentibus, v. g. in duobus canonicatibus, aut duobus beneficiis simplicibus personalem residentiam requirentibus; itemque in uno curato, et altero simplici residentiam requirente. Siquidem correctio jurium, quantum fieri potest, est evitanda, c. *Cum expediat*. 29. *de Election*. in 6. Nec censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori, l. *Præcipimus*. § fin. C. *de Appellation*. cum similibus.

283. *Et an de facto adhuc locum habeant?* — Addit Fagnanus in cit. c. *Referente*. n. 9. h. t. et Pirhing. cit. n. 146. dispositionem illius decretalis etiam de facto, atque post ipsum concilium Tridentinum adhuc procedere, quando plura beneficia incompatibilia simul conferuntur, eorumque possessio simul acquiritur; ita ut constare non possit, cujus possessio prius fuerit acquisita. Nam tunc etiamnum datur optio eligendi unum ex ipsis, alterumque dimittendi: quia casus iste

non est decisus in cæteris posterioribus juribus (hæc enim solum lequuntur de pluribus beneficiis incompatibilibus successive acquisitis) ac proinde is ramanet sub dispositione juris communis antiqui, atque expressi in cit. c. *Referente*. 7. h. t.

284. *Quartum tempus est* Extravag., Execrabilis. *Joan. XXII.* — Quartum tempus, ipsumque concilium Tridentinum pariter præcedens, est tempus constitutionis, seu extravagantis Joannis XXII. quæ incipit, *Execrabilis*. atque refertur tam inter extravagantes Joannis XXII. tum inter extravagantes communes. h. t. sed sub diversis Glossis. In qua imprimis Pontifex, post enumerata incommoda, ex pluralitate receptorum beneficiorum provenientia, § *Statuimus itaque*, multa statuit circa dimissionem plurium beneficiorum, quæ nunc (id est, tempore publicationis dictæ extravagantis) vel ex dispensatione legitima, vel sine ulla dispensatione nonnulli habuerunt. Deinde Pontifex, volens providere malis in futurum ex eorum pluralitate proventuris, § *Qui vero deinceps*, decrevit, « ut si qui deinceps receperint dignitatem vel personatum, seu officium, aut aliud beneficium animarum curam habens annexam, si antea simile beneficium obtinebant, illud (quo ipso jure, postquam secundi possessionem habuerint, vel per eos omni dolo, et fraude cessantibus, quominus habeant, steterit, privati noscuntur, absque moræ dispendio in ordinariorum manibus dimittere debeant pari modo. Alioquin ex tunc sunt ipso jure secundo privati, et nedum ad sacros suscipiendos ordines, quin etiam ad habendum quodcunque beneficium ecclesiasticum inhabiles reputentur, » etc Hæc ibi. Unde patet, quod hæc extravagans exaggeret dispositionem atque rigorem cit. c. *De multa*. h. t. quia non solum priori beneficio curato, vel dignitate, etc. privatur ipso jure, qui recipit secundum simile; sed etiam, si illud non statim dimiserit in manibus ordinariorum, ex tunc ipso jure etiam secundo privatus existit : additis aliis duabus pœnis, videlicet inhabilitate ad sacros ordines, et inhabilitate ad quodcunque beneficium ecclesiasticum, quæ ipso facto incurruntur, atque in decretali, *De multa*, non erant : prout notat Glossa in cit. Extravag. *Execrabilis*. Joan. XXII. ỷ. *Ipso jure secundo privati*.

285. *Quintum tempus est concilii Tridentini; et quid in isto fuerit decretum quoad eamdem vacationem?* — Prædictis quatuor temporibus de facto accedit quintum, sive tempus post concilium Tridentinum; utpote quod sess. 7. cap. IV. *de Reform.* super incompatibilitate beneficiorum, et vacatione unius per assecutionem alterius, non solum innovat antiquos canones, sed eosdem etiam ampliat, sequentibus verbis : « Quicunque de cætero plura curata, aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut alio quocunque nomine, et titulo, contra formam sacrorum canonum, et præsertim constitutionis Innocentii III, quæ incipit; *De multa*, recipere, ac simul retinere præsumpserit, beneficiis ipsis, juxta ipsius constitutionis dispositionem, ipso jure, etiam præsentis canonis vigore, privatus existat. » Hæc ibi.

286. *Beneficia incompatibilia primi generis: et beneficia incompatibilia secundi generis, quæ?* — Et conformiter præmissis post intelligi illa vulgata divisio beneficiorum incompatibilium, videlicet primi, et secundi generis; cujus meminerunt Navarrus, consil. 24. n. 2 et 3. *de Præbend.*; Garcias, part. II. *de Beneficiis*, cap. v. n. 67; Vallensis, tit. *de Concession. præbend.* § 4, n. 3 et 5; Pirhing h. t., n. 124; Sannig, eod. cap. II. a. 7. et alii. Siquidem « Beneficia incompatibilia primi generis » dicuntur ea, quæ simpliciter sunt incompatibilia; ita ut per pacificam receptionem secundi, vacet prius ipso jure. Et talia, juxta sæpe cit. c. *De multa*, h. t. sunt duo beneficia curata, duæ dignitates, aut duo personatus. Item duo beneficia uniformia sub eodem tecto, c. *Litteras*. 9. *de Concession. Præbend.* et cap. I. juncta Glossa ỷ. *Vel jam obtenta. de Consuetud.* in 6. et alia hujusmodi, quæ ita sunt incompatibilia, ut per receptionem posterioris illico excludatur potius, atque istud vacet ipso jure. « Beneficia incompatibilia secundi generis » vicissim censentur ea, quæ quidem sunt incompatibilia, quoad retentionem, adeo ut simul retineri non possint; non tamen per receptionem secundi vacat prius ipso jure, sed datur optio habenti, ut eligat retinendum, et alterum dimittat : alioquin vero per judicem isto privetur, juxta textum apertum in c. *Referente* 7. h. t. Verum de facto, sive post concilium Tridentinum, rarius locum habet istud posterius membrum datæ distinctionis, dummodo excipias casum n. 283. relatum : alioquin enim, si beneficia quomodocunque incompatibilia simul recipiantur, semper pos-

terius inducit vacationem prioris ipso jure, juxta concilium Trident. sess. 7. cap. IV. *de Reform.* atque ex professo dicetur n. 293. et seqq.

287. *Collatio secundi beneficii incompatibilis, est valida.* — Quæritur II. Utrum collatio secundi beneficii incompatibilis sit valida? Resp. I. Collatio secundi beneficii, etiam cæteroquin incompatibilis, ex hoc capite non est nulla, sed valida : quamvis adepta effectualiter pacifica possessione posterioris vacat primum, modo proxime declarando. Ita quoad priorem partem Glossa fin. in c. *Ordinarii.* 3. *de Offic. ordinar.* in 6. et Fagnanus c. *Super inordinata.* n. 9. h. t. et c. *Cum jamdudum.* 43. eod. istud inter alia probans ex eo : Quia nullum jus ostendi potest, quo dicitur invalida collatio secundi beneficii incompatibilis. Accedit c. *De multa.* 28. h. t., ubi recepto secundo beneficio incompatibili, dicitur vacare prius ipso jure : nam si valida non esset collatio secundi, sequeretur, quod talis careret utroque beneficio. Primum enim vacaret ipso jure : collatio autem secundi foret invalida, sicque nullum tribueret jus : quod est contra expressum textum cit. c. *De multa.* h. t. supra n. 281. relatum, ubi tunc primum jubetur quis spoliari secundo, quando simul cum eo primum beneficium retinere contenderit. Concordant dicta superius § præced. n. 273.

288. *Solvuntur instantiæ.* — Nec obstat textus in c. *Quia nonnulli.* 3. *de Cleric. non resident.* ubi loquendo de clericis, plures dignitates, aut ecclesias parochiales recipientibus, statutum legitur : « Quod si aliter (sive contra prohibitionem illius capituli) actum fuerit, et qui receperit, quod contra sacros ordines recepit, amittat, » videlicet posterius beneficium. Resp. enim cum Fagnano in cit. c. *Quia nonnulli.* n. 8. istud capitulum hodie esse correctum per decretalem, *De multa.* h. t. ubi recipiens secundum dignitatem, aut beneficium curatum, non est privatus ipso jure, nec privandus posteriori (nisi forsan istud simul cum priori retinere contenderit) sed ipso jure privatus est priori : uti patet ex proxime distinctis diversis temporibus.

289. *Collatio secundi beneficii est prohibita duntaxat quoad effectum retinendi utrumque ; alias secus.* — Neque rursus obstat, quod concilium Tridentinum sess. 24. c. XVII. *de Reform.* (argumento a sensu contrario) prohibeat collationem secundi beneficii, etiam simplicis, quando primum est sufficiens ad honestam sustentationem clerici. Resp. enim cum Fagnano cit. c. *Cum jam dudum.* n. 70. h. t. quod isto non obstante, sacra congregatio concilii sæpius declaraverit, collationem secundi non esse irritam. Siquidem concilium, loc. cit. recipit interpretationem a jure communi : ita videlicet, ut quamvis simpliciter prohibeat collationem secundi, istud tamen intelligi debeat ad effectum retinendi utrumque : alias secus.

290. *Alia instantia. Remissive.* — Alia instantia proponetur, ac solvetur infra n. 310. et seqq. simul ostendendo n. 313. quid intersit, quod collatio beneficii sit valida, nec ne. Altera vero pars datæ, n. 287, conclusionis indiget speciali discussione, et quæstione : Unde

291. *Ante concilium Tridentinum receptio secundi beneficii incompatibilis non inducebat vacationem prioris ipso jure, etc.* — Quæritur III. An, et quomodo receptio secundi beneficii incompatibilis, inducat vacationem prioris? Resp. I. Ante tempus concilii Tridentini receptio secundi beneficii incompatibilis non inducebat vacationem prioris ipso jure, sed dabatur optio eligendi alterutrum, quod quis maluerat, altero dimisso, vel per judicem ablato : nisi utrumque fuisset beneficium curatum, aut dignitas, vel personatus, sive officium perpetuum. Ita communis doctorum; atque patet ex distinctione quatuor temporum proxime relata, et communiter recepta. Et quidem prior pars desumitur ex c. *Referente.* 7. et c. *Præterea.* 14. h. t. Hæ enim duæ decretales ante tempus concilii Tridentini non fuerunt correctæ, nisi quoad beneficia curata, dignitates, personatus, et officia : unde quoad alia beneficia remanserunt in suo vigore. Nam quia correctio jurium, si fieri potest, evitanda est, c. *Cum expediat.* 29. *de Election.* in 6. non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori, l. *Præcipimus.* § fin. c. *de Appellation.* Accedunt dicta n. 282.

292. *Nisi utrumque fuisset beneficium curatum dignitas, personatus, aut officium.* — Altera pars conclusionis patet imprimis ex cit. c. *De multa.* 28. h. t. ubi loquendo de beneficiis curatis, nec non de dignitatibus et personatibus ejusdem ecclesiæ, etiam curam animarum non habentibus, in concilio generali, celebrato sub Innocentio III. (sicque longe ante Tridentinum) jam statutum fuerat, ut per receptionem secundi, illico beneficiarius ipso jure sit privatus priori ejusmodi

beneficio : ac notat Glossa ibid. in *Casu*, et Abbas n. 1. et seqq. et Barbosa in *Collectan.* n. 1. citans alios; estque jam dictum n. 281. Concordat Extravag. *Execrabilis*. Joan. XXII. § *Qui vero deinceps*. h. t. idipsum statuens, nisi quod dignitatibus, personatibus et beneficiis curatis, addiderit *Officium* (nempe perpetuum, arg. cap. i. *de Consuetudin.* in 6. et quia officia temporalia non sunt proprie dicta beneficia) simulque decreverit, ut prius beneficium incompatibile verbo, et facto, in manibus ordinarii absque moræ dispendio dimitteretur : alioquin ex tunc ipso jure vacaret utrumque, et provisus efficeretur inhabilis ad ordines sacros, et quæcunque beneficia ; uti liquet ex verbis ejusdem n. 284. relatis.

293. *De facto, sive post concilium Tridentinum, per receptionem secundi quomodolibet incompatibilis vacat prius beneficium ipse iure.* — Resp. II. De facto, sive post concilii Tridentini, quicunque plura beneficia curata, sive alias quomodolibet incompatibilia, simul receperit, per adeptionem secundi pacifice, atque effectualiter possessi, mox priori beneficio est ipso jure privatus ; sicque istud vacat. Ita sacra congregatio cardinalium concilii Tridentini interpretum. Rota, et doctores proxime citandi : quidquid spectato jure communi in oppositum teneat Navarrus consil. 17. *de Præbend.* cum nonnullis aliis, quorum fundamentum loco objectionum ponetur.

294. *Idque probatur ex verbis ejusdem concilii.* — Ratio conclusionis est : Quia de facto, sive per concilium Tridentinum sess. 7. cap. IV. *de Reform.* rigor antiquorum canonum est multum exaggeratus ; et cum isti, inducendo vacationem ipso jure prioris beneficii per receptionem alterius, in cit. c. *De multa.* h. t. et Extravag. *Execrabilis*. eod. loquerentur duntaxat de beneficiis curatis, dignitatibus, personatibus et officiis, ut dictum. Concilium Tridentinum loc. cit. idipsum extendit ad quæcunque « alias incompatibilia beneficia; ecclesiastica » prout loquitur textus ejusdem n. 285. relatus. Hisce enim verbis, ut observat Rota decis. 483. n. 3. part. I. *Divers.* et Fagnanus c. *De multa*. n. 3. h. t. citans alios, memoratum decretum concilii Tridentini loquitur generaliter de quibuscunque beneficiis incompatibilibus vigore quorumque canonum : nec se restringit ad textum cit. c. *De multa*, eod. cum opposuerit ly, *Præsertim*, quæ est dictio implicativa ; atque implicat, sive denotat, idem esse dicendum in cæteris casibus incompatibilitatis beneficiorum, puta, in beneficiis « alias incompatibilibus : » licet fortior ratio militet in expressis, nempe in illis beneficiis, de quibus fit mentio in sæpe cit. c. *De multa*. h. t.

295. Beneficia alias incompatibilia, *juxta mentem concilii Tridentini, quæ?* — Porro inter « Beneficia alias incompatibilia, » juxta mentem citati concilii, connumerantur imprimis duo simplices canonicatus diversarum Ecclesiarum : nam hi, utpote spectato jure communi requirentes perpetuam residentiam, demptis duobus aut tribus mensibus, juxta concilium Tridentinum sess. 24. cap. XII. *de Reform.* censentur beneficia incompatibilia, licet non sint curata, nec dignitates, nec personatus. Deinde id ipsum procedit de canonicatu et Ecclesia parochiali, dummodo hæc non sit unita canonicatui : quia seclusa tali unione quodlibet ipsorum requirit personalem residentiam, qualis ab eodem in diversis locis præstari nequit. Idem duo beneficia simplicia, si quodlibet horum personalem residentiam requirat ; vel si primum eorum sit sufficiens ad honestam clerici sustentationem : nam et ista sunt incompatibilia, ut dictum superius n. 213. 214. et seqq. sicque per assecutionem posterioris vacat prius ipso jure ; prout exemplificat Fagnanus cit. c. *De multa*. n. 3. et seqq. h. t. asserens inter alia, « quod primum beneficium simplex, si sit sufficiens, per receptionem alterius similis, et similiter primum personalem residentiam requirens, licet non curatum, nec sufficiens, per receptionem secundi similis, vacant ipso jure : ut per Rotam decis. 497. n. 1. part. I. Recent. Et ita sæpius fuit responsum a sac. congregatione cardinalium ejusdem concilii interpretum. » Hæc ille.

296. *Idipsum probatur multiplici declaratione sacræ congregationis concilii.* — Confirmatur, simulque exemplificatur conclusio multiplici declaratione ejusdem sacræ congregationis. Aliquando enim censuit, habenti beneficium sufficiens posse quidem conferri aliud, sed habita possessione secundi, vacare primum sufficiens ; prout refert Fagnanus loc. cit. n. 4.

297. *Beneficium sufficiens ad honestam clerici sustentationem, vacat per pacificam adeptionem alterius, etiam de se insufficientis.* — Atque istud ampliatur ad eum casum, quo secundum beneficium de se foret insufficiens

ad honestam clerici sustentationem. Quia enim juxta concilium Tridentinum sess. 24. cap. XVII. *de Reform.* unum duntaxat beneficium ecclesiasticum singulis conferri debet, nisi illud sit insufficiens : hoc ipso, si quis habeat unum sufficiens, nequit eidem conferri aliud beneficium etiam de se insufficiens, sicque istud censetur incompatibile cum priori ; ac proinde prius, per pacificam alterius adeptionem, vacat ipso jure. Garcias part. XI. *de Benefic.* cap. V. n. 300. et 301 ; Pirhing, h. t. n. 186 ; Fagnanus, c. *Cum jam dudum*, n. 43 et n. 60. eod. referens, quod sacra congregatio sæpius responderit, per adeptionem secundi beneficii, etiam insufficientis, vacare primum sufficiens ipso jure, ex cap. IV. *Concilii.* sess. 7.

298. *Secus si primum est insufficiens, licet alterum de se sit sufficiens : et cur?* — Aliud videtur dicendum in casu converso ; videlicet, quando habens primum beneficium insufficiens ad suam honestam sustentationem, acquirit secundum de se sufficiens : quia non obstante hujus sufficientia, potest simul retinere primum insufficiens. Fagnanus cit. c. *Cum jam dudum.* n. 56. et seqq. h. t. asserens, hanc quæstionem in congregatione publica, votis tamen hinc inde variantibus, late discussam fuisse ; ac postea n. 57. et 58. istam sententiam tenens : et sequitur Pirhing cit. part. XI cap. V. n. 303. et 304. Accedit ratio disparitatis, siquidem habens primum sufficiens, cum jam habeat congruam sustentationem, videtur ad impetrationem secundi, licet de se insufficientis, moveri ex avaritia, et ambitione : quæ sunt præcipuæ causæ, cur pluralitas beneficiorum prohibita fuerit. E contra ille, qui habet primum non sufficiens, juste appetit secundum ad suam honestam sustentationem : et quamvis per accidens contingat, quod istud de se sufficiat, non tamen idcirco debet incidere in pœnam privationis primi insufficientis : quia appetendo secundum non peccat, imo istud facit auctoritate legis, sive concilii Tridentini sess. 24. cap. XVIII. *de Reformation.* nec ullibi reperitur talis pœna privationis imposita.

299. *Referuntur aliæ declarationes sacræ congregationis.* — Deinde sacra congregatio concilii censuit, eum qui retinere præsumit plura beneficia incompatibilia ratione residentiæ post concilium, incidere in decretum concilii, sess. 7. cap. IV, prout refert Fagnanus c. *De multa.* n. 4 et 5, h. t. illico subjungens aliam ejusdem declarationem, qua generaliter censuit, in omnibus beneficiis residentiam requirentibus, aut alias quomodocunque incompatibilibus, etiamsi canonicatus sint, aut portiones, induci vacationem ipso jure primi per adeptionem secundi pacifice possessi, ex cit. cap. IV. sess. 7. et juxta dispositionem c. *De multa. de Præbend.*

300. Aliam, eamque notabilem declarationem sacræ congregationis, refert Garcias d. part. XI. *de Beneficiis*, cap. V. n. 310. vers. *Septima.* et Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 62, n. 6. citans alios: videlicet, quod si ordinarius conferat tertium beneficium habenti jam duo beneficia simplicia, sed tamen insufficientia ad sustentationem ; collatio tertii valida quidem existat, sed si tertium sit sufficiens, vacent illa duo priora beneficia : sin minus, teneatur provisus unum ex illis dimittere : et si continuaverit possessionem amborum, recipiendo ex eis fructus, utrumque beneficium vacare censeatur. Tacentur nonnullæ aliæ declarationes sacræ congregationis concilii : nam relatæ sufficiant cum in probationem conclusionis, tum ad removendum omne dubium de veritate talium declarationum, utpote per tam graves auctores allegatarum ; quanquam cæteroquin plena fides eisdem non debeatur, donec in firma authentica exhibeantur, ut jam sæpius dictum.

301. *Et auctores dictam sententiam tenentes.* — Atque ideo datam, n. 293, conclusionem tenet Fagnanus, ubi supra ; Alfonsus Hoieda *Tractatuum*, tom. XXV. tract. *de incompatibilit. benefic.* part. I. cap. IX. n. 5 ; Barbosa, c. *De multa*, n. 7, h. t. et part. III. *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 57. n. 6 ; Gonzalez, ad reg. *Cancellar.* gloss. 15, numer. 16, allegans declarationem sacræ congregationis concilii Tridentini super 4. sess. 7. in hæc verba : « Quod de incompatibilibus beneficiis dicitur in hoc cap. IV. idem intelligendum est de omnibus beneficiis residentiam requirentibus, vel duobus canonicatibus, vel canonicatu cum parochiali. » Hæc ille, mox subjungens aliam declarationem ejusdem sacræ congregationis, adhuc generalius loquentem. Quinimo hanc sententiam esse indubitanter tenendam, ipsamque practicari in Dataria, et Cancellaria apostolica, et jam teneri in Rota, asserit Nicol. Garcias cit. part. XI. *de beneficiis*, cap. V. n. 84. 85. et 86. allegans insuper complures alias de-

clarationes sacræ congregationis concilii.

302. *Afferuntur rationes in oppositum.* — Dices. Jura juribus concordanda sunt eorumque correctio evitanda; si fieri potest, c. *Cum expediat.* 29. *de Election.* in 6. Atque istud in proposito fieri potest: ergo concilium Tridentinum cit. cap. IV. sess. 7. *de Reform.* ita intelligendum est, ut non corrigat dispositionem d. c. *De multa.* h. t. neque extendatur ad duo simplicia beneficia personalem residentiam requirentia, vel quorum unum sufficit ad honestam clerici sustentationem. Minor probatur, tum quia spectato jure canonico antiquo beneficia, etiam incompatibilia propter requisitam in ipsis personalem residentiam, ipso jure non vacant, nisi sint curata, dignitates, vel personatus, de quibus fit mentio in cit. c. *De multa.* h. t. neque concilium Tridentinum loc. cit. expresse contrarium decrevit; tum quia verba illa relati concilii Tridentini, « aut alias incompatibilia, » sufficienter, et absque ulla jurium correctione salvantur, si placeat illa intelligere de dignitate et personatu non curatis, de quibus pariter loquitur c. *De multa.* h. t. ibidem allegatum; tum tandem, quia concilium Tridentinum loc. cit. verbis illis: « etiam præsentis canonis vigore, » factis indicasse videtur, quod noluerit novam vacationem ipso jure inducere, sed duntaxat veterem confirmare; statuendo videlicet, ut beneficia illa, quæ per jus antiquum, et præsertim per dispositionem cit. c. *De multa.* h. t. forsan alicubi non exacte observatam, etiam per illud novum vacent ipso jure.

303. *Una cum auctoribus contrariam sententiam tenentibus.* — Atque idcirco, quantum est spectato jure communi, et nisi auctoritas sacræ congregationis obsisteret, contrariam sententiam fore tenendam, censuit Navarrus consil. 17. *de Præbend.* quod incipit, *An per adeptionem:* eamdemque contrariam sententiam tenet Flamin. Parisius lib. III. *de Resignat. Benefic.* quæst. 1. n. 132. exinde cum pluribus aliis inferens, quod obtinens beneficium simplex residentiam requirens, si postea obtineat aliud beneficium simplex pariter residentiam requirens, non vacet primum ipso jure; sed detur optio eligendi, quod maluerit, et alterum dimittendi. Quam sententiam esse valde probabilem, et in praxi tutam, saltem ubi decretum concilii Tridentini cit. sess. 7. cap. IV. *de Reform.* in eo sensu, et rigore receptum non est, asserit etiam Pirhing, h. t. n. 149. et 154. vers. *Ex dictis.*

304. *Atque solvuntur.* — Verum, quidquid sit de contraria consuetudine, seu concilio Tridentino in tanto rigore alicubi non recepto, sententia Navarri spectato jure communi sustineri non potest, ob fundamenta n. 294. et seqq. relata. Nec urgent rationes ejusdem Navarri, in oppositum allatæ: negatur enim minor principalis. Ad cujus primam probationem, negatur assumptum quoad alteram partem. Ad secundam probationem rursus negatur assumptum, ob dicta n. 294. Ad tertiam, eamque ultimam probationem, pariter negatur assumptum: nam dictio illa, « Etiam præsentis canonis vigore, » generaliter perstringit, et afficit omnia beneficia superius enumerata; hoc est, tam curata, quam « alias incompatibilia beneficia, » utpote de quibus omnibus sermo est sub eodem contextu verborum: et hinc vigore illius canonis æqualiter vacant ipso jure tam plura beneficia curata, quam alias incompatibilia, arg. l. *Jam hoc jure.* ff. *de Vulgar. et pupill. substit.* Unde corruit relata Navarri interpretatio: præsertim, cum talis sit prohibita privatis auctoribus respectu concilii Tridentini; illa vero, ac pluries repetita declaratio sacræ congregationis concilii, emanaverit legitima cum auctoritate Romani Pontificis; sicque a principio conditæ legis, seu canonis a concilio Tridentino promulgati, eidem infuisse noscatur, juxta Authent. *de Raptis mulierib. princ.* collat. 9. estque amplius dictum supra in prooemio lib. I. § 8 n. 301 et 132.

305. *Per receptionem tertii beneficii incompatibilis vacant ipso jure omnia priora, quæ quis ex dispensatione antea obtinebat.* — Quæritur IV. An per receptionem tertii beneficii incompatibilis vacent omnia priora, quæ quis ex legitima dispensatione antea obtinebat? Resp. I. In illis casibus, in quibus vacat unum beneficium ecclesiasticum per receptionem, atque pacificam possessionem alterius, vacant etiam plura per receptionem, pacificamque possessionem tertii: adeoque ex dispensatione obtinens duas v. g. dignitates, personatus, aut beneficia curata, si aliam dignitatem, vel personatum, etc., recipiat, adepta effectualiter hujus possessione pacifica, vacant ambæ dignitates, etc., prius habitæ ipso jure. Ita textus expressus in Clem. *Si plures.* 3. *de Præbend.* auctoritate Clementis V. in concilio Viennensi sic sta-

tuens : « Si plures obtinens dignitates, aut beneficium curam animarum habens acceptet, dispensatione super hoc legitime non obtenta, ejus possessione adepta pacifice, dignitates, quas prius habebat, ipso facto vacare censemus. Sicut si dignitatem unicam obtinenti alia similis conferatur, ejus pacifica possessione habita, prima de jure vacaret. » Ubi Glossa, Abbas, Vivianus, in *Rationali*, Azorius, part. III. lib. VI. cap. XIII. quæst. 10; Pirhing, h. t. n. 172. et alii.

306. *Idque procedit in obtinente plures dignitates, personatus, vel beneficia curata, etc.* — Dicitur imprimis in relata Clementina, *Si plures obtinens dignitates.* Quod cum Glossa ibid. ℣. *Dignitates.* Azorio loc. cit. et Pirhing cit. n. 172. ampliatur ad obtinentem plures personatus, vel beneficia curata : aut alterum cum altero, v. g. dignitatem cum personatu, vel hunc cum beneficio curato : cum sit eadem ratio.

307. *Et de facto ampliatur ad alia beneficia quomodolibet incompatibilia.* — Quin etiam de facto istud ampliatur ad alia beneficia quomodolibet incompatibilia ; prout notat Fagnanus c. *Cum jam dudum.* n. 69. h. t. et innuit Garcias, part. XI. *de Benefic.* cap. V. numer. 299. Etenim concilium Tridentinum, sess. 7. cap. IV. *de Reform.* innovans priores sacros canones, ac præsertim c. *De multa.* h. t. ampliavit omnia jura antiqua, sicque etiam allegatam Clem. *Si plures.* eod. ad quamcunque speciem incompatibilitatis : hoc est non solum ad plura curata, sed etiam ad omnia « alias incompatibilia beneficia ecclesiastica, » juxta dicta paulo superius n. 294. et seqq.

308. *Nisi dispensatio super illis simul retinendi legitima fuerit obtenta.* — Deinde dicitur in eadem Clementina, « dispensatione super hoc legitime non obtenta : » videlicet, super retinenda ista tertia dignitate, vel beneficio curato, una cum pluribus illis dignitatibus, etc., antea jam obtentis ; ut explicat Glossa ibid. ℣. *Super hoc.* Et additur, « ejus possessione adepta pacifice, » ob dicenda n. 310. et seqq.

309. *Ratio ulterior præmissorum affertur.* — Ultimo dicitur, « dignitates, quas prius habebat, ipso facto vacare censemus : sicut si dignitatem unicam obtinenti alia similis conferatur, » etc. Quia plures illæ dignitates, propter dispensationem habentur loco unius beneficii ; ut notat Vivianus in *Rational.* ibid. Unde merito, imo et a fortiori, vacant duæ præhabitæ dignitates per adeptam pacificam possessionem tertiæ (nisi super hac pariter extiterit dispensatum) cum jus commune plus abhorreat tres dignitates simul retinere, quam duas ; ipsæque dispensationes sint odiosæ, ac restringendæ, præsertim circa pluralitatem beneficiorum, veluti ambitiosam, c. *Quamvis plenissima.* 4. h. t. in 6. cum similibus. Concordat c. *Non potest.* 21. *de Præbend.* in 6. ubi dispensatio apostolica, ut quis duo beneficia curata simul recipere, ac retinere licite valeat, restringenda, et intelligenda dicitur de duobus primis beneficiis, post indultum illud receptis : sicque tertium in locum primi, vel secundi, subrogare non licet. Glossa in cit Clem. *Si plures.* 3. ℣. *Vacare.* h. t.

310. *Objectio notabilis ex c.* Ordinarii 3. de Offic ordinar. *in* 6. *ejusque solutio.* — Objicies contra datam conclusionem, majoris claritatis gratia. Data dispensatione super retinendis duobus beneficiis incompatibilibus, collatio tertii incompatibilis est invalida ; ergo non potest inducere ipso facto vacationem duorum priorum beneficiorum, per legitimam dispensationem antea possessorum. Consequentia patet, quia « non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, » juxta reg. 32. jur. in 6. Antecedens vero probatur ex c. *Ordinarii.* 3. § fin. *de Offic. ordinar.* in 6. ubi dicitur : quod habenti plura beneficia incompatibilia, etiam ex legitima dispensatione, non possit aliud tale conferri, nisi dispensatio ad illud se extendat, aut nisi provisus illa priora « libere ac sponte resignet : aliter autem de — beneficiis talibus facta collatio nullius penitus sit momenti. » Resp. Quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam, vel potius Suppositum ejus. Nam in cit. Clem. *Si plures. de Præbend.* sicut et in conclusione nostra non dicitur, quod in dato casu vacatio priorum beneficiorum, ex dispensatione possessorem, ipso facto inducatur per collationem tertii (revera enim collatio tertii est invalida, sicque non præstat impedimentum) sed solummodo dicitur, quod post adeptam possessionem pacificam tertii, vacent ipso jure priora illa beneficia per dispensationem habita. Tali enim vitiosa possessione secuta (ea nempe, quæ est facta non resignatis sponte prioribus beneficiis, ad quæ simul retinenda dispensatio sese non extendebat) merito vacant ipso jure priora beneficia juxta cit. Clem. *Si plures.* h. t. cum etiam propter

hujusmodi possessionem justam, seu validam, inducatur vacatio ipso jure præhabiti beneficii, juxta c. *De multa*. 28. h. t. Neque enim decet, ut stultus, sive injustus possessor, melioris conditionis existat, quam peritus, sive justus; prout in simili casu beneficii injuste occupati statuit, atque argumentatur Pontifex in c. *Eum qui*. 18. h. t. in 6. Glossa in cit. Clem. *Si plures*. ℣. *Vacare*. in fin. h. t.; Garcias, cit. part. XI. cap. v. n. 171. et alii.

311. Additur notanter in responsione, « Quidquid sit de antecedenti. » Licet enim in dato casu collatio tertii beneficii revera sit invalida, juxta cit. c. *Ordinarii*. § fin. *de Offic. ordinar*. in 6. idem tamen juris quoad vacationem ipso facta beneficiorum præhabitorum fuisset, etiamsi valida extitisset. Nam etiam in hoc posteriori casu beneficium prius non vacat ipso jure per nudam collationem alterius incompatibilis; sed duntaxat per hujus receptionem, seu obtentam pacificam possessionem, arg. d. c. *De multa*. h. t. atque amplius n. 318. dicetur.

312. *Per cit. c.* Ordinarii, *non est revocatum c.* De multa *h. t. Et cur?* — Quod si petas, an per cit. c. *Ordinarii*. § fin. *de Offic. ordinar*. in 6. revocatum fuerit c. *De multa*. 28. h. t. juxta quod collatio posterioris beneficii valida existit, conformiter dictis supra n. 287. Resp. Negative. Quia, ut notat Glossa in cit. § fin. ℣. *Nullius*. et Fagnanus c. *Cum jam dudum*. n. 70. h. t. Decretales istæ loquuntur de diversis casibus. Siquidem decretalis *De multa*, loquitur de eo, qui unum tantummodo beneficium obtinebat; quod est de jure communi, nec inducit inhabilitatem ad aliud beneficium etiam incompatibile obtinendum: haud obstante, quod istud cum priori simul retineri non possit. At vero decretalis *Ordinarii*. § fin. loquitur de illo, qui antea obtinebat plura beneficia incompatibilia dispensative : quod est contra jus commune; redditque idcirco hominem inhabilem ad aliud beneficium obtinendum absque dispensatione Papæ vel prævia spontanea resignatione priorum incompatibilium. Unde non mirum, quod hac utraque deficiente collatio tertii beneficii incompatibilis existat invalida, et nullius penitus momenti; cum sit facta contra sacros canones, et personæ inhabili.

313. *Multum interest, an collatio beneficii sit valida, necne : et quid?* — Porro multum interest, an collatio beneficii sit valida, necne. Nam si ea existat valida, potest virtute ipsius postea recipi secundum beneficium ejusque possessio pacifica una cum fructibus : ita tamen, ut hac obtenta beneficiarius teneatur statim dimittere prius beneficium incompatibile. Secus dicendum, quando collatio est invalida : nam, quia hæc nullius prorsus est momenti, nequit præbere justum titulum obtinendi aliud beneficium; sicque istud virtute talis collationis, utpote invalidæ, apprehendi non poterit. Interim tamen per factam beneficii, sic invalide collati, acceptionem non vacant ipso jure præhabita beneficia; ac proinde beneficiarius potest eadem retinere, dummodo saniori usus consilio, ac videns factam collationem non tenere, illius possessionem non apprehendat. Quod si vero possessionem ultimi, ac invalide collati beneficii apprehendere præsumpserit, vacabunt ipso jure præhabita beneficia ex tam vitiosa possessione : simulque ultimum (seclusa alia sufficienti dispensatione) illicite, ac invalide detinebitur. Glossa in cit. Clem. *Si plures*. ℣. *Vacare*. h. t. juncto textu ibid. et c. *Eum qui*. 18. eod. in 6.

314. *Retinens secundum beneficium una cum primo incompatibili, an privetur utroque? Olim privatio secundi incompatibilis non inducebatur ipso jure, sed opus erat sententia judicis.* — Quæritur V. Utrum is, qui secundum beneficium una cum primo incompatibili simul retinere præsumpserit, privetur utroque? Resp. I. Spectato jure antiquo, atque relato in c. *De multa*. 28. h. t. privatio secundi beneficii incompatibilis cum primo, non inducebatur ipso jure; sed opus erat sententia judicis privantis secundo beneficio illum, qui primum una cum secundo retinere contenderat. Ita colligitur ex verbis cit. c. *De multa*. h. t. ibi : « Et si forte illud (primum, ac ipso jure vacans beneficium curatum etc.) retinere contenderit, etiam alio spolietur. » Nam ly, *spolietur*, actionem judicis importat : sicque sensum facit; « etiam alio spolietur, scilicet per sententiam ; » prout loquitur Innocentius ibid. ℣. *Contenderit;* Garcias, part. XI. *de Benefic*. cap. v. n. 7. et 94; et Pirhing, h. t. n. 150.

315. *Et an privatio potuerit infligi, licet quis in jure noluerit contentiose secundum retinere cum primo.* — Addit Glossa in cit. c. *De multa*. ℣. *Contenderit*. h. t. ad hoc, ut quis secundo etiam beneficio spoliari potuerit, fuisse requisitum quod quis primum beneficium cum secundo retinere contenderit; id est « in jure contentiose retinere voluerit. Si enim, (sub-

jungit eadem Glossa) talis ante litem contestatam destituerit, non privabitur utroque: sicut et in aliis statutis, sub pœna, l. *Amplius*. ff. *Rem ratam haberi.* » Verum Innocentius cit. c. *De multa*. n. 2. ℣. *vel dic.* et nonnulli alii, quos refert Fagnanus ibid. n. 6. h. t. oppositum tenuerunt, dicentes, quod ex sola retentione primi beneficii cum secundo incompatibili beneficiarius potuerit privari utroque, etiamsi, quando incœpit conveniri, voluisset dimittere prius, utpote ipso jure vacans. Quia (aiunt) satis manifesta causa privandi aderat, ex quo quis non obtemperabat canoni sic præcipienti: simulque, qui beneficiarius furtum committebat, percipiendo fructus prioris beneficii, quo privatus erat ipso jure. Hæc tamen difficultas sublata fuit ex post facto, uti notat Abbas in d. c. *De multa*, n. 10. et Fagnanus ibid. n. 7. h. t. allegans alios: unde

316. *De facto plura incompatibilia beneficia contra sacros canones simul retinens, ipso jure utrisque privatus existit.* — Resp. II. Si quis de facto plura curata, vel alias incompatibilia beneficia, quocunque modo contra formam sacrorum canonum, recipere, ac simul retinere præsumpserit: non solum primo, juxta hactenus dicta, sed etiam secundo, ipso jure privatus existit. Ita Glossa fin. in Clement. *Si plures*. h. t. Abbas in c. *Quia nonnulli*. n. 4. *de Cleric. non resident.* et c. *De multa*, n. 10. h. t. hanc conclusionem probans ex Extravag. *Execrabilis*. Joann. XXII. h. t. ubi Pontifex, § *Qui vero deinceps*, decrevit, quod recipiens secundam dignitatem, personatum, seu officium (intellige, perpetuum, juxta dicta superius n. 292.) aut aliud beneficium curam animarum habens annexam, teneatur prius beneficium (utpote, quo privatus est ipso jure) absque meræ dispendio in manibus ordinariorum dimittere: et si id non fecerit, ex tunc sit ipso jure etiam secundo privatus; simulque efficiatur inhabilis ad beneficia, et ordines: prout liquet ex verbis ejusdem Extravagantis, supra n. 284. relatis. Verum quia citata Extravag. *Execrabilis*. non loquitur generaliter de quibuscunque beneficiis incompatibilibus, sed solummodo de dignitatibus, personatibus, officiis, atque beneficiis curatis.

317. *Idque probatur multipliciter.* — Hinc eamdem conclusionem pro moderno tempore, ac generaliter loquentem,, tenet Garcias, part. XI. *de Benefic.* c. 5. n. 94. et 95. et n. 381. allegans declarationem sacræ congregationis concilii. Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 54. num. 30. et allegat. 62, numer. 29; Fagnanus cit. c. *De multa*. numer. 7 et 8. et c. *Super inordinata*. n. 9. h. t. istud præter allegatam Extravag. *Execrabilis*, Joann. XXII. probans ex concilio Tridentino sess. 7. cap. IV. *de Reform.* ac supra n. 285. jam relato, ponderando verba illa: « Recipere, ac simul retinere præsumpserit, beneficiis ipsis, ipso jure, etiam præsentis canonis vigore, privatus existat. » Nam locutio illa in plurali, « Beneficiis ipsius, utrumque beneficium simul retentum complectitur; sicque vacationem utriusque ipso jure inductam, clare demonstrat.

§ XI.

DE REQUISITIS AD VACATIONEM IPSO JURE BENEFICIORUM INCOMPATIBILIUM, HORUMQUE DIMISSIONE, ET COLLATIONE.

318. *Ad inducendam ipso jure vacationem prioris beneficii incompatibilis, non sufficit sola assecuratio de consequendo alio, neque hujus collatio: sed requiritur vera ejus assecutio, atque possessio.* — Quæritur I. Utrum facta assecuratione, vel saltem collatione secundi incompatibilis, illico vacet ipso jure præhabitum beneficium; vel quæ alia ad hoc requirantur? Resp. I. Ad inducendam ipso jure vacationem prioris beneficii incompatibilis non sufficit sola assecuratio de consequendo altero beneficio: neque etiam sola hujus collatio, et acceptatio: sed ulterius requiritur istius posterioris vera assecutio, atque possessio pacifica. Ita Glossa c. *De multa*. ℣. *Post receptionem*. et Abbas ibid. n. 16. et Fagnanus n. 9. et Barbosa n. 8. h. t.; Flamin. Parisius *de Resignat. Benefic.* lib. III. cap. I. n. 129. allegans Rotam in una Florent. canonicatus et Præbendæ, coram card. S. Crucis, die 11 martii 1558. et in una Panormitan. beneficiorum, coram D. Fabio Accorambona. 9 januar. 1548; card. de Luca *de Beneficiis*, discurs, 56. n. 5; Garcias, part. XI. *de Benefic.* cap. V. n. 100. et seqq. citans plures alios. Accedit ratio, tum quia illud importat verbum, *Recipere*, contentum in concilio Tridentino sess. 7. cap. IV. *de Reform.* ac verbum illud, *Post receptionem alterius*, videlicet corporalem, positum in d. c. *De multa*; ac notat Glossa ibid. istud probans ex can. *Si quis jam translatus*. 21. q. 2. Con-

cordat textus, et Glossa in can. *Si quis episcopi*. dist. 92. ỳ. *Ubi prior*. illis verbis : « Si habuerit corporalem possessionem per se, vel per alium ejus Ecclesiæ ; » tum quia in jure « verba accipienda sunt cum effectu, » ut dicitur c. *Relatnm*. 4. *de Cleric. non resident*. junctis concordantiis per Glossam ibid. ỳ. *Cum effectu*, allegatis : sicque sola assecuratio de consequendo posteriori beneficio incompatibili, non sufficit ad inducendam ipso jure vacationem prioris, nisi secutus fuerit etiam effectus corporalis possessionis, et quidem pacificæ.

319. *Et quidem possessio pacifica*. — Additur notanter, « pacificæ. » Nam, ut vacet prius Beneficium post collationem, atque receptionem alterius incompatibilis, requiritur, ut provisus « hujus possessionem pacificam habuerit, vel per eum steterit, quominus haberet eamdem, » juxta textum notabilem in c. *Licet Episcopus*. 28. h. t. in 6. Quidquid olim in contrarium tenuerit Innocentius c. *De multa*. n. 2. et 4. h. t. Nam ejus opinio hodie correcta est, per cit. c. *Licet episcopus*. eod. in 6. ac notat Fagnanus in d. c. *De multa*. n. 10. h. t. Idque merito quia incertus est litis eventus, l. *Quod debetur*. ff. *de Peculio;* neque tenetur quis se exponere periculo ut careat utroque beneficio, dimittendo videlicet prius ante obtentam pacificam possessionem posterioris.

320. *Possessio pacifica posterioris beneficii, quando censeatur acquisita? Quæ in continenti fiunt inesse videntur*. — Cæterum « Possessio pacifica » posterioris beneficiis censetur acquisita, quando ea non est litigiosa ; sed absque controversia juris vel facti, judiciali et extrajudiciali, obtinetur. Garcias, d. part. XI. cap. v. num. 105. citans plurimos alios. Sive, ut alii loquuntur, talis « Possessio pacifica » habetur, quando quis beneficii possessionem nactus, in ista in continenti non turbatur : hoc est nullam patitur juris, vel facti controversiam. Et additur primo, « vel facti: » quia ad tollendam pacificam possessionem sufficiunt extrajudiciales molestiæ. Card. de Luca cit, discurs. 56. *de Benefic*. n. 5. allegans decis. 1254 Rotæ, apud Seraphinum. Additur ulterius, « in continenti : » nam secus, si vel in ipsamet apprehensione secundi beneficii lis sibi moveatur, l. *Si post perfectam*. c. *de Evictionib*. vel saltem in continenti post, arbitrio boni viri, arg. c. *Officii*. 38. *de Election*. Glossa c. *Commissa*. ỳ. *Pacificam*. *de Election*. in 6. Flamin. Parisius, lib. III. *de Resignat. benefic*. cap. I. n. 131. et alii. Siquidem, quæ continenti fiunt, inesse videntur, l. *Lecta est*. ff. *De Rebus creditis*, *Si certum petatur*. Unde possessio non censetur pacifica fuisse, quæ non duravit, c. *Nam et ego*. *de Verb. signif*. junctis concordantiis a Glossa fin. ibid. adductis. Si autem possessio pacifica semel acquisita fuit, non desinit esse talis, licet ex post facto (puta, post mensem, aut duos menses, vel post libere administratam aliquandiu curam animarum) desuper controversia moveatur. Glossa cit. c. *Commissa*. ỳ. *Pacificam*. *de Election*. in 6. estque jam dictum supra lib. II. tit. XII, *De causa possessionis*, etc. § 1. n. 23.

321. *Prius beneficium non vacat per receptionem secundi, quando fructus istius ex causa alius percipit*. — Resp. II. Insuper non censetur prius beneficium ipso jure vacare per receptionem secundi incompatibilis, quando fructus istius ex causa etiamnum alius percipit. Ita Abbas c. *De multa*. n. 16. h. t. estque clare decisum c. *Si tibi concesso*. 26. h. t. in 6. ac notant Glossa, Ancharanus, Vivianus, Barbosa, ibid. et communis. Accedit ratio, quia talis nondum adeptus est plene, atque effectualiter secundum beneficium. Licet enim istud jam obtinuerit, atque pacifice possideat, fructus tamen ejus non habet ; sicque cum effectu nondum censetur id recepisse, ac proinde redeunt dicta n. 318. Confirmatur id ipsum, quia alioquin sequeretur, quod talis cogeretur mendicare ; cum fructus ex secundo beneficio non haberet, primo autem privatus existeret : quod utique foret absurdum.

322. *Secus, si per provisum steterit, quominus possessionem, aut fructus ejusdem habeat*. — Additur notanter, « ex causa alius percipit » puta, quia Papa concessit episcopo, ut fructus beneficiorum proxime vacaturorum, ad certum tempus pro solvendis debitis percipere valeat ; prout est casus in c. *Si propter*. 10. *de Rescript*. in 6. et cit. c. *Si tibi concesso*. h. t. in 6. Nam secus dicendum, si per provisum steterit, quominus possessionem, aut fructus secundi beneficii habeat : hæc enim limitatio expresse habetur in c. *Licet episcopus*. 28. h. t. in 6. et c. *Commissa*. 35. § 1. *de Election*. in 6. ubi possessio pacifica beneficii adepta, et mora eam petendi, æquiparantur, illis verbis : « Possessionem ejus pacificam habuisti, vel per te stetit, quominus haberes eamdem. » Simile quid habe-

tur in Extrav. *Execrabilis*. Joan. XXII. § *Qui vero deinceps*. h. t. Idque salubriter statutum fuit ad præcavendum fraudibus nonnullorum, sub hoc prætextu plura beneficia occupantium : nam fraus, et dolus, alicui patrocinari non debent, c. *Ex tenore*. 16. *de Rescript*. et alii.

323. *Beneficia prius habita, quando vacent per promotionem ad episcopatum?* — Resp. III. Limitatur quoque data n. 318. Conclusio quoad alteram partem in episcopatibus. Siquidem beneficia ecclesiastica prius habita non vacant per solam promotionem ad episcopatum, atque obtentam ejus pacificam possessionem : sed primum post secutam consecrationem, aut saltem, postquam elapsum est tempus ad obtinendam consecrationem a sacris canonibus præfixum; quod cessante inevitabili necessitate, est spatium trium mensium post confirmationem numerandorum, can. 2. dist. 75. et can. *Quoniam*. dist. 100. juncto concilio Tridentino sess. 7. cap. IX. et sess. 23. cap. II. *de Reform*. Conclusio hæc, seu præmissorum limitatio, habetur clare ex c. *Cum in cunctis*. § *Cum vero*. *de Election*. et notat ibi Glossa ℣. *Tempore*. Abbas, n. 3. et Barbosa, ibid. n. 29. et part. III. *de Offic. et potest. episc*. allegat. 57. n. 67. cum pluribus aliis, quos allegat.

324. *Et quid dicendum spectato stylo curiæ?* — Atque istud procedit spectato jure communi. Siquidem in provisis de episcopatu per summum Pontificem, istud de stylo curiæ non servatur; ut inquit Barbosa, cit. c. *Cum in cunctis*. n. 29. *de Election*. et Flamin. Parisius, lib. III. *de Resignat. benefic*. cap. I. n. 77. et 78 cum aliis, quos citat. Idque solet accidere ex eo; quia Papa in promotione ad episcopatus consistorialiter facta, consuevit decernere, beneficia præhabita vacare eo ipso a die promotionis. Rota Caputaquens. Abbatia. 16. maii 1620, coram Dunozetto. Alias vero, ubi non adest expressum Decretum vacationis præhabitorum beneficiorum, standum erit juri communi. Barbosa, cit. n. 29. allegans Rotam coram card. Seraphino, decis. 100. et Garcias, part. XI. *de Beneficiis*, cap. VI. n. 9, citans aliam Rotan in una Pharens. Pensionis. coram SS. Clemente VIII. quæ est 1. part. *Divers*. decis. 233. Quod ipsum, quidem a fortiori, ac juxta formam rescripti pontificii, intelligendum est, quando promotus ad episcopatum a Papa obtinuit prorogationem, vel retentionem præhabitorum beneficiorum : de quo plura Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc*. allegat. 57. n. 69. et 70.

325. *Ac loquendo de episcopis titularibus*. — Verum tamen proxime dicta non procedunt in episcopis titularibus, seu promotis ad episcopatus in terris Infidelium existentes. Nam hoc ipso, quod tales non acquisierint pacificam suorum episcopatuum professionem, fructusque ipsorum, nec per eos stet istos acquirere : non censentur vacare præhabita ipsorum beneficia. Navarrus, consil. 14. n. 3. *de Election*. Garcias, part. XI. *de Benefic*. cap. VI. n. 24. Barbosa, d. allegat. 57. n. 74. cum aliis, quos citant.

326. *Post assecutionem pacificam secundi beneficii incompatibilis, dimissio prioris debet fieri statim, et in continenti*. — Quæritur II. Quomodo post assecutionem posterioris beneficii incompatibilis, sit dimittendum prius beneficium? Resp. I. Post receptum secundum beneficium incompatibile, et acquisitam hujus pacificam possessionem una cum perceptione fructuum, ut supra, dimissio prioris beneficii ecclesiastici debet fieri statim, et in continenti. Ita Abbas c. *De multa*. n. 10. h. t. et c. *Quia nonnulli*. n. 4. *de Cleric. non resident*.; Pirhing, h. t. n. 55; Garcias, part. XI. *de Benefic*. cap. V. n. 36. et seqq. allegans alios. Ratio est, quia tunc ipso jure jam vacat prius beneficium; ac proinde, nisi istud statim et in continenti dimitteretur, inciperet quis retinere alienum : quod est illicitum, ac injustum.

327. *Intelligendo ly* Statim et in continenti, *cum aliquo temperamento*. — Notant tamen memorati auctores, et alii, quod prædictum ly, « statim, et in continenti, » sit intelligendum cum aliquo temperamento, seu temporis spatio : donec nimirum certo constet, haberi pacificam, simulque frugiferam posterioris beneficii possessionem, juxta arbitrium boni viri, arg. l. *Ratum*. et l. *Quod dicimus*. ff. *de Solutionib*.

328. *Refertur, ac rejicitur sententia, concedens mensem pro dimissione prioris beneficii incompatibilis*. — Fatendum quidem est, quod Hoieda cit. part. II. *de Incompatibilit. benefic*. cap. IX. n. 6. in fin.; Zerola, part. I. *Praxis episcop*. ℣. *Beneficia*. § *Ad tertium*. circa fin. et nonnulli alii, quos citat Garcias, ubi supra, n. 25, satis esse asserant, si intra mensem a tempore assecutionis secundi beneficii incompatibilis realiter, et cum effectu dimittatur prius, arg. cit. Extravag. *Execrabilis*. Joan. XXII. h. t. Verumtamen hæc sententia

non caret difficultate : nam in cit. Extravag. *Statuimus.* conceditur mensis solummodo ad eligendum unum ex pluribus beneficiis, quæ tunc per legitimam dispensationem a quibusdam obtinebantur. At vero in posteriori. § *Si vero deinceps.* ubi agitur de prohibita pluralitate beneficiorum in posterum obtinendorum, non amplius conceditur mensis pro dimissione prioris post receptum secundum beneficium incompatibile, sed expresse præcipitur, ut post pacificam possessionem alterius (aut si per beneficiarium stetit, quominus istam habeat) prius beneficium absque moræ dispendio in ordinariorum manibus dimittatur pari modo. Nec obstat istud appositum ly, « pari modo. » Hoc enim nequit denotare concessionem mensis pro facienda dimissione prioris beneficii (nam istud repugnaret præcedentibus verbis, « absque moræ dispendio) » sed duntaxat vult beneficium præhabitum esse dimittendum in manibus ordinarii « pari modo, id est, verbo et vacto, et sine fraude, cum effectu, et sub testimonio publico, ut supra ibidem statuebatur : simulque, ut id fiat non expectata sententia privatoria facti, vel litis contestatione, prout explicat Glossa ibid. Alioquin vero ex tunc ipso jure inducatur privatio secundi beneficii, una cum inhabilitate ad sacros ordines suscipiendos, et habendum quodcunque beneficium ecclesiasticum.

329. *Dimissio illa prioris beneficii, respicit solum factum.* — Resp. II. Ejusmodi dimissio prioris beneficii, utpote vacantis ipso jure post assecutionem alterius incompatibilis, respicit solum factum. Ita Glossa in d. Extravag. *Execrabilis.* Joan. XXII. ℣. *Dimittere;* et in re communis. Siquidem clericus jure, in tali beneficio sibi quondam competente, jam est privatus ipso facto per receptionem alterius incompatibilis : ac proinde jus illud amplius dimittere non potest, et si beneficium præhabitatum dimittere valeat quoad factum, videlicet, istud « coram ordinario, sub testimonio publico, verbaliter, et realiter cum effectu dimittendo, » sicque relinquendo possessionem ipsius, et abstinendo penitus a perceptione obventionum ejusdem : prout habetur cit. Extravag. *Execrabilis.* juncta Glossa. *Sub testimonio.* et seqq. ibid. Quanquam ex recepta, et approbata consuetudine, sufficiat sola realis et cum effectu, ac sine fraude facta prioris beneficii dimissio, etsi hæc non fiat coram ordinario, sub publico testimonio, ac verbaliter. Zerola, ubi supra. Garcias cit. part. XI. cap. v. n. 46. Pirhing, h. t. n. 154. et alii.

330. *Debetque fieri pure, ac simpliciter : non vero ex causa permutationis, neque in favorem tertii, etc.* — Resp. III. Prius beneficium adepto altero incompatibili debet pure, ac simpliciter dimitti : adeoque non potest resignari ex causa permutationis, v. g. cum alio simplici; neque in favorem tertii (nisi cum expressione hujus circumstantiæ, seu vacationis ipso jure, coram summo Pontifice) neque cum reservatione pensionis, aut hujusmodi. Ita Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *de Dispensatione ratione ætatis.* ℣. *Quoad vixeris.* n. 8. et 9. citans multiplicem Rotam; Hoieda, ubi supra, part. III. cap. IV. n. 11. et cap. XIII. n. 62; Flamin. Parisius, lib. III. *de Resignat. benefic.* cap. I. n. 50. et seqq.; Garcias, d. cap. v. n. 58. asserens, ita fuisse resolutum in una Illerden. portionis. ann. 1593, coram Illust. D. Phamphilio.; Pirhing, h. t, n. 154. et alii.

331. *Et ratio istius.* — Accedit ratio, quia, qui nullum jus habet in beneficio, non potest illud resignare, aut permutare : atqui clericus post adeptam pacificam possessionem secundi incompatibilis, nullum jus habet in priori beneficio, utpote quod ipso jure vacat, juxtà hactenus dicta; ergo. Majorem tradit Flamin. Parisius cit. cap. I, n. 51. et 79. et 80, citans plurimos alios, et communem. Et ratio clara est : quia « nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur, » prout loquitur reg. 79. jur. in 6. cum concordantiis : ergo cum beneficio privatus ipso jure, nullum amplius in eo jus habeat, hoc ipso tale jus per resignationem, aut permutationem amplius transferre non potest.

332. *In casu recepti pacifice secundi beneficii incompatibilis, collator prioris libere istud potest, ac debet conferre intra sex menses, etc.* — Quæritur III. Qualiter, et sub qua obligatione, conferendum sit beneficium vacans ob assecutionem alterius incompatibilis? Resp. I. In casu recepti pacifice secundi beneficii incompatibilis, collator prioris libere potest, simulque debet istud conferre intra sex menses : alioquin ipse punitur. Ita textus expressus in c. *De multa.* 28. h. t. illis verbis : « Is quoque, ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionem alterius libere conferat, cui merito viderit conferendum : et si ultra sex menses conferre distulerit, non solum ad alios secundum Lateranensis con-

cilii statutum ejus collatio devolvatur, verum et tantum de suis cogatur proventibus in utilitatem ecclesiæ, cujus est illud beneficium, assignare : quantum a tempore vacationis ipsius constiterit esse perceptum. » Hæc ibi : atque amplius declarant Glossa, Jo. Andreas, Abbas, Fagnanus, Barbosa in *Collectan.* ibid. aliique passim.

333. *Verbum*, Libere *conferat*, *quid importet?* — Dicitur imprimis, « libere conferat, » tum quia collator ordinarius potest ejusmodi beneficium, utpote post pacificam adeptionem alterius ipso jure vacans, conferre libere ; hoc est, sine requisitione alterius : adeo, ut non teneatur vocare possessionem, ant ipsum præmonere, seu citare ; neque etiam cogatur expectare licentiam episcopi. Hoc enim importat dictio, *libere :* quia non esset libertas, si alium deberet requirere. Abbas cit. c. *De multa.* n. 3. et Fagnanus ibid. n. 15. et Barbosa. n. 9, h. t. cum communi ; tum quia collator intra sex menses, a die habitæ notitiæ, quod clericus obtinuerit pacificam alteruus incompatibilis beneficii possessionem, computandos, non solum potest, sed etiam tenetur illud, utpote ipso jure vacans, alteri conferre ; prout denotatur per ly, « conferat, » quod importat præceptum ; juncta duplici pœna illico apposita, si illud intra memoratum tempus conferre prætermittat. Unde

334. *Collator ejusmodi, si conferre distulerit, incurrit duplicem pœnam, et quam?* — Dicitur ulterius, « et si conferre distulerit, » etc. Quibus rerbis signatur duplex pœna, quam collator beneficii, v. g. episcopus, negligens conferre beneficium per assecutionem alterius ipso jure vacans, incurrit. Prima est, ut jus conferendi devolvatur ad alios : nempe gradatim ad proximum superiorem, vel ab episcopo ad capitulum, juxta constitutionem concilii Lateranensis, sub Alexandro III. celebrati, quæ refertur in c. *Nulla.* 2. *de Concession. de Præbend*, estque amplius dictum supra. § 6. n. 161. et seqq.

335. Altera pœna est, quod ejusmodi negligens collator tantum de suis proventibus cogatur in utilitatem ecclesiæ, cujus est beneficium non collatum, assignare, quantum a tempore vacationis ex fructibus ipsius constiterit esse perceptum : prout liquet ex allegato textu cit. c. *De multa.* h. t. Idque merito : quia « delictum personæ non debet in detrimentum ecclesiæ redundare, » uti loquitur reg. 76. jur. in 6. juncto can. *Si episcopum.* 16. q. 6. Unde collator, v. g. episcopus, ex propriis proventibus cogitur refundere ecclesiæ, quantum ex fructibus ejus, tempore vacationis, perceptum fuisse, constiterit : nempe, « constiterit, » facta fide coram judice per juramentum rectoris ecclesiæ, vel syndici, ipsius præmissa taxatione, juxta cap. ult. *De iis, quæ vi metusve causa*, etc. ac notat Joan. Andreas in cit. c. *De multa.* n. 11. et Fagnanus ibid. n. 19. h. t. allegans alios. Et si collator proprios proventus non habeat, puniendus est alia pœna ad arbitrium judicis. Glossa cit. c. *De multa.* ℣. *Proventibus.* Joan. Andreas, Fagnanus, ubi supra, et alii. Qui addunt, istud fieri non solum propter negligentiam, sed etiam propter delictum collatoris : quia differendo collationem, præsumitur favere detentori beneficii jam vacantis ipso jure, atque vitium ejus palliare; sicque hac altera pœna punitur.

336. *Licet tunc prius beneficium libere conferri possit, non tamen in hujus possessionem potest induci is, cui collatum est, priore possessore irrequisito.* — Resp. II. Quamvis posteriori beneficio pacifice, atque effectualiter adepto, prius incompatibile libere conferri possit, ut dictum : non tamen in hujus possessionem potest episcopus inducere eum, cui collatum est, priore possessore irrequisito, seu non vocato. Ita communis omnium ; estque clare decisum in c. *licet Episcopus.* 28. h. t. in 6. Illis verbis : « Licet episcopus beneficium, quod cum animarum cura tenebas (postquam aliud recepisti consimile, ac ipsius possessionem pacificam habuisti, vel per te stetit, quo minus haberes eamdem) possit alteri de jure conferre : illum tamen, cui contulerit, non debebit te non vocato (cum tibi forsan jus possit competere retinendi) in possessionem ipsius inducere corporalem. » Ita Pontifex, rescribens pro declaratione c. *De multa.* 28. h. t. cuipiam super hoc eum consulenti.

337. *Et hujus ratio.* — Accedit ratio. Quia potest contingere, ut assecutus secundum beneficium ; de se incompatibile cum priori adhuc possit prius retinere ; ut puta, quia secum legitime fuit dispensatum ; vel quia ex causa justa nondum percipit fructus secundi beneficii, aut hujusmodi ; prout innuit textus allegatus, juncta Glossa fin. et doctores. ibid. Quinimo generale est, quod nemo inauditus, ac sine causæ cognitione, privandus sit sua possessione, can. *Quia res.* 11. q. 1. Et si cui vis, vel clam spolietur

sua possessione, plura extant remedia recuperandæ possessionis in jure prodita: de quibus ex professo actum fuit supra, lib. II. tit. XIII. *de Restitutione spoliatorum*, § 2. n. 25. et seqq. Adeo, ut etiam prædo, si spolietur rebus a se possessis, secundum rigorem juris sit restituendus, c. *In litteris*. 5. *de Restitut. spoliat.*

338. *Privatio, seu vacatio ipso jure, prioris beneficii per pacificam receptionem alterius incompatibilis, est intelligenda quoad titulum, non quoad possessionem.* — Dices. Vacatio beneficii ipso jure inducta fuit per receptionem, atque pacificam possessionem alterius incompatibilis; ergo nihil obstare videtur, quominus is, cui libere illud collatum est, etiam libere in ejus possessionem inducatur: nam, ut ex physicis patet, forma (sive jus ad beneficium) ejusque privatio, simul consistere nequeunt. Resp. neg. consequent. cum sua probatione. Nam privatio, seu potius vacatio illa prioris beneficii propter incompatibilitatem alterius, intelligenda est duntaxat quoad titulum, seu jus retinendi beneficium; non vero quoad possessionem : hac enim clericus possessor privari non potest, nisi eo citato, et causa cognita, atque intellecto, quod nullum jus retinendi possessionem beneficii amplius sibi competat, ut dictum. Hoc ipsum patet ex c. *Cum nostris*. 6. *de Concession. Præbend.* ubi præpositura de jure vacans propter adeptum episcopatum, censetur non vacasse de facto, eo quod possideretur adhuc ab episcopo : unde mandavit pontifex, ut vel ostenderet episcopus justam causam retentæ præposituræ, ac possessionis ipsius; vel ad resignationem hujus compelleretur.

339. *In praxi quid agendum illi, cui prius beneficium ipso jure vacans collatum fuit?* — Resp. III. Quantum ad praxim attinet, ille, cui prius beneficium, per pacificam alterius beneficii adeptionem ipso jure vacans a collatore ordinario collatum fuit, adeat episcopum, sive ordinarium loci : atque exhibito factæ sibi collationis legitimo testimonio coram ipso agat, instetque, ut sibi possessio ejusdem beneficii realiter, et cum effectu tradatur : quo facto in causa summariter procedendum est, citato tamen, et audito priore possessore. Ita desumitur ex cit. c. *Licet episcopus*. ac notat Vivianus in *Rational.* ibid. § fin. h. t. in 6. cum aliis. Concordat. c. *Tum ex litteris*. 5. *De in integrum restitut.* ubi in simili casu Papam sic processisse, legitur.

340. *Hactenus dicta procedunt etiam in aliis casibus, in quibus beneficium præhabitum ipso jure vacat.* — Et quæ hactenus dicta sunt de collatione prioris beneficii, per pacificam adeptam possessionem alterius incompatibilis ipso jure vacantis, non sunt quid speciale, seu in casu sæpe dicti c. *De multa* h. t. ex indulgentia illius decretalis duntaxat concessum : sed procedunt generaliter in aliis etiam casibus, in quibus beneficium præhabitum ipso jure vacat. Innocentius in cit. c. *De multa*. n. 3. vers. *Nos quantum ad hoc.* et Fagnanus, ibid., n. 16. Quod ultimum ut melius intelligatur sit.

§ XII.

DE VARIIS MODIS, QUIBUS BENEFICIA IPSO JURE VACARE DIGNOSCUNTUR : UBI ET DE VACATIONE IPSORUM PER SENTENTIAM.

341. *Beneficia ecclesiastica, quibus modis generatim vacare dignoscantur?* Quæritur I. Quibus modis generatim beneficia ecclesiastica ipso jure vacare dignoscantur? Resp. Pluribus modis id accidere : prout videre est apud Nicol. Garciam, part. II. *de Beneficiis*, a cap. II. usque ad cap. X. fusissime de hoc disserentem. Concordat Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 57. n. 199. et seqq. quadraginta tales vacationum modos enumerans. Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *De modis amittendi beneficia.* Gonzalez ad Reg. 8. *Cancell.* gloss. 15, a n. 3, usque ad n. 133, per ordinem recensens quinquaginta duos modos, quibus beneficia ecclesiastica ipso jure vacant : et alii.

342. *Nullus casus, nullumque crimen inducit privationem beneficii ipso jure, nisi istud reperiatur jure expressum. In pœnis benignior est interpretatio facienda.* — Solummodo nota pro regula, quod nullus casus, nullumque crimen, etiam privatione beneficii dignum, inducat privationem hujus ipso jure, nisi istud reperiatur jure expressum. Nam pœna tam gravis asserenda non est absque jure claro. « Siquidem interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius, quam exasperandæ, ut dicitur l. 42. ff. de Pœnis : » ac proinde in dubio præsumitur quis per sententiam beneficio privandus, non autem ipso jure privatus; cum odia sint restringenda, atque in pœnis benignior sit interpretatio facienda, juxta reg. 15. et 49. Juris in 6; Gonzalez, ubi supra, n. 153; Garcias, part. II. cap. X. n. 5.

Barbosa, de allegat. 57. n. 252. et alii, quos citant. Inducitur autem ejusmodi vacatio beneficiorum ipso jure, partim per diversos sacros canones in corpore juris canocici clausos, sive in pœnam graviorum criminum, sive ob alias causas; partim per varias constitutiones apostolicas, extra corpus juris canonici vagantes, ac præsertim, in *Bullario Romano* reperiendas: prout amplius patebit ex dicendis. Unde.

343. Usque ad num. 367. *Enumerantur triginta vel plures modi, in quibus beneficia ipso jure vacant. Mors omnia solvit. Paria sunt, non esse; et, non apparere. Obtinentes plura incompatibilia beneficia tenentur ordinariis locorum, id postulantibus, exhibere dispensationes suas. Recipientes plura incompatibilia beneficia non excusantur ex longa possessione. Regula Cancellariæ, de Triennali, non excludit ordinarium inquirentem de justo titulo beneficii. Fundator potest in fundatione beneficii ponere certas leges et conditiones, etc. Prima vacatio beneficii, vel prælaturæ, durat usque ad confirmationem alterius prælati. Simonia realis, et confidentialis. commissa in Beneficiis, quas pœnas inducat? Sodomiæ crimen nefandum, qualiter puniatur?* — Resp. II. Juxta sacros canones in corpore juris clausos, beneficia vacant imprimis ipso facto per obitum, seu mortem naturalem beneficiati eorum possessoris; prout liquet ex c. *Susceptum*. 6. de *Rescript*. in. 6. Nam mors omnia solvit Auth. *de Nuptiis*. c. *Deinceps*. 20. Collat. 4. II. Per renunciationem : de qua ex professo dictum supra lib. I. tit. IX. *De renuntiatione*, per totum. III. Per assecutionem pacificam alterius beneficii incompatibilis, juxta proxime dicta. IV. Per translationem episcopi ad aliam ecclesiam, vacat prior episcopatus : et a quo die is vacare incipiat, ex professo dictum est supra lib. I. tit. VII. *de Translatione episcopi*. §. 3. n. 34. 35. et seqq. V. Per matrimonium contractum de præsenti, non vero per sponsalia; prout amplius declaratum est supra tit. III. *de Clericis conjugatis*. § 1. n. 9. et seqq.

VI. Vacat ipso jure beneficium præhabitum per ingressum religionis, professione secuta, c. *Beneficium*. 4. *de Regularib*. in 6. de quo videantur dicta superius lib. I. tit. IX. *de Renuntiatione*. §. 1. n. 21. 22 et seqq. VII. Per militiam sæcularem, a clerico minorista beneficiato assumpta; prout amplius dictum est supra tit. I. *de Vita et honestate clericorum*. §. 5 n. 125. VIII. Per non promotionem ad sacerdotium intra annum, vacat ipso jure ecclesia parochialis, quam clericus necdum sacerdos secutus fuit, et intra annum sacerdotio initiari neglexit, c. *Licet*. canon. 14. *de Election*. in 6. estque pariter uberius declaratum lib. I. tit. XIV. *de Ætate et qualitate*, etc. n. 29. 30. et seqq. IX. Per promotionem ad episcopatum, post obtentam possessionem ipsius, et secutam consecrationem, vel saltem post lapsum temporis ad petendam consecrationem præfixi, vacant ipso jure præhabita beneficia, c. *Cum in cunctis*. 7. § *Cum vero de Election*. junctis dictis supra § præced. n. 323. 324. et 325.

X. Objiciens quidpiam in persona electi, atque in probatione deficiens (cessante causa rationabili, quæ ipsum excusat triennio a beneficiis ecclesiasticis, quæ in ecclesia celebratæ electionis obtinebat) ipso facto suspensus est : et si stante tali suspensione sese eorum administrationi ingerere præsumpserit, eisdem ipso jure perpetuo privatus existit. Ita textus in cap. I. §. fin. juncta Glossa, et doctoribus *de Election*. in 6. Concordat c. *Cupientes*. 16. § *Cæterum*. eod. in 6. ubi eligentes, si electionem a se factam electis infra octo dies culpabiliter præsentare distulerint; primum quidem triennio dicuntur eo ipso suspensi a beneficiis, quæ in Ecclesia celebratæ electionis obtinent : deinde vero, si infra illud tempus ad dicta beneficia se propria temeritate ingesserint, illis ipso jure perpetuo privari dicuntur.

XI. Qui beneficium curatum vi occupat; aut se scienter injuste intrudit in eo, ipso jure privatus est priori beneficio curato, si quod habeat. Simulque, qui violenter auctoritate, seu verius temeritate propria, occupare dignitates, personatus, aut alia quæcunque ecclesiastica beneficia non verentur, eo ipso amittunt jus, si quod in beneficiis taliter occupatis, vel ad ea ipsis forsan competebat. Textus quoad utramque partem expressus est in c. *Eum qui* 18. h. t. in 6. et concordat jus civile l. *Si quis in tantam*. C. *Unde vi*.

XII. Si quis sequestrationem fructuum beneficii litigiosi, quæ post latam unam contra possessionem diffinitivam sententiam, apud Sedem apostolicam duntaxat, per ordinarium loco fieri debet, impedire, aut fructus sequestratos quoquo modo occupare præsumpserit: non solum ipso facto excommunicationis sententiam incurrit; verum etiam, si de litigantibus fuerit, hoc ipso amittit jus, si quod in hujusmodi beneficio, vel ad illud habuisset. Patet istud ex clem. un. *de Sequestrat.*

possess. juncta Glossa, et doctores ibid. et amplius declarat Gonzalez, cit. gloss. 15, n. 59. ac seqq. et Barbosa, part. III, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 57, n, 221.

XIII. Obtinentes plura curata, vel alias incompatibilia beneficia ecclesiastica tenentur ordinariis locorum, id postulantibus exhibere dispensationes suas : et si, justo cessante impedimento, istud non fecerint intra tempus arbitrio ordinarii moderandum, possunt ipsorum beneficia libere conferri personis idoneis per eos, ad quos ipsorum collatio pertinet. Ita habetur c. *Ordinarii.* 3. *de Offic. ordinar.* in. 6. juncto concilio Tridentino sess. 7. cap. v. *de Reform.* quod innovavit memoratum cap. *Ordinarii*, illudque, loquens solum de dignitatibus, personatibus et beneficiis curatis, ampliavit ad quæcunque beneficia « alias incompatibilia. » Accedit ratio in cit. c. *Ordinarii*, allegata. Quia, « si justo impedimento cessante nullam dispensationem super pluralitate beneficiorum, infra idem tempus (præfixum videlicet) contigerit exhiberi ; tunc beneficia illa, sine dispensatione aliqua eo ipso illicite detineri constabit. (Nam paria sunt, non esse; et, non apparere, datam v. g. fuisse dispensationem. L. in lege ff. *de Contrahend. emption.* et can. *Solemnitates.* il. 1. *de consecrat.* dist 1. cum similibus) ac proinde « per eos, ad quos eorum collatio pertinet, libere personis idoneis conferentur.» Vacant enim ipso jure; ut inquit Barbosa, ibid. n. 9. et Gonzalez, ad Gloss. 15. n. 62. vel potius sic vacare præsumuntur ex eorum incompatibilitate, et non ostensione tituli, seu legitimæ dispensationis, intra tempus ab ordinario præfixum. Quanquam notet Glossa ibid. ℣. *Libere.* quod si post lapsum dicti temporis prævenerit clericus episcopum, vel alium collatorem, ostendendo legitimam dispensationem, iste postea conferre non valeret.

Neque præmissis obstat diuturnitas possessionis plurium beneficiorum, cæteroquin incompatibilium, aut regula 36. Cancellariæ *de Triennali.* Nam imprimis recipientes plura incompatibilia beneficia ecclesiastica non excusantur ex longa possessione, c. *Ex frequentibus.* 3. *de Institution.* ubi excommunicantur illi, qui ex longæva consuetudine (quam Papa *pravam*, et *iniquam* appellat) contra sanctorum Patrum constitutiones beneficia ecclesiastica sine canonica institutione receperunt, aut retinuerunt, non obstante antiqua possessione. Ubi proinde Glossa ℣. *Desinent*, advertit, quod tales nullam possunt habere excusationem, quantocunque tempore ea tenuerint : quia diuturnitas temporis peccatum non minuit, sed auget, c. *Non satis.* 8. *de Simonia.* et cap. ult. *de Consuetud.* cum similibus. Unde, quod ordinarius possessorem plurium beneficiorum incompatibilium compellere possit ad ostendendum titulum, seu legitimam dispensationem, non obstante longa possessione atque regula 36. Cancellariæ, *de Triennali*, notat Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 57. n. 224. Idemque cum aliis repetit Barbosa, in *Collectan.* ad c. *Ordinarii.* n. 4. et seqq. *de Offic. ordinar.* in 6. addita ea ratione : Quia per regulam *de Triennali* possessore, excluditur quidem tertius, inquietans possessorem in beneficio : non tamen per eam excluditur ordinarius, utpote ad dictam inquisitionem extrajudicialem procedens ex officio, et vi muneris sui pastoralis.

XIV. Vacat beneficium ipso facto in omnibus casibus, in quibus fundator ipsius in limine fundationis ita disposuit : puta, ut ipso facto vacet beneficium ob non residentiam clerici, vel ob assecutionem alterius beneficii simplicis, aut hujusmodi. Gonzalez ad reg. 8. Cancell. cit. gloss. 15. n. 130. post Caputaquens. decis. 290. n. 1. et 2 part. II. Nam, quod fundator possit in fundatione beneficii ponere certas leges, et conditiones cæteroquin honestas, quas voluerit, desumitur ex cap. *Præterea quoniam.* 23. *de Jure patronat.* et c. *Quanto.* 16. *de Censib.* ac tenuit rota decis. 1. *de Præbend. in novis;* estque dictum supra § 4. n. 205. et seqq.

XV. Vacat ipso jure beneficium per alienationem rerum immobilium, aut pretiosarum ecclesiæ, seu ipsius beneficii, tactum sine debitis solemnitatibus juris. Textus est apertus in Extravag. *Ambitiosæ.* §. *Inferiores vero. De rebus Eccles. non alienand.*, inter communes. His accedit multiplex privatio beneficiorum, ob nonnulla crimina atrocia ipso jure inducta, de quibus speciatim dicetur n. 361. et seqq.

Resp. III. Juxta sacros canones dantur etiam plures modi vacationum improprie dicti id est, tales, quibus non de novo vacat beneficium, sed prima vacatio, puta, per mortem beneficiarii inducta, etiamnum durat. Sic accidit XVI. Quando electus non consentit electioni de se factæ, vel post consensum, antiquam obtinuerit confirmationem superioris, renuntiat juri suo vel moritur. c. *Si electio.* 26. *de Election.* in 6. estque jam dic-

tum supra lib. I. tit. VI. *de Electione*. § 2. n. 33. et 34. addita illa ratione : Quia prima vacatio beneficii, vel prælaturæ, durat usque ad confirmationem alterius prælati, arg. c. *Quam sit ecclesiis*, 6. eod. in 6. ac notat Glossa in clem. 1. ℣. *Collato*. et Abbas ibid. n. 1. *Ut lite pendente*, etc.

Hoc ipsum fit, quando electus ad prælaturam, seu beneficium, intra mensem a tempore electionis sibi præsentatæ computandum, consensum electioni suæ præstare distulerit, c. *Quam sit Ecclesiis*. 6. § *Electus. de Election*. in 6. Item, si electus intra tres menses post consensum electioni præstitum, non petierit confirmationem, cit c. *Quam sit Ecclesiis*. § *Cæterum. de Election*. in 6. Aut (si eadem confirmatio ad Sedem apostolicam pertineat) electus per se, vel per suum procuratorem legitime instructum, intra unum mensem post consensum, ad Sedem apostolicam iter arripere neglexerit, c. *Cupientes*. 16. *de Election*. in 6. estque jam dictum supra lib. l. tit. VI. *De Electione*. § 13. n. 313. et seqq. et 319. ac seqq.

XVII. Simile quid contingit, quando electus ante obtentam confirmationem sese administrationi immiscere præsumpserit : nam ipso facto privatus existit jure sibi ex electione quæsito. arg. c. *Avaritiæ*. 5. *de Election*. in 6. juncta Glossa ibd. ℣. *Privatos:* estque ex professo dictum supra cit. lib. I. tit. VI. *de Electione*. § 2. n. 40. et seqq.

Id ipsum dicendum est de cassatione electionis : ut c. *Consideravimus*. 10. *de Election*. et c. *de Election*. 26. eod. in 6. Ac de repulsione factæ postulationis, cap. I. et II. *de Postulat. prælat*. et Extravag. *Ex debito*. § *Hujusmodi. de Election*., inter commun. Quamvis, ut dictum, et notat Gonzalez ad reg. 8. Cancell. gloss. 15. n. 52. et 57. isti non sint proprie dicti modi vacationum, eo quod prior vacatio adhuc duret, et quidem usque ad confirmationem alterius prælati : qualis confirmatio in proxime relatis casibus non intervenit, ut patet.

Resp. IV. Spectando varias constitutiones apostolicas, extra corpus juris canonici repertas ; ulterius, et XVIII. Vacat ipso jure beneficium, imo et pensio clerici, tonsuram, et habitum clericalem, vestes scilicet talares, non deferentis. Patet hoc ex constitutione 92. Sixti V. *Cum sacrosanctum:* ac notat cum aliis Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 57. num. 217. estque amplius declaratum supra tit. I. *de Vita et honestate clericorum*. § 3. num. 64. et seqq.

XIX. Vacant ipso facto beneficia resignata, seu cessa, non servata forma publicationis, in constitutione 85. Gregorii XIII. *Humano vix judicio*, præscripta : estque jam dictum supra lib. I. tit. IX. *de Renuntiatione*. § 6. num. 129. et seqq. ac notat Barbosa d. allegat 57. n. 244. citans alios. Idemque dicendum de beneficiis parochialium Ecclesiarum, per concursum conferendis juxta concilium Tridentinum sess. 24. cap. XVIII. *de Reform.* quando in eorum collatione non fuit servata forma præscripta in constitut. 33. B. Pii V. quæ incipit : *In conferendis:* de qua paulo superius dictum est, nempe § 5. num. 148. et 149.

XX. Vacant ipso jure omnia beneficia illorum, qui pro obtinendis per alios beneficiis se ipsos fraudulenter pro illis examini supponunt, etc., juxta constitutionem 12. Pauli IV. quæ incipit : *Inter cæteras:* ac refertur tom. I. *Bullarii Romani*.

XXI. Vacant ipso jure beneficia retinentium indebite scripturas spectantes ad Cameram apostolicam, illasque non restituentium, nec non scientium, et non revelantium : ex constitution. Julii III, die ultima aprilis 1552, ut inquit Barbosa, cit. allegat. 57, n. 249. vel potius ex constit. 56 Sixti V. quæ incipit : *Non sine maxima:* ac refertur tom. II. *Bullarii Romani*.

XXII. Vacant beneficium ecclesiasticum ipso jure (sive per obitum, et non per resignationem) quando illud resignans, non supervixit viginti diebus : prout constat ex regula 19. Cancellariæ, quæ inscribitur, *Regula de viginti:* ac fusius declaratur supra lib. I. tit. IX. *de Renuntiatione*. § 3. num. 67. 68. et seqq. Tacentur nonnulli alii consimiles casus, de quibus extant speciales constitutiones apostolicæ, partim in *Bullario Romano*, partim in sæpe citato Barbosa, et Gonzalez videndæ.

Resp. V. Insuper ob complura crimina atrociora tum per sacros canones, tum per constitutiones apostolicas, reperitur inflicta privatio beneficiorum ipso jure. Sic cumprimis, atque XXIII. Vacat ipso jure beneficium ob crimen simoniæ realis, in ejusdem consecutione commissum : adeo quidem, ut præter pœnam excommunicationis, ipso facto contractæ, et Papæ reservatæ, quælibet provisiones, et collationes beneficiorum, quas simoniaca contigerit labe fieri, viribus omnino careant ; et « aliquo eorum cuipiam jus

nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium, quæ percepit, restitutionem sub animæ suæ periculo sit adstrictus. » Ita textus expressus in Extravag. *Cum detestabile. de Simonia,* inter communes; de qua ex professo alibi.

XXIV. Huc accedit simonia confidentialis (quam *Confidentiam beneficiorum* appellant) qua quis cuipiam beneficium ecclesiasticum procurat eligendo, præsentando, resignando, confirmando, aut alia ratione, sub certa confidentia, seu pacto expresso, aut tacito, ut is, qui beneficium accepturus est, illud ipsum sibi procuranti, aut alteri v. g. fratri, vel nepoti suo, cum fructibus, sive aliqua horum portione suo tempore cedat. Nam quæcunque beneficia, per hujusmodi simoniam confidentialem quoquo modo recepta, aut in posterum recipienda, ipso jure a die receptionis vacasse, et vacare decrevit, atque declaravit Pius IV. in sua constitutione 85. *Romanum Pontificem:* quam innovavit beatus Pius V. in constitutione 85. quæ incipit, *Intolerabilis:* atque una cum priori habetur tom. II. *Bullarii Romani.*

XXV. Vacat ipso jure beneficium propter crimen Hæresis, arg. c. *Ut commissi.* 12. *de Hæretic.* in c. ibi: « Vel privatos nuntiandi dignitatibus, ac aliis beneficiis ecclesiasticis: » juncta constitutione 29. beati Pii V. quæ incipit: *Cum ex Apostolatus:* et habetur tom. II. *Bullarii Romani:* ac notat Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. gloss. 15. n. 65; Flamin. Parisius, lib. III. *de Resignat. benefic.* quæst. 1. n. 31. et 32. Garcias, part. XI, *de Benefic.*, cap. x. n. 60. et 66. citans plurimos alios, et Rotam in una Mutinens. capellæ. 19 junii 1562, coram D. Paleoto; hancque appellans communem sententiam. Quamvis contrarium teneat Barbosa cit. allegat. 57, n. 228. ỳ. *Sed contrarium*, cum nonnullis aliis.

XXVI. Vacant ipso jure beneficia falsariorum falsificantium litteras apostolicas, c. *Ad falsariorum.* 7. *de Crimin. falsi.* ibi, « Clerici, qui falsarii fuerint deprehensi, omnibus officiis et beneficiis ecclesiasticis perpetuo sint privati. » Gonzalez, d. gloss. 15, n. 73; Garcias, cit. part. XI, n. 270; Barbosa, ead. allegat. 57, n. 234. et alii.

XXVII. Vacat ipso jure beneficium percutientis aut capientis, etc., cardinalem S. R. Ecclesiæ, c. *Felicis.* § *Si qua vero. de Pœnis.* in 6. Aut episcopum, loquendo tamen de beneficiis in hujus Ecclesia obtentis, Clem. 1. *de Pœnis.* Barbosa, ubi supra, n. 235. et 237 Gonzalez n. 74. et 75. cum aliis. Atque istud etiam procedit in beneficiariis occidentibus, vel mutilantibus rectorem, aut alium clericum suæ Ecclesiæ, arg. c. *In quibusdam.* 12. § *Sacri de Pœnis;* Barbosa, loc. cit. n. 239. et 240, istud tamen intelligens de beneficiis illius Ecclesiæ, in quam deliquit percutiendo rectorem, vel clericum illius; non autem de beneficiis in alia Ecclesia obtentis.

XXVIII. Vacant ipso jure beneficia clerici ob crimen assassinii, per ipsum procurati, vel mandati, etc. Textus est expressus in cap. I. *de Homicid.* in 6.

XXIX. Vacant ipso jure beneficia clericorum inferiorum, qui carcerant, captumque tenent clericum, donec resignaverit suum beneficium, aut, ne citati ad Sedem apostolicam venire possint, Clem. *Multorum.* § *Quod si inferiores. de Pœnis.* Similiter vacant ipso jure beneficia offendentium litigantes in Romana Curia, eorumque judices, advocatos, procuratores, notarios, testesque, et alios, ex constitutione 11. Alexandri VI. *In Eminenti.* § 4. ac refertur tom. I. *Bullarii Romani.*

XXX. Vacant ipso jure beneficia committentium nefandum crimen sodomiæ: ex constitutione 72. beati Pii V. *Horrendum.* illud §. 3. Imo tantum crimen perpetrantes jubentur degradari, ac curiæ sæculari tradi ad supplicium: ex constitutione 5 beati Pii V. quæ incipit, *Cum primum.* § 11. et citata constitutione 72 ejusdem; quarum utraque refertur tom. II. *Bullarii Romani.* Tacentur nonnulli alii casus, privationem beneficiorum ecclesiasticorum ipso jure inducentes, et apud auctores hactenus citatos videndi.

368. *Privatio seu vacatio beneficiorum ipso jure, in pœnam commissi, criminis statuta, regulariter non obligat in foro conscientiæ, ante sententiam declaratoriam. Refertur contraria quorumdam sententia. Remissive.* — Solummodo nota, quod privatio, seu vacatio beneficiorum ipso jure in pœnam commissi criminis statuta, regulariter non obliget in foro conscientiæ ante sententiam declaratoriam judicis super crimine admisso: eo quod requirat externam executionem, sicque subintret dispositio c. *Cum Secundum.* 19. *de Hæretic.* in 6. atque citatis pluribus auctoribus (quibus impræsentiarum addi potest Azorius, part. I. lib. VIII. cap. XIII. quæst. 8; Pirhing, tit. *de Concession. Præbend.* n. 25, § *Porro;* Covarruvias, *de Matrimon.* part. II.

cap. VI. § 8, n. 9; Zerola in *Praxi episcop.* part. I. ṽ. *Privatio*. § *Ad quintum omissis*, etc., allegans plures alios) ex professo dictum est supra lib. I. tit. II. *de Constitutionibus*. § 10, n. 227, 229. et seqq., solvendo contraria: ubi simul pro declaratione additi ly, « Regulariter, » referuntur casus, in quibus data regula fallit. Quibus adde casum simoniæ realis, in assecutione beneficii ecclesiastici commissæ: talis enim simoniaca receptio beneficii plenissime infirmatur per sacros canones, ac præsertim per citatam n. 361. Extravag. *Cum detestabile. de Simonia*, inter commun. Fatendum tamen, quod plurimis auctoribus pro et contra relatis, ac loquendo de bonis communibus (qualia sunt beneficia, et officia publica). Garcias, part. XI. *de Beneficiis*. cap. x, n. 7 et 8, ac n. 18, 20. et seqq. oppositum teneat; asserens, quod committens delictum, propter quod ipso jure privatur beneficiis, teneatur in conscientia dimittere illa ante sententiam; quem proinde, fusius de hac materia disserentem, benevolus lector videre poterit.

369. *Per sententiam amittitur beneficium, quando sententia privationis (condemnatoria videlicet) requiritur post crimen, etc.* — Quæritur II. Quid dicendum de vacatione beneficiorum per sententiam; et qualiter hæc differat a vacatione eorumdem ipso jure? Resp. I. Per sententiam amittitur beneficium, quando sententia privationis (condemnatoria videlicet) requiritur post crimen, vel aliam causam. Ita Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *De modis amittendi beneficia*, n. 50. cum communi. Quo modo, si clericus judicium sanguinis exerceat, per sententiam suo est beneficio privandus, c. *Clericis*. 5. *Ne clerici, vel monachi*, etc., ibi: « Si quis tale quid fecerit, honore privetur, et loco. » Idemque dicendum de homicida, sacrilego, incendiario, perjuro, et aliis clericis hujusmodi gravia crimina perpetrantibus.

370. *Privatio beneficiorum nunquam est imponenda, nisi in casibus a jure expressis.* — Cæterum privatio beneficiorum ecclesiasticorum nunquam est imponenda, nisi in casibus a jure expressis, arg. can. *Apostolus*. dist. 81. juncta Glossa fin. ibid. Joan. de Selva *Tractatuum*. tom. XV. tract. *de Beneficiis*, part. III. quæst. 2, n. 26. Rebuffus, loc. cit. num. 62; Gonzalez in reg. 8. Cancellar. gloss. 15. n. 136. citans alios: etsi non desint tenentes, quod, quandocunque delictum est grave, possit clericus beneficio privari, arg. can. *Satis perversum*. dist. 56. et can. *Inventum est*. 16. q. 7. Et pro hac sententia plures allegat Gonzalez, ubi supra, n. 138. postea tamen horum sententiam intelligens in casibus a jure expressis; alias non. Nam, quod odia restringi, simulque in pœnis benignior sit interpretatio facienda, patet ex reg. 15. et reg. 49. juris in 6. cum concordantiis.

371. *Vacatio beneficii ipso jure, et vacatio seu privatio ejus per sententiam, differunt multipliciter quoad suos effectus.* — Resp. II. Vacatio beneficii ecclesiastici ipso jure, et vacatio seu privatio beneficii per sententiam, quoad effectus suos multipliciter differunt. Ita Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 57. n. 253; Alfons. Hoieda, *Tractatuum*, tom. XV. tract. *de Beneficior. incompatibilit.* part. I. cap. XIII. num. 59. et seqq.; Gonzalez, d. gloss. 15. n. 140. et seqq. enumerans complures tales effectus. Ratio hujus desumitur ex dictis supra lib. I. tit. II. *de Constitutionibus*. § 10, n. 230, 231. et seqq. ubi ex professo ostensum est, quod ad incurrendam pœnam ferendæ sententiæ, v. g. privationis beneficii, requiratur sententia condemnatoria judicis, ac debeatur pœna solum a tempore latæ sententiæ. E contra vero, ut debeantur pœnæ ipso jure impositæ, sufficiat sententia declaratoria judicis super crimine admisso, quæ per quamdam juris fictionem retrotrahitur ad tempus commissi sceleris, cui pœna ipso jure imposita fuit; adeoque facta per judicem executione, debeatur pœna illa jam a die commissi criminis; prout amplius ibidem declaratur. Unde applicando eamdem doctrinam ad casus, seu effectus speciales quoad propositum.

372. *Beneficium vacans ipso jure, vacat in puncto contracti, v. g. matrimonii, vel commissi criminis: secus dicendum de privatione, sive vacatione beneficii per sententiam.* — Differt imprimis privatio, seu vacatio beneficii ecclesiastici ipso jure inducta, ab ejusdem privatione per sententiam condemnatoriam judicis: quod si vacat beneficium ipso jure, ratione alicujus capitis quæst. præced. enumerari, vacet illud in puncto contracti, v. g. matrimonii, aut emissæ professionis religiosæ, vel commissi criminis, etc., sicque ad dignoscendum, ut beneficium vacaverit in mense pontificio, necne, inspiciendum sit tempus vacationis ipso jure; non autem actualis amotionis ab injusta ejus perceptione, seu possessione. Secus dicendum de privatione, seu vacatione beneficii per

sententiam judicis: hic enim inspicitur tempus latæ sententiæ privationis, per judicem factæ. Gonzalez, ubi supra, n. 141. et 142. Barbosa, cit. n. 253. et alii.

373. *Data vacatione beneficii ipso jure, statim potest illud alteri conferri: secus, quando quis primum est eo privandus per sententiam.* — Secundo differunt: quia data vacatione beneficii ipso jure, etiam in pœnam delicti, statim potest illud conferri alteri, etiam non expectata sententia judicis, nec vocato possessore ipsius; quamvis, ut ille cui id collatum fuit, possit in talis beneficii possessionem induci, requiratur prævia citatio prioris possessoris, c. *Licet episcopus.* 28. h. t. in 6. Ubi Glossa ỷ. *Te non vocato*, dispositionem illius decretalis intelligendam censet in omni eo casu, in quo quis beneficio privatus est ipso jure. Gonzalez, loc. cit., n. 148; Hoieda, ubi supra, n. 60; Barbosa, n. 255, allegans alios: atque concordant dicta superius n. 336. et seqq. Secus dicendum, quando quis primum est privandus beneficio per sententiam; tunc enim ante hujus prolationem neque vacat beneficium, neque alteri conferri potest.

374. *Beneficiarius, cujus beneficium vacat ipso jure absque crimine, v. g. ob contractum matrimonium, tenetur statim dimittere beneficium; et alioquin fructus non facit suos, etc.* — Tertio differunt: quia beneficiarius, cujus beneficium vacat ipso jure absque crimine, v. g. ob matrimonium contractum, vel assecutionem alterius beneficii incompatibilis, etc., ex tunc tenetur statim, etiam in foro Poli dimittere prius beneficium: et si secus attentare præsumpserit, non facit fructus suos, sed ad illorum restitutionem tenetur etiam in foro conscientiæ. Hoieda, loc. cit., n. 61; Gonzalez, cit. gloss. 15, n. 150; Flamin. Parisius, lib. lib. IV. *de Resigvat. benefic.* quæst. 1, n. 58, loquens de vacatione prioris beneficii ipso jure propter assecutionem alterius incompatibilis; atque citatis aliis subjungens, hanc esse communem opinionem. Accedit ratio, quia talis vacatio ipso jure non est statuta in pœnam delicti, ut opus sit prævia sententia declaratoria super ejus admissione (non enim peccat clericus minorista matrimonium contrahendo, vel aliud beneficium incompatibile recipiendo, dummodo prius dimittat, etc.) sed vacatio illa ipso jure inducta est propter assumptionem status matrimonialis, qui est incompatibilis cum clericatu; vel ob receptionem alterius beneficii incompatibilis cum priori, etc., sicque ipso facto incurritur, ad evitanda plura cæteroquin secutura incommoda, etc.

375. *Idemque dicendum, quando ob crimen quis incurrit privationem beneficii ipso jure, ac secuta est sententia declaratoria super crimine admisso. Secus quando per sententiam condemnatoriam quis privatur beneficio.* — Atque hoc ipsum dicendum est, quando in pœnam commissi delicti quis incurrit privationem beneficii ipso jure, et secuta est sententia declaratoria judicis super crimine admisso: nam quia hæc retrotrahitur ad tempus commissi delicti, jam ab eodem tempore debetur pœna privationis beneficii ipso jure; sicque omnes fructus abinde percepti, restituendi sunt; prout amplius supra cit. lib. I. tit. II, n. 230, 231. et seqq. declaratum fuit. Secus dicendum, si quis per sententiam condemnatoriam judicis privatur suo beneficio: nam tunc pœna solum debetur a tempore latæ sententiæ, sicque possunt retineri omnes fructus antea percepti.

376. *Beneficiarius ipso jure privatus beneficio, non potest istud resignare, permutare, etc. Secus, si eodem venit privandus per sententiam.* — Quarto differunt: quia beneficiarius ipso jure privatus suo beneficio, non potest illud resignare in favorem alterius, nec alia ratione de eodem disponere, v. g. permutando, aut hujusmodi: et si secus attentetur, resignatio, vel permutatio est invalida; saltem secuta sententia declaratoria judicis, si vacatio ipso jure inducta fuit ob commissum crimen. Ratio est, quia nemo potest dare, v. g. resignando, permutando, etc. quod non habet. Glossa in can. *Gratia.* 1. q. 2. ỷ. *Possunt.* Simulque « nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur, » prout loquitur reg. 79. jur. in 6. E contra beneficiarius, qui venit privandus suo Beneficio per sententiam, potest resignare, permutare, etc., beneficium ante secutam privationem ipsius.

377. *Aliæ differentiæ Remissive.* — Taceantur aliæ consimiles differentiæ quoad diversos effectus inter privationem, seu vacationem Beneficii ipso jure, et per sententiam, assignabiles: nam earum centum et quatuor accumulat Tiraquellus in l. *Si unquam.* ỷ. *Revertatur.* n. 168. c. *de Revocand. donation.* teste Gonzalez, ubi supra, n. 152.

§ XIII.

DE RESERVATIONE BENEFICIORUM IN GENERE.

378. *Reservatio beneficiorum.* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit reservatio beneficiorum? Resp. I. Reservatio, quantum ad propositum, est alicujus ecclesiastici beneficii vacaturi, per habentem ad istud potestatem, ad se facta avocatio. Ita Æneas de Falconibus, tom. XV. *Tractatuum*, part. I. tract. *de Reservatione benefic.* quæst. 1. *Principal.* n. 1; Joan. Chokier in regul. 1. Cancell. n. 12; Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. gloss. 5, n. 19; Azorius, part. II. lib. VI. cap. XXXIV. quæst. 1; Pirhing, h. t., n. 317; Sammig, eod. cap. IV. n. 1. et alii. Dicitur, avocatio : quæ particula stat loco generis; reliqua vero adduntur per modum differentiæ. Dicitur ulterius, « per habentem ad istud potestatem; » qualis est Papa, utpote plenariam circa omnia totius mundi beneficia ecclesiastica dispositionem habens, cap. II. h. t. in 6. cum similibus. Deinde legatus à latere: nam iste potest beneficia, quæ in provincia sibi decreta tempore suæ legationis vacaverint, suæ collationi reservare; sub certis tamen limitationibus, quæ habentur in c. *de Præsenti*. 3. *de Offic. legat.* in 6.

379. *Beneficium reservatum, quid?* — Et conformiter dictis intelligendum est, quid sit beneficium reservatum : nam tale dicitur illud, cujus collationem superior, v. g. Papa, sibi propriam vendicat, ut ab aliis collatoribus ordinariis conferri non possit. Layman, lib. IV. *Theol. mor.* trac. II. cap. XI. n. 1. et communis.

380. *Reservatio beneficiorum, quotuplex.* — Resp. II. Reservatio beneficiorum est duplex, generalis videlicet, ac specialis. Ita Garcias, *de Beneficiis,* part. V. cap. I. n. 56. et seqq.; Azorius, part. II. lib. VI. cap. XXXIV. q. 3; Pirhing, h. t. n. 318. et alii. Quamvis postea non nihil varient in explicatione horum terminorum. Siquidem Felinus, c. *In nostra,* coroll. 5, n. 15, *de Rescript.* et Milis in *Repert.* ỷ. *Reservatio.* vers. 2. ac non pauci alii, per « Reservationes generales beneficiorum » intelligunt illas, quæ sunt introductæ a jure communi : per « speciales » vero, quæ habentur per regulas Cancellariæ, aut concordata, vel hujusmodi, ultra dispositionem juris communis.

381. *Reservationes beneficiorum generales et speciales, quæ?* —Verius tamen videtur, quod « Reservationes generales » censeantur illæ, quibus reservantur plura beneficia in communi : ut puta, beneficia in curia vacantia, vel beneficia devoluta, aut quæcumque beneficia eorum, qui promoventur ad episcopatus, et hujusmodi. « Reservationes speciales » e contra dicuntur illæ, quæ fiunt de certis beneficiis : hoc est, de talibus beneficiis, quæ sunt determinata, seu specialia vel ratione loci, reservando v. g. omnia beneficia certæ ecclesiæ; vel ratione ipsiusmet beneficii; ut cum certa dignitas reservatur, vel ratione personæ, ut dum Papa jubet beneficium primo vacaturum in ecclesia N. conferri Titio clerico. Ita Rota decis. 28. *de Prœbend.* in antiq. et decis. 3. *de Restitut. spoliat.*; Garcias, cit. part. V. cap. I. n. 58. et 60; Azorius, et Pirhing, ubi supra; Flamin. Parisius, *de Resignat. benefic.* lib. II. quæst. 6, n. 16 et seqq. et alii.

382. *Reservatio beneficiorum alia fit apposita decreto irritante : alia fit simpliciter sine tali decreto.* — Resp. III. Ulterius reservatio beneficiorum alia est, quæ fit apposito decreto irritante; hoc est, decernendo irritum et inane, si quid secus attentatum fuerit : quale decretum plerumque reservationibus a Papa factis apponi solet; ut c. *Si beneficia.* 20. h. t. in 6. Alia reservatio est, quæ simpliciter, et absolute, nullo apposito tali decreto.

383. *Harum quælibet ligat manus inferioris collatoris : sed cum discrimine.* — Est autem notabilis differentia inter reservationem apposito decreto : et inter eam, in qua istud non apponitur. Licet enim quælibet reservatio liget manus collatoris inferioris; adeo, ut beneficium, Papæ v. g. reservatum, valide conferre non possit, hoc ipso, quod Papa de sua majori potestate illud sibi, suæque collationi reservarit : nihilominus istud contingit cum discrimine. Siquidem

384. *Illa afficit etiam ignorantes, non ista.* — Reservatio beneficii facta apposito decreto irritante, afficit etiam ignorantem : adeo, ut invalida sit collatio beneficii taliter reservati etiamsi ordinarius collator ignorasset, reservationem ejusdem a Papa prius factam fuisse, arg. cit. c. *Si beneficia.* 20. h. t. in 6. ac notat Ancharanus, ibid. not. 2. et Franchus, n. 1; Pirhing, h. t. n. 320. et Garcias, d. part. V. cap. I. n. 408. et seqq. allegans alios. E contra vero reservatio beneficii, nullo apposito decreto irritante facta, solum ligat manus collatoris inferioris post notificationem, non vero afficit ignorantem : unde collator ordinarius valide confert beneficium

sine apposito decreto reservatum, si revera factam reservationem ignoravit; tum quia ignorantibus venia non negatur, can. *Proposuisti.* dist. 82; tum quia cit. c. *Si beneficia* h. t. in 6. ad inducendam invaliditatem factæ bona fide collationis beneficii reservati, utramque copulative requiritur; videlicet, tam reservatio, quam appositio decreti irritantis, illis verbis : « Aut decreto interposito reservantur : » ac notant auctores proxime citati.

385. *Illa inficit non solum titulum, sed etiam possessionem, etc. Ista annullat solum collationem in contrarium factam.* — Est et alia differentia. Nam reservatio beneficii cum decreto, inficit non solum titulum, quatenus collatio ejus per inferiorem postmodum facta, non tenet : sed etiam vitiat possessionem, et omnia, quæ inde consequuntur, c. *Si eo tempore.* 45. *de Election.* in 6; Garcias, cit. part. V. cap. I. n. 410. et 428. post Rotam decis. 24. n. 5. et decis. 156, part. II. divers. et alios. Adeo, ut collatio ordinarii nihil omnino præstet, ne quidem titulum coloratum : et si is, qui ejusmodi beneficium obtinet, isto spolietur, non possit agere de spolio. Chokier in regul. 1. Cancell. n. 18. citans Rotam decis. 16. in novis; Pirhing, h. t. n. 322. Idque fit propter prægnantiam, amplitudinem, et generalitatem verborum decreti, quo dicitur, « Decernentes irritum et inane, quidquid secus scienter vel ignoranter contigerit attentari : » de quo plura Barbosa, in tract. *De Clausulis*, claus. 40. E contra vero reservatio beneficii sine decreto, solum annullat collationem in contrarium factam; non vero videtur discolorare titulum, neque possessionem inficere. Garcias, loc. cit. n. 410. citans Simonetam *de Reservatione.* quæst. 40.

386 et 387. *Reservatio collationis quorumdam beneficiorum respectu Papæ, cur facta fuerit?* — Quæritur II. Cur reservatio quorumdam beneficiorum facta fuerit? Resp. Cur reservatio collationis aliquorum beneficiorum ecclesiasticorum, præsertim respectu Romani Pontificis, Christi in terris vicarii, introducta fuerit, multiplex posset assignare ratio congruentiæ, potissimæ tamen sunt sequentes. Imprimis enim sancta Romana Ecclesia cæterarum ecclesiarum primatum tenet, can. 1. dist. 22. atque ad ipsum Romanum Pontificem ab initio pertinebat collatio omnium beneficiorum totius Urbis et Orbis, cap. II. h. t. in 6. cum similibus. Et quamvis ipse postea concesserit episcopis potestatem conferendi beneficia suarum ecclesiarum, can. *Regenda.* 10. q. 1. et alibi : ut tamen intelligeretur, majorem penes se remansisse potestatem, c. *Dudum.* 14. § *Nos igitur de Præbend.* in 6. Ipsisque episcopis copulative solum, non autem privative, potestatem conferendi beneficia fuisse concessam; cum sint vocati duntaxat in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis, can. *Qui se scit.* 2. q. 6 Haud immerito Papa quorumdam beneficiorum collationem expresse sibi reservandam censuit.

Aliam reservationum causam ponit Chokier in reg. 8. Cancell. circa init. num. 9. et Pirhing. h. t. n. 319. Siquidem ad Sedem apostolicam confluunt undecunque clerici indigentes, et etiam de Ecclesia bene meriti, quibus paterna provisione Papa subvenire tenetur : unde justum fuit, imo et necessarium, ut quorumdam beneficiorum, talibus clericis dato tempore conferendorum, collationem sibi reservaret. Atque hæc ratio habetur etiam in reg. 9. Cancellariæ, illis verbis : « Item cupiens SS. D. N. PP. pauperibus clericis, et aliis bene meritis personis providere, » etc. Accedit, quod hac ratione conservetur major communicatio, et conjunctio inferiorum ecclesiarum, atque clericorum, per totum orbem cum Ecclesia Romana Matre sua, dum ab ipsa non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, seu redditibus ecclesiasticis dependent, atque adjuvantur.

388. *Reservatio beneficiorum an sit favorabilis, vel odiosa?* — Quæritur III. Utrum reservatio beneficiorum sit favorabilis, vel odiosa? Resp. I. Reservatio beneficiorum est odiosa, atque restringenda; nec inducitur, nisi in casibus expressis. Ita Glossa in c. *Præsenti.* ℣. *Finitur legatio. de Offic. legat.* in 6. asserens, reservationes beneficiorum, esse odiosas propter duo : quia per eas datur via ad vacaturas; et quia præjudicant ordinariæ potestati. Navarrus in c. *Acceptat. de Restitut. spoliat.* in Oppositionis decimæ solutione, n. 42. dictam Glossam appellans memorabilem; eamque procedere asserens non solum in speciali reservatione (puta, si Papa reservet beneficium primo vacaturum in Ecclesia A. conferendum Cajo) sed etiam in generali, arg. c. *Mandatum.* 38, *de Rescript.*; Garcias, part. V. *de Benefic.* cap. I, n. 67, præter plures alios citans Bellameram *de Permutat. benefic.*, part. III. quæst. 1, et consil. 34, cum collectario dicentem, quod

reservationes Papæ, etiam generales, et motu proprio factæ, sint odiosæ, et restringendæ: quia ordinariis auferunt jura sua. Cassadorus, decis. 3. n. 5. *de Reservationib.* eamdem Glossam approbans; Barbosa, part. III, *de Offic. et potest episc.*, allegat. 57, n. 18, citans Bignanum, decis. 1. in fin. *de Præbend.* et Simonettam *de Reservat.* quæst. 5. et Rotam in Seguntina archidiaconatus et canonicatus, 19. martii, 1601, coram cardinalem Lancellotto jun.; Castro Palao, part. II. tract. XIII. *de Beneficiis*, disp. 2, punct. 15, n. 5; Flamin. Parisius, lib. VII. *de Resignat. benefic.* quæst. 11, n. 33; Joann. Chokier ad reg. 8. Cancellar. n. 5; Petrus de Murga tract. *de Beneficiis*, cap. III. n. 259; Farinacius, decis. 691, n. 2. His accedunt alii, quos pro hac sententia citat Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. § 6. *Procem*, n. 6. generaliter docentes, quod reservatio dicatur odiosa: ut Rota decis. 1. n. fin. *de Præbend.* in antiq.; Calderinus consil. 10. in fin. *de Præbend.*; Geminianus, consil. 36. n. 2; Decius cap. II, n. 6. *de Election.*; Parisius consil. 19. n. 4. lib. IV; Gambarus *de Legato.* lib. III. n. 194, aliique plures, junctis citandis infra n. 391.

389. *Probatur, eam esse odiosam, sicque restringendam.* — Accedit ratio, per Glossam, ubi supra, jam insinuata. Quia videlicet reservatio detrahit jurisdictioni ordinariæ, quæ dicitur favorabilis, et naturalis. Glossa in Clem. ult. ℣. *Nolumus. de Offic. ordinar.* Atqui omnis dispositio, quæ est derogatoria potestati ordinarii, est odiosa. Abbas c. *Si quis contra.* n. 4. *de Foro compet.* Sicque, veluti lædens jus alterius, est restringenda, arg. c. *Super eo.* 15. *de Offic. delegat.* Et hinc Pontifex in Extravag. *Ad regimen.* h. t. inter commun. sicut et in regulis Cancellariæ, multum enucleate solet specificare beneficia illa, quæ reservare intendit, ne alioquin censeri possint non reservata.

390. *Refertur contraria quorumdam sententia, loquendo de reservationibus generalibus.* — Fatendum tamen, quod Æneas de Falconibus cit. tract. *de Reservation. Benefic.*, prælud. 2, n. 1, atque Gonzalez d. § 6. Procem. n. 25. et seqq. et præsertim. n. 74. allatam doctrinam intelligendam censeant solum de reservationibus specialibus, seu particularibus atque factis ad favorem certarum personarum, vel ratione expectativarum ad beneficia viventium: nam tales etiam ipsi concedunt esse odiosas, sicque restringendas. At vero reservationes generales, v. g. illas, quæ habentur in regulis Cancellariæ, asserunt esse favorabiles, sicque extendendas. Rationes ipsorum præcipuæ sunt: tum quia ab initio omnis potestas conferendi beneficia residebat penes solum Papam, arg. can. 1. et 2. dist. 22. cum similibus; ac proinde per reservationes generales nihil præjudiciale innovatur, sed res reducitur ad suum primævum statum: quod est favorabile, cum res de facili revertatur ad naturam suam, et primævum statum, can. *Ab exordio* dist. 35. Glossa c. *Statutum.* ℣. *Numerandum.* h. t. in 6. Barbosa, *Axiomat.* 199. n. 13; tum quia reservationes generales beneficiorum principaliter fiunt pro favore ecclesiarum, atque procuranda earumdem utilitate, et sublevanda clericorum bene de Ecclesia meritorum indigentia, ut dictum n. 386. et 387. Atque ex fine primario, seu principali oportet dignoscere, an dispositio aliqua sit favorabilis, nec ne; ergo.

391. *Prior sententia est communior inter doctores, simulque probabilior.* — Verum his non obstantibus prior sententia communior inter doctores, simulque probabilior, etiam loquendo de reservationibus generalibus, et factis per viam legis: ut est illa, quæ habetur in c. *Licet.* 2. h. t. in 6. Hanc enim esse odiosam, eo quod detrahat jurisdictioni ordinariæ, notat Glossa ibid. ℣. *Dignitatum*, dum asserit, quod sub reservatione ibidem promulgata non comprehendantur episcopatus, Istud quippe foret falsum, si reservatio facta per viam legis generalis, foret favorabilis: nam episcopatum in materia favorabili venire nomine *Beneficiorum*, præter communem aliorum, concedit ipsemet Gonzalez, ubi supra, gloss. 9. n. 36. et 37. Accedit, quod idem Gonzalez. § 5. *Procem.* n. 139. asserat, quod constitutio c. *Si Apostolica.* 35. h. t. in 6. sit favorabilis; « quia (inquit) restringit reservationem, » cap. II. eod. tit. in 6. ac reducit, quoad illum « casum, materiam ad jus communi: » ergo hoc ipso concedere cogitur, reservationem in cit. cap. II. h. t. in 6. esse odiosam atque restringendam; haud obstante, quod si lata per viam legis generalis, simulque clausa in corpore juris canonici. Atque id ipsum, nempe memoratam reservationem citati cap. II. h. t. in 6. esse odiosam, tenet Geminianus, ibid. n. 9. et Franchus, n. 6. et Simonetta *de Reservation.* quæst. 5. n. 27. 28. et 29. apud Gonzalez § 6. Procem. n. 12. Unde Navarrus, ubi supra, n. 42. in specie carpi Æneam de Falconibus,

contrarium tenentem, quasi immemor fuisset illius Glossæ, quæ habetur c. *Præsenti*. ℣. *Finitur legatio*. *de Offic. legat.* in 6.

392. *Solvuntur rationes oppositæ sententiæ.* — Nec obstant rationes n. 390. in oppositum allatæ. Non prima : nam si quid probaret, pariter sequeretur, quod etiam reservationes speciales, et particulares, dicendæ forent favorabiles : cum etiam per istas reducatur res ad pristinum statum, seu ad primævam potestatem papalem conferendi beneficia ecclesiastica : hoc autem nec Gonzalez, nec Æneas de Falconibus concedit. Sequeretur pariter quod jurisdictio delegata foret favorabilis utpote per quam similiter reditur ad primævum statum, sive ad eam jurisdictionem, quam Papa, Christi in terris vicarius, in persona sancti Petri apostoli *Matth.* XVI, 18, 19; et Joan. XXI, 17, immediate a Deo recepit. Atqui istud est contra Glossam in cap. I. ℣. *Processus*. *de Rescript.* in 6. et communem doctorum : unde patet imbecillitas primæ rationis. Quin imo, cum Pontifex ex singulari benignitate sua, potestatem conferendi beneficia ecclesiastica, etiam ordinariis locorum de jure communi concedere dignatus fuerit, uti habetur c. *Ex frequentibus*. 3. *de Institution.* Beneficium autem proprie dictum, contra principem concedentem sit interpretandum largissime, c. *Olim*. 16. *de Verb. signif.* et alibi : consequens est, ut eidem contraria dispositio, puta, reservatio beneficiorum ecclesiasticorum ab ordinariis conferendorum, censenda sit odiosa, et stricte interpretanda. Neque urget altera cit. n. 390. allata ratio, quia non obstante, quod omnes leges ferantur ex causa favorabili, seu pro communi bono reipublicæ, can. *Erit autem lex*. dist. 4. dantur nihilominus leges quædam pœnales, stricteque interpretandæ : eo quod primario respiciant punitionem criminum (qualis est odiosa, sicque quantum fieri potest restringenda) quamvis ultimate etiam respiciant bonum commune reipublicæ, juxta dicta superius lib. I. tit. II. *de Constitutionibus*. § 17. n. 442. Idem ergo, servata proportione, dicendum est in proposito ; ac proinde neganda consequentia.

393. *Dantur tamen beneficia aliqua, quæ sub reservationibus, etiam generalibus, absque speciali eorum mentione non comprehenduntur.* — Quæritur IV. An dentur aliqua beneficia, quæ sub reservationibus, etiam generalibus, nulla de ipsis facta mentione speciali, non comprehenduntur? Resp. Affirmative, adeo ut Æneas de Falconibus cit. tract. *de Reservat. benefic.* quæst. 3. principal. viginti sex hujusmodi beneficia enumeret ; etsi de nonnullis eorum dubitet, præsertim loquendo in ordine ad reservationes generales, uti notat ibid., n. 33 ; Gonzalez, ad reg. 8. Cancell. Gloss. 5. n. 22 et ead. Gloss. 5. § 1, n. 2. et seqq. ex professo declarans beneficia, quæ cadunt, vel non cadunt, sub illis verbis regulæ VIII (nunc IX.) Cancellariæ, collationi Papæ reservantibus « Omnia beneficia Ecclesiastica. » Garcias, part. V. cap. I. § 1. et seqq. fusissime agens de reservatione beneficiorum in specie ; Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 57, n. 27 et seqq. et n. 142 et seqq. et alii. Idque declaratur inductione, adducendo tales casus cæteris certiores, simul et notabiliores.

394. *Ubi sunt beneficia manualia, seu ad nutum revocabilia.* — Sic imprimis reservatio generalis beneficiorum solummodo complectitur beneficia perpetua, seu proprie dicta : non autem beneficia manualia ; hoc est, ad nutum revocabilia, sive sint sæcularia, sive regularia. Hæc enim sub reservationibus generalibus non comprehenduntur, cum nec sint beneficia proprie dicta ; simulque Papa reservando sibi collationem beneficiorum, loqui videatur de collatione perpetua, nec intendat mutare naturam beneficiorum, nisi istud exprimat. Glossa in Clem. un. ℣. *Revocari*. circa fin. *de Supplend. negligent. prælat.*; Æneas de Falconibus d. tract. *de Reservation. benefic.* quæst. 3. principal. n. 25 ; Barbosa, cit. allegat. 57, n. 146 et 147. et 152 ; Layman, lib. IV. *Theol. mor.* tract. II. cap. II. n. 1 ; Garcias, part. V. *de beneficiis*, cap. I, n. 510, citans Calderinum consil. 26. *de Præbend.* et Rotam decis. 639. n. 8. part. I. divers.; Gonzalez ad reg. 8. Cancell. Gloss. 5, § 6, n. 9. et seqq., allegans plurimos alios ; atque subjungens, ita fuisse decisum die 10 decemb. 1603. coram R. D. Litta.

395. *Item beneficia jurispatronatus laicorum, vel mixti, ex fundatione, ædificatione, vel dotatione acquisiti. Tali juripatronatus laicorum Papa derogare non solet.* — Deinde sub reservationibus papalibus non comprehenduntur beneficia, quæ sunt jurispatronatus laicorum, ex fundatione, ædificatione, vel dotatione acquisiti, absque expressa hujus mentione. Glossa cap. II. ℣. *Collatio*. h. t. in 6; Covarruvias, *Practic. quæst.* cap. XXXVI. n. 1. et 3. 4 ; Azorius, part. II. lib. VI.

cap. XXXIV, quæst. 7: Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *Tertia pars signaturæ.* ℣. *Nec non jurispatronatus*, n. 23. et 64; Barbosa cit. part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 57, n. 25, 26. et n. 144 istud etiam intelligens de jurepatronatus mixto: hoc est, partim spectante ad ecclesiasticos, et partim ad laicos. Pirhing h. t. n. 325. et alii. Siquidem Papa, licet possit, non tamen solet, neque sine expressa mentione intendit derogare tali juripatronatus laicorum, ne a fundandis, ædificandis, vel dotandis ecclesiis quoquo modo retrahantur.

396. *Secus dicendum de beneficiis jurispatronatus ecclesiastici; aut laicalis ex consuetudine, præscriptione, vel privilegio acquisiti.* — Secus dicendum de beneficiis spectantibus ad juspatronatus ecclesiasticum, nam huic, utpote ex bonis ecclesiasticis originem trahenti, facile per clausulas generales derogatur. Idemque dicendum de jurepatronatus laicis competente non ex fundatione, ædificatione, vel dotatione; sed solum ex consuetudine, præscriptione, aut privilegio apostolico: nam quia hic cessat ratio superius allegata, beneficia tali juripatronatus subjecta comprehendi sub generali reservatione, fatentur doctores proxime allegati cum communi aliorum.

397. *Beneficia vacantia ex causa permutationis, non continentur sub reservationibus.* — Tertio, beneficia, quæ vacant ex causa permutationis non continentur sub reservationibus generalibus, quia non nisi ipsis permutare volentibus conferenda sunt, juxta Clem. un. *de Rerum permutat.*; Æneas de Falconibus cit. tract. *de Reservat. Benefic.*, quæst. 3. principal. n. 5.; Layman, d. lib. IV. *Theol. Mor.* tract. II. cap. II, n. 2; Pirhing, h. t. n. 325.

398. *Sicut nec beneficia de mensa. Beneficia de mensa, quæ?* — Quarto beneficia de mensa non cadunt sub reservatione generali. Barbosa cit. allegat. 47, n. 155; Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. Gloss. 5, § 6, n. 63 et 64. allegans Rotam in una Tarvisina parochialis. 10 decemb. 1603. coram R. D. Litta. Ubi sciendum, quod « Beneficium de mensa » dicatur illud, quod est perpetuo incorporatum mensæ episcopali, aut capitulari, vel abbatiali; ita ut fructus ipsius pertineant ad eam ecclesiam seu collegium, cui facta est incorporatio, possintque converti in proprios usus ipsius. Glossa in Clem. un. ℣. *Ad mensam.* et Abbas ibid., n. 16. *de Excessibus prælat.*; Barbosa, et Gonzalez, ubi supra, et alii. Accedit ratio, quia Ecclesia sic unita mensæ episcopali, etc. non dicitur unquam vacare; juxta textum notabilem in cit. Clem. un. § *Quidam etiam ecclesias*, ibi: « Quanquam ipsæ propter hoc (seu Clericis decedentibus) Ecclesiæ in veritate non vacent: » ac præter auctores proxime relatos, notat etiam Glossa in Clem. un. ℣. *De mensa de Supplend. negligent. prælat.* Nam sedes episcopalis, capitulum, seu abbatia, veluti rector principalis ejusdem beneficii suæ mensæ uniti, nunquam moritur. Atqui reservationes generales solummodo respiciunt beneficia vacantia; ergo.

399. *Id ipsum procedit de beneficiis accessorie alteri unitis.* — Et quod proxime dictum est de beneficiis mensæ, pariter procedit de beneficiis perpetuo, et accessorie unitis alteri. Nam quod hujusmodi beneficia, puta, vicariæ perpetuæ, solummodo conferri debeant ad nominationem illorum, in quorum ecclesiis unitis ponendi sunt vicarii perpetui, decrevit beatus Pius V. in sua constitutione 47. *Ad exequendum.* quam superius. n. 142. et 143. citatam reperies: sicque in eis non est locus reservationi: Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. gloss. 5. § 3. n. 48. et 49; Garcias, part. IX. *de Beneficiis*, cap. II. n. 304. et 308. et seqq. referens multiplicem decisionem Rotæ; Barbosa, lib. III. *Jur. Ecclesiastic. univ.* cap. VI, n. 45 et alii. Accedit ratio, quia beneficium accessorie, et per viam subjectionis unitum alteri, desinit esse beneficium, perditque titulum beneficii mediante tali unione. Rota decis. 11. n. 1 *de Rebus Eccles. non alienand.* in antiq. Et assumit naturam, consuetudines et privilegia principalis, cui est annexum accessorie. Glossa cap. I. ℣. *Uniendo. Ne sede vacante*, etc. Atque efficitur prædium illius, cui taliter est unitum. Gonzalez cit. Gloss. 5, § 7, n. 2 et 5. et seqq.; Barbosa, d. allegat. 57, n. 158 et alii, atque amplius dicetur infra tit. XII. *Ut Ecclesiastica beneficia*, etc. § 3. n. 44. 45. et seqq. Unde non mirum, quod beneficium accessorie, et per viam subjectionis unitum alteri, non cadat sub reservatione generali, cum nec amplius existat beneficium, quod conferri aut reservari possit: haud obstante, quod beneficium principale, sive illud, cui facta fuit accessorie unio alterius, cadat sub reservatione; sicque mediante illo etiam beneficium accessorie unitum, veluti prædium alterius (etsi non per se) sub reservatione

includatur Gonzalez cit. gloss. 5. § 7. n. 37. et 38.

400. *Reservationes beneficiorum ultra eas, quæ habentur in propriis concordatis, cessant in Gallia et Germania.* — Quinto, reservationes beneficiorum ultra eas, quæ habentur in propriis concordatis, cessant in Gallia, et Germania. Chokier ad reg. 1. Cancellar. n. 22. Siquidem Pontifex in iis concordatis expresse cavit, quod ultra reservationes in ipsis expressas, per « quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacunque verborum forma » factam vel faciendam nolit impedire, quominus collatores ordinarii possint conferre beneficia vacatura; prout patet ex concordatis Germaniæ. Concordant dicenda inferius § seq. n. 425. 426. et seqq.

401. *Sub reservatione c. Licet, 2, de Præbend. in 6, non comprehenduntur episcopatus.* — Sexto, sub illa reservatione generali, quia in c. *Licet.* 2. *de Præbend.* in 6. collationi Papæ reservantur « ecclesiæ, dignitates, personatus, et beneficia, quæ apud Sedem apostolicam deinceps vacare contigerit, » non comprehenduntur episcopatus. Ita Glossa in cit. c. *Licet.* ỿ. *Dignitatum*, et Barbosa, ibid., n. 19; Garcias, part. V. *de Benefic.* cap. I, n. 113. citans plures alios asserentes, Glossam præfatam esse communiter approbatam. Accedit ratio, quia episcopatus sunt speciali nota digni; cum non tam dignitates sint, vel beneficia, quam *Culmina dignitatum*, prout appellantur in c. *Venerabilis.* 37. h. t. Atqui ea, quæ speciali nota digna sunt, nisi specialiter notentur, neglecta intelliguntur, l. *Item apud.* § *Hoc edictum.* ff. *de Injuriis.* Idque procedit vel maxime in materia odiosa, qualis juxta communiorem doctorum, est reservatio beneficiorum : cum notissimi juris sit; odia esse restringenda, juxta reg. 15. juris in 6. cum concordantiis.

402. *An hoc ipsum extendatur ad abbatias? De facto cessat data limitatio, et controversia, et cur?* — Atque hoc ipsum multi doctores extendunt ad abbatias : quamvis nonnulli contradicant, volentes, quod abbatiæ comprehendantur sub nomine dignitatum; uti videre est apud Glossam loc. cit. juncta additione ibid. et Garciam cit. cap. I. n. 114. Sed quidquid sit de abbatiis, de facto per Extravag. *Ad regimen.* inter commun. h. t. quæ in regula 1. Cancellariæ per singulos Pontifices innovari consuevit, sub expressis verbis reservantur collationi papæ omnes archiepiscopatus, episcopatus, et monasteria, seu abbatiæ apud Sedem apostolicam vacantes : unde hodie cessat præsens controversia, simul et limitatio de episcopatibus, abbatiis, spectando regulas Cancellariæ, imo et concordata Germaniæ in casibus ibidem expressis.

403. *Beneficia electiva non comprehenduntur in reservationibus factis sub ipsa forma : « Reservamus beneficia ad cujuscunque collationem, provisionem, præsentationem seu dispositionem specialem. » Intelligendo istud de beneficiis proprie electivis : et quæ sint talia?* — Septimo, in reservationibus factis sub ista forma, « Reservamus beneficia ad cujuscunque collationem, provisionem, præsentationem, seu dispositionem spectantia, » non comprehenduntur beneficia electiva; hoc est, illa, ad quæ per electionem, confirmatione superioris indigentem, promovendi assumi debent. Ita tradit Æneas de Falconibus cit. quæst. 3. principal. n. 21. post cardinal. consil. 103, col. 2. Et favet Ludovic. Gomez in reg. Cancellar. *De Annali possessore*, quæst. 11, n. 2. in fin. asserens, quod Beneficia electiva sint speciali nota digna : et si non exprimuntur, non comprehendantur. Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. gloss. 19, n. 6, 7 et 8. citans alios, etsi postea istud intelligendum censeat in rescriptis, non in reservatione per modum legis generalis. Henricus Wagnereck in *Commentar. Exegetic. SS. Canonum.* c. *Is cui.* 19. § 2. ỿ. *Consueverint per electionem. de Præbend.* in 6. Qui tamen istud intelligit, non de beneficiis, quomodocunque electivis (qualia etiam sunt canonicatus, dum per majora vota capituli cuipiam conferuntur, nec tamen indigent confirmatione superioris; sicque potius censentur beneficia collativa) sed solum de beneficiis proprie electivis, seu in quibus proceditur per electionem capituli, aut conventus, a superiore confirmandam, juxta Glossa in Clem. *Quia contingit.* ỿ. *Election. de Religios. domib.* atque paucis verbis innuitur initium hujus numeri. Nam grande, et speciale præjudicium est, derogare juri electionis, quod capitula, conventus, aut alii habent; ideoque opus est speciali expressione; juxta Clem. 1. § fin. h. t.

404. *Beneficia electiva sunt speciali nota digna. Electio non includitur sub verbo Provisionis, vel Dispositionis.* — Eadem limitatio desumitur c. *Cum in illis.* 16, § *Illis vero*, h. t.,

in 6. ubi loquendo de consimili casu expresse rescribitur, quod nequeat illi provideri de beneficio electivo, cui Pontifex provideri mandat de beneficiis, « etiamsi curam habeant animarum, ad collationem, provisionem, præsentationem, vel dispositionem spectantibus quorumcunque. » Quia (inquit Glossa ibid. ℣. *Electionem*) sub verbo *Provisionis*, vel *Dispositionis*, non includitur electio, cum inter ista tria sit differentia. Concordat Clem. 1. § fin. h. t. ubi consimilis decisio reperitur, addita ea ratione : « Cum nullam de electione fecerimus mentionem. » Nam Beneficia electiva, sunt speciali nota digna. Felinus c. *In nostra*. n. 25, coroll. 31. *de Rescript.*; Gomez, ubi supra; Gonzalez cit. Gloss. 19, n. 6, allegans alios : sicque non comprehenduntur sub generali reservatione, sed opus est speciali eorum mentione. Et talem etiam facere consueverunt Romani Pontifices, quando beneficia electiva reservare intenderunt; uti patet ex Extravag. *Ad regimen*. h. t. inter commun. ibi : « Etiamsi ad illa personæ consueverint, vel debuerint per electionem, seu quemvis alium modum providendi assumi. » Id ipsum liquet ex Extravag. *Ad Romani*. eod. inter commun. ubi pariter fit expressa mentio beneficiorum electivorum.

405. *Beneficia, quæ ex consuetudine magistris et doctoribus sunt conferenda, an comprehendantur sub reservationibus.* — His addi possent nonnulli alii casus, de quibus auctores, præsertim n. 393. citati fusius tractant : verum præmissi sunt cæteris scitu utiliores, plures etiam ex aliis sunt admodum controversi inter doctores. Sic, quamvis Glossa fin. in c. *Cum in Ecclesia tua*. 25. *de Præbend*. in 6. et post ipsam Æneas de Falconibus, ubi supra, quæst. 3. principal. n. 22. asserat, quod beneficia, quæ ex consuetudinis magistris, aut doctoribus sunt conferenda, non comprehendantur sub reservationibus, nec sub litteris apostolicis, quæ *Expectativæ* dicuntur : tamen Covarruvias, *Practic*. quæst. cap. XXXVI, n. 4. et Pirhing, h. t., n. 325. in fin. non immerito de hoc dubitant.

406. *Quid dicendum de beneficiis regularibus? et de beneficio monoculo?* — Insuper, quod in generali reservatione beneficiorum non censeantur reservata beneficia regularia, nisi specialiter exprimantur; tradit Æneas de Falconibus, cit. quæst. 3. principal. n. 29. id probans per textum, Glossam, et notata in c. *Cum de beneficio*. 5, h. t., in 6; Barbosa, d. allegat. 57, n. 28. Et pro hac sententia plures alios allegat Gonzalez, ubi supra, Gloss. 8. n. 1. et seqq. eo, quod beneficia regularia regulariter non sint perpetua, sed ad nutum revocabilia, c. *Cum ad monasterium*. § *Tales*. *de Statu monach*. simulque non nisi regularibus sint conferenda. Clem. un. *de Supplend. negligent. Prælat.* juncto concilio Tridentino, sess. 14. cap. X. *de Reform*. Oppositum tamen ex mente propria, tenet Gonzalez, loc. cit. n. 18. 19. et seqq. Rursus beneficium monoculum, seu quod unicum duntaxat habet prælatus, aliusque collator ad conferendum, non comprehendi sub reservatione generali, tradit Glossa in Clem. 1. ℣. *In certa*. h. t. Æneas de Falconibus, loc. cit. n. 32. Et pro hac sententia plures alios auctores, atque rationes, adducit Gonzalez, loc. cit. gloss. 9. § 4. n. 1. et seqq. Quamvis hic ipse n. 14. contrarium verius esse putet. Tacentur brevitatis causa nonnulli alii consimiles casus. (ADNOTATIO LIV.)

§ XIV.

DE BENEFICIIS AFFECTIS, ET APPOSITIONE MANUS PAPÆ.

407. *Beneficia affecta, quæ?* — Quæritur I. Quæ beneficia conferantur affecta; et an differant a reservatis? Resp. I. Beneficia affecta idem sunt, ac beneficia per appositionem manus Papæ impedita, quominus ab inferiore Collatore ordinario conferri possint. Pirhing, h. t. n. 321. Nam Papa apponendo manum, censetur tacite atque ipso facto, collationem beneficii ad se revocare : sicque sub nullitate actus ligare manus inferioris, ne amplius pro ea vice possit ejus collationi se immiscere. arg. c. *Ut nostrum*. 66. *de Appellation*. atque amplius patebit ex dicendis.

408. *In effectu parum, aut nihil differunt a reservatis.* — Resp. II. Quamvis in effectu parum, aut nihil differant beneficia affecta a reservatis : nihilominus stricte, ac proprie loquendo, differunt ab istis. Ita Æneas de Falconibus, *Tractatuum*, tom. XV. part. I. *de Reservation. Benefic.* prælud. 3, n. 1, et seqq.; Azorius. part. II. lib. VI. cap. XXXIV, quæst. 5; Barbosa, part. III. *Juris. ecclesiast. univ.* cap. XIII, n. 43 et 90; Gonzalez, ad reg. 8. Cancell. gloss. 52, n. 2. et seqq.; Pirhing, h. t., n. 317, et alii. Ratio prioris partis est, quia, sicut beneficia collationi Papæ reser-

vata, non possunt conferri per inferiorem, ita nec beneficia affecta : ac proinde, quantum attinet effectum utriusque, parum, aut nihil differre beneficium affectum a reservato, recte existimat Azorius loc. cit.

409. *Stricte tamen, ac proprie loquendo, differunt ab istis.* — Altera vero pars probatur ex Extravag. *Ad Romani.* h. t. inter commun. ibi : « Reservata, vel affecta remanserint. » Similia habentur in reg. 8. Cancellariæ, ubi pariter beneficia affecta clare secernuntur a reservatis, dum dicitur : « Dummodo alias dispositioni apostolicæ reservata, vel affecta non fuerint. » Et infra : « Reservatorum, vel affectorum. » Nam de natura illius dictionis, *Vel*, est, quod ponatur inter diversa ; ut Rubr. ff. *de Acquirend. et amittend. possess.* ac notat Baldus in l. *Filiæ.* C. *de Collation.;* Barbosa *de Dictionib. usu frequent.*, Diction. 415, n. 1, et alii.

410. 411 et 412. *Et in quibus? De natura dictionis vel est, quod ponatur inter diversa. Affectio beneficiorum est majoris efficaciæ, quam simplex reservatio.* — Resp. III. Beneficia affecta differunt imprimis a reservatis ex eo : quia reservatio respicit actum verbalem, atque expressum : ut, si Papa per bullam aut etiam solo verbo dicat, « Reservamus nobis, » etc. appellatur *Reservatio.* E contra affectio respicit actum realem, et factum aliquod, ex quo Papa demonstrat, se velle providere : sicque ipso facto, atque suprema sua auctoritate, ligantur manus collatoris inferioris circa disponendum de ejusmodi beneficio : unde oritur tacita hujus reservatio. Sic contingit, quando Papa apposuit manum super collatione alicujus beneficii : tunc enim, non obstante, quod collatio illa ob aliquod impedimentum non fuerit valida, nec sortita effectum ; adhuc beneficium dicitur affectum ; adeo ut pro ea vice nequeat conferri per inferiorem, juxta textum notabilem in Extravag. *Ad Romani.* § *Nos qui.* et § *Romani*, h. t. et inter commun.; Æneas de Falconibus cit. *Præbend.* 3. n. 3 et 4 ; Barbosa, lib. III. *Juris ecclesiast. univ.* cap. XIII. n. 43 et 90 ; Gonzalez ad reg. 8. Cancell. Gloss. 52 ; Pirhing, h. t., n. 317. Id ipsum patet ex pluribus casibus, n. 416. ac seqq. referendis.

Secundo differunt : quia beneficium reservatum nunquam amplius potest conferri ab inferiore ; beneficium affectum vero, licet pro ea vice, qua pontifex manum apposuit super ejus provisione, nequeat ab inferiore aliquo conferri ; potest tamen ita conferri pro alia vice, postquam provisio Papæ suum effectum consecuta fuit. Unde affectio non adimit inferiori potestatem conferendi in perpetuum, sed solum pro una vice : bene tamen reservatio, nisi revocetur.

Tertio differunt : quia affectio beneficiorum, seu appositio manus Papæ in illis, est majoris efficaciæ, quam simplex reservatio. Nam illa afficit etiam ignorantes, juxta cit. Extravag. *Ad Romani.* h. t. non vero simplex reservatio absque decreto irritante, ut dictum n. Æneas de Falconibus loc. cit. *Prælud.* 3. n. 4. et quæst. 4. principal. *Effect.* 1. n. 4. Gonzalez cit. gloss. 52. n. 9. Chokier, in reg. 9. (alias 8.) Cancell. n. 11. Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *de Reservat.* n. 34. et alii.

413. *Appositio manus pontificiæ, quid?* — Quæritur II. Quid sit appositio manus pontificiæ, causans affectionem beneficiorum, quibusque modis contingat? Resp. I. « Appositio manus pontificiæ, » quantum ad propositum, aliud non est, quam quod Papa aliter non reservando beneficium, intromittat se circa illius dispositionem. Ita Æneas de Falconibus cit. *Prælud.* 3. n. 4. et in re communis. Quia enim plus est factis demonstrare, quam verbis dicere. Glossa in c. *Dilecti.* 52. juncto textu ibid. *de Appellation.* Hinc Papa, semel intromittere se dispositioni cujuspiam beneficii, censetur ipso facto, sua suprema potestate, ejus collationem ad se revocare : sicque ligantur manus inferiorum, ut nihil amplius per istos circa illius beneficii, collationem valide fieri possit, arg. c. *Ut nostrum.* 66. *de Appellat.* Concordat cap. I. et II. *de Confirmat. util.* ubi, postquam Papa manum apposuit, confirmando jura cujuspiam, nequit judex inferior de iisdem cognoscere. Et c. *Si eo tempore.* 45. *de Election.* in 6. ubi Papa manum apponente, puta, reservante sibi electionem, vel saltem inhibente, ne electores ad electionem procedant, omnia carere censentur effectu; si quæ postmodum subsequuntur.

414. *Per eum ligantur manus inferiorum. Plus est, factis demonstrare quam verbis dicere.* — Id ipsum clarius habetur expressum in cit. Extravag. *Ad Romani.* § *Romani* h. t. inter commun. Ubi Paulus Papa II. in hæc verba decrevit : « Romani quoque Pontificis manus appositionem prædictam tantæ efficaciæ, tantæque virtutis existere, ut etsi litteræ apostolicæ super provisionibus beneficiorum,

aut de providendo mandatis, in quibus decretum, et reservatio hujusmodi apponuntur ex aliqua causa suum debitum non sortiantur effectum: facultatem tamen providendi de beneficiis taliter reservatis, quibuscunque aliis fuisse ademptam hujus perpetuæ, et irrefragabilis constitutionis edicto, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio, omnia et singula beneficia ecclesiastica — per hujusmodi reservationem, et decretum remansisse, et remanere semper affecta, nullumque de illis cum primam vacare contigerit) præter eumdem Romanum Pontificem ea vice quovis modo disponere potuisse, sive posse, harum serie decernimus, et pariter declaramus — Decernentes ex nunc irritum, et inane, si secus superbis a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. » Hæc ibi.

415. *Appositio manus pontificiæ, inducens affectionem beneficiorum, multis modis contingit.* — Resp. II. Appositio manus pontificiæ, inducens affectionem beneficiorum, multis modis contingit. Ita Æneas de Falconibus cit. *Præud.* 3. n. 4; Rebuffus d. tit. *de Reservation.* n. 30, et seqq.; Barbosa, lib. V. *Jur. Ecclesiast. univ.* cap. XIII, num. 90. et seqq.; Gonzalez cit. gloss. 52. num. 11. et seqq. et alii, plures ejusmodi modo referentes.

416. *Papa censetur manum apponere, sicque beneficium reddi affectum, quando istud cuipiam dat in commendam, vel in eo ponit administratorem.* — Id ipsum, videlicet appositionem manus pontificiæ multis modis contingere; probatur inductione. Sic enim imprimis censetur Papa manum apponere, ac proinde beneficium reddi affectum, quando Papa cuipiam beneficium dat in commendam, vel in eo ponit administratorem: tunc enim ex appositione manus Papæ adeo beneficium remanet affectum, ut cessante commenda, vel administratione, nequeat conferri per alium Papam inferiorem, donec de eo Papa plene et perfecte disponat. Garcias part. IV. *de Beneficiis.* cap. IV, n. 68. et seqq. Barbosa cit. lib. III, cap. XIII, n. 90; Æneas de Falconibus, eod. n. 4, et quæst. 4, principal. *Effect.* 38; Chokier cit. n. 11; card. de Luca, discurs. 4. *de Beneficiis.* n. 9. allegans communem beneficialistarum propositionem, quod ex commenda resultet reservatio, donec provideatur in titulum. Gonzalez d. gloss. 52. n. 11. et gloss. 5. § 8. n. 61. allegans plurimos alios.

417. *Vel quando concedit alicui mandatum de providendo super servo beneficio, etc. Aut prohibet electoribus, ne procedant ad electionem.* — Secundo, beneficium remanet affectum ex eo: quia Papa concedit alicui mandatum de providendo pro certo beneficio, etiam si istud nondum vacaverit, nec alias sit reservatum. Barbosa cit. num. 90. Gonzalez d. gloss. 52. n. 13. et alii; estque expressum in cit. Extravag. *Ad Romani.* § *Romani* h. t. inter commun. Idemque dicendum, quando Papa prohibet electoribus, ne procedant ad electionem, c. *Si eo tempore.* 45. *de Election.* in 6. Æneas de Falconibus d. *Præud.* 3, n. 4; Rebuffus, ubi supra, n. 32.

418. *Vel quando apponit decretum de dimittendo beneficio in manibus ejus. Aut mandat aliquem privari suo beneficio.* — Tertio, si Papa apponat decretum alicui de dimittendo beneficio in manibus ejus. Barbosa loc. cit. Gonzalez d. gloss. 52. n. 14. allegans Rotam decis. 14. *de Rerum permutat.* in antiq. idque intelligens, etiamsi alter non dimitteret beneficium: quia adhuc solus Papa posset conferre pro ea vice. Idemque procedit, quando Papa mandat aliquem privari suo beneficio: nam secuta privatione, utpote jussu et auctoritate Papæ facta, beneficium remanet affectum, atque collationi Papæ reservatum, juxta Extravag. *Ad regimen.* § *Præmissorum.* ỳ. *Vel privationem.* h. t. inter commun. Æneas de Falconib. cit. *Præud.* 3. n. 4.

419. *Item, quando Papa recipit renuntiationem alicujus beneficii.* — Quarto contingit appositio manus pontificiæ, quando Papa recipit renuntiationem alicujus beneficii, in manibus suis factam, etiam in mense ordinarii; tunc enim beneficium ita remanet affectum, ut nullus inferior possit de illo providere, quamvis a Papa nondum fuerit collatum. Gonzalez cit. gloss. 52. n. 16. Barbosa lib. III. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. XIII. n. 90; Pirhing, h. t. n. 317. et alii.

420. *Sive quando v. g. jure præventionis, etc., concedit alicui beneficium, sed invalide. Dantur alii tales casus. Remissive.* — Ulterius intervenit appositio manus pontificiæ, quando Papa, v. g. jure præventionis, aut prævenire intendens, concedit alicui beneficium, sed invalide: quia nimirum collatio non tenet ex aliquo defectu impetrantis, puta, ob hujus inhabilitatem, vel commissum vitium subreptionis: quia nihilominus beneficium manet effectum, neque inferior ejus collationi sese intromittere valet. Nam ex quo Papa

manus apposuit, remanent ligatæ manus collatoris ordinarii inferioris. Barbosa cit. n. 90. Gonzalez d. gloss. 62. num. 14. 15. et seqq. allegans alios; atque universim viginti duos casus referens, in quibus beneficia ex appositione manus Papæ remanent affecta, adeo, ut nullus inferior de ipsis disponere valeat.

421. *Regula illa, quod appositio manus Papæ ligat manus inferiorum plures patitur limitationes.* — Resp. III. Nihilominus regula illa, videlicet, quod « Appositio manus Papæ liget manus omnium inferiorum, » plures patitur limitationes; juxta illud vulgatum: « Nulla regula sine exceptione. » Gonzalez ad reg. 8. Cancell. cit. gloss. 52, n. 38. seqq. plures tales casus aliis enumerans.

422. *Nempe, quando Papa apponit manum ad alium effectum, quam conferendi beneficium. Actus agentium non operantur ultra intentionem eorum.* — Et primo quidem dicta regula limitatur, quando Papa apposuit manum ad alium effectum, quam conferendi beneficium. Tunc enim non remanent ligatæ manus collatoris inferioris, ne beneficium vacans conferre possit: nam appositio manus non operatur ultra intentionem Papæ, juxta illud: « Actus agentium non operantur ultra intentionem eorum; » quod desumitur ex l. *Non omnis.* ff. *Si certum petatur.* Barbosa, Axiomat. 12. n. 7. citans alios. Sic, quando Papa super beneficio aliquo reservat pensionem ad favorem resignantis, non propterea collator ordinarius impeditur, quominus beneficium illud, dum vacat, possit conferre: quia manus appositio quoad unum effectum, v. g. reservatæ pensionis, non operatur quoad alium, v. g. reservatæ collationis, contra intentionem agentis, c. *Quia intentionis.* 29. *de Privileg.* cum similibus; Rota decis. 14. n. 3. et decis. 15. num. 2. *de Concess. præbend.* in novis. et alia Rota in Romana clericatus S. Petri 17 novem. 1602, coram Illust. D. card. Pamphilio; Gonzalez cit. gloss. 52, n. 38 et 40. ac seqq. Quidquid nonnulli de hoc dubitaverint.

423. *Vel quando Papa apponit manum super collatione beneficii, quod narrabatur esse reservatum, et non erat reservatum.* — Deinde fallit data regula, quando Papa apposuit manum super collatione beneficii, quod narrabatur esse reservatum: nam stante falsitate talis causæ narratæ, cessat ex parte summi pontificis intentio apponendi manum, sicque nulla causatur affectio. Æneas de Falconib. ubi supra, quæst. 5. principal. *Effect.* 16. n. 2. Gonzalez cit. gloss. 52. n. 45. et alii. Atque istud generaliter esse intelligendum, ita videlicet, ut ubi appositio manus pontificiæ sequeretur ex falso præsupposito, affectio non teneat; tradit card. de Luca discurs. 23. *de Benefic.* n. 8. citans Rotam decis. 25. part. X. Recent., n. 31 et 32. hisce specialibus terminis loquentem.

424. *Limitatur quoque in beneficiis jurispatronatus laicalis ex fundatione, etc.* — Tertio limitatur eadem regula in beneficiis jurispatronatus laicalis, aut mixti, quod competit ex fundatione, ædificatione aut dotatione. Quia enim in his non solet dari expressa reservatio, cum Papa non soleat, neque etiam sine expressa mentione intendat derogare jurispatronatus laicorum, ne a piis fundationibus, ædificationibus, aut dotationibus Ecclesiarum retrahantur, ut dictum paulo superius num. 395. multominus intrabit tacita reservatio per appositionem manus pontificiæ. Petrus de Murga tract. *de Beneficiis,* quæst. 3. num. 359. Gonzalez cit. gloss. 52. n. 54. post Rotam in una Firmana beneficii, 13 maii 1596. coram Illust. D. Pamphilio, et alias sæpe. Tacentur nonnullæ consimiles limitationes, quarum universim decem enumerat Gonzalez cit. gloss. 52. n. 38. et seqq. quæ apud eumdem videri possunt. Verum occasione horum

425. *Utrum ex appositione manus Papæ inducatur affectio, quando exinde resultaret præjudicium concordatorum, v. g. Germaniæ? Sententia negativa est recepta.* — Quæritur III. Utrum ex appositione manus Papæ inducatur affectio, quando exinde resultaret præjudicium concordatorum, v. g. Germaniæ, Franciæ? Resp. I. Sententia negativa est recepta inter doctores, asserentes, quod si ex tali appositione manus pontificiæ resultaret præjudicium concordatorum, data hactenus regula sit limitanda: quia tunc nulla inducitur affectio. Siquidem Papa in concordatis expresse solet dicere, atque declarare, se nolle in posterum aliqua beneficia suæ collationi quoquo modo reservare præter ea, quæ sunt expressa in concordatis. Ita Puteus decis. 266, in una Germana Gonzalez cit. reg. 8. Cancellar. gloss. 42. n. 51, istud limitans, nisi aliud ex Papæ intentione constaret. Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *de Reservationib.* n. 35. asserens, quod in Francia, quamvis Papa apponat manum, semper ordinarius conferat, si non valet prima Papæ collatio,

nisi in mandatario, cui affectum est beneficium, per concordata Franciæ. Quod ipsum, atque fusius tradit idem Rebuffus in *Concordatis Franciæ.* tit. *de Mandatis apostolicis.* § *Declarantes.* ℣. *Jure præventionis.* ℣. *Item per collationem.* Garcias, part. IV. *de Beneficiis*, cap. IV. n. 70. allegans insuper Probum c. *Nemo.* n. 32. *de Election.* in 6. et Corrasium part. I. *de Beneficiis*, cap. VI. ad fin. quibus accedunt Murga, et Pax Jordanus, proxime citandi.

426. *Hæc procedit etiam in concordatis Germaniæ. Saltem loquendo de beneficiis vacantibus in mensibus ordinariorum.* — Resp. II. Hoc ipsum procedere in concordatis Germaniæ, per Nicolaum V. confirmatis, in terminis docet Petrus de Murga tract. *de Beneficiis*, quæst. 3, n. 360 et 282. et Pax Jordanus tom. II. *de Re beneficiar.* lib. X. tit. II. *de Beneficiis affectis.* num. 66. et 67. cum aliis, quos citant. Accedit ratio, ex tenore concordatorum Germaniæ desumpta: in illis quippe Pontifex § 4. expressis verbis declaravit, sibi placere : « quod per quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut aliam dispositionem, sub quacunque verborum forma factam, vel faciendam, » nolit impedire, quominus ordinarii Collatores vacantia in mensibus suis beneficia possint libere conferre : « reservatione, aliave quavis dispositione, auctoritate nostra factis, vel faciendis, non obstantibus quibuscunque. » Si ergo per expressam reservationem, sub quibuscunque verbis factam, vel faciendam, Papa non intendit derogare concordatis Germaniæ; idem, et quidem a fortiori, dicendum de derogatione tacita, qualis solet fieri per appositionem manus pontificiæ. Ponderando præsertim additum ly « aliave quavis dispositione : » atque subjunctam illam dictionem universalem, « Non obstantibus quibuscunque. » Nam ista dictio comprehendit omnia, et propter suam universalitatem, ad casus etiam improprios trahitur. Barbosa tract. *de Dictionib. usu frequentorib.* diction. 317. n. 3. et seqq. allegans plurimos alios.

Et hæc quidem loquendo de beneficiis, quæ vacant in mensibus collationi ordinariorum per concordata Germaniæ concessis, videntur certa : nisi forsan aliquando summus Pontifex de potestate sua absoluta, et urgentibus gravibus causis, expresse vellet derogare quoad hoc concordatis Germaniæ juxta dicenda inferius § 19. n. 537. Alioquin vero non est verisimile, sanctissimum Patrem voluisse Germanis illudere, promittendo, quod nolit eorum collationes in mensibus, alternis suæ collationi concessis impedire per expressas reservationes; bene tamen per tacitas, seu per appositionem manus suæ, contra reg. 84. jur. in 6. « Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti, » cum concordantiis. Majus dubium esse potest de appositione manus Papæ ad beneficia in mensibus pontificiis vacantia, et per sanctissimum, sive ob vitium subreptionis, sive ob inhabilitatem provisi, invalide collata. Unde

427. *An ea etiam procedat in beneficiis, quæ vacant in mensibus pontificiis, ac invalide per Papam collata fuerunt, post lapsum trium mensium?* — Quæritur IV. An etiam loquendo de beneficiis, quæ juxta concordata, præsertim Germaniæ, vacant in mensibus pontificiis, ac per Papam ob vitium subreptionis, vel inhabilitatem provisi, invalide collata fuerunt, cesset affectio beneficiorum : adeo, ut appositio manus pontificiæ non obstet, quominus post tempus in concordatis præfixum (puta, post lapsum unius trimestris, loquendo de concordatis Germaniæ) talia beneficia per collatores inferiores licite, ac valide conferri possint? Ratio dubitandi; atque affirmativam tenendi, desumitur imprimis ex auctoritate doctorum. Nam quod in casu, quo Papa mandavit conferri beneficium certæ personæ, et collatio non tenuit, potestas conferendi redeat ad ordinarium; docet Abbas c. *Inter dilectos.* num. 10. *de Excessib. Prælat.* citans Joan. Andream, et Compostellanum. Accedit Rebuffus in *Praxi benefic. de Reservationib. tam generalib. quam special.* num. 35. ubi loquens de concordatis Galliæ, inquit : « Sed non utimur in Francia : nam quamvis Papa apponat manum, semper ordinarius confert, si non valet prima Papæ collatio, nisi in mandatario, cui affectum est beneficium, per concordata Franciæ. » et infra n. 38. subjungit : « Sed istæ omnes reservationes, et manus appositiones fuere in consilio Basil. sublatæ : et hoc in Gallia servamus, ut non recipiamus reservationes, nec manus appositiones, » etc. Quod ipsum repetit idem Rebuffus « in tract. concordator. Franciæ. tit. *de Mandatis Apostolicis.* § *Declarantes.* ℣. *Jure præventionis.* vers. Item per collationem. dicens, quod per collationem nullam non dicitur Papa prævenire ordinarium quoad hoc, ut collatio ordinarii non valeat obstante collatione per Papam facta, quæ

nullo modo potest obstare ratione reservationis, quæ in regno non habet locum, » etc. Hæc ille, probans inter alia istud a simili ex eo : quia pariter citatio nulla, non inducit præventionem, l. *Si pater.* et ibi Glossa c. *Ne de statu defunctor.* et Glossa ult. in c. *Si plures. de Offic. delegat.* in 6. etc. Quod ipsum de concordatis Germaniæ, nonnulli alii auctores, ac signanter Pax Jordanus, et Murga, ubi supra, sensisse videntur; eo quod vel pro se citent Rebuffum, in hoc casu expresse loquentem; vel saltem absolute doceant, ex appositione manus Papæ non induci affectionem beneficiorum, quando inde resultaret præjudicium concordatorum.

428. *Affertur ratio dubitandi, atque sententiam affirmativam tenendi.* — Accedit ratio desumpta ex tenore concordatorum Germaniæ. Siquidem in istis § 4. sic habetur, « Quoties vero aliquo vacante beneficio in januarii — mensibus, specialiter dispositioni dictæ Sedis reservatis, non apparuerit infra tres menses a die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo apostolica auctoritate provisum fuerit, ex tunc non antea ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo libere disponere poterit. » Hæc ibi. Atqui stante invaliditate collationis papalis, ob vitium subreptionis, vel inhabilitatem illius, cui facta est, non apparet, fuisse alicui de tali beneficio provisum auctoritate apostolica infra tres menses; ergo ex tunc, vi dictorum concordatorum, potest illud conferri per ordinarium collatorem.

Minor probatur; tum quia collatio invalida, et nulla æquiparantur; siquidem « non refert, an aliquid non fiat, vel minus bene fiat. » Glossa in l. *Quoties.* ff « Qui satis dare cogantur. » Simulque ejusmodi collatio invalida, habetur pro infecta, can. *Imperiali.* 25. q. 2. juncta reg. 64. jur. in 6; tum quia, quod nullum est, nullum producit effectum, c. *Illud.* 8. *de Jurepatronat.* Barbosa, Axiomat. 164. n. 1. citans alios; sicque per collationem invalidam, non censetur cuipiam provisum de beneficio. Atqui relata concordata Germaniæ expresse concedunt collatoribus ordinariis, conferre beneficia in mensibus pontificiis vacantia, quando de illis infra tres menses necdum « provisum fuerit. » Ubi ponderandum est ly, « Provisum : » nam, quod in jure « verba cum effectu accipienda sint, » textus est expressus in c. *Relatum.* 4. *de Cleric. non resident.* junctis concordantiis a Glossa ibid. ℣. *Cum effectu;* relatis.

429. *Et respondetur ad objectiones.* — Quod si quis contra hanc sententiam objiciat. « Omnia, et singula beneficia ecclesiastica, » per appositionem manus pontificiæ remanent semper effecta, juxta Extravag. *Ad Romani.* h. t. inter commun. cujus verba n. 414. referuntur : ergo hoc ipsum procedit de beneficiis, quæ vacant in mensibus pontificiis, juxta concordata Germaniæ, eisque Papa manum apponit per collationem invalidam : nam istud convincere videtur dictio illa universalis, « Omnia et singula beneficia, » etc. Responderi potest primo, retorquendo argumentum. Quia, si quid probaret data instantia, pariter sequeretur, quod Papa libere, ac de sua potentia ordinaria, salvisque concordatis Germaniæ, possit tacite, sive per solam appositionem manus suæ, reservare sibi « omnia, et singula beneficia, » etiam in mensibus Collatorum inferiorum, puta februarii, aprilis, etc. vacantia : idque propter dictionem illam universalem, « Omnia et singula, » etc. Atqui istud repugnat concordatis Germaniæ, juxta dicta n. 426. Responderi potest secundo neg. seq. Quia notissimi juris est, quod Legi generali (puta, cit. Extravag. *Ad Romani*, h. t.) derogetur per specialem (puta, per concordata Germaniæ) hæcque illam limitet, atque distinguat : nam « in toto jure generi per speciem derogatur : et illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est; » prout dicitur l. *In toto jure.* ff. de reg. jur. et c. *Generi.* eod. in 6. cum concordantiis.

Et si ulterius quis objiciat. Quando Papa nulliter confert beneficium in mensibus sibi per Regulas Cancellariæ reservatum, ita afficitur beneficium illud per dictam manus Papæ appositionem, ut nullus collator ordinarius in mensibus subsequentibus possit istud conferre : beneficium enim semel affectum, semper remanet affectum, cit. Extravag. *Ad Romani.* h. t. inter. commun. Ergo pariter, si Papa nulliter conferat beneficium in mense sibi per concordata Germaniæ reservato, tale beneficium ob appositionem manus Papæ manebit semper affectum; sicque illud in mensibus subsequentibus, nunquam poterit per collatorem inferiorem conferri. Responderi poterit, transmisso Antecedente, negando consequentiam, et paritatem. Quia beneficia vacantia in mense pontificio juxta concordata Germaniæ, sunt reservata duntaxat ad certum tempus, videlicet ad trimestre : postea enim concedi videtur expressa

collatoribus inferioribus facultas eadem conferendi, conformiter hactenus dictis. E contra vero beneficia vacantia in mense pontificio juxta regulas cancellariæ, sunt perpetuo reservata : nullibi enim Papa concedit in eisdem collatori inferiori facultatem, ut possit illa post certum tempus elapsum conferre. Verum his non obstantibus.

430. *Sententia negativa non solum videtur probabilis, sed vera, et in praxi merito tenenda.* — Resp. I. Opposita sententia, videlicet negans, in dicto casu cessare affectionem beneficiorum ex appositione manus pontificiæ, juxta concordata Germaniæ, non solum videtur probabilior, sed etiam vera, atque in praxi merito retinenda. Ratio fundamentalis desumitur ex sæpe cit. Extravag. *Ad Romani* h. t. inter commun. ubi universaliter habetur, quod « Beneficium semel affectum, semper manet affectum. » Atqui ab hac regula nullibi reperiuntur excepta beneficia, in mensibus pontificiis juxta concordata Germaniæ vacantia, et per Papam intra trimestre nulliter collata; ergo. Minor, in qua sola potest esse difficultas, probatur refutando singillatim rationes prioris sententiæ. Imprimis enim, quantum attinet auctoritatem doctorum, Rebuffus, ubi supra, non facit ad rem : quia non loquitur de concordatis Germaniæ, sed de consuetudine Galliæ; uti patet ex relatis n. 427. verbis ipsius : « Sed non utimur in Gallia, etc. Et hoc in Gallia servamus, etc. Quæ in regno non habent locum, » etc. Hæc enim consuetudo deinde confirmata fuit per concordata Galliæ, teste citato Rebuffo : quod tamen nequit cum fundamento dici de concordatis Germaniæ. Unde nec probant Pax Jordanus, et Murga, ubi supra, utpote minus caute secuti Rebuffum : nisi placeat isto intelligere de beneficiis vacantibus in mensibus ordinariorum, juxta dicta n. 425 et 426. nam de aliis expressam mentionem non faciunt. Quod si de aliis quoque beneficiis intelligendi forent; aut quidam alii auctores contrariam sententiam expresse tenerent; opponeretur ipsis stylus Curiæ, atque auctoritas Doctissimorum, et in materia concordatorum Germaniæ practicorum virorum Romæ degentium, et pro hac posteriori sententia stantium, juxta dicenda n. 432. ubi simul adducitur declaratio Gregorii Papæ XIII.

431. *Solvuntur contraria.* — Neque urget ratio n. 428. in contrarium allata : negatur enim minor. Ad cujus probationem, seu quod collatio invalida, et nulla (seu non facta) æquiparentur; et quod collatio invalida, habeatur pro infecta, cum similibus : respondetur, hujusmodi axiomata non procedere universaliter, seu plures pati limitationes, atque instantias. Sic quippe, ubi electio ad beneficium vacans intra trimestre, vel respective semestre, nulla fit, devolvitur potestas eligendi ad superiorem : c. *Ne pro defectu.* 41. *de Election.* et c. *Nulla.* 2. *de Concession. Præbend.* cum similibus. Secus, si electio fiat, sed invalide ob occultum vitium, tunc enim habebunt Electores novum tempus ad eligendum, text. clar. c. *Si electio.* 26. *de Election.* in 6. Similiter, quando nulla præcessit electio, libere potest celebrari electio : secus, quando facta est electio, sed talis, de cujus valore dubitatur; tunc enim non valet posterior electio celebrata ex intervallo, etiamsi prior postmodum declaretur fuisse irrita, et invalida, c. *Auditis.* 29. juncta Glossa ℣. *Irritandum de Election.* Ulterius matrimonium inter consanguineos, vel voto solemni castitatis adstrictos scienter contractum, etsi nulliter ac invalide, ipso facto inducit excommunicationem, Clem. un. *de Consanguinit. et affinit.* Secus, si non fiat tale matrimonium. Idemque dicendum de pluribus aliis casibus, in quibus factum invalide, neutiquam æquiparatur non facto; et res invalide gesta, non habetur pro re infecta, imo varias inducit pœnas, vel inhabilitates, aut alios effectus, v. g. Affectionem beneficii, loquendo quoad casum propositum.

Itaque in forma respondendo ad allata axiomata, opus est distinctione. Quia vel omnimoda paritas intervenit in non facto, et in nulliter seu invalide facto; procedunt præfata axiomata : vel diversa militat ratio in uno, aut altero eorum; et non habent locum. Card. de Luca litt. P. concl. 87. n. 14, post Castrensem, consil. 161. lib. I. et alii. Atqui, quantum attinet ad propositum, diversissima ratio militat inter casum, quo non apparet infra tres menses a die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo Apostolica auctoritate provisum fuerit : et inter casum, quo apparet, taliter cuipiam provisum fuisse, sed invalide. Hic quippe apparet, Papam apposuisse manum collationi talis beneficii; sicque subintrat dispositio juris communis, c. *Ut nostrum.* 56. *de Appellation.* et c. *Si eo tempore.* 45. *de Election.* in 6. et cit. Extravag. *Ad Romani.* h. t. inter

commun. Ibi e contra nullatenus apparet de tali appositione manus pontificiæ, quinimo constat, talem non esse factam. Unde patet imbecillitas datæ probationis : nam quod argumentum a simili, vel pari, fragile sit, atque infirmum, et prosternatur una adducta dissimilitudine, jam dictum est supra lib. I. tit. II. *De Constitutionibus*. § 16. n. 414.

432. *Eadem sententia confirmatur ex bulla Gregorii XIII, auctoritate practicorum, et stylo Curiæ romanæ. Dictio non obstantibus quibuscunque, est universalis. Non refert; an aliquid non fiat, sed minus bene fiat : et quando.* — Accedit constitutio 41. Gregorii XIII. *quæ in Ecclesiam* (et habetur tom. II. *Bullar. roman.*) ubi idem Pontifex § 2. declarat, quod collatores ordinarii Germaniæ, virtute concessionis Nicolai Papæ V. post lapsum trium mensium a die notæ vacationis, non possint conferre beneficia vacantia, vel vacatura, « de quibus intra dictum tempus trium mensium per Romanum Pontificem, ac dictam Sedem (apostolicam) qualiscunque gratia, vel dispositio, aut concessio facta fuerit. » Ubi ponderandum est ly « Qualiscunque : » nam hæc dictio est universalis, atque comprehendit omnem modum (sicque etiam dispositionem Papæ invalidam ob subreptionem, vel inhabilitatem impetrantis) non minus, ac dictio illa, Quoquo modo : prout notat Barbosa, tract. *de Dictionib. usufrequent.* Dict. 299. et 300. n. 2. citans alios; atque istud desumet ex l. *Penes.* ff. *de Verb. signif.* Et hinc mirandum non est, quod in facti contingentia (de qua mihi bene constat) super præsenti quæstione consultus Illustrissimus, et Reverendissimus DD. Columna, decanus Cancellariæ apostolicæ, in favorem hujus posterioris sententiæ responderit : quod ipsum senserunt duo primarii advocati Romani, concordatorum Germaniæ apprime gnari. Concordant stylus Curiæ Romanæ : nam in allegata facti contingentia, cum Præbendam in mense pontificio vacantem Papa infra trimestre cuipiam contulisset, sed invalide ob canonicum defectum recipientis : non obstante collatione postmodum per inferiorem collatorem alicui alteri facta, et mota desuper lite, Papa eamdem præbendam denuo contulit, et quidem addita ea clausula, quod ipsam nemo præter Romanum Pontificem ea vice conferre potuerit. Quod ipsum in aliis quoque casibus observatum fuisse intellexit, ut proinde de veritate posterioris, seu negativæ sententiæ in conclusione contentæ, vix amplius remaneat dubitandi locus : nam ad alias rationes, nec non objectionum solutiones prioris sententiæ, promptum est respondere conformiter hactenus dictis.

§ XV.

DE BENEFICIIS APUD SEDEM APOSTOLICAM SEU IN CURIA VACANTIBUS, ALIISQUE COLLATIONI PAPÆ SPECIALITER RESERVATIS.

433. *An idem sit, beneficium vacare apud Sedem apostolicam, vel in curia? Ista solent pro synonymis haberi.* — Quæritur I. An idem sit, « Beneficium vacare apud Sedem apostolicam, vel in curia ? » Resp. I. Licet vacationes beneficiorum « apud Sedem apostolicam, et in Curia, » pro synonymis haberi soleant, ac promiscue unum pro alio dici, præsertim in materia reservationum : stricte tamen, ac proprie loquendo, non nihil differunt. Priorem partem tradit Glossa in c. *Statutum.* 3. ℣. *In curia.* h. t. in 6. asserens, quod « idem est dicere, in Curia, quod apud Sedem apostolicam. » Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. I. n. 68. 69. et seqq. citans plures alios. Card. de Luca post discurs. 100. *de Beneficiis, seu in Beneficiorum Summa.* § 4. n. 34. dicens, quod pro synonymis ac omnes vere effectus hujusmodi vacationes « in Curia, et apud Sedem, » haberi soleant; atque simul confundi, præsertim vero quoad effectum reservationis. Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. gloss. 13, n. 63. dicens, ita habere communem modum loquendi : et alii. Idque desumitur ex cap. II. *de Præbend.* in 6. ubi Pontifex « Beneficia apud Sedem apostolicam vacantia, » in progressu appellat beneficia in Curia Romana vacantia.

434. *Proprie tamen loquendo differunt : et in quo?* — Alteram vero partem, seu quod proprie loquendo non nihil differant, tradit Ludovic. Gomez in *Regulas Cancellariæ*. reg. *De triennali possessore*, quæst. 31. circa princip.; Covarruvias, *Practic. quæst.* cap. XXXVI. n. 4. vers. *Cæterum.* Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 57. n. 24; Gonzalez cit. gloss. 13. n. 48. et seqq. Engel, h. t. n. 9. et alii. Ratio est : quia latius patet, « Beneficia vacare in Curia, quam vacare apud Sedem, » omnia enim beneficia vacantia apud Sedem, censentur etiam vacare in Curia; non tamen e contra. Siquidem, ut notat Covarruvias, et Gomez, ubi supra, et Bar-

bosa cit. n. 24. circa fin. illa Beneficia proprie dicuntur vacare apud Sedem apostolicam, quæ vacant per verum obitum beneficiarii, contingentem vel in ipsa Curia Romana, juxta cap. II. h. t. in 6. vel saltem inter duas dietas, juxta c. *Præsenti*. 34. eod. in 6. E contra vacatio beneficiorum in Curia, non solum comprehendit beneficia per verum obitum vacantia apud Sedem apostolicam, ut dictum; sed etiam illa, quæ vacant apud eamdem ficte : puta, per renuntiationem a Papa, vel ejusdem auctoritate admissam; item per depositionem, privationem, vel translationem, etc. auctoritate Papæ factam, et aliis hujusmodi modis, de quibus fit mentio in Extravag. *Ex debito. de Election.* inter Commun. et Extravag. *Ad regimen.* h. t. inter commun. et alibi.

435. *Vacatio apud Sedem potest dupliciter intelligi, proprie, et improprie.* — Fatendum tamen, quod hæc ipsa differentia gravem patiatur instantiam ex cit. Extravag. *Ex debito.* § *Hujusmodi.* Ibi quippe Pontifex ex professo declarat, quod « Beneficia Ecclesiastica per mortem, vel depositionem, ac privationem eorum, qui ea obtinerent, per electionum cassationem, postulationum, repulsionem, renuntiationem quorumlibet — canonice vacare apud Sedem intelligantur præfatam, » seu apostolicam : et tamen in horum posterioribus modis non intervenit vacatio per verum obitum, seu mortem naturalem. Verum de terminis non expedit multum disputare. Aut, si placet, dicatur conformiter Gomezio, ubi supra, vers. *Et ideo*, quod « Vacatio apud Sedem » possit intelligi dupliciter. Primo modo, proprie : et tunc vacatio apud Sedem intelligitur de illa, quæ fit per obitum, juxta cap. II. h. t. in 6. Secundo modo, improprie: et tunc vacatio apud Sedem capitur pro quacunque vacatione in Curia, sicque *Vacatio apud Sedem*, et *Vacatio in Curia* pro eodem capiuntur.

436. *Reservatio beneficiorum apud Sedem apostolicam vacantium, est antiquissima.* — Quæritur II. Unde et cur reservatio beneficiorum apud Sedem apostolicam, seu in Curia vacantium, fuerit introducta? Resp. I. Inter beneficia ecclesiastica, peculiariter collationi solius Papæ reservata, præcipua, simulque antiquissima reservatio est eorum beneficiorum, quæ apud Sedem apostolicam vacant per obitum seu mortem naturalem beneficiariorum ibidem decedentium. Ita communis; et habetur clare expressum in c. *Licet*. 2. h. t. in 6. illis verbis : « Licet Ecclesiarum, personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere; ita quod non solum ipsa, cum vacant, potest de jure conferre, verum etiam jus in ipsis tribuere vacaturis : collationem tamen ecclesiarum, personatuum, dignitatum, et beneficiorum apud Sedem apostolicam vacantium specialius cæteris antiqua consuetudo Romanis Pontificibus reservavit. Nos itaque, » etc. subjungendo expressum omnium beneficiorum apud Sedem eamdem in posterum vacaturorum reservationem; et quidem sub clausula irritante, si secus a quoquam actum, seu attentatum fuerit : « Nisi ei sit super conferendis eisdem in Curia Romana vacantibus specialis, et expressa ab ipso Pontifice Summo auctoritas attributa. » Hæc ibi.

437. *Atque olim mera consuetudine observabatur.* — Additur notanter in data conclusione, « simulque antiquissima, » sive, ut Clemens IV. in relato textu, pro suo jam tempore loquens, aiebat : « Antiqua consuetudo. » Olim quippe non extabat jus scriptum de tali reservatione, sed ante emanatam illam decretalem, seu promulgationem memorati c. *Licet*. 2. h. t. n. 6. mera antiqua consuetudine observabatur, ut beneficia, apud Sedem apostolicam per obitum vacantia, conferrentur a solo Romano Pontifice. Nunc autem successit jus scriptum, sub dicta tamen limitatione « specialis, atque expressæ concessionis Pontificiæ. » Glossa cap. ultim. ℣. *Vacantib. de Consuetud.* in 6. Gonzalez, ad reg. 8. Cancell. Gloss. 13. n. 30. et alii.

438. *Et cur?* — Resp. II. Congruentia dictæ antiquissimæ consuetudinis, sicut et reservationis beneficiorum in Curia vacantium, videtur esse, quam refert Æneas de Falconibus, cit. tract. *de Reservat. benefic.* quæst. 4. principal. effect. 6. n. 4. Quia videlicet Beneficia vacantia apud Sedem apostolicam, seu in Curia, sunt de foro proprio Papæ, et ideo speciali quadam prærogativa sibi reservata : cum ratione rerum ibidem expediendarum, atque personarum pro suis negotiis curiam accedentium, aut in ea existentium, specialis quædam acquiratur jurisdictio, arg. cap. ultim. § 1. *Petit. de Offic. archidiac.* et c. *Postulasti*. 14. et cap. ult. *de Foro compet.*

439. *Beneficia apud Sedem apostolicam vacantia, post lapsum unius mensis, possunt con-*

ferri per inferiores. — Quæritur III. Utrum post lapsum unius mensis, beneficia apud Sedem apostolicam vacantia, possint conferri per inferiores? Resp. I. Præmissis non obstantibus, si Romanus Pontifex ejusmodi beneficia ecclesiastica apud Sedem præfatam vacantia, intra mensem, a die vacationis computandum, non contulerit, tunc ordinarii, ad quos cæteroquin illorum collatio pertinet, poterunt ea conferri; sed tantummodo per se ipsos, aut ipsis absentibus per suos vicarios generales, speciale mandatum ad istud habentes. Ita textus expressus in c. *Statutum.* 3. h. t. in 6. ubi Gregorius X. in concilio generali Lugdunensi ita moderandam decrevit decretalem Clementis IV. quæ habetur cit. c. *Licet.* 2. eod. in 6. Idque factum est, ne alioquin beneficia ecclesiastica (forte, ob ignorantiam subjectorum qualificatorum, quibus ex per Papam conferenda forent) diutius vacarent; et carentes legitimo administratore, in spiritualibus, ac temporalibus rebus interim paterentur detrimentum. Vivianus in *Rationali.* ibid. Quanquam de revocatione hujus capituli controvertant doctores, juxta dicenda in objectione.

440. *Mensis iste est computandus a die vacationis, non notitiæ.* — Dicitur autem, « intra mensem, a die vacationis computandum : » sive ut ibidem sonat textus, « Demum post mensem a die, quo dignitates, seu beneficia ipsa vacaverunt, numerandum, ea conferre valeant. » Siquidem istud fuit statutum in favorem ecclesiarum, ne diutius vacarent, non vero in odium, sive ob negligentiam Papæ omittentis conferre beneficium vacans. Unde, si toto mense non sciret Papa, vacare beneficium aliquod apud Sedem suam, adhuc elapso mense posset illud conferri per collatorem inferiorem.

441. *Solvitur instantia contra hoc ultimum.* — Nec obstat c. *Licet.* 3. *de Supplend. negligent. Prælat.* et cap. II. *de Concession. præbend.* et c. *Quia diversitatem.* 5. eod. ubi tempus semestre, quod de jure concessum est ad collationem beneficiorum inferiorem, « non a vacatione, sed a notitia » computandum dicitur. Resp. enim, disparitatem esse : quia ibi tempus semestre principaliter est præfixum in odium negligentium conferre; unde merito computandum dicitur a die notitiæ de vacatione beneficii, cum ignorans alicujus desidiæ, seu negligentiæ argui non possit : nam is, qui nescit, potestatem experiendi non habet, l. *Annus.* ff. *de Calumniatoribus.* et l. *Cum sex menses*, *de Ædilitio edicto.* Secus in casu nostræ conclusionis : ubi tempus unius mensis ad conferendum, non in odium Papæ, seu ad puniendam ejus negligentiam, sed ob favorem ecclesiarum statutum fuit, ut dictum; ac notat Glossa in cit. c. *Statutum.* ℣. *Numerandum.* h. t. in 6. et Vivianus, ubi supra. Eo præsertim, quia hic Papa statuens, contra se statuit : et si voluisset, potuisset expressisse tempus notitiæ, non vacationis.

442. *Potest Papa etiam post mensem conferre beneficia apud Sedem vacantia, dummodo res adhuc sit integra.* — Resp. II. Nihilominus præfata restrictio ad mensem non omnino excludit Papam, quominus post mensem possit conferre beneficium vacans apud Sedem apostolicam, dummodo res sit integra : hoc est, dummodo beneficium illud necdum per inferiorem fuerit alicui collatum. Ita Barbosa in *Collectan.* ad cit. c. *Statutum.* n. 7, h. t. in 6. et part. III. *de Offic. et potest. Episc.* allegat. 57. n. 24. post Missobrium « in Praxi habendi concursum, » requis. 7. dub. 49. Unde post elapsum mensem a die vacationis (constantem triginta diebus, diem tamen vacationis non computando in mense, propter additum ly, « a die; » ac notat Glossa ibid. ℣. *Numerandum*) potest quidem collator inferior ejusmodi beneficium conferre; sed ita, ut re integra etiam Papa illud conferre valeat, sicque detur locus præventioni, arg. c. Si a sede. 31. juncta Glossa ℣. *Nec appareat.* h. t. in 6.

443. *In aliis beneficiis collationi Papæ reservatis, nullum tempus est a jure præfixum Papæ ad conferendum.* — Porro ea, quæ nunc dicta sunt de lapsu unius mensis, procedunt solummodo de beneficiis apud Sedem apostolicam vacantibus; non autem de beneficiis alio modo, sive ex alia causa reservatis collationi Papæ : hæc enim quocunque tempore possunt a Papa conferri, cum ipsi nullum tempus a jure reperiatur determinatum. Barbosa, ubi supra. Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. § 5. *Proœm.* n. 143. Garcias, *de Beneficiis*, part. V. cap. I. n. 97. citans alios. Unde ad conferenda alia Beneficia Papæ reservata nullo unquam tempore collator inferior poterit esse intromittere, nisi id in jure reperiatur expressum.

444. *Exceptis duobus casibus, in c. Si apostolica, 35, de Præbend., in 6, expressis.* — Et additur, « nisi id Jure reperiatur expressum. » Nam, præter casum jam relatum ex

c. *Statutum*. 3. h. t. in 6. dantur duo alii casus jure expressi, in quibus collator inferior potest conferre beneficia apud Sedem apostolicam vacantia. Primus est : quando Sede apostolica vacante contingit vacare ecclesias aliquas parochiales : tunc enim, ne diuturna ipsarum vacatio periculum valeat animabus afferre, concessum est collatoribus ordinariis easdem conferre per textum expressum in c. *Si Apostolica*. 35. h. t. in 6. Secundus est, quando eædem parochiales ecclesiæ vacant vivente Papa, qui tamen de ipsis ante obitum suum nihil ordinavit : tunc enim post mortem ejus statim per collatorem inferiorem conferri possunt, etiam necdum elapso primo mense. Textus, et Glossa fin. cit. c. *Si Apostolica*. eod. in 6. Tacentur concordata Germaniæ, vi quorum collatores inferiores possunt conferre beneficia Papæ reservata, si de his intra trimestre nulli per Papam fuerit provisum : verum hæc non sunt de Jure communi.

445. *An c. Statutum*, 3, *de Præbend.*, *in* 6, *sit revocatum per Extravag. piæ sollicitudinis eod. inter commun. variant doctores.* — Objicies contra secundam conclusionem. Sæpe citatum c. *Statutum*. 3. h. t. in 6. est renovatum per Extravag. *Piæ sollicitudinis*. h. t. inter commu. ergo nulla conclusio. Resp. Antecedens probabilius esse negandum. Licet enim Joan. Andreas, in eod. c. *Statutum*. n. 1. vers. *Valeant;* Gomez, in reg. *de Triennali possessore*, quæst. 31, circa princip.; Gonzalez, ad reg. 8. Cancell. § 5. *Proœm*. n. 148. et 152. citans Rotam decis. 12. ante n. 1. *de Præbend*. in novis. et plures alios, teneant, quod citatum c. *Statutum*. h. t. in 6. fuerit renovatum per dictam Extravag. *Piæ sollicitudinis*. eod. inter commun. Merito tamen de tali revocatione dubitant Æneas de Falconibus, in d. tract. *de Reservation. benefic*. quæst. 4. princip. *Effect*. 6. n. 2; Garcias, part. V. *de Beneficiis*. cap. I. n. 99; Barbosa, in *Collectan*. ad cit. c. *Statutum*. n. 2, h. t., in 6; Pirhing, h. t. n. 332. et alii plures, quos allegat. Accedit ratio, quia dicta Extravag. *Piæ sollicitudinis*, edicta fuit a Bonifacio VIII. et quidem primo anno sui pontificatus, 3. *Non. maii;* uti patet in data dictæ Extravagantis. Unde, quia idem Bonifacius VIII. postea primum, sive anno quarto pontificatus sui, *Nonis maii*, edidit compilationem Sexti decretalium, nec tamen eidem inservit citatam Extravag. *Piæ sollicitudinis* : signum est, ipsum noluisse istam Extravagantem habere vim aliquam contra sæpe dictum c. *Statutum*. 3. h. t. in 6. utpote edictum in concilio generali Lugdunensi : alioquin procul dubio eamdem memoratæ suæ capitulationi inservisset. Confirmatur hoc ipsum ex eo, quod idem Pontifex in Proœmio *Sexti Decretalium*, juncta Glossa ỳ. *Refutari*, in posterum refutandas dicat decretales suorum prædecessorum, quæ dicto Sexto Decretalium non reperiuntur insertæ.

446. *Utrum illud saltem fuerit revocatum per Extravag. ad regimen, eod. inter communes.* — Dices cum Garcia d. part. V. cap. I. n. 100. et aliis, quod citat, memoratum c. *Statutum*. h. t. in 6. saltem postea fuisse revocatum per Extravag. *Ad regimen*. 13. h. t. inter commun. quæ fuit edita per Benedictum XI. anno Domini 1335. atque in regulis Cancellariæ, reg. 1. per summos Pontifices innovari consuevit; eo quod in ipsa reserventur collationi solius Romani Pontificis omnia, et singula beneficia ecclesiastica, apud Sedem apostolicam, seu in curia vacantia; addito decreto irritante, et clausula illa generali : « Non obstantibus quibuscunque constitutionibus a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus editis, quatenus obsistere possent, » etc. Resp. Etiam de hac revocatione sufficienter non constare : quin potius, ut notat Vivianus in *Rational*. ibid, et Pirhing, h. t. n. 332. dicta Extravagans est intelligenda, atque limitanda secundum restrictionem, seu declarationem factam in prioribus decretatibus (hoc est, in c. *Statutum*. 3. et c. *Si Apostolica* 35. h. t. in 6.) non vero censetur eas revocare; tum, ut evitetur correctio jurium, quantum fieri potest, juxta c. *Cum expediat*. 29. *de Election*. in 6; tum quia in cit. Extravag. *Ad regimen*, reservantur quidem collationi Papæ beneficia apud Sedem apostolicam vacantia, sed generaliter solum : non vero ibidem in specie negatur, eadem post mensem, atque in duobus casibus n. 444. jam expressis, posse conferri per collatores ordinarios; ne alioquin Ecclesiæ ex diuturniori vacantia detrimentum patiantur. Unde, quia hic agitur de favore ecclesiarum, neque iste reperitur clare revocatus, non oportet asserere, quod dicta Extravagans, *Ad regimen*. revocaverit priores decretales; sed potius ea videtur limitanda juxta cit c. *Statutum*. et c. *Si apostolica*. h. t. in 6. Nam, quod lex posterior generalis limitetur per priorem specialiter loquentem, probat reg. 34. jur. in 6. « Ge-

neri per speciem derogatur. » estque ex professo dictum supra lib. I. tit. II. *De Constitutionibus*. § 19. 496. et 497. (ADNOTATIO LV.)

447. *Beneficia apud Sedem apostolicam vacantia, et collationi Papæ reservata, juxta c. Præsenti*, 34, *de Præbend. in* 6. *quæ? Loca vicina Curiæ romanæ, quæ?* — Quæritur IV. Quid dicendum de reservatione beneficiorum vacantium in curia, juxta c. *Præsenti*, *de Præbend.* in 6? Resp. Inter beneficia Ecclesiastica apud Sedem apostolicam, seu in curia vacantia, et proinde collationi solius Romani Pontificis reservata, potissimum numerantur ea, quæ referuntur in c. *Præsenti*. 34. h. t. in 6. edito ad declarationem, cap. *Licet*. 2. eod in 6. et sunt sequentia. Primo, collationi Papæ reservantur « Beneficia, quæ legati, aut nuntii Sedis apostolicæ, vel quivis alii (sive curiales fuerint, sive non; ut explicat Glossa Ibid. ℣. *Alii*, communiter recepta) ad Romanam Curiam, venientes, vel etiam recedentes ab ipsa, obtinere noscuntur, si eos in locis vicinis ipsi Curiæ mori contingat: quemadmodum si in loco, ubi eadem Curia residet, morerentur. » Hæc ibi : paulo post, sive § *Loca*, subjungendo, quod « Loca intelligantur vicina eidem Curiæ in præmissis, quæ remota ultra duas dictas legales a loco, ubi moratur ipsa Curia, non existunt. »

448. *Quid juris, si curia de loco in locum mutetur?* — Additur in relato textu, « ad Romanam Curiam venientes, vel recedentes ab ipsa : » quod intellige, ratione negotiorum ibidem tractandorum, vel litis prosequendæ causa. Nam si quis aliis de causis Romam accesserit, aut existat in loco illo, ubi reperitur Curia, et ibi moriatur : puta, si Curia Romana de loco in locum mutetur, v. g. Avenionem in Gallia, beneficia ibidem per obitum talis clerici vacantia, non censebuntur reservata collationi Papæ : nisi clericus ille decedens « Curialis esset antea, et ibidem occasione Curiæ moraretur : » prout expresse declaratur in cit. c. *Præsenti*. § *Sane* h. t. in 6. Nec immerito; alioquin enim nimis grave præjudicium inferretur loco, ubi degit Curia, si omnia beneficia ibidem vacantia possent per solum Papam conferri, atque ob nudam Curiæ suæ præsentiam collationi Papæ reservarentur; prout notat Glossa ibid. ℣. *Moraretur* Pirhing, h. t. n. 333. et alii.

449. *Curialium beneficia censentur vacare in curia, dummodo eorum curialitas fuerit continuata ad mortem, etc.* — Deinde inter beneficia vacantia in curia, veniunt beneficia curialium, seu qui Papæ, aut cardinalibus, sive officialibus Romanæ curiæ inserviunt : dummodo horum curialitas fuerit continuata usque ad mortem : prout præsumitur continuata, nisi probetur mutata. Barbosa cit. c. *Præsenti*. n. 4, h. t. in 6. cum aliis. Siquidem curialium beneficia non solum censentur vacare in curia, quando in actuali ejus servitio moriuntur : sed insuper id contingit, « si quis ipsorum (etiam Ecclesia Romana vacante) peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, seu alia quavis causa, ad locum curiæ secedens, in hujusmodi loco vicino decedat : dummodo ibi (etiamsi erat ad ipsam curiam reversurus) ejus domicilium, seu domus propria non existat. » Ita textus in d. c. *Præsenti*. h. t. in 6.

450. *Etiamsi translata curia. Moriantur in itinere, vel infirmi remanserint, etc.* — Tandem hoc ipsum cit. c. *Præsenti*. § Porro. h. t. in 6. extenditur ad beneficia curialium, qui translata curia eam sequentes, in itinere moriuntur; aut qui in loco, unde recessit curia, remanserunt infirmi, ac postmodum decedunt : nam horum beneficia censentur pariter vacare in curia, nec nisi per Papam conferri possunt. Sic enim loquitur textus ibidem : « Porro, cum curiam de loco ad locum transferri contigerit : si curiales in itinere (dum curiam sequuntur eamdem) vel in loco, unde recedit curia, remanentes infirmi rebus inibi eximuntur humanis, præmissum statutum (quantumcunque locus, ubi decedunt, ab ipsa curia sit remotus) ad illorum beneficia se extendit. » Hæc ibi. Quod ut melius intelligatur.

451. *Curia romana, ubinam conseatur existere?* — Quæritur V. Ubinam Curia Romana, in ordine ad colligendam exinde reservationem beneficiorum, conseatur existere? Resp. I. Curia Romana, quantum ad propositum, ibi censetur esse, ubi est Papa cum Cancellaria, et tribunalibus, et officialibus suis, quos ad regimen Ecclesiæ adhibet. Ita Covarruvias, *Practic. quæst.* cap. IV, n. 10; Garcias, part. V. *de Benefic.* cap. I. n. 391. et seqq; Pirhing, h. t, n. 334; Engel, eod. n. 10; Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. Gloss. 13, § 1, n. 2, citans plures alios.

452. *Quid, si solus Papa aliorsum proficiscatur, relicta Romæ Cancellaria?* — Resp. II. Quod si solus Papa aliorsum proficiscatur, relicta Romæ Cancellaria, et tribunalibus (prout Clemens VIII. anno 1598.

Ferrariam profectus fuerat) non dicitur transferri curia, arg. Clem. *Ne Romani.* § *Sane cum.* ỳ. *Et tamen adjecto. de Election.* Garcias, loc. cit. n. 392. Nihilominus quoad effectum reservationum beneficiorum, tunc in utroque loco dicitur esse curia, Ferrariæ quidem in suo capite, et Romæ in suo corpore : adeoque beneficia venientium ad curiam, et morientium in uno dictorum locorum, vel intra duas dietas legales ab eo, juxta c. *Præsenti.* 34. h. t. in 6. censentur vacare in curia : suntque collationi solius Papæ reservata. Et in facti contingentia declaravit alter memoratus Clemens VIII. in sua constitutione 54. quæ incipit, *Cum ob nonnullas;* atque refertur tom. III. *Bullarii Romani.* Garcias, et Pirhing, ubi supra, et alii : quanquam quoad hoc esse attendendum stylum curiæ, et cancellariæ apostolicæ, qui pro diversitate temporum nonnunquam variatur, moneat Engel, h. t. n. 10.

453. *Dieta legalis, quæ?* — Cæterum per *Dietam legalem*; de qua proxime facta est mentio, intelligitur iter unius diei, computando viginti milliaria italica pro die, l. *Vicinna millia.* ff. « si cuis cautionibus, » etc. Glossa in cit. c. *Præsenti.* ỳ. *Legales.* h. t. in 6; Engel, h. t. n. 10. asserens, quod viginti milliaria Italica faciant quatuor, vel ad summun quinque milliaria Germanica : ac proinde duæ dietæ legales constituant quadraginta milliaria Italica, seu octo aut decem Germanica.

454. *Quæ alia beneficia, spectato jure communi, sint Papæ reservata?* Extravag. *Ex debito. de Election. inter commun. fuit solummodo temporalis.* — Quæritur VI. Quæ alia beneficia, spectato jure communi, specialiter collationi Papæ sint reservata? Resp. I. Etsi in Extravag. *Ex debito. de Election.* inter commun. plura beneficia suæ collationi reservaverit Joannes Papa XXII. tamen dicta Extravagans fuit solummodo temporalis, atque cum suo conditore expiravit. Ita patet ex verbis ejusdem Papæ, ibidem reservantis sibi beneficia, « Donec Christi dignatio non dignabitur universalis ecclesiæ sponsæ suæ regimini præsidere : » ac notat Barbosa, in *Collectan.* ibid. n. 2. et Garcias, part. V. *de Benefic.* cap. I. n. 85. citans alios. Unde de hac superfluum foret plura dicere.

455. *et* 456. *Per* Extravag. *Execrabilis, Joan. XXII, quæ beneficia reserventur?* — Resp. II. Per Extravag. *Execrabilis*, Joann. XXII. quæ refertur tum inter Extravagantes ejusdem Joann. XXII. tum inter commun. sed sub diversis Glossis, reservantur circa finem ipsius, sive in § *Qui vero deinceps*, quædam beneficia collationi Papæ : videlicet ea, quæ post præhabitam dignitatem, personatum, officium, aut aliud beneficium recipiuntur, nec tamen prius beneficium (quod ipso jure per pacificam receptionem posterioris vacare dignoscitur) absque moræ dispendio, in manibus ordinariorum dimittitur. Tunc enim, qui præsumpserint retinere primum cum secundo, ipso jure etiam secundo privati existunt; atque ad sacros ordines suscipiendos, et ad habendum quodcunque beneficium inhabiles reputantur : simulque « omnia et singula beneficia vacatura, ut præmittitur (hoc est, vacatura ipso jure ex constitutione illius constitutionis, ut explicat Glossa ỳ. *Vacatura;* videlicet, vacatura propter illicitam retentionem alterius prioris beneficii incompatibilis) Sedis apostolicæ dispositioni reservantur. »

Dicitur notanter in data explicatione Glossæ, « videlicet, vacatura propter illicitam retentionem alterius prioris beneficii incompatibilis. » Nam in cit. Extravag. *Execrabilis*, Joann. XXII, non reservatur collationi Papæ prius beneficium (hoc enim foret contra c. *De multa.* 28. h. t. ubi ejusmodi beneficium, per receptionem posterioris ipso jure vacans, jubetur a collatore ordinario intra legitimum tempus conferri) sed in cit. Extravag. *Execrabilis*, solummodo posterius beneficium reservatur collationi Papæ; utpote quod indebite retentum cum priori, ipso jure virtute illius Extravagantis vacare, sicque collationi Papæ reservari dignoscitur. Et ita notat Glossa ibid. ỳ. *Ut præmittitur.* Barbosa, in *Collectan.* ibid. n. 10. subjungens, hoc modo pariter intelligendam esse regulam I. Cancellariæ : in qua reservantur beneficia, quæ per constitutionem *Execrabilis* vacant, vel vacabunt, Garcias, part. II. *de Beneficiis*, cap. V, n. 45. citans plures alios; et sequitur Pirhing, h. t. n. 154.

457. Extravag. *Ad regimen. de Præbend. inter* commun. *fuit solum temporalis; sed innovari solet in regula I Cancellariæ.* — Resp. III. Extravagans Benedicti XI quæ incipit, *Ad regimen*, h. t. inter commun. fuit quidem temporalis solummodo, et cum conditore suo expiravit; prout desumitur ex illis verbis istius : « Donec miserationis divinæ Clementiæ Nos universalis Ecclesiæ regimini præsidere concesserit — reservamus, »

etc. ac notat Barbosa, ibid. in *Collectan.* n. 2; Garcias, part. V. *de Benefic.* cap. I. n. 85. Quia tamen eadem Extravagans per singulos Pontifices innovari solet in reg. I. Cancellar. operæ pretium esse videtur, breviter examinare beneficia ibidem reservata collationi Papæ.

458, 459, 460, 461, 462 *et* 463. *Enumerantur beneficia quæ in cit.* Extravag. *Ad regimen Papæ reservantur.* — Imprimis itaque reservantur ibi collationi Papæ omnes ecclesiæ patriarchales, archiepiscopales, et episcopales, atque etiam monasteria, prioratus, dignitates, personatus, et officia, nec non canonicatus, præbendæ, et ecclesiæ, cæteraque beneficia ecclesiastica, cum cura, vel sine cura, sæcularia, et regularia quæcunque, et qualiacunque fuerint : etiamsi ad illa personæ consueverint, vel debuerint per electionem, vel quemvis alium modum assumi, si quando apud Sedem apostolicam vacant, vel in posterum vacabunt.

Deinde reservantur beneficia vacantia, vel in posterum vacatura per depositionem, vel privationem, seu translationem, aut muneris consecrationis suspensionem, auctoritate Papæ factam, vel faciendam. Nec non, forsan aliqui electi, vel postulati fuerint, vel in posterum eligantur, vel postulentur in concordia, aut discordia, quorum electio cassata, seu postulatio repulsa, vel per eos facta renuntiatio, et per Papam admissa fuerit; aut in antea cassari, repelli, vel admitti contigerit apud Sedem apostolicam, vel alibi ubicunque.

Tertio reservantur beneficia vacantia per obitum cardinalium S. R. Ecclesiæ, ac officialium dictæ Sedis : videlicet, camerarii, vicecancellarii, notariorum, auditorum, litterarum contradictarum, et apostolici palatii causarum auditorum, correctorum, et scriptorum litterarum apostolicarum, ac pœnitentiarii præfatæ Sedis et abbreviatorum, nec non commensalium, et aliorum quorumlibet capellanorum Sedis ejusdem : et etiam quorumcunque legatorum, sive nuntiorum, ac in terris Ecclesiæ Romanæ rectorum et thesaurariorum, per Papam specialiter deputatorum, seu missorum, vel deputandorum, seu mittendorum in posterum, ubicunque dictos legatos, vel nuntios, seu rectores, aut thesaurarios, antequam ad Romanam Curiam redierint, seu venerint, rebus eximi contigerit humanis.

Quarto reservantur beneficia vacantia per obitum quorumlibet, pro quibuscunque negotiis ad Romanam curiam venientium, seu etiam recedentium ab eadem, si in locis a dicta curia ultra duas dietas legales non distantibus moriantur. Item beneficia vacantia per obitum quorumcunque curialium, peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, seu alia quacunque causa ad quævis loca secedentium, si eos, antequam ad dictam curiam redierint, in locis ultra duas dietas ab eadem curia (ut præmittitur) non remotis, dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem, mori contigerit.

Quinto reservantur monasteria, prioratus, decanatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus, præbendæ, et ecclesiæ, cæteraque beneficia ecclesiastica, sæcularia, et regularia, cum cura, vel sine cura, quæcunque, vel qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint, et debuerint per electionem, aut quemvis alium modum assumi; quæ promoti per Papam ad patriarchales, archiepiscopales, et episcopales ecclesias, nec non monasteriorum regimina, obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum, sicque vacant, seu in posterum vacabunt.

Sexto denique reservantur quæcunque beneficia, quæ per assecutionem pacificam quorumcunque prioratuum, dignitatum, personatuum, officiorum, canonicatuum, et præbendarum, ecclesiarum, et beneficiorum aliorum, per Papam collatorum, vel conferendorum imposterum, nunc vacant, et in antea vacabunt. Decernendo ex tunc irritum, et inane, si secus super præmissis, et quolibet eorum, per quoscunque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

464. *Quid contineant cæteræ* Extravag. *inter communes.* — Resp. IV. De reliquis Extravagantibus hujus tituli inter communes, nonnullorum beneficiorum reservationem continentibus, nihil restat notabile dicendum quia agunt solum de beneficiis certarum provinciarum; puta, provinciæ Burdegalensis, ut Extravag. *Etsi in temporalium.* aut loquuntur de erectione ecclesiæ Tholosanæ in novam metropolim; ut Extravag. *Solvatur.* cum seqq. Aut continent aliam materiam huc non pertinentem : præter Extravag. *Piæ sollicitudinis*, et Extravag. *Ad Romani*, de quibus jam est dictum superius.

465. *Ad collationem solius Papæ spectant beneficia Urbis. Is appellatur Episcopus roma-*

mus. — Quæritur VII. An dentur aliqua alia beneficia ad collationem solius Papæ pertinentia? Resp. I. Ad collationem solius Papæ ulterius spectant beneficia Urbis seu quæ Romæ existunt: nam horum collatio pertinet ad Papam, tanquam episcopum Romanum, prout is appellatur in can. *Si quis Episcopus.* 2. q. 6. cum similibus. Ita Æneas de Falconib. cit. tract. *de Reservat. benefic.* quæst. 2. principal. n. 9; Chokier, in reg. Cancellar. n. 23. vers. *Secunda reservatio.* Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. Gloss. 13, n. 3 et 4. allegans alios. Quanquam Æneas de Falconib. d. n. 9. et Gonzalez loc. cit. n. 7 et 8. ac seqq. cæterique auctores notent, beneficia in Urbe existentia solum improprie dici reservata (haud obstante, quod pro majori cautela per reg. 7. Cancellariæ expresse reserventur) eo quod Papa jure proprio, seu ordinario, veluti episcopus Romanus, eadem conferat, nullusque alius adsit, qui ita conferre, Papamque conferendo beneficia Urbis vacantia prævenire valeat. Nam reservatio proprie fit propter timorem præventionis, seu ne inferior ordinarius collator possit Papam in conferendo prævenire.

466. *Exceptis beneficiis, quæ subsunt titulis cardinalium residentium.*— Fatendum tamen, quod Beneficia Urbis, quæ subsunt titulis cardinalium, arg. c. *His quæ.* 11. *de Majorit. et obedient.* conferantur per istos, quando hujusmodi cardinales sunt in Urbe : secus, quando absunt, juxta reg. 7. Cancellariæ. Licet enim horum beneficiorum collatio jure ordinario pertineat ad Papam, veluti episcopum Urbis, ut dictum : nihilominus, ut summi Pontifices ostendant, cardinales sibi conjunctissimos, et vere fratres existere, simulque magis eos suorum titulorum per residentiam personalem studiosos reddant; pleniorem istis dummodo in Urbe resideant, consueverunt dare potestatem conferendi beneficia vacantia. Chokier ad reg. 1. Cancellar. n. 22. vers. *Secunda.* cum aliis.

467. *Collationem quorumdam beneficiorum Papa sibi reservavit virtute diversitatem constitutionum apostolicarum. Sic reservata sunt Papæ beneficia vacantia propter simoniam confidentialem et quidem omnia.* — Resp. II. Insuper collationem quorumdam beneficiorum ecclesiasticorum Papa sibi reservavit virtute diversarum constitutionum apostolicarum, quæ non continentur in corpore juris canonici. Sic quippe ipso jure vacant, atque reservata sunt Sedi apostolicæ beneficia, quæ fuerunt recepta in *Confidentiam;* hoc est, per Simoniam confidentialem : ex constitutione 85. Pii IV. *Romanum Pontificem.* § 5. Quam etiam innovavit beatus Pius V. in sua constitutione 85. *Intolerabilis :* ita tamen, ut hanc suam constitutionem, ac reservationem, decreverit procedere, atque intelligendam esse non solum de beneficiis, in quibus commissa est simonia confidentialis, sud etiam de omnibus aliis, quæ obtinebat confidentiarius; prout liquet ex eadem bulla beati Pii V. § 8. *Sed ne quisquam :* et notat Barbosa cit. allegat. 57. n. 42. Utraque dictarum constitutionum refertur tom. II. *Bullarii Romani.*

468. *Item ecclesiæ parochiales, non servata forma concilii Tridentini collatæ.* — Deinde dispositioni Sedis apostolicæ reservantur ecclesiæ parochiales, quæ non servata forma concilii Tridentini collatæ fuerunt, vel conferentur in posterum : ex constitutione 33. beati Pii V. *In conferendis.* § 3, ac refertur cit. tom. II. *Bullarii Romani.* Adde dicta superius § 5. n. 148.

469. *Et beneficia vacantia ob non factam publicationem resignationis.* — Tertio, beneficia vacantia ob non factam publicationem resignationis, reservata sunt collationi Sedis apostolicæ : ex constitutione 85. Gregorii XIII. *Humano vix judicio.* § 5. et refertur pariter tom. II. *Bullarii Romani.*

470. *Aut propter crimen hæresis.* — Quarto, beneficia vacantia propter crimen hæresis, reservantur collationi Sedis apostolicæ : ex constitutione 29. beati Pii V. *Cum ex Apostolatus.* § 1. referturque cit. tom. II. *Bullarii.*

471. *Item beneficia vacantia propter delictum offendentium litigantes in Curia romana, eorumve judices, advocatos, etc.* — Quinto, beneficia ipso jure vacantia propter delictum offendentium litigantes in Curia Romana, eorumque judices, advocatos, procuratores, notarios, testesque, et alios hujusmodi, reservantur dispositioni Sedis apostolicæ : ex constitutione 11. Alexandri VI. *In eminenti Sedis.* § 4. quæ habetur tom. 1. *Bullarii Romani.*

472. *Ac beneficia eorum, qui se pro aliis ad obtinendum illis beneficium, examini subjiciunt, etc.* — Sexto, beneficia eorum, qui se pro aliis, in ordine ad obtinendum pro eis beneficium, examini subjiciunt; vel qui annuas pensiones offerunt pro consequendis beneficiis etc. non solum ipso jure vacant, sed etiam collationi Romani Pontificis reservantur : ex constitutione 12. Pauli IV. *Inter cæ-*

teras. § 2. et 3. ac refertur cit. tom. 1. *Bullarii*.

473. *Alii tales casus. Remissive.* — Tacentur nonnulli alii casus, in quibus collatio quorumdam beneficiorum reservatur Sedi apostolicæ, quorum universim triginta quinque enumerat Hieron. Gonzalez ad reg. 8. Cancellariæ. gloss. 51. per totum : verum præmissi sunt cæteris notabiliores. Superest, ut de regulis Cancellariæ, et concordatis Germaniæ, aliquid dicatur : nam hisce pariter certa beneficia ecclesiastica collationi Sedis apostolicæ reservantur.

§ XVI.

DE REGULIS CANCELLARIÆ, AC TENORE MODERNARUM.

474. *Regulæ Cancellariæ, quid, et quot sint?* — Quæritur I. Quid sint regulæ cancellariæ, cur sic dicantur, quo tempore ortum habuerint? Resp. I. Regulæ Cancellariæ sunt certæ constitutiones apostolicæ, quas singuli pontifices a principio sui regiminis circa causas beneficiales, et judiciales facere, vel a prædecessoribus suis jam factas renovare, augere, vel minuere consueverunt. Earum de facto solent esse septuaginta duæ : totidem enim novissime publicavit SS. D. N. D. Clemens divina Providentia Papa XI. Quamvis, præter nonnullas alias differentias, olim pauciores fuerint; prout patet ex eo, quod Urbanus VIII. anno 1623. solummodo septuaginta et unam fecerit, quæ referuntur tom. IV. *Bullar. Roman.* constitut. 7. dicti Pontificis. Simulque ex eo, quod regula Reservationis mensium apostolicorum, quæ olim octava fuerat, et in quam, veluti ad regulam VIII. Cancellariæ, Hieronymus Gonzalez integrum tractatum conscripsit, nunc nona existat. Earum priores tractant de reservationibus apostolicis, tum generalibus, tum specialibus beneficiorum, quorum collationem Papa sibi reservare intendit : posteriores agunt de litteris apostolicis expediendis, ac forma, seu clausulis in earum expeditione observandis; nec non de dispensationibus, atque indulgentiis obtinendis, et hujusmodi : prout amplius patebit ex tenore earumdem regularum Cancellariæ proxime allegandæ.

475. *Et cur sic dicantur?* — Resp. II. Regulæ Cancellariæ sic dicantur, quod non solam Cancellariam apostolicam, seu officiales ipsius obligent; sed quia magna ipsarum pars concernit expeditionem litterarum apostolicarum, in Cancellaria Papæ faciendam, quatenus tradunt certam formam in ipsarum expeditione observandam : simulque, quia Regulæ illæ in Cancellaria apostolica publicari consueverunt, et Regestis ejus inferi. Ita Rebuffus in *Praxi Benefic.* tit. *Additiones in Regulas Cancellariæ.* ỷ. *Cancellariæ.* Joan. Chokier *Commentar. in Rubric. regular. Cancellar.* n. 16. et 17.

476. *Obligant non solum officiales Cancellariæ apostolicæ, sed etiam alios, exceptis cardinalibus.* — Accedit alia ratio. Siquidem regulæ Cancellariæ sunt ordinationes, seu constitutiones generales; atque ex persona conditoris sui, sive sanctissimi domini Papæ, easdem sub initio pontificatus sui pro meliore regimine facientis, obligant non solum officiales Cancellariæ apostolicæ; sed etiam, in materia ipsis adaptabili, astringunt omnes alios : exceptis duntaxat sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, qui ob speciales prærogativas, atque privilegias sibi competentia, expresse excipiuntur per regulam 70. Cancellariæ.

477. *Cancellaria apostolica efformat speciem magni tribunalis. Dicitur Organum Papæ, et cur?* — Porro in Cancellaria apostolica, præter cardinalem vice-cancellarium, plures alii officiales, tum prælati, tum non prælati, et quidem in valde copioso numero adesse solent : adeo, ut species magni et qualificati tribunalis efformari videatur. Card. de Luca in *Relatione.* Curiæ Romanæ, discurs. 10. n. 9. 11. et 12. Estque tantæ auctoritatis, atque excellentiæ Cancellaria apostolica, ut *Organum Papæ* dicatur card. de Luca, loc. cit. discurs. 9. n. 28. Chokier, in reg. 43. Cancellar. n. 42. vers. *Difficultas.* Sive, ut Gonzalez, ad reg. 8. Cancell. gloss. 13. n. 12. post Cassadorum decis. 3. n. 3. *de Reservation.* loquitur, Cancellaria apostolica est organum mentis, et vocis Papæ. Unde quidquid facit Cancellaria, videtur factum a Papa, utpote cujus ipsa est organum. Chokier cit. n. 42. Nec immerito : nam in Romanum etiam Pontificem cadit illud effatum imperatoris, l. I. § *Sed neque.* C. *de Veteri jure enucleand.* Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem impertimur, c. *Si Apostolicæ.* 22. h. t. in 6. Illud autem, « quod Principi placuit, legis habet vigorem; » prout dicitur l. I. ff. *de Constitut. princip.*

478. *Regulæ Cancellariæ a Joanne XXII, circa annum Domini 1330, initium habent.* —

Resp. III. Regulæ Cancellariæ a Joanne XXII. circa annum Domini 1330. initium, atque originem habuerunt. Ita Ludovicus Gomez, quæst. 1. Procemial. in Regul. Cancellar. a princip. card. de Luca discurs. 1. *de Beneficiis*, n. 23. Idque probat Gomezius loc. cit. ex eo : quia in vetusto quodam membrano codice (quem vulgares Quinternum Cancellariæ apostolicæ vocant) primus omnium in ordine ponitur Joannes XXII, regularum auctor : neque ante ipsum alius summorum Pontificum invenitur, qui hoc antea præstiterit, tradendo videlicet regulas Cancellariæ in scriptis.

479. *Haud obstante, quod Cancellaria apostolica jam antea extiterit.* — Nec obstat, quod ipsamet Cancellaria apostolica longe antea extiterit : utpote cujus jam Lucius Papa III. (qui fuit electus anno Domini 1181.) meminit in c. *Ad hæc sumus.* 10. *de Rescript.* illis verbis : « De Cancellaria nostra litteras recepisse, » etc. Resp. enim cum Gomezio loc. cit. quod tunc temporis Cancellariæ negotia non regulis, sed vivæ vocis mandato, et stylo fuerint directa : quia tamen sine aliquo certo ordine, sed eventualitur, et quodammodo fortuito processerant; merito postmodum scriptis comprehensæ, atque in eadem Cancellaria publicatæ fuerunt certæ regulæ in posterum observandæ, quas nunc regulas Cancellariæ appellamus.

480. *Regula Cancellariæ de facto statim obligant ab eo tempore, quod a neo-electo Papa reassumuntur.* — Quæritur II. A quo tempore regulæ Cancellariæ obligare incipiant, et quandiu obligent? Resp. I. Regulæ Cancellariæ cumprimis illud habent speciale præ aliis legibus, et constitutionibus apostolicis, quod de facto statim obligent ab eo tempore, quo a neo-electo Pontifice Romano reassumuntur, licet nondum fuerint publicatæ. Ita liquet ex ipsarum præfatione nunc usitata, et sic loquente : « Quas etiam ex tunc, licet nondum publicatas, et suo tempore duraturas, observari voluit, videlicet Papa neo-electus. »

481. *Licet nondum fuerint publicatæ; et solvitur instantia.* — Nec obstat, quod Rebuffus in Addition, ad regulas Cancellariæ Pauli Papæ III. § *Reservationes.* ♰. *Ex tunc.* et Zerola in *Praxi episcopali*, part. II. ♰. *Regulæ Cancellariæ*, cum nonnullis aliis velint, regulas Cancellariæ solum obligare a die promulgationis; utpote, quæ est causa formalis legis sancitæ. Resp. enim, istud ex eo contigisse; quia tempore Rebuffi nondum præfationi regularum Cancellariæ habebatur inserta clausula illa : « Licet nondum publicatas : » prout liquet ex tenore regularum ab ipso relatarum. Alioquin vero leges etiam ad præterita facta trahi, quando « nominatim in eis de præteritis cavetur; » textus est in cap. ult. *de Constitut.* et l. VII. C. *de Legib.* ubi dicitur, « Leges non ad facta præterita revocari, nisi nominatim etiam de præterito tempore, et adhuc pendentibus negotiis, cautum sit. »

482. *Quomodo obligent ante suam publicationem.* — Cæterum, quando leges nominatim cavent de præteritis (prout obligant regulæ Cancellariæ ante suam publicationem) tunc ipsæ pro tempore præterito solum obligant quoad nullitatem actus in contrarium gesti (puta quod invalida sit collatio beneficii contra regulas Cancellariæ tunc facta) et quod ita judices pronuntiare debeant : non vero tunc obligant quoad culpam, vel pœnam incurrendam, donec debite publicentur. Engel, tit. *de Præbend.* n. 19. estque jam dictum supra lib. I. *de Constitutionibus.* § 5. n. 107. 108. et 109.

483. *Durant tantum ad vitam Papæ eas facientis et in morte ejus expirant.* — Resp. III. Insuper regulæ Cancellariæ istud habent speciale, quod tautum durent, seu obligent ad vitam Romani Pontificis eas facientis; et in morte ipsius illico expirent. Patet hoc ex dicta præfatione earumdem Regularum, atque verbis jam allegatis : « Et suo tempore duraturas : » ac notat Rebuffus in Addition. ad reg. Cancellar. reg. 1. ♰. *Suo tempore;* Garcias, part. V. *de Beneficiis*, cap. I. n. 643; Gonzalez, ad reg. 8. Cancellar. § 5, procem. n. 2, et seqq. et gloss. 12, n. 2. ac seqq.; card. de Luca, *de Benefic.* discurs. 16, n. 8. et discurs. 31, n. 4. et 5; Flamin. Parisius, lib. XI. *de Resignat. benefic.* quæst. 2, n. 31; Engel, h. t. n. 19, et alii. Idque probatur ulterius ex eo : quia Papa neo-electus in reg. 1. Cancellar. ac seqq. Beneficia ibidem specificata *Dispositioni suæ* reservare consueverit; sicque aperto innuit, quod ejusmodi reservatio sit personalis, et consequenter cum conditore suo expiret : nam voluntas disponendi, sive beneplacitum Papæ, in morte ejusdem omnino extinguitur, c. *Si gratiose.* 5. juncta Glossa ♰. *Suæ de Rescript.* in 6.

484. *Unde vacante Sede apostolica, cessant reservationes beneficiorum in eisdem duntaxat contentæ. Et quid dicendum de reservationibus*

clausis in corpore juris? — Infertur proinde primo, quod cum vacante Sede apostolica cessent regulæ cancellariæ, pariter cessent reservationes beneficiorum in eisdem duntaxat contentæ. Et additur, « in eisdem duntaxat contentæ. » Nam secus est dicendum de reservationibus clausis in corpore juris communis : ut est reservatio beneficiorum in Curia vacantium, juxta cap. II. et c. *Præsenti.* 34. h. t. in 6. Hæc enim reservatio tunc non cessat : quanquam si infra mensem non sequatur electio novi pontificis, sicque collatio talium beneficiorum non fiat subintret dispositio c. *Statutum*. 3. et c. *Si apostolica*. 35. eod. in 6. conformiter dictis supra n. 439. et 443. ac seqq.

485. *Sede papali vacante potest collator ordinarius conferre beneficia, cæteroquin reservata solum per regulas Cancellariæ.* — Infertur ulterius, quod Sede papali vacante jus ordinariorum revertatur ad primævos terminos juris communis, exceptis reservationibus clausis in corpore juris, et affectionibus personalibus. Card. de Luca *de Beneficiis*, discurs. 16. n. 7. et 8. et communis. Unde collator ordinarius poterit tunc conferre beneficia, cæteroquin reservata solum per regulas Cancellariæ ; ut puta, vacantia in mensibus pontificiis, dummodo id fiat, antequam papa noviter creatus alias regulas constituat : hoc ipsum quippe importat relatum ly : « Et suo tempore duraturas. » Rebuffus cit. reg. 1. Cancellar. ℣. *Suo tempore*. post Dominicum, consil. 93 ; Gonzalez, d. § 5, procem. n. 46 ; Zerola part. II. *Praxis episcopal.* ℣ *Regulæ Cancellar.* et ℣. *Beneficium.* n. 1 ; Layman. l. 4. *Theol. moral.* tract. II. cap. XI. n. 1. vers. *Denique;* Garcias, part. V. *de Benefic.* cap. I. n. 645, asserens, quod Sede apostolica vacante omnes menses sint ordinariorum ; hique possint providere de beneficiis vacantibus in quolibet mense, antequam neo-electus Papa fecerit novas regulas Cancellariæ.

486. *Antequam neo-electus Papa fecerit novas regulas ; secus postea.* — Et notanter additur, « antequam neo-electus Papa fecerit novas regulas : » quas singuli Pontifices facere solent die immediate sequenti post assumptionem suam ad Papatum. Nam regulis hisce jam factis non valet collatio beneficii, quod Sede papali vacante in mense pontificio vacaverat, et per collatorem ordinarium antea collatum non fuerat : quia tunc jam obligant novæ regulæ, etiam nondum publicatæ, quoad nullitatem actus in contrarium gesti, ut dictum n. 482. Quinimo per regulam 68. quæ inscribitur, « Reservatio Beneficiorum vacantium Sede apostolica vacante, » neo-electus Papa ejusmodi beneficia, de quibus per quoscunque Ordinarios collatores tunc dispositum non fuerat, seu minus valide dispositum erat, suæ provisioni, ac dispositioni expresse reservat : « Decernens irritum, » etc. prout eadem Regula inter alia loquitur.

487. *Regulæ Cancellariæ successu temporis in pluribus sunt mutatæ.* — Quæritur III. Cujus tenoris esse soleant modernæ regulæ Cancellariæ ? Resp. I. Etsi regulæ Cancellariæ successu temporis in pluribus sint mutatæ, atque augmentatæ, vel magis declaratæ ; prout patebit conferenti vetustiores regulas Cancellariæ, repertas in libris, cum modernis : tenor tamen novissimarum regularum Cancellariæ, seu auctoritate Sanctissimi in Christo Patris, ac D. N. D. Clementis divina Providentia Papæ XI, nunc regnantis, publicatarum, juxta exempla, Romæ in typographia Rev. Cam. apostolicæ impressum, est talis ut sequitur.

488. REGULÆ ORDINATIONES, ET CONSTITUTIONES CANCELLARIÆ APOSTOLICÆ. SS. D. N. D. CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XI.

« Sanctissimus in Christo Pater, et Dominus Noster Dominus CLEMENS divina Providentia Papæ XI. suorum prædecessorum vestigiis inhærendo, normam, et ordinem rebus gerendis dare volens in crastinum suæ Assumptionis ad summi apostolatus apicem, videlicet, die vigesima quarta mensis novembris anno ab Incarnatione Domini millesimo septingentesimo, reservationes, constitutiones, et regulas infra scriptas fecit, quas etiam ex tunc, licet nondum publicatas, et suo tempore duraturas observari voluit, ac quas Nos Petrus S. Laurentii in Damaso cardinalis Ottobonus, sanctæ Romanæ ecclesiæ vicecancellarius die decima quarta decembris in Cancellaria apostolica publicari fecimus. »

Reservationes generales, et speciales.

1. « In primis fecit easdem reservationes, quæ in constitutione fel. recor. Benedicti PP. XII. quæ incipit, *Ad regimen*, continentur, et illas innovavit, ad locum habere voluit, etiamsi officiales in eadem constitutione

expressi apostolicæ Sedis officiales ante obitum eorum esse desierint, quoad beneficia, quæ tempore, quo officiales erant, obtinebant. Declarans nihilominus beneficia, quæ dictæ Sedis officiales, qui ratione officiorum suorum hujusmodi ejusdem Sedis notarii erant, etiam dimissis ipsis officiis, et quandocunque assecuti fuerint, sub hujusmodi reservationibus comprehendi. Ac reservavit beneficia, quæ per constitutionem piæ mem. Joannis PP. XXII. quæ incipit, *Execrabilis*, vacant, vel vacare contigerint, quam constitutionem, et reservationem SS. tam ad beneficia obtenta, quam alia quæcunque, de quibus ordinarii, et alii collatores contra concilii Tridentini decreta disposuerunt, et disponent in futurum, extendit, et ampliavit, et ea etiam beneficia omnia dispositioni suæ reservavit, de quibus per dictos ordinarios, aut alios collatores contra ejusdem concilii decretorum formam dispositum fuerit. Decernens irritum, etc. »

Reservatio cathedralium, ecclesiarum, et monasteriorum, ac de tempore vacationis episcopatuum, vacaturorum beneficiorum.

2. « Item reservavit generaliter omnes ecclesias patriarchales, primatiales, archiepiscopales, episcopales, nec non omnia monasteria virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia, nunc quomodocunque vacantia, et in posterum vacatura. Et voluit, quod excessus hujusmodi in litteris exprimatur. Ac etiam reservavit dignitates, et beneficia omnia ad collationem, præsentationem, electionem, et quamcunque aliam dispositionem patriarcharum, primatuum, archiepiscoporum, et episcoporum, nec non Abbatum, ac aliorum quorumcunque collatorum, et collatricum sæcularium, et regularium quomodolibet (non tamen ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius præsentationem, vel electionem pertinentia) quæ post illorum obitum, aut ecclesiarum, seu monasteriorum, vel aliarum dignitatum suarum dimissionem, seu amissionem, vel privationem, seu translationem, vel alias quomodocunque vacaverint, usque ad provisionem successorum ad easdem ecclesias, aut monasteria, vel dignitates apostolica auctoritate faciendam, et adeptam ab eisdem successoribus pacificam illorum possessionem quomodocunque vacaverint, et vacabunt in futurum. Decernens irritum, etc. »

Extensio reservationis beneficiorum per assecutionem pacificam vacaturorum.

3. « Item, si qui de beneficiis ecclesiasticis præsertim curam animarum habentibus, seu alias personalem residentiam requirentibus, dum pro tempore vacant apostolica auctoritate provisi, seu providendi, ante illorum assecutionem alia cum eisdem incompatibilia beneficia ecclesiastica per eos tunc obtenta in fraudem reservationis suæ resignarent, seu dimitterent, voluit, decrevit, et declaravit, quod si in posterum quibusvis personis de aliquibus beneficiis ecclesiasticis, tunc vacantibus, seu vacaturis per Sanctitatem Suam, aut ejus auctoritate provideri, ipsosque providendos intra vacationis, et provisionis, seu assecutionis eorumdem beneficiorum tempora, quæcunque alia cum illis incompatibilia beneficia ecclesiastica sæcularia, vel quorumvis ordinum, ac etiam hospitalium, regularia per eos tunc obtenta nulla speciali, et expressa de eisdem in provisionibus prædictis facta mentione simpliciter, vel causa permutationis, ac alias quomodolibet, sive in Sanctitatis Suæ, vel alterius Romani Pontificis pro tempore existentis, aut legatorum, vel nuntiorum dictæ Sedis, sive ordinariorum, vel aliorum collatorum quorumque manibus resignare, seu dimittere, aut juribus sibi in illis, vel ad illa competentibus cedere contigerit, omnes, et singulæ concessiones, collationes, provisiones, et quævis aliæ dispositiones de beneficiis, seu juribus sic resignandis, dimittendis, et cedendis pro tempore faciendæ cum inde secutis quibuscunque cassæ, et irritæ, nulliusque roboris, vel momenti existant, non cuiquam suffragentur, sed beneficia, et jura, ut præfertur resignata, et dimissa, et cessa eo ipso vacent, ac sub reservatione prædicta, quam Sanctitas Sua, etiam quoad hoc extendit, et ampliavit, comprehensa censeantur. Ita quod de illis per alium, quam per eamdem Sanctitatem Suam, vel pro tempore existentem Romanum Pontificem nullatenus disponi possit, in omnibus, et per omnia perinde, ac si per pacificam assecutionem beneficiorum aliorum hujusmodi vere, ac realiter vacavissent. Ac ulterius voluit beneficium, de quo resignans fuerit auctoritate apostolica provisus, ac per cujus assecutionem beneficia vacare debebant, ut prius vacare, perinde, ac si collatio favore resignantis facta non fuisset, salvis tamen quibuscunque juribus

competentibus alteri parti, ad cujus favorem facta esset resignatio, etiam ex causa permutationis, summarie, simpliciter, et appellatione remota exercendis. Decernens irritum, etc. attentari. »

Reservatio dignitatum, nec non suorum, et S. R. E. cardinalium, familiarum, beneficiorum.

4. « Item reservavit generaliter dispositioni suæ omnes dignitates majores post pontificiales, in cathedralibus etiam metropolitanis, et patriarchalibus, nec non valorem decem florenorum auri communi extimatione excedentes principales in collegiatis ecclesiis. Reservavit etiam prioratus, præposituras, præpositatus, ac alias dignitates conventuales et præceptorias generales ordinum quorumcunque (sed non militarium) ac quæcunque beneficia, quæ sui, etiam dum cardinalatus fungebatur honore existentes, ac S. R. E. viventium nunc, et qui erunt pro tempore cardinalium familiares continui commensales obtinent, et in posterum obtinebunt eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quæ jus eis competit, aut competierit, etiamsi ab ipsa familiaritate per obitum cardinalium eorumdem, vel alias recesserint. Declarans dignitates, qui in cathedralibus etiam metropolitanis post pontificiales non majores existunt, et quæ ex apostolicæ Sedis Indulgentia, vel ordinaria auctoritate, aut consuetudine præscripta, vel alias quovis modo in quibuscunque collegiatis ecclesiis principalem præeminentiam habere noscuntur sub reservatione prædicta comprehendi debere. Decernens irritum, etc. »

Reservatio beneficiorum collectorum, et subcollectorum.

5. « Item reservavit generaliter omnia, et singula beneficia ecclesiastica quorumcunque collectorum, et unicorum in quacunque civitate, vel diœcesi, si quo tempore officia exercuerint, subcollectorum fructuum, et proventuum cameræ apostolicæ debitorum, illa videlicet beneficia duntaxat, quæ durante eorum officio obtinebant, et in quibus, seu ad quæ jus eis competebat. Decernens irritum, etc. »

Reservatio beneficiorum curialium, dum Curia transfertur.

6. « Item reservavit omnia, et singula beneficia ecclesiastica quorumcunque curialium, quos dum Curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo decedere contigerit in quovis loco, quantumcunque etiam a dicta Curia remoto. Decernens irritum, etc. »

Reservatio beneficiorum cubiculariorum, et cursorum.

7. « Item reservavit generaliter idem D. N. PP. dispositioni suæ omnia beneficia cubiculariorum, etiam honoris nuncupatorum, ac cursorum suorum, declarans in prædecessorum suorum Romanorum Pontificum constitutionibus, et regulis reservatoriis beneficiorum cubiculariorum, etiam cubicularios honoris nuncupatos, etiam a die earum editionis, et publicationis intelligi, et comprehendi, ac comprehensos fuisse, et esse. Irritumque, etc. attentari decernens. »

Reservatio beneficiorum ecclesiarum S. Joannis Lateranen. et S. Petri, ac beatæ Mariæ Majoris de Urbe, et beneficiorum titulorum cardinalium a Curia absentium.

8. « Item reservavit dispositioni suæ generaliter quoscunque canonicatus, et præbendas, ac dignitates, personatus, et officia in S. Joan. Lateranensis, et principis apostolorum, ac beatæ Mariæ Majoris de Urbe ecclesiis, nec non ad collationem, provisionem, et præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem S. R. E. cardinalium a Romana Curia absentiam ratione suorum episcopatuum cardinalatus, ac ipsorum cardinalium titulorum, et diaconiarum spectantia, quandiu absentia hujusmodi duraverit, cononicatus, et præbendas, dignitates, personatus, administrationes, et officia, cæteraque beneficia ecclesiastica cum cura, et sine cura vacantia, ac in antea vacatura, tam in eadem Urbe, quam in ecclesiis, civitatibus, ac diœcesibus dictorum episcopatuum consistentia, ac decrevit irritum, etc. »

Reservatio mensium apostolicorum, et alternativa pro episcopis residentibus.

9. « Item cupiens SS. D. N. PP. pauperibus clericis, et aliis bene meritis personis providere, omnia beneficia ecclesiastica cum cura, et sine cura, sæcularia, et quorumvis ordinum regularia qualitercunque qualificata, et ubicunque existentia in singulis januarii, februarii, aprilis, maii, augusti, octobris, et novembris mensibus, usque ad suæ voluntatis beneplacitum extra Romanam Curiam

alias, quam per resignationem quocunque modo vacatura, ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, et quamvis aliam dispositionem quorumcunque collatorum, et collatricum sæcularium, et quorumvis ordinum regularium (non tamen S. R. E. cardinalium, aut aliorum sub concordatis inter Sedem apostolicam, et quoscunque alios initis, et per eos, qui illa acceptare, et observare debuerant acceptatis, et observatis, quæ lædere non intendit, comprehensorum) quomodolibet pertinentia dispositioni suæ generaliter reservavit. Volens in supplicationibus, seu concessionibus gratiarum, quæ de dictis beneficiis tunc vacantibus, etiam motu proprio fient, de mense, in quo vacaverint, dispositive mentionem fieri; alioquin gratias nullas esse, ac consuetudines, etiam immemorabiles optandi majores, et pinguiores præbendas, nec non privilegia, etiam in limine erectionis concessa, et indulta apostolica circa ea, ac etiam dispositioni de hujusmodi beneficiis, aut quod illa sub hujusmodi reservationibus nunquam comprehendantur etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, et fortioribus, efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus, et aliis decretis, quarum tenores pro expressis haberi, et latissime extendi voluit quibusvis personis, et collegiis, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis, existentibus quomodolibet concessa adversus reservationem hujusmodi minime suffragari. Insuper Sanctitas Sua ad gratificandum patriarchis, archiepiscopis, et episcopis intenta, ipsis quandiu apud ecclesias, aut diœceses suas vere, et personaliter resederint duntaxat de omnibus, et quibuscunque beneficiis ecclesiasticis cum cura, et sine cura sæcularibus et regularibus (ad liberam ipsorum duntaxat non autem aliorum cum eis dispositionem, seu præsentationem, vel electionem, nec etiam cum consilio, vel consensu, seu interventu capitulorum, vel aliorum, aut alias pertinentibus) quæ in antea in mensibus februarii, aprilis, junii, augusti, octobris, et decembris extra curiam ipsam vacare contigerit (dummodo alias dispositioni apostolicæ reservata, vel affecta non fuerint) libere disponendi facultatem tempore sui pontificatus tantum duraturam concessit. Ac etiam voluit, ut si ipsi in collatione, aut alia dispositione beneficiorum in aliis sex mensibus, videlicet januarii, martii, maii, julii, septembris, et novembris vacaturorum (quæ etiam dispositioni suæ, ut præfertur, reservavit) seu etiam aliorum, dispositioni suæ, et dictæ Sedis alias quomodolibet reservatorum, vel affectorum sese intromiserint, aut quominus provisiones, et gratiæ Sanctitatis Suæ de illis debitum effectum consequantur, impedimentum quoquomodo præstiterint, usu, et beneficio prædictæ facultatis, eo ipso privati existant, ac collationes, et aliæ dispositiones de beneficiis illius prætextu deinceps faciendæ nullius sint roboris, vel momenti. Illi vero, qui gratiam alternativæ prædictæ acceptare voluerint, acceptationem hujusmodi per patentes litteras manu propria subscriptas, suoque sigillo munitas, et in sua quisque civitate, vel diœcesi datas declarare, et litteras ipsas huc ad Datariam Sanctitatis Suæ transmittere teneantur, quibus ab eo receptis, et recognitis, ac in libro ad id deputato registratis, tunc demum, et non antea uti incipiant gratia supra dicta. Insuper declaravit, quod si idem episcopus pluribus Ecclesiis quomodocunque unitis ex apostolica concessione, et dispensatione quomodocunque præsit, teneatur hujusmodi alternativæ gratiam quatenus ea potiri velit; utriusque Ecclesiæ nomine explicite acceptare, alias illi non suffragetur. Et post factam acceptationem, et admissionem in Dataria neutri parti liceat nisi concordi consensu ab ea recedere. Declarans præterea exceptionem positam in regula favore S. R. E. cardinalium, et indultum conferendi beneficia reservata concessum cardinali episcopo, non suffragari capitulo ratione communionis, et consortii juxta declarationem fel. recor. Urbani PP. VIII, prædecessoris sui editam die decima septembris anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, quam Sanctitas Sua in omnibus, et per omnia approbat. Decernens sic in præmissis omnibus per quoscunque, etc., judicari debere, ac irritum, etc. »

De litteris in forma, Rationi congruit, expediendis.

10. « Item voluit idem D. N. Papa, quod concessa per fel. recor. Innocentium duodecimum prædecessorem suum, et de ejus mandato expediantur in forma *Rationi congruit*, etc. sub die coronationis suæ, ut moris est, et idem quoad concessa per piæ mem. Alexandrum Octavum etiam prædecessorem suum ad sex menses duntaxat, ab ipso die Coronationis incipiendos observari voluit. »

Declaratio reservationis Ecclesiarum, et beneficiorum per prædecessores reservatorum.

11. « Item declaravit omnium, et singularum Ecclesiarum cathedralium, et monasteriorum provisiones, quas prædicti prædecessores sui, ordinationi, et dispositioni eorum, nec non omnia, et singula beneficia ecclesiastica, quæ dicti prædecessores etiam prædictæ dispositioni cum interpositione decreti reservaverant (quæ quidem Ecclesiæ, nec non sic reservata beneficia tempore obitus eorumdem prædecessorum vacabant, aut Ecclesiæ ipsæ, vel monasteria hujusmodi, si commendata, vel eis administratores deputati non fuissent, etiam tunc vacassent) remansisse, et remanere per hujusmodi reservationem, et decretum affecta, nullumque de illis præter Romanum Pontificem ea vice se intromittere, vel disponere potuisse sive posse quoquo modo. Decernens irritum, et inane, si secus super illis attentatum forsan erat tunc, vel in posterum contingeret attentari. »

Revalidatio litterarum prædecessoris gratiæ, justitiæ infra annum concessarum.

12. « Item prædictus D. N. omnes, et singulas ab Innocentio XII. Romano Pontifice prædecessore suo infra annum ante diem ejus obitus concessas gratiæ vel justitiæ litteras temporibus debitis earum executoribus, seu judicibus non præsentatas omnino revalidavit, et in statum pristinum, in quo videlicet antea fuerant, vel pro quibus erant obtentæ, quoad hoc plenarie restituit, ac decrevit per executores, seu judices prædictos, vel ab eis subdelegandos ad expeditionem negotiorum in eis contentorum procedi posse, et debere juxta illarum formam. »

Revocatio unionem.

13. « Item rationabilibus suadentibus causis ipse D. N. omnes uniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, extinctiones, applicationes et demembrationes, etiam perpetuas, de quibusvis cathedralibus, nec non aliis Ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, personatibus, officiis, et beneficiis ecclesiasticis, eorumve domibus, prædiis, et locis per cessum, vel decessum, aut aliam quamvis dimissionem, vel amissionem qualiacunque fuerint invicem, vel aliis Ecclesiis, monasteriis, et mensis etiam capitularibus, dignitatibus, personatibus, officiis, beneficiis, ac piis, et aliis locis, universitatibus etiam studiorum generalium, et collegiis, etiam in favorem S. R. E. cardinalium, seu Ecclesiis, monasteriis, et beneficiis per eos obtentis quomodolibet apostolica, vel alia quavis (non tamen concilii Tridentini auctoritate, nec non pro fundatione, seu dotatione, augmento, vel conservatione collegiorum, et aliorum priorum, et religiosorum locorum ad fidei catholicæ defensionem, et propagationem, bonarumque artium cultum institutorum) factas, quæ suum non sunt sortitæ effectum: Ac quæcunque concessiones, et mandata super unionibus, annexionibus, incorporationibus, et aliis præmissis taliter faciendis, revocavit, cassavit, et irritavit, nulliusque decrevit existere firmitatis. Nec alicui quascunque clausulas, vel adjectiones, aut decreta, quæ Sanctitas Sua pro expressis haberi voluit in quibusvis apostolicis etiam quæ motu proprio, aut ex certa scientia, et consistorialiter processerunt, et emanarunt litteris, etiamsi in eis decretum esset illas ex tunc effectum sortitas esse, aut jus quæsitum foret quomodolibet contentæ adversus revocationem, irritationem hujusmodi voluit aliquatenus suffragari. Decernens irritum, etc. »

Reservatio facultatum quibusvis concessarum.

14. « Item revocavit quascunque facultates concessas quibusvis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et aliis prælatis, et personis, nec non apostolicæ Sedis nuntiis, ac fructuum, et proventuum Cameræ apostolicæ debitorum collectoribus, de dispensando cum quibusvis personis super matrimonio contracto, vel contrahendo in gradu prohibito, ac natalium, et ætatis defectibus, et de incompatibilibus beneficiis ecclesiasticis insimul retinendis, nec non de notariis publicis creandis, ac de disponendo quomodolibet de quibusvis beneficiis ecclesiasticis, et alias a præmissis officia ipsorum nuntiorum, et collectorum directe non concernentes, etiamsi in litteris desuper confectis sunt clausulæ restitutoriæ, et derogatoriarum derogatoriæ, et aliæ efficaciores, quos pro expressis haberi voluit quoad omnia, in quibus facultates ipsæ non sunt sortitæ effectum, etiamsi nuntiis eisdem, dictæ Sedis legatis de Latere competens sit concessa potestas. Decernens irritum, etc. »

Revocatio facultatum conferendi beneficia reservata.

15. « Item revocavit quascunque facultates, et litteras desuper confectas, per quas quicunque sui prædecessores Romani Pontifices quibusvis personis ordinariam collationem,, seu aliam dipositionem beneficiorum ecclesiasticorum de jure, vel consuetudine habentibus, et quavis etiam patriarchali, archiepiscopali, episcopali, vel alia dignitate, vel alia non tamen cardinalatus honore fulgentibus quovis consideratione, vel intuitu etiam motu proprio. et ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, ac irritantibus, et aliis decretis, quorum tenores haberi voluit pro expressis concesserant, ut quandiu viverent, vel suis Ecclesiis, seu monasteriis præessent, aut ad aliud tempus de beneficiis ecclesiasticis generaliter reservatis, seu affectis, ad eorum collationem, provisionem, præsentationem. electionem, et quamvis aliam dispositionem communiter, vel divisim spectantibus disponere libere, et licite valerent, aut etiam ad id per eosdem prædecessores vicarii perpetui, vel ad tempus constituti forent. Decernens irritum, et inane, etc. »

De dictionibus numerabilis.

16. « Item ut in apostolicis litteris committendi crimen falsi per amplius tollatur occasio voluit, et ordinavit, quod dictiones numerales, quæ in dictis litteris ante Nonas, Idus, et Kalendas, immediate poni consueverunt, per litteras, et syllabas extensæ describantur, et illæ et prædictis litteris, in quibus hujusmodi dictiones aliter scriptæ fuerint, ad bullariam nullatenus mittantur. »

De concurrentibus in data.

17. « Item voluit. quod de concurrentibus in data ejusdem diei, super vacantibus, seu certo modo vacaturis beneficiis, illi, quibus gratiæ motu proprio conceduntur, cæteris simili modo gratias non habentibus, alias graduati non graduatis, aut inter graduatos magis graduati, ac inter æqualiter graduatos prius graduati, nec non colorato titulo possessores, non possessoribus, ac inter personas alias in Curia præsentes, absentibus ab ea, ac inter præsentes non beneficiati beneficiatis, et similiter inter absentes, cæteris paribus oriundus non oriundo, et diœcesanus; in reliquis vero singuli, qui prius apostolicas desuper litteras eorum executoribus præsentaverint, aliis in ipsorum, de quibus agi contigerit, beneficiorum assecutione præferantur.

De non tollendo jus quæsitum.

18. « Item, ne per varias, quæ pro commissionibus, seu mandatis, et declarationibus habendis in causis plerumque fiunt suggestiones, justitia postponatur. Idem D. N. decrevit, et declaravit suæ intentionis fore, quod deinceps per quamcunque signaturam, seu concessionem, aut gratiam, vel litteras apostolicas pro commissionibus, seu mandatis, aut declarationibus hujusmodi, etiamsi motu proprio, et ex certa scientia, ac etiam ante motam litem a Sanctitate Sua emanaverint, vel de ejus mandato faciendas nulli jus sibi quæsitum quomodolibet tollatur. »

Regula de viginti.

19. « Item voluit, quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit, sive in Romana Curia, sive extra illam, aliquod beneficium, sive simpliciter, siva ex causa permutationis, vel alias dimiserit, aut illius commendæ cesserit, seu ipsius beneficii unionis dissolutioni consenserit etiam vigore supplicationis, dum esset sanus signatæ, et postea infra viginti dies a die per ipsium resignantem præstandi consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, et ipsum beneficium, quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare. »

De idiomate.

20. « Item voluit, quod si contingat tam in Curia, quam extra, alicui personæ de parochiali ecclesia, vel quovis alio beneficio exercitium curæ animarum parochianorum quomodolibet habente, provideri nisi in persona intelligat, et intelligibiliter loqui sciat idioma loci, ubi ecclesia, vel beneficium hujusmodi consistit, provisio, seu mandatum, et gratia desuper quoad parochialem ecclesiam, vel beneficium hujusmodi nullius sint roboris, vel momenti. Decernens irritum, etc. »

De non impetrando beneficium per obitum viventis.

21. « Item si quis supplicaverit sibi de beneficio quocunque tanquam per obitum ali-

cujus, licet tunc viventis, vacante provideri, et postea per obitum ejus vacet : provisio, et quævis dispositio etiam vigore alterius novæ supplicationis, vel gratiæ dicto supplicanti per obitum hujusmodi denuo faciendæ nullius sint roboris, vel momenti. »

De unionibus, et unionum confirmatione.

22. « Item voluit, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri teneantur exprimere verum annuum valorem secundum communem existimationem, tam beneficii uniendi, quam illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valeat, et semper in unionibus commissio fiat ad partes, vocatis quorum interest. Et idem voluit observari in quibusvis suppressionibus, perpetuis, concessionibus, dismembrationibus, et applicationibus, etiam de quibuscunque fructibus, et bonis ecclesiasticis, ac etiam in confirmationibus unionum, singularumque dispositionum hujusmodi. »

De mendicantibus transferendis.

23. « Item de mendicantibus transferendis, qui alios ordines transierint pro tempore, voluit constitutionem fel. record. Martini Papæ V, prædecessoris sui desuper factam, et in libro Cancellariæ apostolicæ descriptam, quæ incipit, *Viam ambitiosæ cupiditatis*, etc., firmiter observari. »

De male promotis.

24. « Item de clericis extra tempora a jure statuta, sive ante ætatem legitimam, aut absque dimissoriis litteris ad sacros ordines se promoveri facientibus pro tempore, etiam voluit constitutionem piæ mem. Pii Secundi similiter prædecessoris sui desuper editam, et in d. cancellariæ apostolicæ libro descriptam, quæ incipit. *Cum ex sacrorum ordinum*, etc. pari modo observari. »

De moneta.

25. « Idem declaravit idem Dominus Noster, quod libra turonensium parvorum, et florenus auri de Camera pro æquali valore in concernentibus litteras, et Cameram apostolicam computari, et extimari debeant. »

De beneficiis vacaturis per promotionem ad Ecclesias, et monasteria.

26. « Item prædictus D. N. Papa voluit, decrevit, et ordinavit, quod quæcunque concessiones, gratiæ, et mandata etiam motu proprio, et cum derogatione hujus constitutionis, quæ ab eo pro quibusvis personis emanaverint de providendo eis de quibusvis beneficiis vacaturis per promotionem quorumcunque, ad ecclesiarum, et monasteriorum regimina, si hujusmodi concessiones, et mandata diem promotionis promovendorum ipsorum præcesserint, nec non quæcunque collationes, provisiones, et dispositiones pro tempore faciendæ de præmissis, et quibusvis aliis beneficiis ecclesiasticis sæcularibus, et regularibus, quæ per promovendos, vel assumendos ad quascunque prælaturas, inter illarum vacationis, et hujusmodi promotionis, vel assumptionis tempora simpliciter, vel ex causa permutationis ubicunque resignari, vel alias dimitti contigerit cum inde secutis pro tempore sint cassæ, et irritæ, nulliusque roboris, vel momenti. »

De non judicando juxta formam supplicationum, sed litterarum expeditarum.

27. « Item cum ante confectionem litterarum gratia apostolica sit informis, voluit, statuit, et ordinavit idem Dominus Noster, quod Judices in Romana Curia, et extra eam pro tempore existentes, etiamsi sint S. R. E. cardinales, causarum palatii apostolici auditores, vel quicunque alii non juxta supplicationum signatarum super quibusvis impetrationibus (nisi in dicta Curia duntaxat sint commissiones justitiam concernentes per *Placet*, vel per S. R. E. vicecancellarium juxta facultatem super hoc sibi concessam signatæ) sed juxta litterarum super eisdem impetrationibus, et concessionibus confectarum tenores, et formas judicare debeant. Decernentes irritum, etc. Et si litteræ ipsæ per præoccupationem, vel alias minus bene expeditæ reperiantur ad illorum quorum interest instantiam, ad apostolicam cancellariam remitti poterunt per ejus officiales, quibus hujusmodi tenores, et formas restringere convenit, ad formas debitas reducendæ. »

De regulis Cancellariæ producendis.

28. « Item attendens D. N. Papa, quod super habendis de Cancellaria apostolica regulis, et constitutionibus inibi descriptis faciliter per eos qui in Romana Curia indiguerint, ad ipsam Cancellariam recursus dirigi potest, nec consultum foret, quod super earumdem regularum, et constitutionum (quæ juxta varietatem concurrentium

causarum, et negotiorum aliquoties immutari convenit) probando tenore, vel effectu testium plerumque tenacem desuper memoriam non habentium depositionibus stari deberet, voluit, statuit, et ordinavit, quod deinceps quilibet ex auditoribus causarum palatii Apostolici, et aliis (etiamsi S. R. E. sint cardinales) in ipsa Curia pro tempore deputatis auctoritate apostolica judicibus, etiam in causis actu pendentibus super hujusmodi tenore, vel effectu probando duntaxat stet, fidemque adhibeat schedulæ, seu scripturæ desuper a duobus majoris præsidentiæ, quod danda sit a tergo signatæ, et etiam a duobus aliis litterarum apostolicarum abbreviatoribus in ipsa Cancellaria auscultatæ, et vicecancellarii, seu dictam Cancellariam regentis manu subscriptæ, ut moris est; quidquid autem secus fieri contigerit, nullius sit roboris, vel momenti. »

De subrogandis collitigantibus.

29. « Item D. N. cupiens litium succedere anfractus, et ne novi collitigantibus adversarii dentur, providere, voluit, statuit, et ordinavit, quod quoties deinceps aliquem super quovis beneficio ecclesiastico collitigantem in jure, vel ad jus, si quod forsan ejus adversario in dicto beneficio competierit, subrogari contigerit (dummodo prædictus collitigans in dicto beneficio intrusus non fuerit, nec super eo contra dictum adversarium postquam illud per triennium pacifice possederit, lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de præmisso jure, sive tunc vacet, vel cum vacaverit impetrationes, vel concessiones etiam motu proprio infra mensem ante concessionem hujusmodi factæ nullius sint roboris, vel momenti. Et nihilominus cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium beneficia illorum præsertim, quibus, aut propter senium, aut propter infirmitatem immineret vitæ periculum impetrant, ut illis decedentibus tanquam collitigantes in eorum juribus facilius subrogentur. Voluit, ut deinceps nullus in jure, vel ad jus in beneficio defuncti, quod illo vivente in casibus præmissis, vel similibus impetraverit aliquo modo subrogetur, ac subrogatio, vel gratia, *Si neutri*, *Si nulli*, seu *Novæ provisionis*, aut *Perinde valere*, taliter impetranti nullatenus suffragetur, quod etiam strictissime observari mandavit in impetrationibus beneficiorum per privationem et amotionem ex quibusvis criminibus, et excessibus forsan perpetratis, etiamsi usque ad diffinitivam sententiam, quæ tamen in rem non transiverit judicatam, processum foret. »

De verisimili notitia.

30. « Item voluit, et ordinavit, quod omnes gratiæ, quas de quibusvis beneficiis ecclesiasticis cum cura, vel sine cura sæcularibus vel regularibus per obitum quarumcunque personarum vacantibus, in antea fecerit, nullius roboris, vel momenti sint, nisi post obitum, et ante datam gratiarum hujusmodi tantum tempus effluxerit, quod interim vacationes ipsæ de locis, in quibus personæ prædictæ decesserint, ad notitiam ejusdem S. D. N. verisimiliter potuerint pervenisse. »

Non valeant commissiones causarum, nisi Litteris expeditis.

31. « Item quod omnes, et singulæ commissiones causarum, quas in antea fieri contigerit, obtentæ, vel occasione concessionum duntaxat apostolicarum, de beneficiis ecclesiasticis gratiarum super quibus litteræ apostolicæ confectæ non fuerint, ac processus desuper habendi nullius sint roboris, vel momenti. »

De impetrantibus beneficia per obitum familiarium cardinalium.

32. « Item voluit, quod impetrans beneficium vacans per obitum familiaris alicujus cardinalis teneatur exprimere nomen, et titulum ipsius cardinalis, si ille in Curia fuerit, ipsius ad id accedat assensus, alias desuper gratia sit nulla, et idem servari voluit, si cardinales quomodolibet ab ipsa Curia absentes, et ubilibet etiam in locis infra duas dietas vicinis degentes, familiamque, et lares in eadem Curia retinentes ab ipsa Curia recesserint ad eamdem illico reversuri, et infra decem, vel ad summum quindecim dies vere, et personaliter reversi fuerint. Ita quod cardinalibus alias quam, ut præfertur ex quacunque causa quamtumlibet necessaria et hic necessario exprimenda abstentibus facultas præstandi consensum hujusmodi non competat, sed beneficia hujusmodi ad liberam Sanctitatis Suæ, et Sedis apostolicæ provisionem, et dispositionem pertineant. Declarans regulas, et constitutiones suorum prædecessorum, etiam a die earum editionis, et publicationis super assensu hujusmodi præstando sic intellectas

et intelligendas fuisse. Irritumque etc. attentari decernens. Quodque si prædicti familiares eorumdem cardinalium familiares esse desierint; seu ad aliorum cardinalium familiaritate priori duranti obtinuerint, et in quibus, vel ad quæ priori ipsa familiaritate durante jus eis competierit, cardinales quorum prius familiares fuerint suum habeant adhibere consensum. Declarens præsentem constitutionem locum non habere in illis beneficiis, quæ familiares ipsi, tempore obitus eorum in dicta Curia, vel extra eam obtinerent, aut antea obtinuissent, et ratione officiorum per eos obtentorum dictæ dispositioni generaliter reservata, vel effecta fuisse apparent. Nec non illos quoad effectum dictæ constitutionis familiares eorumdem cardinalium censeri, qui ipsorum cardinalium familiares continui commensales ad minus per quatuor menses, computato etiam tempore ante promotionem ad cardinalatum, fuisse probarentur. Decernens irritum, etc. »

Super eadem familiaritate.

33. « Item D. N. ad evitandas lites et contentiones, quæ ex præcedenti sua constitutione exoriri possent, vestigiis prædecessorum suorum inhærendo, voluit, statuit, et ordinavit, quod si beneficia, quæ per obitum familiarium continuorum commensalium eorumdem cardinalium, in futurum vacabunt, cessantibus apostolicis reservationibus ad alterius cardinalis collationem, vel aliam dispositionem pertinere deberent, in dicta præcedenti constitutione non comprehendantur, quod hoc, ut in provisionibus talium beneficiorum super expeditione litterarum illius cardinalis, cujus familiaris defunctus ille extitit, consensus requiri debeat. Sed beneficia hujusmodi ad collationem, seu quamvis dispositionem cardinalis ordinarii collatoris, ut præfertur libere spectare censeantur. Et si apud Sedem apostolicam beneficia hujusmodi per obitum dictorum familiarium vacaverint; tunc in provisione talium beneficiorum, super expeditione litterarum, illius cardinalis exigatur consensus, si in Romana Curia præsens fuerit, ad quem eorumdem collatio, et dispositio, ut præfertur, pertinere deberet. Ita ut cardinalis ordinarius collator, in concursu cum cardinali patrono semper præferri debeat, salvis tamen semper indultis concessis, et concedendis eisdem S. R. E. cardinalibus, Decernens irritum, etc. »

Signatura per Fiat *præferatur alteri per concessum.*

34. « Item voluit idem D. N. quod concurrentibus eadem die super quocunque beneficio per *Fiat*, et concessum signaturis, ex eis per *Fiat* etiam, ut petitur habens alteri per concessum etiam motu proprio habenti præferatur etiamsi in illa per concessum prægnantiores, et quantumlibet privilegiativæ essent clausulæ. »

De annali possessore.

35. « Item S. D. N. ut improbi lites exquirentium motus reprimantur, *Voluit, statuit, et ordinavit*, quod quicunque beneficium ecclesiasticum tunc per annum immediate præcedentem pacifice possessum, et quod certo modo vacare prædentitur, deinceps impetraverit, nomen, gradum, et nobilitatem possessoris ejusdem, et quot annis ipse illud possederit, ac specificam, et determinatam, ex qua clare poterit constare, quod nullum ipsi possessori in dicto beneficio jus competat, causam in hujusmodi impetratione exprimere, et infra sex menses ipsum possessorem ad judicium evocari facere causamque ex tunc desuper infra annum usque ad sententiam diffinitivam inclusive prosequi debeat, et teneatur. Alioquin impetratio prædicta, et quæcunque inde secuta nullius existant firmitatis. Et idem impetrans de damnis, et interesse possessorem prædictum propterea contingentibus ei satisfacere, et si possessorem ipsum injuste, frivole, et indebite molestare repertus extiterit, quinquaginta florenos auri persolvere cameræ apostolicæ sit adstrictus, nec alius quam præmissæ vacationis modus etiam per litteras *Si neutri*, aut subrogationis alias sibi quoad hoc, ut beneficium hujusmodi ea vice consequi, aut obtinere valeat, quomodolibet suffragetur, illudque nullatenus in antea litigiosum propterea censeatur. Quod etiam extendi voluit ad impetrantes beneficia ecclesiastica cujuscunque qualitatis per privationem, et amotionem, vel alias propter commissa excessus, et crimina vacantia, vel vacatura, et similiter ad impetrantes beneficia tanquam vacantia per devolutionem. »

De triennali.

36. « Item statuit, et ordinavit idem D. N. quod si quis quæcunque beneficia ecclesiastica qualiacunque sint absque simoniaco in-

gressu, ex quovis titulo apostolica, vel ordinaria collatione, aut electione, et electionis hujusmodi confirmatione, seu præsentatione, et institutione illorum, ad quos beneficiorum hujusmodi collatio, provisio, electio, et præsentatio, seu quævis alia dispositio pertinet, per triennium pacifice possederit (dummodo in beneficiis hujusmodi, si dispositioni apostolicæ ex reservatione generali in corpore juris clausa reservata fuerint, se non intruserit) super eisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat, nec non impetratione quaslibet de beneficiis ipsis sic possessis factas, irritas, et inanes censeri debere decrevit, antiquas lites super illis motas penitus extinguendo. »

De non appellando ante sententiam diffinitivam.

37. « Item idem D. N. ut finis litibus celerius imponatur, et litigantium parcatur sumptibus, et expensis, suorum prædecessorum constitutionibus, et statutis inhærendo, statuit, et ordinavit, quod in causis pendentibus, et quas in posterum contigerit agitari, nulli ante diffinitivam sententiam liceat appellare, nec appellatio, si fuerit emissa, debeat admitti, nisi ab interlocutoria, quæ vim habeat diffinitivæ, vel a gravamine minime concernente negotium principale, quod non possit per appellationem a diffinitiva sententia reparari. Nullæque causæ appellationum committantur, nisi in commissione exprimatur, quod interlocutoria vim diffinitivæ habeat, vel gravamen sit tale, quod in appellatione a diffinitiva non valeat reparari. Alioquin appellationes, et commissiones in posterum, et quidquid inde secutum fuerit, nullius sint roboris, vel momenti, commissionibus appellationum jam judicibus præsentatis, et exhibitis in suo robore permansuris, in quibus latis super eisdem sententiis, secundo, vel ulterius ab eis non liceat appellare. Appellantes vero, et appellationes etiam ab interlocutoriis, et gravaminibus hujusmodi, suo, vel alterius nomine prosequentes, si succubuerint, ultra expensas, et damna, ad quæ reficienda de jure condemnatus compellitur, viginti florenorum auri pœna mulctetur. »

Non stetur commissioni post conclusionem.

38. « Item statuit, et ordinavit, quod in commissionibus de justitia, seu mandatis etiam consistorialibus per eum, seu de ejus mandato, vel auctoritate in causis, in quibus conclusum existat, in posterum concedendis, etiamsi in eis de conclusione hujusmodi implicite, vel explicite mentio facta fuerit, nihil censeatur esse concessum, nisi per concessionem hujusmodi commissionis, eidem conclusioni, ac præsenti regulæ, derogetur expresse. »

De litteris religiosorum expediendis.

39. « Item voluit, et ordinavit, quod si aliqui religiosi petunt aliquod beneficium ad nutum amovibile cum clausula: quod exinde solo nutu abbatis, vel superioris amoveri non possint, litteræ quoad ipsam clausulam nullatenus expediantur, nisi idem D. N. ponat signatura, quod non possit amoveri, vel ad partem clausulam ipsam concedat. »

De clausula ponenda in litteris permutationis Beneficiorum.

40. « Item si committatur alicui beneficii resignationis receptio, ponatur clausula; *Attente quoque provideas*, etc. Et si ex causa permutationes fiant, ponatur clausula, *Quod neuter permutantium jus acquirat*, nisi quilibet ipsorum jus habuerit in beneficio per ipsum resignato. »

De supplendis defectibus.

41. « Voluit, quod si petatur suppleri defectus in genere, nullatenus litteræ desuper concedantur, nisi in petitione desuper hujusmodi defectus exprimantur, vel per, *Fiat, ut petitur*, supplicatio signata fuerit. »

De derogatione jurispatronatus.

42. « Item voluit, quod super quovis beneficio ecclesiastico de jurepatronatus laicorum non expediantur litteræ, nisi ponatur expresse, quod tale beneficium tanto tempore vacabit quod ejus collatio ad Sedem apostolicam legitime est devoluta, vel quia tempus patronis laicis ad præsentandum, a jure præfixum lapsum existat, aut ad id patronorum ipsorum accedat assensus. Et si per ipsum juripatronatus hujusmodi derogari contigerit, juripatronatus hujusmodi mentio, dispositive, ac specifice, et determinate, non autem conditionaliter fiat, si illud ad aliquem regem, ducem, marchionem, vel alium principem pertineat. Et si de hoc in litteris provisionis, vel mandato de providendo de dicto beneficio, similis mentio facta non fuerit, non censeatur quomodolibet derogatum. »

De commendis.

43. « Item voluit, quod nulli sæculari de regulari, nec religioso de sæculari beneficiis commenda detur, nisi in signatura per clausulam ad partem super commendæ hujusmodi, de commenda ipsa mentio fiat. »

De reformationibus.

44. « Item voluit, statuit, et ordinavit: quod super quibuscunque reformationibus signatis super impetrationibus quorumcunque beneficiorum vacantium, vel certo modo vacaturorum, in quibus petitur, quod litteræ super prima data expediri possint, si ex hujusmodi expeditione sub tali data, cuiquam videatur posse fieri præjudicium, litteræ hujusmodi sub ipsa prima data nullatenus expediantur, nisi reformationes hujusmodi per *Fiat* sub prima data signatæ fuerint. »

De consensu in resignationibus, et pensionibus.

45. « Item voluit, et ordinavit, quod super resignatione cujuscunque beneficii ecclesiastici, seu cessione juris in eo, quam in manibus suis, vel in Cancellaria apostolica fieri contigerit, apostolicæ litteræ nullatenus expediantur, nisi resignans, vel cedens, si præsens in Romana Curia fuerit personaliter, alioquin per procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, expeditioni hujusmodi in eadem Cancellaria expresse consenserit, et juraverit, ut moris est. Et si ipsum resignantem, seu cedentem pluries super uno, et eodem beneficio in favorem diversarum personarum successive consentire contigerit; Voluit Sanctitas Sua, quod primus consensus tenere debeat, et ali posteriores consensus, ac litteræ eorum prætextu etiam sub priori data expeditæ pro tempore nullius sint roboris, vel momenti, nec litteræ reservationis, vel assignationis etiam motu proprio cujusvis pensionis annuæ, super alicujus beneficii fructibus expediri possint, nisi de consensu illius, qui pensionem persolvere tunc debebit. »

In ingressu religionis.

46. « Item non dentur litteræ super beneficiis vacaturis per ingressum religionis, nisi professio præcesserit Datam desuper petitionis. »

Non valeat impetratio facta per modum in Cancellaria exprimendum.

47. « Item voluit, quod si petatur aliquod beneficium vacans per modum in Cancellaria apostolica exprimendum, talis impetratio non valeat, nec litteræ desuper expediantur. »

De executione facienda.

48. « Item voluit, statuit, et ordinavit, quod quotiescunque per Signaturam suam, vel de ejus mandato factam, super exequendis aliquis, cum adjectione proprii nominis, vel dignitatis cujusvis, judex datur, litteræ desuper expediantur cum expressione, quod idem judex executionem faciat per se ipsum. »

De dispensationibus in gradibus consanguinitatis.

49. « Voluit, quod in litteris dispensationum super aliquo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, aut alias prohibito, ponatur clausula, *Si mulier rapta non fuerit.* Et si scienter, ponatur clausula addita in quaterno. »

Super defectu natalium.

50. « Voluit, quod in dispensationibus super defectu natalium, quod possint succedere in bonis temporalibus, ponatur clausula, *Quod non præjudicetur illis,* ad quos successio bonorum ab intestato pertinere debeat. »

Super dispensationibus.

51. « Item, quod per quamcunque Signaturam in quavis gratia, nullatenus dispensatio veniat, nisi specialiter exprimatur, vel dicta gratia totaliter effectum hujusmodi dispensationis, concernat, vel alias nihil conferat, aut operetur. »

Nulli suffragetur dispensatio, nisi litteris confectis.

52. « Item, cum concessiones super gratiis dispensationum quarumcunque quibusvis per ipsum D. N. concessarum, vel concedendarum per regulas Cancellariæ apostolicæ sint provide limitatæ, licet aliquando in petitionibus super ejusmodi concessionibus oblatis, multa sint petita, ne quis talium concessionum prætextu, id dispensative tenere, aut facere præsumat, ad quod concessiones

hujusmodi se non extendant, voluit idem D. N. quod nulla talis dispensatio cuipiam in judicio, vel extra suffragetur, antequam super ea litteræ apostolicæ sint confectæ. »

De clausulis ponendis in litteris indulgentiarum.

53. « Item voluit, quod in litteris indulgentiarum ponatur, quod si Ecclesiæ, vel capellæ, aut alias aliqua indulgentia fuerit concessa, de qua inibi specialis mentio facta non sit, hujusmodi litteræ sint nullæ. »

De indulgentiis concessis ad instar.

54. « Item voluit idem D. N. quod litteræ super indulgentiis non expediantur *ad instar* nisi specificentur. »

De exprimendo valore beneficiorum in impetrationibus.

55. « Item voluit, quod in gratiis, quas quibusvis personis, de beneficiis vacantibus, seu certo modo vacaturis fieri contigerit, illorum, et aliorum quorumcunque beneficiorum, quæ dictæ personæ tunc obtinuerint, seu de quibus eis fuerit provisum, vel concessum, aut mandatum provideri, verus annuus valor per marchas argenti, aut sterlingorum, vel libras turonen parvorum, seu florenos auri, aut ducatos, vel uncias auri, seu aliam monetam secundum communem existimationem exprimatur, nisi personæ prædictæ beneficia, quæ tunc obtinuerint, aut in quibus, vel ad quæ jus eis competit, juxta ipsarum oblationes, aut alias dimittere teneatur, alioquin gratiæ prædictæ sint nullæ. Et idem servetur in gratiis, quas a Sanctitate Sua motu proprio emanare contigerit, quoad beneficia tamen, de quibus per Sanctitatem Suam pro tempore providetur, seu provideri mandatur, aut alias disponitur, ac litteris per quas pro tempore ad ecclesiarum patriarchalium, et cathedralium, ac monasteriorum regimina promotis conceditur, ut monasteria, et alia beneficia ecclesiastica sæcularia, et regularia per eos obtenta, et in quibus, et ad quæ jus eis competit, retinere possint. »

De clausulis in beneficiis vacantibus ponendis.

56. « Voluit, et ordinavit, quod quando providet, seu mandat provideri alicui de beneficio ecclesiastico vacante, tunc dari poterunt clausulæ, si petantur, etiamsi illud quovis modo etc. seu per constitutionem *Execrabilis* vacet, et specialiter reservatum inter aliquos litigiosum sit, et jus collatio devoluta fuerit, et si pro collitigante, vel subrogationem, aut *Si neutri*, vel *Si nulli*, etc. petente, si tunc lis specifice exprimatur, nec detur aliqua generalis reservatio dispositive, nisi desuper in concessione specialis, et expressa ac pure, et non sub conditione mentio fiat, ut tunc reliquæ reservationes ibi contentæ veniant. Si vero tempore expeditionis inde litterarum generalis reservatio hujusmodi probari non possit, aut in novis provisionibus, seu pro collitigantibus, *Si neutri*, vel *Si nulli*, etc. sit expressum, quod ab aliquibus asseritur illum, cujus beneficium conceditur, collectorem, vel unicum subcollectorem, abbreviatorem, vel familiarem, notarium, aut dictæ sedis officialem fuisse, clausula ponatur etiamsi dictum beneficium ex eo quod talis collector, vel unicus collector, abbreviator, vel familiaris, notarius, aut dictæ Sedis officialis fuit, dispositioni apostolicæ generaliter reservatum existat, dummodo non sit in eo alicui specialiter jus quæsitum. In reliquis vero nulla clausula detur, unde reservatio generalis elici possit, nisi desuper signatura per duplex *Fiat*, signata sit, aut reservatio, vel alias specialiter habeatur. »

De expressione qualitatum beneficiorum in impetrationibus.

57. « Item voluit, quod super beneficiis ecclesiasticis de qualitatibus illorum, videlicet, an dignitates, personatus, vel officia sint, eisque immineat cura animarum, et ad illa consueverint qui per electionem assumi mentio fiat, alias gratiæ desuper factæ sint nullæ. Et si qualitates hujusmodi affirmative, vel conditionaliter non exprimantur, negativa expresse desuper fiat in beneficiis, quæ tales qualitates, vel ex eis aliquas consueverint habere. »

De beneficiis vacantibus per contractum matrimonii.

58. « Item si reservetur beneficium per contractum matrimonii, non dentur alii modi vacationum de futuro, nec censeatur beneficium reservatum specialiter, vel affectum, nisi sequatur matrimonium; sed in beneficiis per promotionem, aut ingressum religionis, vel assecutionem vacaturis, ponatur clausula etiamsi non petatur : Cum beneficia hujusmodi præmisso, vel alias quovis modo, etc., præterquam per obitum obtinentis va-

care contigerit, etiamsi vacent. Decernente irritum, etc. »

De clausulis ponendis in litteris religiosorum.

59. « Item voluit, quod si petatur aliquem in religionem recipi et sibi de quovis beneficio ecclesiastico provideri per simplicem signaturam *Fiat,* receptio hujusmodi duntaxat detur, adjecto, si petens idoneus sit, aut aliud canonicum non obsistat, et exprimatur si certus numerus regularium sit ibidem, cui etiam non derogetur, nisi expresse concedatur, et si numerus iste non existat, ponatur : Dummodo receptionis locus hujusmodi nimium, propterea non gravetur. Possintque executores provisionis hujusmodi, ad receptionem emissionis professionis, non expectato probationis anno, procedere. »

De translatione religiosorum.

60. « Item, si regularis petat sibi de beneficio ab aliquo monasterio, vel alio regulari loco dependente, provideri, et appareat ex petitione hujusmodi, quod alterius monasterii, vel loci religiosus sit, licet ibi translatio non petatur; nihilominus ille veniat. »

De clausula, si est ita.

61. « Item, quod in litteris super beneficiis per constitutionem *Execrabilis*, vacantibus ponatur clausula, *Si est ita*, similiter de quibuscunque narratis informationem facti requirentibus. »

Petenti provideri de vacaturo, dentur litteræ vacanti.

62. « Item petenti sibi provideri de vacaturo, dentur litteræ de vacanti, prout expedierit impetranti. »

Revocatio decimarum, et aliarum impositionum.

63. « Item revocavit quascunque decimarum, nec non subsidiorum, vigesimæ, et aliorum onerum impositiones ex quavis causa emanatas, et quascunque facultates super decimarum, vigesimæ, et onerum hujusmodi exactione, quibusvis fructuum, et proventuum Cameræ apostolicæ debitorum collectoribus, et apostolicæ Sedis nuntiis ac eisdem prædecessoribus concessas. Suspendit quoque, ad Suæ Sanctitatis, et Sedis apostolicæ beneplacitum quascunque plenarias indulgentias ab eisdem prædecessoribus concessas. Suspendit quoque, ad Suæ Sanctitatis, et Sedis apostolicæ beneplacitum quascunque plenarias indulgentias ab eisdem prædecessoribus ex quavis causa etiam expeditionis contra Turcas, orthodoxæ fidei hostes, si quæ per nuntios, vel quæstores deferebantur, nec non deputandi, et eligendi confessores, qui plenarie absolvant, et alia faciant, ad earumdem indulgentiarum suspensarum effectum, reliquasque facultates, ipsas indulgentias quomodolibet concernentes, præterquam quoad ea, in quibus indulgentiæ, et facultates in aliqua sui parte sint sortitæ effectum. Ita ut illis, qui implentes injuncta eis in litteris indulgentiarum hujusmodi jam consecuti sunt facultatem eligendi confessores, qui absolvant eos plenarie in mortis articulo; per hujusmodi suspensionem non præjudicetur, quin facultate ipsa uti possint in futurum : Decrevit quoque irritum, et inane, quidquid facultatum revocatarum earumdem prætextu in posterum contigerit attentari. »

Revocatio facultatum recipiendi pretium officiorum.

64. « Item revocavit, cassavit, et annullavit, ac irritas declaravit quascunque facultates, percipiendi pretium officiorum Romanæ Curiæ pro tempore vacantium in toto, vel in parte, et quasvis concessiones, et collationes, aliasque dispositiones per fel. recor. Innocentium XII. aliosque prædecessores de dictis officiis etiam ex die collationum, concessionum, et dispositionum earumdem in antea vacaturis, in favorem quarumcunq; personarum, ecclesiarum, monasteriorum, piorum locorum, collegiorum, seu eorum mensarum, etiam perpetuo, etiam in vim contractus, et ex titulo oneroso, et sub quavis alia verborum forma, quam, et præmissorum tenores pro expressis haberi voluit, concessas et factas quoad officia, quæ post obitum dictorum prædecessorum, vacarunt, et in posterum quomodolibet vacabunt. Item revocavit quoque, cessavit, et annullavit, ac irritas declaravit quascunque infeudationes, investituras, gratias, concessiones quoquomodo etiam in emphiteusim, ad tempus, seu in perpetuum, etiam motu proprio, et de plenitudine potestatis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis (extra tamen consistorium, et sine S. R. E. cardinalium consilio, et consensu) a die constitutionis fel. record. Pii V. PP. prædecessoris sui super prohibitione alienandi et infeudandi civitates

et loca S. R. E. sub datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, quarto kal. aprilis, pontificatus sui anno secundo usque in præsentem diem, per quoscunque Romanos Pontifices suos prædecessores, aut mandato, vel auctoritate eorum, quomodocunque, vel qualitercunque, et quovis colore factas, et concessas de civitatibus, terris, oppidis, castris, arcibus, et locis S. R. E. et sanctæ Sedis apostolicæ, et tam mediate quam immediate subjectis, tunc videlicet de tempore dictarum infeudationum, investiturarum, gratiarum, et concessionum nondum devolutis, nec non quascunque prorogationes, et extensiones quarumcunque infeudationum, investiturarum, gratiarum, et concessionum de dictis civitatibus, terris, oppidis, castris, arcibus, et locis tunc videlicet de tempore dictarum prorogationum, et extensionum nondum finitarum quibusvis personis, cujuscunque gradus, status, et conditionis, et præeminentiæ, etiamsi imperiali, regali, ducali, aut alia quavis præfulgeant dignitate, etiam in vim contractus, et ex quocunque titulo etiam oneroso, et per quascunque tam sub plumbo, quam in forma Brevis sub annulo Piscatoris, aut etiam alias quomodocunque, et qualitercunque expeditas litteras, ac sub quavis verborum forma, quam, et præmissorum omnium tenore, Sanctitas Sua pro expressis haberi voluit, latissime extendendos. »

Quod fructus in tertia parte augeri possint vigore clausulæ.

65. « Item cum nonnulli in impetrationibus beneficiorum ecclesiasticorum pro tempore vacantium, et certo modo vacaturorum, asserendo illorum fructus, etc. certum per eos expressum annuum valorem non excedere, nonnunquam obtineant a Sanctitate Sua, ut hujusmodi valorem annuum augere possint, ut verius possint in confectione litterarum, super hujusmodi impetrationibus summa, aut valor annuus exprimi, aliter desuper non specificato, ne de veritate hujusmodi concessionis in posterum hæsitari contingat, declaravit prætextu concessionis hujusmodi, valorem ipsum usque ad tertiam partem valoris expressi, et in prima, quæ desuper fiet, litterarum expeditione duntaxat augeri posse, et eas, quas litteris jam expeditis cum expressione valoris specificati, aut non integro augmento prædicto, denuo desuper expediri contigerit litteras, cum aliquo augmento valoris hujusmodi, nullius esse roboris, vel momenti, etiamsi motu proprio beneficiales gratiæ, et dispositiones, quæcunque a Sanctitate Sua emanaverint. »

De insordescentibus.

66. « Item, ne personis, pro quibus litteræ Suæ Sanctitatis emanabunt ob generalem absolutionem a censuris ecclesiasticis, quibus ligati forent, ad eorum effectum indifferenter concedi, et in litteris apostolicis apponi solita, præstetur occasio censuras ipsas vilipendendi, et insordescendi in illis, statuit, et ordinavit hujusmodi absolutionem, et clausulam in litteris, quas in futurum cum illa concedi continget, non suffragari non parentibus rei judicatæ, incendiariis, violatoribus ecclesiarum, falsificatoribus, et falsificari procurantibus litteras, et supplicationes apostolicas, et illis utentibus, receptatoribus, et fautoribus eorum, ac res vetitas ad infideles deferentibus, violatoribus ecclesiasticæ libertatis, via facti ausu temerario apostolicis mandatis non obtemperantibus, et nuntios, vel executores apostolicæ sedis, et ejus officialium, ejus commissa exequentes impedientibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicati a jure, vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam hujusmodi sustinuerint. Et generaliter quibuscunque aliis, qui censuris aliquibus etiam alias, quam ut præfertur, quomodolibet ligati in illis per annum continuum insorbuerint. »

Officiales nihil exigant ultra debitum.

67. « Item D. N. exactionibus, quas Sanctitas Sua non sine displicentia plerumque fieri intellixit per officiales Romanæ Curiæ, qui constitutis sibi emolumentis pro exercitio officiorum, quæ obtinent, non contenti, ultra a prosequentibus negotiorum quorumdam expeditionem in eadem Curia exigere non verentur, obviare volens, districte præcipiendo inhibuit omnibus, et singulis quævis officia in eadem Curia obtinentibus, ne de cætero quicquam prætextu officiorum, quæ obtinent quovis colore etiam celerioris expeditionis, ultra emolumenta hujusmodi exigere, seu ad hunc effectum expeditionem eorum, quæ eis incumbunt, malitiose differre, sub excommunicationis, et præter illam suspensionis a perceptione emolumentorum

hujusmodi pro prima ad semestre, et pro secunda ad annum, et pro tertia vicibus quibus sic excederent, privationis officiorum per eos obtentorum, in quibus sic excesserint pœnis. Ac voluit, quod S. R. E. vicecancellarius, et camerarius, excedentes ipsos respective, prout eis subsunt, per substractionem emolumentorum eorumdem, ac alias, ut præfertur, compellant ab hujusmodi illicitis exactionibus abstinere, ac contra eos per prædictas pœnas, et alias, prout melius expedire viderint, procedant. »

Reservatio beneficiorum vacantium Sede apostolica vacante.

68. « Item Sanctissimus D. N. provide considerans, consuevisse quandoque Romanos Pontifices prædecessores suos beneficia, quæ vacante Sede apostolica vacare contigerant, dispositioni suæ reservare, intendens de beneficiis hujusmodi tam conclavisti, quam pauperibus clericis, et aliis bene meritis personis providere, omnia, et singula beneficia per regulas Cancellariæ apostolicæ, aut quaslibet alias apostolicas constitutiones temporales Romani Pontificis pro tempore existentis dispositioni quomodolibet, et ex quavis causa reservari solita, quæ a die obitus fel. rec. Innocentii XII, prædecessoris sui, usque ad diem vigesimam tertiam novembris vacaverunt, et de quibus per quoscunque ordinarios collatores, tunc dispositum non fuerat, seu minus valide dispositum fuerat, suæ provisioni, ac dispositioni reservavit. Decernens irritum, etc. »

Revocatio indultorum supervenientiæ.

69. « Item, quia ad importunam nonnullorum suggestionem quandoque contigit, prædecessores suos Romanos Pontifices pro tempore existentes, sub contractorum debitorum, vel diversis aliis prætextibus, concessisse, et indulsisse beneficiatis, ut fructus suorum beneficiorum, aut partem eorum anticipatis solutionibus ad tempus elocare, vel erga creditores, aut quascunque alias personas obligare, vel hypothecare, in solutum dare, aut alias quomodolibet de eis disponere liceret, ad tempus minime restrictum, ad vitam supplicantium cum gravi successorum præjudicio, et Ecclesiarum detrimento. Ideo indemnitati Ecclesiarum, et successorum in beneficiis hujusmodi salubriter consulere volens, revocavit, cassavit, et nonnullavit omnia, et singula indulta, et facultates in ea parte, qua needum vere, et realiter suum sortita sunt effectum, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores suos hactenus ad favorem quarumque personarum concessa, quibus eis, vel eorum singulis ullo modo, et ex quavis causa, vel prætextu permittitur fructus certos, vel incertos, jura, obventiones, et emolumenta quæcunque quorumlibet beneficiorum per eos obtentorum anticipatis solutionibus, ultra unicum annum elocare, arrendare, ad firmam, vel responsionem concedere, vel eos ad favorem quarumcunque personarum quomodolibet obligare, vel hypothecare, in solutum dare, aut de eis quomodolibet, et ex quavis causa disponere pro tempore, ad vitam beneficiatorum, et tempus, quo beneficia hujusmodi obtinuerunt, minime restricto, et coarctato illorum tenores, etc. Decernens irritum, etc. »

Quod cardinales non comprehendantur sub Regulis faciendis.

70. « Item, cum S. R. E. cardinales S. D. N. assistant, ac propterea debeant specialibus prærogativis, et privilegiis gaudere. Idem D. N. statuit, ordinavit, decrevit, et declaravit, quod in quibuscunque constitutionibus, et regulis per Sanctitatem Suam edendis non comprehendantur, neque comprehensi censeantur ipsi cardinales, nisi illæ eorumdem cardinalium, vel majoris partis eorum consilio editæ fuerit, seu in eisdem regulis, et constitutionibus facta fuerit ipsorum cardinalium expressa mentio.

Quod regulæ Cancellariæ non comprehendantur sub generalibus derogationibus.

71. « Item Sanctitas Sua statuit, et declaravit, quod præmissis, et quibusvis aliis regulis Cancellariæ suo tempore edendis, ac publicandis, nunquam censeatur derogatum, in quibuscunque constitutionibus, litteris, brevibus, indultis, et aliis ordinationibus apostolicis, etiam motu proprio, et ex certa scientia emanatis, per quæcunque verba et decreta derogatoria, irritantia universalia, et amplissima, et clausulas quantumvis efficacissimas etiam derogatoriarum derogatorias, atque specialis, et individuæ expressionis vim habentes, et habentia, nisi facta fuerit de illis expressa mentio, et non aliter, nec alio modo. »

De potestate Reverendissim. D. vicecancellarii, et cancellarium regentis.

72. « Primo, quod possit committere absolutionem illorum, qui ignoranter in supplicationibus, vel in litteris apostolicis aliquid scriberent, corrigerent, vel delerent.

« Item, quod possit corrigere nomina, et cognomina personarum, non tamen eorum, quibus gratiæ, et concessiones fiunt, ac beneficiorum, dum tamen de corpore constet.

« Item, quod possit omnes causas beneficiales, etiam non devolutas committere in Curia, cum potestate citandi ad partes.

« Item, quod processus apostolica auctoritate decretos aggravere possit cum invocatione brachii sæcularis; et sententias executioni demandari facere contra intrusos, et intrudendos per litteras Apostolicas desuper conficiendas, et non alias.

« Item quod possit signare supplicationes manibus duorum referendariorum signatas, de beneficiis ecclesiasticis sæcularibus, et regularibus dispositioni Apost. generaliter non reservatis, quorum cujuslibet valor centum florenorum auri de Camera, vel totidem librarum turonen. parvorum, seu totidem in alia moneta communem æstimationem, valorem annuum non excedet.

« Item quod possit signare supplicationes etiam duorum referendariorum manibus signatas de novis provisionibus, si neutri, et subrogationibus pro colligantibus, in quibus non detur clausula generalem reservationem importans.

« Item, quod possit ad ordines suscipiendos arctatis prorogare terminos de dictis suscipiendis ordinibus, usque ad proxima tunc a jure statuta tempora in quibus sic arctati successive ad ipsos ordines promoveantur. »

Placet, publicentur, describantur I. F.

« Lectæ, et publicatæ fuerunt suprascriptæ regulæ, ordinationes, et constitutiones in Cancellaria apostolica ab uno ex R. R. PP. DD. majoris præsidentiæ abbreviatoribus anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo, die vero decima quarta mensis decembris pontificatus prælibati sanctiss. Domini Nostri CLEMENTIS XI anno primo.

« *Joseph Maria Minicotius procustos.* »

§ XVII.

SOLVUNTUR VARIA DUBIA CIRCA REGULAS CANCELLARIÆ : UBI ET DE INTRUSIS IN BENEFICIO.

489. ***Regulariæ cancellariæ, an, et qualiter in judicio sint producendæ?*** — **Quæritur I. An, et qualiter in judicio producendæ sint regulæ Cancellariæ? Resp. I. De hoc disponitur per proxime relatam regulam 28. « De regulis Cancellariæ producendis, » inscriptam. Quia enim juxta varietatem concurrentium causarum, et negotiorum, aliquoties immutari convenit regulas Cancellariæ: hinc super probando earum tenore jubet Pontifex, non esse standum dictis testium, utpote tenacem desuper memoriam plerumque non habentium : sed voluit, atque ordinavit, ut judices in ipsa Curia auctoritate apostolica deputati, super hujusmodi tenore, et affectu probando duntaxat stent, fidemque adhibeant schedulæ, seu scripturæ, ad præviam indigentium supplicationem a duobus majoris præsidentiæ dandæ, et a tergo signatæ, et etiam a duobus aliis litterarum apostolicarum abbreviatoribus in ipsa Cancellaria ausculatæ, et vicecancellarii manu subscriptæ. « Quidquid autem secus fieri contigerit, nullius sit roboris, vel momenti, » inquit pontifex in citata regula 28. prout patebit eam legenti.**

490. ***Sententia lata regulis non productis subsistit, quando pars adversa non excepit contra hoc. Quando judex facit actum, qui potest esse præjudicialis parti, debet pars expresse contradicere : alias sibi præjudicat.*** — **Resp. II. His tamen non obstantibus, sententia lata regulis non productis in forma præscripta subsistit, quando pars adversa non excepit contra hoc. Ita Joan. a Chokier in reg. 26. (nunc 28.) Cancellariæ, quæ inscribitur, « De regulis Cancellariæ producendis: » n. 18. allegans plerosque omnes in dictam regulam scribentes; atque stylum Curiæ Romanæ, requirentem pro inducenda nullitate gestorum, quod excipiatur de regula non legitime producta. Accedit ratio: quia decretum illud irritans in fine citatæ regulæ appositum, habet tacitam conditionem; videlicet, si is, cujus favorem respicit, eadem uti voluerit, arg. l. et eleganter. § 1. juncta Glossa ỳ. *Nullam.* ff. *de Dolo malo.* Quoties enim autem judex facit actum, qui potest esse præjudicialis parti, debet pars expresse contradicere : alias sibi præjudicat, arg. l. l.**

C. *de Relationib.* ac notat Bartolus, ibid. ℣. *Ultimo nota.* Nam tacendo, juri suo tacite renunciat, atque in actum judicis consentire videtur; ut cap. II. *de Accusationib.* in 6. ubi Glossa ℣. *Reclamante,* istud ulterius probat ex reg. 43. jur. in 6. « Qui tacet consentire videtur. »

491. *Regula* 28. De regulis cancellariæ producendis, *non procedit in illis, quæ aliunde sunt notæ, saltem loquendo extra curiam romanam.* — Addit Chokier loc. cit. n. 20. post Alphonsum in *Glossemat.* cit. reg. n. 8. quod prædicta regula 28. « De Regulis Cancellariæ producendis » inscripta, non procedat in illis Cancellariæ regulis, quæ aliunde sunt notæ, et usitatæ, quæque vel per practicos, vel per codices regularum in urbe impresssos comprobari possunt : saltem loquendo extra Curiam Romanam, seu in aliis tribunalibus Orbis. Nam dicta regula 28. seu « De Regulis Cancellariæ producendis » incripta, loquitur expresse « de Auditoribus causarum palatii apostolici, et aliis in ipsa Curia pro tempore deputatis auctoritate apostolica judicibus, » uti patet ex textu. Simulque eadem regula pro sua ratione istam allegat : Quia « faciliter per eos, qui in Romana Curia indiguerint, ad ipsam Cancellariam recursus dirigi potest. » Hæc enim ratio cessat in tribunalibus extra Urbem existentibus, utpote in quibus non nisi difficulter, et majoribus cum sumptibus propter locorum distantiam, talis authentica productio regulæ haberi poterit. Et hinc placitum extat supremæ Curiæ Sabaudiæ, quo definitum fuit sufficere regulas Cancellariæ allegare, licet non proferantur sub plumbo : prout notat Chokier, ubi supra, post Ant. Fabium lib. IV. *Definit. forens.*, defin. 15.

492. *Utrum per clausulam generalem,* Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, *derogetur regulis cancellariæ? Et ratio dubitandi.* — Quæritur II. Utrum per clausulam generalem, « Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, » censeatur derogatum regulis Cancellariæ? Ratio dubitandi, et affirmativam tenendi, est : quia regulæ Cancellariæ appellantur *Ordinationes*, et *Constitutiones* apostolicæ, prout liquet ex earumdem rubrica, et procemio : ergo pariter sub generali constitutionum, et ordinationum apostolicarum derogatione videntur venire. Verum his non obstantibus.

493. *Negativa sententia tenetur.* — Resp. I. Sub clausula illa generali, « Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, » regularum Cancellariæ constitutiones non comprehenduntur; neque istis censetur derogatum, nisi de his specialiter mentio fiat. Ita Ludov. Gomez, seu Gomezius in procem. regular. Cancellar. quæst. 5. asserens, ita tenere stylum Cancellariæ, et Curiæ Romanæ, qui in hoc casu pro lege habetur, ipsique standum est, arg. c. *Quam gravi.* 6. *de Crimine falsi*, cum similibus. Atque pro hac sententia per eumdem Gomezium allegatur Rota in una Zamorens. thesaurariæ, de mense novemb. 1533, coram R. D. Nicolao Aragonia : et in alia Romana, *Pecuniaria,* coram D. Joanne Paulo, decis. 20, novemb. 1536. In quibus domini de Rota voluerunt, per ejusmodi clausulam non fuisse derogatum regulæ Cancellariæ, « De exprimendo valore : » neque Regulæ 35. (nunc 37.) « De non appellando ante sententiam diffinitivam. »

494. *Estque de facto certa.* — Atque hæc sententia de facto est certa; et expresse decisa per modernam, ac superius jam relatam regulam 71. Cancellariæ, « Quod regulæ Cancellariæ non comprehendantur sub generalibus derogationibus » inscriptam : quæ tamen primum addita fuit, neque reperitur inter regulas Cancellariæ Urbani VIII. (relatas tom. IV. *Bullarii Romani*, constitut. 7. dicti Pontificis) aut alias antiquiores. Accedit ratio : quia regulæ Cancellariæ continent clausulam derogatoriam voluntatis sequentis actus in contrarium; uti liquet ex earumdem procemio, ibi : « Et suo tempore duraturas observari voluit : » et post Petrum de Ancharano in consil. 297. in princip. notat Gomezius loc. cit. Atqui stante tali clausula non sufficit generalis, sed requiritur specialis derogatio, arg. l. *Si quis in principio.* ff. *de Legat,* III. et notat Bartolus, ibid. circa init. Eo quod clausula derogatoria voluntatis sequentis actus, habeat vim cujusdam protestationis præambulæ : qualis protestatio declarat, in sequenti actu voluntatem deesse, nisi expresse, revocatio fiat, ut l. *At si quis.* § *Plerique.* ff. *de Religios. et sumpt. funer.* cum similibus, et amplius declarat Gomez, ubi supra.

495. *Qualiter juxta regulam 9 cancellariæ initium mensium sit computandum? Mensis, quot dies contineat?* — Quæritur III. Qualiter juxta regul. 9. Cancellar. initium mensium sit computandum; præsertim incidente va-

catione beneficii in noctem ultimam mensis? Resp. I. Juxta prædictam regulam Cancellariæ fit computatio mensium, prout isti collocantur, et jacent in vulgato calendario per totum annum; sive dein mensis habeat triginta dies, sive plures, aut pauciores. Ita Glossa in c. *Quam sit.* ℣. *Mensem. de Electione*. in 6. Rebuffus in concordatis Franciæ, tit. *de Collationibus*. § *Præfatique.* ℣. *Sequentibus mensibus*; Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. gloss. 11. n. 7. citans alios. Nec immerito: quia licet alioquin, cum absolute fit mentio mensis, intelligatur triginta spatium dierum, l. ult. § *Sin autem dubius*. juncto § *Simili modo*. C. *de Jure deliberand.* et l. *Si venditor*. juncta l. *Ædiles aiunt*. ff. *de Ædilit. edict.* Vel saltem, « ubi lex duorum mensium fecit mentionem, et qui sexagesimo et primo die venerit, audiendus sit, » juxta textum expressum in l. *Ubi lex*. ff. *de Reg. jur*. Nihilominus istæ computationes dierum mensis impræsentiarum locum habere nequent, eo quod Pontifex in memorata regula nona Cancellariæ sibi reservaverit beneficia vacantia nominatim in singulis januarii, februarii, aprilis, maii, etc. mensibus. Vel respectu episcoporum apud ecclesias suas personaliter residentium, beneficia vacantia in mensibus januarii, martii, maii, julii, septembris, et novembris: qui sex menses etiam in concordatis Germaniæ collationi Papæ reservantur.

496. *Mensis apostolicus v. g. januarii, incipit a media nocte primi diei, et terminatur in media nocte ultimi diei, etc.* — Itaque mensis apostolicus, v. g. januarii, incipit a media nocte primi diei hujus mensis, et terminatur in media nocte ultimi diei ejusdem mensis: sic enim primus dies memorati mensis januarii more Romano incipit, ac desinit ultimus, l. *More Romano* ff. *de Feriis*, et c. *Consuluit*. 24. *de Offic. delegat.* Post mediam vero noctem ultimi diei dicti mensis incipit februarius, qui (quoad episcopos residentes, et concordata Germaniæ) est mensis ordinarii; ac proinde si beneficium primum incipit vacare post mediam noctem ultimi diei ejusdem mensis januarii, beneficiario, tunc primum defuncto, collatio ejus pertinebit ad collatorem ordinarium: si vero vacaverit ante mediam illam noctem, spectabit collatio ad Papam, Garcias, part. V. *de Beneficiis*, cap. I. n. 523. citans Rotam in una Aversana parochialis, 12 martii 1562, coram Oradino; Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.*, allegat. 57, n. 183; Gonzalez, ubi supra, n. 9. et seqq. citans alios; card. de Luca, discurs. 15. *de Beneficiis*, n. 2. 3. et 4, asserens hoc esse receptum.

497. *Hora obitus prioris possessoris beneficii bene est notanda, quando vacatio beneficii incidit in ultimam noctem mensis.* — Unde in tali casu incidente vacatione beneficii in ultimam noctem mensis, bene notanda erit hora obitus prioris possessoris beneficii, testesque de ea, priusquam conferatur beneficium tunc vacans, exacte interrogandi: quam etiam horam consulte notarius in ipso instrumento desuper confecto annotabit, ut sic evitetur omnis controversia super tempore vacationis, an videlicet contigerit in mense apostolico, vel ordinario. Gonzalez cit. gloss. 11. n. 10. et 11; Garcias, part. V. *de Benefic.* cap. I. n. 523; Barbosa cit. n. 183.

498. *Quid agendum, quando obitus beneficiarii contigit circa ipsam mediam noctem ultimi diei mensis?* — Resp. II. In casu obitus beneficiarii circa ipsam mediam noctem ultimi diei mensis, et ad dignoscendum, an is acciderit in mense pontificio, vel ordinario, imprimis attendere oportebit ad pulsum horologii, cæteroquin, justi, si extet in loco: nam, ubi cœperit sonare horam duodecimam noctis, etiam ante finitos pulsus illius horæ, censetur media nox expleta; Garcias, cit. part. V. cap. I, n. 524; Castro Palao, tract. XIII. *de Beneficiis*, disput. 2, punct. 22, § 2, n. 1. et alii. Quod si in loco adsint plura horologia, standum erit horologio principali, veluti minus suspecto; aut si plura non suspecta, pulsui plurium horologiorum concordantium; card. de Luca *de Beneficiis*, discurs. 15. n. 1. et 7. ac seqq. talem casum referens; Castro Palao, loc. cit. § 2. n. 1, argumento desumpto a testibus, quibus numero pluribus dignioribus, et magis verisimilia deponentibus, standum est, c. *In nostra*. 32. *de Testib.* junctis concordantiis per Glossam fin. ibid. allegatis. Quamvis nonnulli apud Garciam loc. cit. n. 525. arbitrentur, in hujusmodi casu standum esse horologio cæteroquin non suspecto, quod propitium est favori causæ piæ.

499. Resp. III. Quod si in loco non fuerit horologium, aut probetur non fuisse bene ordinatum, vel saltem non sit auditum, tunc media nox dimetienda erit juxta prudens judicium hominum, præsertim habentium experientiam, et cognitionem circa hoc. Ita Garcias, d. part. V. cap. I, n. 526; Gonzalez,

cit. Gloss. 11, n. 16, 17. et seqq. ubi longius examinat quæstionem illam, utrum ex gallicinio recte probetur, mediam noctem esse elapsam (prout tenuit Rota in una Aversana parochialis, 12 martii 1562. coram Oradino) necne; cum galli etiam ingrediente, ipsaque media nocte, serius aut citius, pro diversitate regionum, ac temporis, cantare audiantur, etsi a media nocte in diem vergente frequentius cantare soleant : et tandem n. 25. arbitrio judicis relinquendum censet, quantum huic gallicinio, pensatis circumstantiis, ac testium rationibus, aliisque verisimilitudinibus deferendum sit : prout in simili habetur l. 3. § *Tu magis.* ff. *de Testib.*, etc. *In præsentia.* 6. *de Renuntiat.*

500. *Si omnibus frustra tentatis non apparet, an beneficiarius obierit in mense pontificio, vel ordinario, tunc nemine in possessione beneficii existente, præsumendum est pro favore collatoris ordinarii.* — Resp. IV. Quando istis omnibus frustra tentatis (seu quia beneficiarius ultima nocte mensis obiit insperato : ac nemine præsente) dubium adhuc remanet, utrum ante, vel post mediam noctem illius ultimi diei mensis, sicque in mense pontificio, vel ordinario obierit : tunc nemine adhuc in possessione beneficii existente pro mense episcopali, atque pro favore collatoris ordinarii præsumendum videtur. Ita Garcias, loc. cit. n. 528; Castro Palao d. tract. XIII, punct 22, § 2, n. 3; Engel, h. t., n. 26. eod. n. 354. Ratio est, quia episcopus habet intentionem fundatam in jure, quod collatio omnium beneficiorum suæ diœcesis ad ipsum spectet, c. *Ex frequentibus.* 3. *de Institutionib.* cum concordantiis; nisi probentur spectare ad collationem alterius, puta, quia probantur esse reservata : atqui stante illo dubio, non constat de reservatione. Tum quia reservatio, veluti præjudicans ordinariæ collationi, et jurisdictioni, est odiosa; sicque restringenda, juxta dicta n. 388. et 389.

501. *Respondetur ad jure in contrarium allegata.* — Nec obstat textus in c. *Si a Sede* 31, h. t. in 6. ubi in dubio, an Papa, vel collator ordinarius prius contulerit idem beneficium, quod uterque eodem die, sed diversis personis contulit, dicitur præferenda collatio Papæ; idque « propter conferentis ampliorem prærogativam. » Cui simile quid habetur in Clem. 1. § *Neutro. Ut lite pendente*, etc. Resp. enim, isthæc jura loqui in diverso casu, videlicet quando Papa jure ordinario (seu quatenus habet concurrentem cum quolibet inferiori ordinario potestatem conferendi quilibet beneficia) concurrit in collatione beneficii cum inferiori, ac dubitatur, quis eorum prius contulerit. Tunc enim, quia constat de potestate ordinaria Papæ sic conferendi, ac remanet duntaxat dubium facti, seu quis prius contulerit beneficium vacans : nullo adhuc in possessione istius existente, merito præferenda dicitur collatio Papæ propter suam ampliorem prærogativam, cum sit ordinarius ordinariorum. At vero in præsenti casu sermo est de collatione Papæ facta, vel facienda duntaxat jure reservationis, quam revera hic intervenire dubitatur : unde stante tali dubio, ac nisi probetur veritas reservationis, Papa non intendit beneficium vacans conferre; sed collator inferior remanet in possessione juris conferendi; cum respectu hujus habeat intentionem fundatam in jure communi. Garcias, ubi supra, n. 533; Castro Palao, d. § 2, n. 3 et 6.

502. *Istud a fortiori procedit, quando collator ordinarius jam contulit beneficium vacans hujusque possessionem provisus acquisivit.* — Additur tamen in data n. 500. conclusione, « nemine adhuc in possessione beneficii existente. Nam imprimis, si in casu prædicti dubii collator ordinarius, per fundamenta proxime relata, jam contulit cuipiam beneficium taliter vacans, atque provisus possessionem illius acquisivit; tunc a fortiori procedit eadem conclusio, juxta vulgatum illud : « In dubio melior est conditio possidentis, » c. *In pari.* 65. *de Reg. jur.* in 6. cum concordantiis.

503. *Si Papa prius contulit beneficium, et provisus in hujus possessionem inductus fuit, collatore ordinario postea primum id præstante, variantes doctores, cui beneficium sit adjudicandum. Prima sententia stat pro possessore, et contra actorem.* — Quod si vero Papa prius contulit ejusmodi beneficium, ac provisus in hujus possessionem jam inductus fuit, collatore ordinario postea primum id præstante; magna inter doctores controversia existit, cui provisorum mota desuper lite beneficium sit adjudicandum, atque is in sua possessione manutenendus? Et quidem prima sententia asserit, in tali casu possessorem semper victurum, et actorem succubiturum, sive is fuerit provisus a Papa, sive ab ordinario. Ratio hujus sententiæ est, quia in dubio melior est conditio possidentis, juxta reg. 65. jur. in 6. Simulque actore non probante reus est ab-

solvendus, etiamsi nihil præstiterit, c. *Cum Ecclesia.* § fin. *de Causa possess.* et l. *Qui accusare.* c. *de Edend.* cum similibus. Atqui in casu posito, et juxta hypothesin, nequit probari quacunque adhibita diligentia, quod obitus beneficiarii acciderit in mense apostolico, vel ordinario; ergo. Ita Gonzalez cit. gloss. 11, n. 27, 28 et seqq. citans Puteum, decis. 207 et 266. et lib. III. et alios.

504. *Altera stat pro collatione papali.* — Altera sententia tenet, in tali casu prævalituram collationem Papæ, quando is prius cuipiam contulit beneficium, atque provisus ejus possessionem prior acquisivit; vel saltem non constat, provisum ab ordinario antea illius possessionem obtinuisse: per textum in c. *Si a Sede.* 31, h. t. in 6, junctis dictis supra n. 501.

505. *Et tertia, cæterisque probabilior, pro collatione ordinarii.* — Tertia tandem sententia, et cæteris probabilior, docet, stante tali dubio, et post diligentem inquisitionem non resolubili, collationem ordinarii, atque possessionem beneficii virtute istius obtentam, fore validam, atque manutenendam, etiamsi sequatur primum collationem Papæ, possessionemque inde acquisitam. Garcias, d. part. V, cap. I, n. 530 et 532; Castro Palao, cit. § 2, n. 5; Pirhing, h. t., n. 354, vers. *Notandum secundo.* Ratio hujus sententiæ est, quia stante tali dubio, præsumptio juris stat pro collatione ordinarii, juxta dicta n. 500. ergo, donec provisus per Papam probet reservationem (qualis tamen probatio, juxta hypothesin, in dato casu fieri nequit) standum erit collationi ordinarii. Confirmatur, quia in dicto casu Papa non intendit conferre beneficium, nisi jure reservationis duntaxat; ergo ista non subsistente, vel saltem non apparente, corruit ipsamet collatio. Paria enim sunt, non esse, et non apparere, l. *Duo sunt Titii.* ff. *de Testamentar. tutel.* Barbosa, Axiomat. 174, n. 9. et alii.

506. *Solvuntur rationes aliarum sententiarum.* — Nec urget rationes aliarum sententiarum. Non prima, seu n. 503 adducta. Nam imprimis regula illa, « In pari causa, » etc., fallit, quando pro actore stat præsumptio contra possessorem, illeque intentionem suam habet in jure communi fundatam; ut dictum supra lib. II, tit. XII. *de Causa possessionis,* etc. § 2. n. 41. et 42. Deinde etiam altera regula, actore non probante reus absolvitur, » fallit, seu limitatur in casu, quo pro actore stat præsumptio juris: ut cap. II. *de Restitution. spoliat.* in 6. estque pariter jam dictum supra lib. II. tit. XIX, *De Probationibus.* § 5. n. 126. et 127. Atqui in casu posito stat præsumptio juris pro collatore ordinario, ejusque collatione, ut proxime dictum; ergo. Porro ad c. *Si a Sede.* h. t., in 6. patet responsio ex dictis n. 501.

507. Neque provisio de beneficio per Papam, in tali casu suffragatur acquisita illius professio, tum quia præsumptio juris stat contra possessorem a Papa provisum, ut proxime dictum; tum quia collatio beneficii per Papam facta, et tradita ejusdem possessio, fundatur in reservatione illius: unde hac non existente, vel saltem non apparente, sicque precibus veritate non nitentibus, corruit justus titulus possidendi: ac proinde non mirum, quod in casu memorati dubii, provisus per ordinarium præferri debeat, ob assistentiam videlicet juris communis. Et si quis objicere velit appositionem manus pontificiæ: patet ex dictis supra n. 423. appositionem manus Papæ nihil operari, quando narratur beneficium esse reservatum: quod non est reservatum; seu (quod idem est) non apparet esse reservatum.

508. *Beneficium vacans in mense ordinarii an possit conferri durante illius vacatura in mense pontificio? Et ratio dubitandi.* — Quæritur IV. Utrum beneficium vacans in mense ordinarii, possit per hunc conferri stante illius vacatura in mense pontificio? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, est quia Pontifex beneficia in mensibus apostolicis, « quocunque modo vacatura » (ut loquitur regula nona cancellariæ) suæ dispositioni reservat: atqui beneficium nondum collatum, aliquo modo vacat in mense apostolico: ergo. Verum hoc non obstante.

509. *Affirmativa sententia probatur.* — Resp. breviter episcopus, vel alius collator inferior, non amittit jus conferendi beneficium in suo mense vacans, etiamsi, istud mense non contulerit, et sic vacatio ejus duraverit in mensem apostolicum: neque prohibetur idem collator inferior, ejusmodi beneficium conferre currente ipsomet mense apostolico. Ita Gonzalez ad reg. 8. Cancellar., Glossa. 11. a n. 47 usque ad n. 78, fusius hanc quæstionem examinans; Garcias, part. V. *de Benefic.* cap. I. n. 537, asserens ita sine dubio tenendum esse; Engel., h. t., n. 26, vers. *Illud quoque.* et alii.

510. *Ad inducendam reservationem beneficii, attenditur solum initium vacationis; non vero*

tempus, quo duravit. — Ratio est, quia ad inducendam, vel non inducendam reservationem beneficii, attenditur solummodo initium vacationis; non autem tempus, quo duravit, atque continuata fuit vacatio beneficii: juxta Rotam, decis. 774, num. 3 et 10, lib. III, part. III. *Divers.* quam refert Gonzalez loc. cit. n. 66, sicque cessat ratio dubitandi. Et hanc fuisse mentem, atque intentionem Papæ ex eo desumitur, quia Pontifex concedit collatoribus ordinariis, puta episcopis, quatuor vel sex menses, quatenus beneficia extra Curiam in eisdem vacatura *libere* conferre valeant: atqui *libere* non possent conferre, si arctarentur ea conferre primo mense vacationis. Quinimo talis facultas conferendi foret propemodum inutilis; præsertim quando ultima die, vel hora mensis, per obitum prioris possessoris inciperet vacatura beneficii. Accedit, quod collator inferior habeat sex menses ad conferendum, c. *Nulla.* 2. *de Concession. præbend.* cum concordantiis: atqui hoc non subsisteret, si beneficium in mense ordinario vacans, amplius conferri non posset in mense apostolico sequente; ergo. Tacentur simila: nam res caret difficultate; adeo, ut Gonzalez, loc. cit. n. 77, subjunxerit se nunquam vidisse in Rota, nec audivisse disputari de simili casu, licet quotidie contingat.

511. *Intrusus in beneficio, qui censeatur? De intrusis in beneficio, quæ regulæ cancellariæ tractent?* — Quæritur V. Quis censeatur « Intrusus in beneficio, qualesque sint effectus intrusionis? Ubi recolendum ex dictis quod in regulis Cancellariæ bina vice fiat mentio de intrusis. Primo, in reg. 29. *De subrogandis collitigantibus*, inscripta, illis verbis: « Dummodo prædictus collitigans in dicto beneficio intrusus non fuerit. » Secundo, in reg. 36. *de Triennali*, inscripta, ibi: « Dummodo in beneficiis hujusmodi, si dispositioni apostolicæ ex reservatione generali in corpore juris clausa reservata fuerint, si non intruserint, » etc. Quo prænotato.

512. *Intrusus in beneficio, potest quis dici variis modis.* — Resp. II. Intrusus in beneficio, de jure communi, potest quis dici variis modis: adeo, ut Fagnanus c. *Nisi cum pridem.* num. 27. et seqq. *de Renuntiat.* citans alios, quatur intrusorum species distinguat: et Ludov. Gomezius in reg. *de Triennali possessore;* quæst. 41. post Geminianum in can. *Propter.* dist. 19. asserat, quod intrusus in jure capiatur quinque modis. Alii vero, ut Felinus c. *In nostra.* n. 10. *de Rescript.* et c. *Veniens notab.* 2, *de Accusation.* Joannes de Selva *Tractatuum*, tom. XV. *de Beneficio*, part. III. q. 11. n. 10. et 11. Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *Regula, de Subrogand. collitigand.* gloss. 4, n. 4. usque ad n. 22. et Azorius part. II. l. VII. cap. XXXV. quæst. 10. octo modos intrusorum enumerent.

513. *Generatim loquendo, intrusus in beneficio dicitur, qui obtinet beneficium ecclesiasticum sine auctoritate illius, ad quem de jure spectat collatio. Et talis potest excommunicari.* — Resp. II. Generatim loquendo, intrusus in beneficio dicitur ille, qui obtinet beneficium ecclesiasticum sine auctoritate illius, ad quem de jure spectat collatio. Ita Abbas c. *Quia diversitatem.* n. 2. *de Concession. præbend.* Gomez, Rebuffus, aliique qui supra. Sive, intrusus proprie dicitur, qui præter auctoritatem superioris, ad quem pertinet collatio, beneficium est ingressus. Fagnanus c. *Quia diversitatem*, in 6. et Barbosa n. 4. *de Concession præbend.* juncto textu ibidem: « Præter ejus auctoritatem intruserunt: » estque in re communis. Atque talis appellatur *Intrusus:* quia non intravit per ostium, sed aliunde ascendit, et quasi violenter in beneficium se injecit; sive per alios non habentes potestatem ad id injectus, sicque intrusus fuit. Unde indignus est, pastoris nomine, vel prærogativa gaudere, c. *Relatum est.* 21. *de Jure patronat.* cum concordantiis in progressu allegandis: potestque excommunicationis sententia feriri, c. *Ex frequentibus.* 3. *de Institut.*

514. *Sive beneficio esse ingerat propria auctoritate.* — Porro talis injectio, seu intrusio in beneficium sine auctoritate habentis legitimam potestatem conferendi, potest variis modis contingere; hincque non mirum, quod diversos Intrusionis modos doctores distinxerint. Sic imprimis censentur intrusi, qui propria auctoritate sese ingerunt beneficio ecclesiastico: ut est textus notabilis in c. *Ad aures.* 3. *de Excessib. prælat.* ibi: « Ad aures nostras pervenit, quod quidam archidiaconi tui in ecclesias, quæ in suis archidiaconatibus vacant, auctoritate propria intrudere non verentur. » Concordat c. *Quia diversitatem.* 5. *de Concession. præbend.* ubi coram Papa conquerebatur archiepiscopus quidam, « quod tempore suspensionis ipsius, et postmodum etiam quidam præter ejus auctoritatem se intruserunt in ipsas Ecclesias, » in quibus collatio ad ipsum pertinebat. Unde Papa

mandavit, quatenus illi, qui ejusmodi Ecclesias, vel præbendas, præter dicti archiepiscopi auctoritatem acceperunt, ad eas resignandas, monitione præmissa, per excommunicationis sententiam, et subtractionem aliorum beneficiorum compellantur.

515. *Sive id occupet auctoritate principis sæcularis, vel consanguineorum.* — Deinde idipsum est dicendum in eo casu, quo clerici non sola sua, sed principis sæcularis, vel consanguineorum suorum auctoritate, præter auctoritatem superioris conferre valentis, beneficium occupant, atque recipiunt. Nam etiam tales censentur intrusi: hoc ipso, quod obtinerint Beneficium a non habente potestatem illud conferendi, sicque non intraverint per ostium aperiente ostiario, sive Superiore legitimam conferendi potestatem habente; sed aliunde ascenderint, atque ingesti fuerint. Gomez, et alii, ubi supra. Abbas cap. II. n. 4. *de Restitut in integr.* illico subjungens post Innocentium in c. *Qualiter.* il. 2. *de Accusation.* et archidiaconum can. *Alienationes.* 12. q. 2. quod gesta per intrusum non valeant, quantumcunque dicatur toleratus: quia in intruso non habet locum tolerantia, ex quo non habuit ingressum ab habente potestatem. Hæc Abbas.

516. *Qualis etiam subjacet pœnæ suspensionis, et excommunicationis, etc., fitque ineligibilis.* — Quinimo clerici illi, qui a laicis recipiunt beneficia ecclesiastica, subjacent pœnæ suspensionis, atque excommunicationis, ipsis infligendæ, can. *Si quis deinceps.* et can. *Quoniam.* 16. q. 7. et c. *Præterea quia.* 4. *de Jure patronat.* Et si perstiterint in retinendis beneficiis taliter acquisitis, etiam a ministerio ecclesiastico, et ordine sunt deponendi, can. *Si quis episcopus.* et seqq. 61. q. 7. et cit. c. *Præterea quia. de jure patronat.* Simulque consentiendo electioni de se factæ per abusum potestatis laicalis, puta, principis sæcularis, fiunt ineligibiles; adeo, ut absque dispensatione prævia ad aliquam nequeant eligi dignitatem, c. *Quisquis.* 43. *de Election.* atque rursus dicetur infra tit. VII. *De Institutionibus.* § 2. n. 35.

517. *Intrusus vel maxime censetur, qui beneficium vi occupat. Imo talis etiam dicitur* Invasor. — Tertio vel maxime dicitur intrusus, quisquis vi occupat beneficium. Quinimo talis non solum dicitur « Intrusus in beneficio, set etiam invasor ipsius, » per textum expressum in c. *Eum qui.* 18. *de Præbend.* in 6. Ubi proinde, ad refrænandam saltem pœnæ formidine tantæ temeritatis audaciam § fin. statuitur, « ut violenti, qui auctoritate (vel potius temeritate) propria occupare dignitates, personatus, aut alia quæcunque ecclesiastica beneficia non verentur — eo ipso jus, si quod in dignitatibus, personatibus, et beneficiis occupatis taliter, vel ad ea ipsis forsitan (per nominationem, præsentationem, aut electionem de ipsorum persona factam) competebat, amittant. » Simile quid habetur can. *Ordinationes.* 9. q. 1. ibi: « Qui catholicorum Episcoporum Sedes invaserunt, » etc.

518. *Intrusi in beneficio generaliter censentur omnes illi, qui recipiunt beneficium absque ullo titulo vero, vel colorato. Puta, quia receperunt beneficium contra claram constitutionem concilii generalis.* — Quarto, et generaliter, intrusi in beneficio censentur omnes illi, qui recipiunt, atque occupant beneficium, non habentes ullum titulum verum, vel coloratum respectu illius. Gomez, Joan. de Selva, Rebuffus, Azorius, ubi supra, cum aliis. Et additur, « generaliter: » nam iste modus intrusionis est generalis, et continet sub se plures alios. Sic quippe præter illos, qui beneficia occupare præsumunt absque auctoritate valentis ea conferre, atque hoc ipso carent omni titulo (de quibus proxime dictum) in c. *Cum jam dudum.* 18. § 1. h. t. arguitur quis intrusionis, eo quod post præhabitas plures dignitates, contra Lateranensis concilii statuta, ad obtinendam quamdam præposituram se ingesserit. Licet enim intervenisset ibidem auctoritas superioris, hæc tamen male intervenerat, sicque defuerat omnis titulus verus, atque coloratus; cum talis ingestio in præposituram, clare repugnaverit constitutioni concilii generalis, contra quod inferior Papa dispensare non potuit.

519. *Vel a superiore publice excommunicato, suspenso, aut schismatico. Aut contra tenorem concordatorum Germaniæ.* — Similiter intrusus dicitur, qui a superiore publice excommunicato, suspenso ab officio, aut alias potestate conferendi notorie privato beneficium adeptus est, illudque recepit; juxta textum in cap. ult. *de Excessib. prælat.* Gomez cit. quæst. 47. vers. *Quarto.* Rebuffus, ubi supra, n. 12. et alii. Idem dicendum de illis, quibus beneficia collata sunt per schismaticos, cap. I. *de Schismatic.* Fagnanus c. *Nisi cum pridem.* n. 27. et seqq. *de Renuntiat.* Item pro mere intrusis habendi sunt, qui contra tenorem formam concordatorum

Germaniæ, receperunt beneficium: carent enim omni titulo, et colore tituli; ut expresse declaravit Clemens VII. in sua 41. constitutione, « Admones nos, » quæ refertur tom. I. *Bullar. Roman.*

520. *Item, qui scienter recipiunt beneficium alteri injuste ablatum.* — Pari quoque ratione intrusus censetur, qui scienter recepit beneficium, quod alteri fuit injuste ablatum: tunc enim in conferente defuit potestas. Gomez, Rebuffus, n. 11. Joan. de Selva, Azorius, ubi supra, et alii, istud probantes ex cit. cap. ult. *de Excessib. prælat.* juxta alium intellectum. Quod si vero ignoranter id accidisset, nesciendo videlicet injustitiam factæ per superiorem privationis, tunc quidem recipiens ejusmodi beneficium, alteri injuste ablatum, excusaretur a vitio intrusionis, ratione ignorantiæ, bonæque fidei suæ: nihilominus cognita rei veritate, atque injustitia privationis, teneretur illud dimittere, ut restitui possit priori legitimo possessori.

521. *Et qui beneficium retinent, postquam ab isto canonice amoti sunt per privationis, vel depositionis sententiam, a qua non appellarunt.* — Dicitur etiam ille intrusus, qui beneficium adhuc retinet, postquam ab isto canonice amotus fuit, per privationis, vel depositionis sententiam, a qua non appellavit, sicque sententia illa transiit in rem judicatam: secus, si appellasset. Innocentius in c. *Qualiter.* il. 2. n. 10. *de Accusation.*; Abbas c. *Cum jam dudum.* n. 4. *de Præbend.*; card. Tuschus lit. I. concl. 542. n. 2; Gomez, aliique superius allegati. Quia, ut inquit Fagnanus loc. cit. n. 45. post Petrum Brixiensem in Repertor. ℣. *Intrusus.* paria sunt, intrudere se in beneficio; et retinere beneficium, quo aliquis canonice est privatus.

522. *Dantur nonnulli casus, in quibus quis potest dici large* intrusus. — Tandem dantur nonnulli casus, in quibus potest quis *large* dici *Intrusus*, seu *quasi intrusus.* Sic large sumpto vocabulo potest dici intrusus, qui licet auctoritate legitimi superioris fuerit positus in beneficio, habet tamen vitium, propter quod eodem deberet privari: prout in c. *Veniens.* 15. § 1. *de Accusation.* de quodam episcopo legitur, quod « cum esset filius sacerdotis, in ecclesiam fuerat Prag. intrusus. »

523. *Qui commisit crimen dignum depositione, an censeatur intrusus?* — Ulterius, si quis commisit crimen dignum depositione, potest dici *large intrusus.* Glossa in c. *Cum super.* 4. ℣. *Restituendum. de Causa possess. et propriet.* asserens, quod talis quasi intrusus est; Joan. de Selva, ubi supra. n. 11; Rebuffus. 14; Azorius. Qui tamen posteriores de hoc dubitant, neque istum intrusionis modum admittunt, nisi quis admisisset crimen, propter quod fuisset ipso jure privatus, veluti hæresin, simoniam, etc. Alioquin (inquiunt) habet quis titulum, donec beneficio privetur.

524. *Intrusus dicitur, qui post electionem sed ante confirmationem (extra casus a Jure permissos) beneficium administrare præsumpserit.* — Huc accedit, atque intrusus dicitur, qui post electionem, sed ante confirmationem (extra casus a Jure permissos) beneficium administrare præsumpsit, arg. c. *Cum jam dudum.* 18. h. t. et notat Abbas, ibid., n. 3. et 4; Passerinus, *de Electione*, cap. XXXIII, n. 16; Rebuffus, cit. Gloss. 4, n. 7; Joan. de Selva, d. quæst. 11, n. 11, et alii. Talis enim ipso jure privatus est beneficio sic administrato, c. *Avaritiæ.* 5. *de Election.* in 6. estque amplius declaratum supra lib. I. tit. VI. *de Election.* § 2. n. 36. et seqq.

525. *Et multo magis, qui sine electione canonica ingerit se beneficio.* — Et multo magis dicitur intrusus, qui sine electione canonica, puta, celebrata a minori parte capituli, ingerit se beneficio, card. Tuschus, litt. I. concl. 342. n. 6. post Joan. de Imola, consil. 132, n. 7. Aut, qui non obtenta confirmatione a superiore, ex sola electione capit possessionem beneficii, ad quod fuit electus card. Tuschus cit. concl. 242. n. 5. post Imolam d. n. 7. Tacentur nonnulli alii intrusionis modi, apud auctores hactenus citatos reperiendi, qui tamen commode ad unum præmissorum reduci possunt: nunc quantum attinet alteram partem propositæ quæstionis.

526. *Quoad effectum regulæ* 36. *et* 29. *cancellariæ, solummodo veniunt veri, et proprie intrusi.* — Resp. III. Quoad effectum regulæ 36. cancellariæ, *de Triennali* inscriptæ, solummodo veniunt veri, et proprie intrusi: id est, qui vel nullum habent titulum verum, aut coloratum respectu beneficii occupati; vel istum non habent ab eo, qui potestatem conferendi habuit. Ita Gomez cit. reg. *de Triennali.* vers. *Et ista omnia*, allegans stylum curiæ, et observationes Rotæ; atque inde rejiciens contrariam sententiam quorumdam, veluti minus intelligentium præfatum stylum Curiæ. Accedit ratio, quia constitutio dictæ regulæ est pœnalis; ergo hoc ipso non inclu-

duntur in ea omnes species intrusionis, dè quibus auctores mentionem fecerunt : sed solummodo veri, et proprie intrusi, c. *Odia restringi*. 15. *de Reg. jur.* in 6. cum similibus. Et hæc ratio etiam urget quoad effectum regulæ 29. Cancellariæ, *De subrogandis collitigantibus* inscriptæ.

527. *Intrusio in beneficio, inter cæteros effectus, constituit clericum scienter intrusum malæ fidei possessorem; adeoque iste tenetur cedere, fructusque illius restituere.* — Resp. IV. Intrusio in beneficiis inter alios effectus etiam hunc habet, quod clericum scienter intrusum constituat malæ fidei possessorem : adeoque iste teneatur omnino cedere, vel potius recedere a beneficio, ejusque possessionem facti relinquere; fructusque beneficii, utpote male perceptos restituere. Ita Glossa in c. *Nisi cum pridem*. ỳ. *Sed duntaxat. de Renuntiat.* inter alias dicens : « Satis posset hic dici, quod intrusus omnino debet cedere, quia nec quantum ad opinionem, nec quantum ad veritatem, titulum habet. » Idipsum tradit Abbas in cit. c. *Nisi cum pridem*. n. 6. et Baldus, n. 1. Fagnanus, ibid., n. 27, 28, 40. et seqq. citans alios : cum hoc tamen discrimine, ut, si intrusio sit notoria, debeat, ac possit quis cedere absque alia superioris licentia; si vero non sit notoria, requiratur ad hoc auctoritas superioris. Concordat card. Tuschus, litt. I, concl. 3, 42, n. 16, et in re communi.

528. *Et hujus ratio.* — Ratio conclusionis clara est, quia intrusi in beneficiis nullum habent titulum, virtute cujus possent retinere beneficium, quod occuparunt, fructusque ipsius lucrari. Quinimo non intrantes per ostium (hoc est, per canonicam institutionem, auctoritate legitimi superioris factam) sed aliunde ascendentes, fures sunt, et latrones, *Joan.* x, 1, et can. *Ordinationes*. 1. q. 1. Atque invasores, can. *Ordinationes*. 9. q. 1. ibi : Episcoporum sedes invaserunt. » Atqui ideo, quanto plus rem, sive beneficium per intrusionem occupatum detinent, tanto plus peccant, cap. ult. *de Consuetud.* Simulque fur semper est in mora restituendi, l. *In re furtiva*. § penult. ff. *de Condiction. furt.* Neque remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, juxta reg. 4. jur. in 6. et can. *Si res aliena*. 14. q. 6. Unde consequens est, intrusum in beneficio teneri ad cedendum, vel potius recedendum ab eo, atque ad restituendos fructus, utpote male perceptos. Verum de restitutione talium fructuum plura superius lib. II. tit. XIII. § 5. n. 117. et seqq. et n. 124.

529. *Alius intrusionis effectus est, quod in impetratione rescripti ad beneficia debeat fieri mentio de præcedenti intrusione.* — Resp. V. Alius intrusionis effectus est, quod in impetratione rescripti ad beneficia debeat fieri mentio de præcedenti intrusione, atque illicita ejus possessione : alioquin rescriptum desuper obtentum non valet. Ita Glossa c. *Eum qui*. ỳ. *Obtinebat.* vers. *Et eadem ratione*. h. t. in 6. Abbas in c. *Cum jam dudum*. n. 3. h. t. ubi ex textu illius capituli, « quod intrudens se in beneficium, forte auctoritate principis sæcularis, et postea impetrans illud a Papa, non facta mentione de intrusione, est repellendus; talis enim promotio fuit subreptitia : nam si Papa scivisset, de facili sibi non providisset propter ambitionis vitium : et quia ingessit se administrationi ante omnem provisionem, » etc. Idipsum, atque ob eamdem rationem, tradit Joan. de Selva cit. tract. *de Beneficio*, part. III. quæst. 11. n. 7. cum aliis. Ratio est, quia impetrans Rescriptum debet facere mentionem de illis, quæ Papam possent retrahere ab eo concedendo, c. *Postulasti*. 27. *de Rescript.* Atqui interea est intrusio in beneficio, utpote ratione suæ temeritatis, et vitiosi in istud ingressus, omnibus juribus exosa; uti patet ex juribus hactenus allegatis, et in posterum allegandis.

530. *Istud tamen a nonnullis limitatur.* — Fatendum tamen, quod Felinus, in c. *Postulasti*. circa fin. *de Rescript.* post Petrum de Ancharano, in Clement. *Si Romanus*. n. 3. h. t. Et cardinal. ibid. datam conclusionem non concedat absolute : sed tunc solum, quando propter inventum laicæ potestatis intrusio contingit, sicque intrusus efficitur ineligibilis, et inhabilis ad beneficium, juxta c. *Quisquis*. 43. *de Election.* Alioqnin autem, ista qualitate cessante, Felinus ibid. vers. *Primus est*, distinguendos ait duos casus. Primus est, quando intrusus in uno beneficio, impetrat rescriptum super alio beneficio obtinendo, sola facta mentione præhabiti beneficii, non autem intrusionis in ejus assecutione commissæ. Et tunc (inquit) videtur valere impetratio; cum talis impetrans non sit ineligibilis, eo quod non intruserit ipsum laicus; simulque per expressionem præhabiti beneficii satisfactum fuerit rigori juris. Alter casus est, quando taliter intrusus, licet sine inventu laicorum, impetrat. Rescriptum ad obtinendum illud ipsum beneficium, quod

prius illicite, atque per intrusionem occupavit : Et tunc (ait) requiritur mentio de intrusione prius commissa; nam tale beneficium Papa difficilius concederet, si novisset intrusionem, rationem disparitatis assignat : quia Papa in hoc posteriori casu, seu concedendo illud ipsum beneficium, censeretur reformare integrum titulum, ita ut intrusus non posset amplius per episcopum inquiri, atque molestari super fructibus beneficii antea male perceptis : quod tamen Papa non solet facere absque speciali mentione. Secus fieret in priori casu, seu quando Papa concederet novum beneficium : quia tunc non reformaretur prior vitiosus titulus, sive præcedens intrusio; sed conferretur novus titulus, absque eo, ut Episcopus impediretur inquirere super fructibus antea propter intrusionis vitium male perceptis.

531. *Ulterior illius effectus est, quod confirmatio Sedis apostolicæ in forma communi, non purget vitium intrusionis in receptione beneficii commissum : secus dicendum de confirmatione in forma speciali.*— Resp. VI. Ulterius intrusionis effectus est, quod confirmatio a Sede apostolica obtenta in forma communi, non purget vitium intrusionis in receptione beneficii commissum. Ita textus expressus in c. *Quia diversitatem.* 5. § *Mandamus de Concession. Præbend.* ubi omnes illi, qui tempore suspensionis archiepiscopi Eboracensis, præter ejus auctoritatem se intruserant in ecclesias ad ipsius archiepiscopi collationem pertinentes per excommunicationis sententiam, et subtractionem aliorum beneficiorum, jubentur ab eisdem amoveri : « non obstante confirmatione a Sede apostolica obtenta sub forma communi, quæ confirmat beneficia et præbendas, sicut juste, et pacifice possidentur; » jus novum autem in eis non tribuit. Secus, si talis confirmatio, apostolica data fuisset in forma speciali, seu sub clausula, « Ex certa scientia; vel supplentes omnes juris, et facti defectus, » etc. prout ex professo dictum est lib. II. tit. XXX. *De Confirmatione utili.* n. 4. 5. 7. et seqq.

532. *An valeat rescriptum tacita intrusione obtentum ad beneficium sub clausula, motu proprio?* — Et si petas, an valeat rescriptum tacita intrusione obtentum ad beneficium sub clausula, *Motu proprio?* Resp. In resolutione hujus quæstionis doctores variæ; prout notat. Joan. de Selva cit. quæst. 11. n. 7. circa fin. Et quod valeat tale rescriptum, tenet Calderinus, consil. 11. *de Præbend.*, et consil. 13. *de Rescript.* eo quod motus proprius purget vitium subreptionis in rescriptis, c. *Si motu proprio.* 23. *de Præbend.* in 6. Oppositum tenet Milis in *Repertorio.* ỳ. *Gratia.* § 14. idque ob defectum intentionis ex parte Papæ gratiam concedentis. Quia, ut patet ex dictis supra, lib. I. tit. III. *de Rescriptis.* § 8. n. 202. et 206. ac seqq. clausula illa, *Motu proprio* supplet quidem vitium subreptionis ex taciturnitate veri necessario exprimendi proveniens, cit. c. *Si Motu proprio :* non tamen firmat gratiam, quando est defectus voluntatis ex parte principis gratiam concedentis; puta, quia fuit impetrata cum expressione causæ falsæ, vel tacita inhabilitate personæ, pro qua scribitur. Talis enim inhabilitas personæ videtur provenire ex vitio intrusionis, c. *Quisquis.* 43. *de Election.* ubi intrusus, seu electioni per abusum potestatis laicæ consentiens, efficitur ineligibilis ad dignitatem. Et hæc posterior sententia videtur retinenda loquendo de intrusione, quæ fit mediante potestate laica : eo quod tunc intrusus reddatur ineligibilis, atque inhabilis ad beneficium, nisi dispensetur, juxta cit. c. *Quisquis. de Election.* Prior vero sententia Calderini procedit, quando fit intrusio sine interventu laicorum : quia tunc nulla reperitur contracta inhabilitas personæ; nisi forsan intrusus ob contumaciam in dimittendo beneficio, per intrusionem occupato commissam, excommunicatus fuerit, juxta c. *Ex frequentibus.* 3. *de Institut.*

533. *Alia regulas cancellariæ concernentia. — Remissive.* — Plura dicere de regulis cancellariæ, ad præsens propositum non attinet: nam præter ea, quæ hactenus tradita fuerunt, alia scitu magis necessaria in propriis locis explicantur; prout de *Regula de viginti* inscripta, ordine 19. ex professo dictum est supra, l. I. tit. *De Renuntiatione.* § 3. n. 68. 69. et seqq. Cætera vero poterunt videri in commentariis Ludovici Gomes, (vulgo, Gomezii) in *Judiciales* regulas Cancellariæ; et in commentariis Joannis a Chokier, ecclesiæ cathedralis Leodiensis canonici, in *Regulas Cancellariæ apostolicæ ;* nec non in commendatione Hieronymi Gonzalez *ad Regulam VIII. Cancellariæ*, aliisque auctoribus ex professo in regulas cancellariæ scribentibus. (ADNOTATIO LVI.)

§ XVIII.

DE CONCORDATIS GERMANIÆ.

534. *Concordata Germaniæ, quæ sint, et cur, et quando erecta?* — Quæritur I. Quæ sint concordata Germaniæ, et cur, et quando erecta? Resp. I. Per *Concordata Germaniæ* intelliguntur illa, quæ potissimum super provisione beneficiorum ecclesiasticorum in Germania vacantium, inter Sedem apostolicam ex una, et principes inclytæ nationis Germanicæ ex altera parte, pro firmiori unione, pace, et tranquillitate conservanda, hinc inde statuta, approbata, conclusa, et acceptata fuerunt. Atque hujusmodi concordata Germaniæ vel maxime erecta, initaque sunt ad sopiendas difficultates, et controversias nonnunquam ortas ex eo, quod Papa jure præventionis (puta, per Gratias expectativas) vel etiam jure concursus uni, et collator ordinarius, provisionis apostolicæ ignarus, alteri cuipiam idem beneficium contulisset; sicque inter ipsosmet provisos, vel etiam ipsorum familias, variæ lites subortæ fuissent. Et hæc concordatorum erectio contigit anno Domini 1447. tempore Nicolai Papæ V. et Friderici imperatoris; prout patet ex tenore eorumdem concordatorum, quæ habentur tomo I. *Bullarii Romani;* constitutione prima Nicolai V. incipit : *Ad sacram Petri Sedem :* atque etiam referuntur per Georgium Branden, in principio *Tractatus super concordatis Germaniæ ;* et Laurentium Nicolarts in Proœmio *Praxis beneficiariæ ex concordatis Germaniæ*, pluresque alios. Est autem talis.

535. *Tenor concordatorum Germaniæ refertur.*

NICOLAUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad sacram Petri Sedem, divina dispositione sublimati; singulis, quæ pro universalis Ecclesiæ unione, ac pace, et tranquillitate profutura fore conspicimus, apostolicæ providentiæ sollicitudine libenter intendimus, et ad felicem illorum prosecutionem, et consummationem, et opem, et operam impendimus efficaces. § 1. « Nuper siquidem charissimus in Christo filius noster, Fredericus Romanorum rex illustris, et nonnulli alii dilecti filii, ecclesiastici, et sæculares principes inclytæ nationis Germanicæ ex una, ac dilectus filius noster, Joannes S. Angeli diaconus card. in patribus illis apostolicæ Sedis de Latere legatus, per nos ad dictas partes missus, sufficienti desuper a nobis, et Sede apostolica auctoritate suffultus, ex alia parte, Romanæ Ecclesiæ, et dictæ nationis nominibus, pro ipsius Ecclesiæ unione, pace, et tranquillitate inter Ecclesiam, et nationem prædictam, perpetuo solidandis, et conservandis, diversa rationabilia, et utilia, ordinationes et statuta, a partibus ipsis hinc inde approbata, laudata, conclusa, acceptata, et concordata, fecerunt, ac ediderunt : Nobisque humiliter supplicari fecerunt, ut illis pro firmiori eorum subsistentia, robur apostolicæ firmitatis adjicere, nec non auctoritatem potiorem, et decretum interponere dignaremur.

§ 2. « Nos itaque, qui statuta, ordinationes et concordata prædicta, per nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, magnarum maturitatis, aucteritatis et litteraturæ viros, diligenter examinari, et discuti fecimus ; eaque rationabilia, ut salubria tam Ecclesiæ, quam nationi præfatæ foret comperimus, de dictorum, et aliorum venerabilium fratrum nostrorum prædictæ Ecclesiæ cardinalium, consilio et assensu, apostolica auctoritate, et ex certa scientia approbamus, ratificamus, laudamus, et acceptamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, juxta modum, et formam subsequentes. Placet nobis super provisione ecclesiarum, et beneficiorum ecclesiasticorum quorumcunque provisionibus, juris scripti reservationibus, et *Execrabilis*, ac *Ad regimen*, constitutionibus modificatis, ut sequitur. Ad regimen Ecclesiæ generalis, quanquam immeriti, superna dispositione vocati, gerimus in nostris desideriis, ut debemus, quod per nostræ diligentiæ studium, ad quarumlibet ecclesiarum, et monasteriorum regimina, et alia beneficia ecclesiastica, juxta divinum beneplacitum, et nostræ intentionis effectum, viri assumantur idonei, qui præsint, et prosint committendis eis ecclesiis, monasteriis, et beneficiis prælibatis. Præmissorum itaque consideratione inducti, et suadentibus nobis aliis rationabilibus causis, nonnullorum prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum vestigiis inhærentes, omnes patriarchiales, archiepiscopales, et episcopales ecclesias, et etiam monasteria, prioratus, dignitates, personatus, et officia, nec non canonicatus, præbendas, et ecclesias, cæteraque beneficia ecclesiastica, cum cura, vel sine cura, sæcularia, et regularia quæcunque, et qualiacunque fuerint, etiam ad

illa personæ consueverint, seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, nunc apud Sedem apostolicam quocunque modo vacantia, et in posterum vacatura, nec non per depositionem, vel privationem, seu translationem per nos, seu auctoritate nostra factas, et in ante faciendas ubilibet : nec non ad quæ aliqui in concordia vel discordia electi, sive postulati fuerint, quorum electio cassata, seu postulatio repulsa, vel per eos facta renuntiatio, et admissa auctoritate nostra extiterit, seu quorum electorum, vel postulatorum, et in antea eligendorum, seu postulandorum electionem cassari, seu postulationem repelli, aut renuntiationem admitti per nos, aut auctoritate nostra continget apud Sedem prædictam, vel alibi ubicunque, et etiam per obitum cardinalium ejusdem Ecclesiæ Romanæ, aut officialium dictæ Sedis, quandiu officia actualiter tenebunt (videlicet, vicecancellarii, camerarii, septem notariorum auditoris litterarum contradictarum, et apostolici palatii causarum auditorum, correctorum, centum et unius scriptorum litterarum apostolicarum, et viginti quatuor pœnitentiariæ præfatæ Sedis, et viginti quinque abbreviatorum, nec non virorum commensalium nostrorum, et aliorum viginti quatuor capellanorum Sedis ejusdem in epitaphio descriptorum) et etiam quorumcunque legatorum, seu collectorum, ac in terris Romanæ Ecclesiæ rectorum, ac thesaurariorum deputatorum, seu missorum hactenus, vel deputandorum, aut mittendorum in posterum, nunc vacantia, et in antea vacatura, ubicunque dictos legatos, vel collatores, seu rectores, et thesaurarios, antequam ad Romanam Curiam redierint, seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis, nec non quorumlibet pro quibuscunque negotiis ad Romanam Curiam venientium seu etiam recedentium ab eadem, si in locis a dicta Curia ultra duas dietas legales non distantibus jam forsan obierint, vel eos in antea ab hac luce transire contigerit; et etiam simili modo quorumcunque curialium peregrinationis, infirmitatis, seu recreationis, vel alia quacunque causa ad quævis loca secedentium, si eos, antequam ad dictam Curiam redierint, in locis ultra duas dietas ab eadem Curia, ut præmittitur, non remotis (dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem) jam forsan decesserint, vel in posterum eos contigerit de medio submoveri, etiam per obitum hujusmodi vacantia, vel in posterum vacatura. Rursus monasteria, prioratus, dignitates, personatus, decanatus, administrationes, officia, canonicatus, præbendas, et ecclesias, cæteraque beneficia ecclesiastica, sæcularia, et regularia, cum cura, vel sine cura, quæcunque, et qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint, seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, quæ promoti per nos, seu auctoritate nostra ad patriarchalium, archiepiscopalium, et episcopalium ecclesiarum, nec non monasteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum, nunc quocunque modo vacantia, aut in posterum vacatura; nec non etiam per assecutionem pacificam quorumcunque prioratuum, personatuum, officiorum, canonicatuum, præbendarum, ecclesiarum, aut beneficiorum aliorum, per nos seu auctoritate nostrarum litterarum immediate collatorum, seu conferendorum in posterum, præterquam si virtute gratiæ expectativæ assecutio fiet, nunc vacantia, et in antea vacatura, plena super præmissis, omnibus, et singulis, cum fratribus nostris collatione præhabita, et matura deliberatione secuta, ordinationi, dispositioni, ac provisioni nostræ de ipsorum fratrum consilio, auctoritate Apostolica reservamus. Decernentes ex nunc irritum, et inane, si secus super præmissis, et quolibet eorum, per quoscunque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 3. « Item placet nobis, quod in metropolitanis, et cathedralibus etiam immediate non subjectis ecclesiis, et monasterii immediate subjectis Sedi apostolicæ, fiant electiones canonicæ, quæ ad dictam Sedem deferantur, quas etiam ad tempus const. fel. rec. Nicolai papæ III. incipit. *Cupientes*, expectabimus : et elapso dicto tempore, si non præsentatæ, vel si præsentatæ, minus canonicæ fuerint, providebimus; et si canonicæ fuerint, eas confirmabimus, nisi ex rationabili, et evidenti causa, de dictorum fratrum consilio, de digniori, et utiliori personæ duxerimus providendum, proviso, quod confirmati prædicti, per eos provisi, metropolitanis suis, et aliis præstent debita juramenta, et alia, ad quæ de jure tenentur. Et in monasteriis dictæ Sedi immediate non subjectis; et aliis regularibus beneficiis, super quibus pro confirmatione, et provisione ad dictam Sedem non consuevit haberi recursus, electi, seu illi, quibus providendum est, pro confir-

matione, et provisione hujusmodi ad Curiam Romanam venire non tenebuntur, ipsaque regularia beneficia sub expectativis gratiis non cadant. Ubi autem pro monasteriis ad dictam Curiam venire, seu mittere consueverint, non aliter confirmabimus, vel providebimus quam superius de cathedralibus ecclesiis est expressum. Et de monasteriis monialium non disponemus, nisi sint exempta, et tunc per commissionem, ad partes. De cæteris vero dignitatibus, et beneficiis quibuscunque sæcularibus, et regularibus vacaturis, ultra reservationes prædictas (majoribus dignitatibus post pontificales in cathedralibus, et principalibus in collegiatis ecclesiis exceptis de quibus jure ordinario providetur per illos inferiores, ad quos alias pertinet.

§ 4. « Placet etiam nobis, quod per quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem sub quacunque verborum forma, per nos, vel auctoritate nostra factam, vel faciendam, non impediemus nos, quominus de illis, cum vacabunt de februarii, aprilis, junii, augusti, octobris, et decembris mensibus, libere disponatur per illos, ad quos eorum collatio, provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio pertinebat : reservatione, aliave quavis dispositione, auctoritate nostra factis, vel faciendis, non obstantibus quibuscunque. Quoties vero aliquo vacante beneficio in januarii, martii, maii, julii, septembris, et novembris mensibus, specialiter dispositioni dictæ Sedis reservatis, non apparuerit infra tres menses a die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo apostolica auctoritate provisum fuerit, ex tunc, et non antea ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo libere disponere poterit. Et ad finem, ut hæc ordinatio collationem beneficiorum non reservatorum per alternos menses possit per dictam nationem publicari, et omnes, qui ea gaudere voluerint, tempus congruum habeant eam acceptandi, tunc quoad dictam Sedem a Kalendis junii, proxime futuris ipsa currere incipiet, et durabit deinceps, nisi in futuro concilio de consensu dictæ nationis aliter fuerit ordinatum.

§ 5. « Placet similiter nobis, quod circa provisionem dictæ Sedis ordinandam, modus, annatarum hoc modo currat. De ecclesiis cathedralibus omnibus, et monasteriis, virorum duntaxat, vacantibus et vacaturis, solvantur de fructibus primi anni a die vacationis, summæ pecuniarum in libris Cam. apost. taxatæ, quæ communia servitia nuncupantur : et si quæ excessive taxatæ sint, retaxentur; et quod provideantur specialiter in gravatis regionibus secundum qualitatem rerum, temporum, et regionum, ne nimium prægraventur : at quod petentibus dabimus commissarios in partibus, qui diligenter inquirant, et retaxent. Taxæ autem prædictæ pro media parte infra annum a die habitæ possessionis pacificæ totius vel majoris partis solvantur, et pro alia media parte infra annum sequentem; et si infra annum bis, vel pluries vacaverint, semel tantum solvantur; nec debitum hujusmodi in successorem in ecclesia, vel monasterio transeat. De cæteris vero dignitatibus, personatibus, officiis. et beneficiis sæcularibus, ac regularibus quibuscunque, quæ auctoritate dictæ Sedis conferentur, vel de quibus providebitur (præterquam vigore gratiarum expectativarum, aut causa permutationis) solvantur annatæ, seu medii fructus juxta taxam solitam, a tempore possessionis intra annum; et debitum hujusmodi similiter in successorem in beneficio non transeat. Sed de beneficiis, quæ valorem viginti quatuor florenorum auri de Camera non excedunt, nihil solvatur; duretque hæc observantia deinceps nisi eam similiter in futuro concilio de ipsius nationis consensu contingat immutari.

§ 6. « In aliis autem, quæ per fel. recor. Eugenium papam Quartum, etiam prædecessorem nostrum, pro dicta natione usque ad tempus futuri generalis concilii permissa, concessa, indulta, et decreta, ac per nos confirmata fuerunt, in quantum illa concordiæ præsenti non obvient : ista vice nihil volumus esse immutatum, et per hoc quod in concordatis hujusmodi, sive quibusvis aliis eorum occasione conficiendis litteris, propter compendiosiorem descriptionem, Alemania specialiter appellatur, natio ipsa censeri non debet a Germanica natione distincta, seu quomodolibet separata.

§ 7. « Et præterea, quia difficile foret præsentes litteras ad singula, in quibus de eis forsitan fides facienda fuerit, loca deferri, eadem apostolica auctoritate decernimus, quod ipsarum transumpto metropolitanorum dictæ nationis sigillo munito, tanquam præsentibus si exhiberentur litteris plena adhibeatur; et proinde stetur, ac si dictæ præsentes litteræ forent exhibitæ vel ostensæ, et

insuper quoque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 8. « Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, ratificationis, laudationis, acceptationis, commutationis, reservationis, constitutionis, et voluntatis infringere, vel si ausu temerario contrarie. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. »

« Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ, 1447. Kalend. aprilis, pontificatus nostri anno 2. »

§ XIX.

SOLVUNTUR VARIÆ QUÆSTIONES CIRCA CONCORDATA GERMANIÆ.

536. *Utrum concordata Germaniæ sint favorabiliora collatoribus ordinariis beneficiorum, quam regulæ cancellariæ? Per regulas concellariæ generaliter reservantur omnes Ecclesiæ episcopales, etc. Juxta concordata conceditur de his fieri electio in partibus.* — Quæritur I. Utrum concordata Germaniæ quoad reservationes beneficiorum favorabiliora sint Germanis, seu horum collatoribus ordinariis, quam regulæ Cancellariæ? Resp. Affirmative : prout bene notat Laurent. Nicolarts *de Concordatis Germaniæ*, tit. III. dub. 1. § 3; Georg. Branden super *Concordat. German.* quæst. 4. n. 43; et Pirhing, h. t. n. 363, not. 5. Qui reservationes regularum Cancellariæ haud immerito « ampliores et ordinariis duriores » præ concordatis Germaniæ pronuntiant : idque facile patebit ex differentiis eorumdem. Primo enim juxta reg. 2. Cancell., reservantur « generaliter omnes Ecclesiæ parochiales, primatiales, archiepiscopales, episcopales, nec non monasteria virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia, » et vacantia, seu vacatura. E contra in concordatis Germaniæ, si isthæc extra curiam vacaverint, etc., conceduntur de talibus fieri electiones canonicæ in partibus (quæ revera est insignis benignitas sanctæ Sedis erga Germanos) ita tamen, ut ejusmodi electiones postea ad Sedem apostolicam deferantur pro confirmatione : prout latius habetur in relatis concordatis Germaniæ. § 3.

537. *Papa non sic allegans electionibus episcoporum juxta concordata Germaniæ factis, quin ex causa possit aliter providere.* — Notant tamen doctores, ac signanter Branden, quæst. 6. *Concordat German.* n. 3, Papam non sic electionibus ejusmodi esse ligatum, quia ex evidenti causa, postposito electo, possit Ecclesiæ de alio prælato providere; tum quia istud suadet suprema, et absoluta ejusdem potestas, qua pro meliori Ecclesiæ gubernio, atque exigentibus justissimis causis, de jure potest supra jus dispensare, c. *Proposuit.* 4. *de Concession. præbend.*; tum quia hoc ipsum declarant relata verba concordatorum Germaniæ § 3. ibi : « Et si canonicæ fuerint (electiones) eas confirmabimus; nisi ex rationabili, et evidendi causa de dictorum fratrum consilio, de digniori, et utiliori persona duxerimus providendum. » Hæc ibi.

538. *Per regulas cancellariæ reservantur octo menses collationi pontificiæ. Juxta concordata conceditur alternativa sex mensium.* — Deinde juxta reg. 8. (nunc 9.) Cancellar. reservantur collationi pontificiæ octo menses; videlicet mensis januarii, februarii, aprilis, maii, julii, augusti, octobris, et novembris : demptis patriarchis, archiepiscopis, et episcopis, quibus ad gratificandum, et quandiu apud suas Ecclesias personaliter resederint (sub certis tamen limitationibus) conceditur alternativa sex mensium. E contra concordata Germaniæ quibusvis collationibus inferioribus indistincte relinquunt alternativam sex mensium, pro collatione beneficiorum in ipsis vacantium; præterquam expresse reservatorum in eisdem concordatis § 2. et 3.

539. *Ibi beneficia vacantia in mensibus reservatis perpetuo remanent reservata : non hic.* — Tertio, juxta regulas Cancellariæ beneficia vacantia in mensibus reservatis, perpetua remanent reservata, seu affecta; adeo, ut de illis nullius alius, præter Romanum Pontificem, ullo amplius tempore disponere, seu illa conferre valeat. Per concordata vero Germaniæ Sedes apostolica adeo benignam nationi Germanicæ sese exhibere dignatur, ut post lapsum unius trimestris a die notæ vacationis in loco beneficii, si nondum apparuerit de facta provisione apostolica, concedat fieri collationem beneficii per collatores inferiores : sicque quodammodo patiatur fieri devolutionem a supremo Ecclesiæ capite ad inferiorem, de quo plura inferius n. 566. et seqq.

540. *Concordata Germaniæ non derogant ex toto regulis cancellariæ: idque ostenditur exemplis.* — Quæritur II. Utrum concordata Germaniæ ex toto derogent regulis Cancellariæ? Resp. Negative. Nam ut inquit Georg. Branden super eisdem *Concordatis*, quæst. 9. numer. nemo dicere poterit, per concordata hujusmodi sublatas, et irritas censeri omnes regulas Cancellariæ: siquidem regulam Cancellariæ *De viginti*, seu de infirmis resignantibus: item regulas, *De male promotis*, *De verisimili notitia*, *De annali possessore*, *De triennali*, ac hujusmodi, etiam in Germania, et circa hujus beneficia locum habere, indubitati juris est. Itaque concordata Germaniæ solum derogant regulæ Cancellariæ quoad ea, quæ circa reservationem beneficiorum sibi propria continent, seu specialiter disponunt: junctis illis quæ circa modum annatarum, Sedi apostolicæ persolvendarum, eadem concordata Germaniæ § 5. vers. *Placeat similiter*, ordinarunt. Verum de annatis commodius alibi, videlicet lib. V. tit. III. *de Simonia.*

541. *Concordatis Germaniæ nequit opponi præscriptio, aut exceptio non usu ipsorum. Decretum irritans inficit ipsum titulum, et possessionem, non obstante ignorantia.* — Quæritur III. Utrum concordatis Germaniæ possit opponi præscriptio, aut exceptio de non usu ipsorum? Resp. negative; prout ex professo tradit Branden, quæst. 2. 3. et 4. super *Concordat German.*; Chokier ad reg. 8 Cancellar. n. 7 et 8.; Nicolarts tit. III. super d. *Concord.* dub. 2. per totum; Pirhing, h. t. n. 363. et alii. Ratio est, tum quia concordata illa solemniter erecta, et acceptata fuerunt per Papam, et principes Germaniæ, totamque nationem istam: sicque abierunt in pactum, quod omnimodis est observandum: cum ejus obligatio sit de jure naturali, et gentium, cap. I. et III. *de Pactis*, et l. 1. ff. eod. cum similibus; tum quia volens declinare concordata, allegando non usum istorum, incideret in regulas Cancellariæ, harumque reservationes, quæ sunt collatoribus ordinariis duriores, quibusque nihil opponi potest præter specialia nationum concordata. Branden, cit. quæst. 4. n. 43; tum tandem, quia concordata Germaniæ, in fine suæ confirmationis apostolicæ, continent decretum irritans, quo decernitur « irritum et inane, si secus super his a quoquam, gravis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari: » sicque nunquam potest haberi bona fides, et titulus justus, atque possessio requisita ad legitimam præscriptionem. Etenim decretum irritans inficit ipsum titulum, atque possessionem, non obstante ignorantia aliqua. Flamin. Parisius, *de Resignat. benefic.* l. VI. quæst. 5, numer. 5; Gonzalez, ad reg. 8. Cancellar., gloss. 67, n. 29 et seqq.; Barbosa, tract. *de Clausulis*, claus. 40, n. 23, citans alios.

542. *Romani pontifices nunquam acquieverunt contraventionibus.* — Atque idcirco Romani pontifices nunquam acquieverunt contraventionibus, seu non usui concordatorum, sed quacunque occasione data semper declararunt, atque Rota sæpius judicavit omne et quascunque provisiones contra concordata ab ordinariis attentatas, fuisse nullas, et irritas: prout notat, atque adductis pluribus decisionibus, ostendit Branden, cit. quæst. 4, n. 45, et sequitur Pirhing, h. t., n. 363. not. 5.

543. *Idipsum clarissime probat bulla Clementis VII.* Admonet nos. — Accedit, et hoc ipsum clarissime probat bulla Clementis VII. quæ incipit, *Admonet nos*, et habetur tom. I. *Bullarii Romani.* constitut. 41. dicti Pontificis. In qua imprimis Pontifex deplorat præsumptionem quorumdam prælatorum Ecclesiæ, nec non principum temporalium Germaniæ, qui post Romæ direptionem usurparunt dispositionem beneficiorum contra formam concordatorum. Deinde subjungit, quamvis contra præsumptores hujusmodi sufficienter jam fuisset provisum per *Bullam Cœnæ Domini*; nihilominus nonnullos prælatos, ac principes prædictos, a præmissis non desistere, etc. Proinde, ac tertio, dictus Pontifex declarat, collationes beneficiorum contra formam concordatorum Germaniæ factas vel in posterum faciendas, irritas esse, nullumque titulum illa beneficia possidenti tribui, nec quemquam fructus ex eis perceptos, vel percipiendos, posse ullo unquam tempore facere suos, sed ad illorum restitutionem in utroque foro efficaciter fore obligatos. Verba memoratæ bullæ clarius istud continet, et ita sonat.

544. *Refertur citata bulla.*

CLEMENS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI.

Ad futuram rei memoriam.

« Admonet nos incumbentis nobis pastoralis officii cura, ut non solum nobis, sed

etiam cunctorum Christi fidelium, et præsertim ecclesiasticarum personarum profectibus diligenter intenti, illorum accurramus dispendiis, et quæ in cujusque ipsorum præjudicium, sive noxam quavis etiam auctoritate prodiisse comperimus, salubriter reformemus.

§ 1. « Sane dudum ad nostram pervenit notitiam, qualiter nonnulli archiepiscopi, et episcopi, ac Ecclesiarum prælati, nonnulli etiam principes, ac domini temporales inclytæ nationis Germanicæ, post miserabilem Urbis direptionem, collationes, et dispositiones beneficiorum ecclesiasticorum, nobis et Sedi apostolicæ, etiam virtute concordatorum inter Sedem et nationem præfatam reservatorum, temere usurpare præsumpserunt, ac collationes, et dispositiones nostras, et dictæ Sedis de illis factas admittere contempserunt, nedum in nostrum et ipsius Sedis vilipendium, sed etiam in jurium nostrorum, et ejusdem Sedis, ac illorum, quibus, de ipsis beneficiis providimus, aut in quorum favorem alias disposuimus, seu provideri et disponi mandavimus, grave præjudicium. Et quamvis contra præsumptores et contemptores hujusmodi in bulla, quæ quot annis in die Cœnæ Domini de more lecta fuit, declaraverimus, et protestati fuerimus, quod in præmissis et aliis quibuscunque juribus dictæ Sedi, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ undecunque, et quomodocunque quæsitis seu quærendis, per quoscunque actus contrarios, aut quomodolibet præjudicantes, tacitos vel expressos, a nobis vel ab eadem Sede quomodolibet factos, vel faciendos, aut quemcunque temporis fluxum, vel patientiam, vel tolerantiam nostram, nobis aut eidem Sedi nullatenus præjudicari debere, aut quomodolibet posse : tamen, sicut non sine animi nostri mœrore intelleximus, nonnulli ex archiepiscopis, episcopis, prælatis, principibus, et dominis prædictis, adhuc a præmissis desistere non curarunt, nec de præsenti curant; quinimo, quod deterius est ne provisiones apostolicæ admittantur, per sua mandata etiam pœnalia prohibere non verentur, in animarum suarum periculum, et aliorum prælatorum, ac principum catholicorum dictæ nationis perniciosum exemplum, et scandalum plurimorum.

§ 2. Nos igitur, qui a dictis concordatis, quæ olim Romanæ Ecclesiæ, et dictæ nationis hominibus, pro ipsius ecclesiæ unione, ac pace, et tranquillitate inter ecclesiam et nationem prædictas, perpetuo solidandis, et conservandis laudata, conclusa, et acceptata fuerunt, nullatenus recedere intendimus, ne dicti præsumptores; et contemptores, aut per eos in dictis beneficiis intrusi ex hujusmodi temeraria præsumptione gloriari valeant, neve ipsi intrusi ex adulterinis eorum titulis aliquem fructum reportent, nec illis quibus de beneficiis prædictis, per nos, aut dictam Sedem, seu ejus auctoritate provisum extitit, et in futurum providebitur, per alicujus temporis fluxum, seu aliquam patientiam, vel tolerantiam præjudicium fiat, aut factum censeatur, ex pastoralis officii debito prævidere volentes, ac concordatis prædictis firmiter inhærentes, motu proprio, et ex nostra matura deliberatione, ac certa scientia, auctoritate apostolica, de apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium declaramus, prætensas collationes et alias dispositiones de quibuscunque beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura, nobis et dictæ Sedi, ut præfertur, reservatis, per archiepiscopos, episcopos, prælatos et sæculares principes, et dominos quoscunque dictæ nationis, seu ad eorum præsentationem, vel nominationem, etiam per ordinarios ipsorum beneficiorum collatores a tempore dictæ direptionis citra contra tenorem, et formam dictorum concordatorum quomodolibet factas, vel in posterum faciendas, personis, quibus, aut in quarum favorem factæ sunt, aut in posterum fient, nisi sint per nos, aut nostra, vel dictæ Sedis auctoritate approbatæ, nullum titulum, vel colorem ipsa beneficia possidendi tribuisse, aut in futurum tribuere; sed et illos pro malæ fidei possessoribus, et mere intrusis ab omnibus haberi, et censeri, ac fructus per eos beneficiis hujusmodi perceptos, et percipiendos, nullo unquam tempore suos facere, sed ad illorum restitutionem in utroque foro efficaciter obligatos esse : et ad illorum restitutionem, in utroque foro efficaciter obligatos esse : et ad illorum restitutionem, ad eorum, quorum interest, seu etiam fisci nostri instantiam, omnibus viis juris, et remediis compelli posse, et debere; et eos nullo unquam tempore beneficio regularum, *De annali*, *et triennali pacifico possessore*, gaudere potuisse, aut posse.

§ 3. « Illis vero, quibus eadem beneficia, per nos, aut auctoritate nostra vel dictæ Sedis tenore et forma concordatorum hujusmodi servatis collata sunt, aut in futurum confe-

rentur, vel commendabuntur, nec non ecclesiis et locis ecclesiasticis, ac collegiis, quibus perpetuo, vel ad tempus eadem auctoritate unita sunt, aut in posterum unientur, ac omnibus illis, qui in executione litterarum apostolicarum eis concessarum per constitutiones seu mandata archiepiscoporum, episcoporum, prælatorum, principum, vel dominorum prædictorum, hactenus quomodolibet impediti fuerunt, aut in posterum impedientur, dictas regulas, et quemcunque temporis fluxum, seu patientiam, vel tolerantiam minime obstare debere, quominus contra dictos intrusos, et intrudendos quocunque tempore judicialiter experiri valeant.

§ 4. « Decernentes sic per quoscunque judices, etc. (Sequuntur decretum irritans, clausulæ derogatoriæ, transumptorum fides, et sanctio pœnalis.)

« Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo quarto, Kal. julii, pontificatus nostri anno undecimo. »

545. *Quid juris, si quis obtinuisset beneficium contra concordata Germaniæ?* — Infertur proinde, quod si quis obtinuisset beneficium ecclesiasticum contra concordata Germaniæ, etiamsi id recepisset bona fide, et ex ignorantia concordatorum : nihilominus, cognito suo errore, teneatur Romam venire pro nova provisione, atque reformanda priori collatione, utpote nulliter facta. Revera enim talis censetur esse intrusus, caretque omni titulo, et colore tituli : estque habendus pro malæ fidei possessore, nec fructus ex tali beneficio perceptos, vel in posterum percipiendos, ullo tempore facit suos, sed ad eorumdem restitutionem in utroque foro efficaciter obligatus existit; uti patet ex allegata bulla Clementis VII. Accedit, quod concordata Germaniæ in fine contineant decretum irritans, quod inficit tum titulum, tum etiam possessionem, juxta dicta n. 541. adeoque taliter intrusus nunquam juvetur beneficio Regulæ, *De triennali pacifico possessore*, Georg. Branden super *Concordat. German.*, quæst. 5. n. 9. et seqq. et præsertim n. 31, solvens contraria.

546. *Quæ beneficia cadant sub reservatione concordatorum Germaniæ? Sub his cadunt beneficia vacantia in curia.* — Quæritur IV. Quæ beneficia cadant sub reservatione pontificia vi concordatorum Germaniæ? Resp. I. Beneficia quæcunque majora et minora cum cura et sine cura, sæcularia et regularia, quæ vacant apud Sedem apostolicam, seu in Curia, indistincte reservantur collationi pontificiæ. Ita patet ex § 2. *Concordatorum Germaniæ* : ubi ista omnia speciatim, et ad longum recensentur, conformiter reservationibus juris communis, et extravagantium *Execrabilis*, et *Ad Regimen*, prout liquet ex textu.

547. *Item beneficia promotorum auctoritate apostolica ad episcopatus, et monasteria.* — Atque hoc ipsum cit. § 2. *Concordat. German.* vers. *Rursus monasteria*, ampliatur ad quæcunque beneficia, sæcularia et regularia, cum cura vel sine cura, etiam electiva, promotorum auctoritate apostolica ad episcopatus, vel monasteriorum regimina. Omnia enim beneficia, quæ taliter promoti tempore suæ promotionis obtinent, sicque vacant, collationi apostolicæ reservantur; prout liquet ex textu ibidem.

548. *Alias in metropolitanis et cathedralibus ecclesiis, atque monasteriis, potest fieri electio : et a quo hæc sit confirmanda?* — Resp. II. In ecclesiis vero metropolitanis, et cathedralibus etiam immediate non subjectis ecclesiis, sicut et in monasteriis immediate subjectis Sedi apostolicæ, quando extra Curiam vacaverint, permittuntur fieri electiones canonicæ; ita tamen, ut hæ postea ad Sedem apostolicam deferantur pro confirmatione : uti habetur in eisdem concordatis. § 3. Unde in tali casu cessat reservatio, quæ cæteroquin per regulam 2 Cancellariæ induceretur juxta dicta n. 536. Quanquam istud duntaxat locum habeat in vacatione dictarum ecclesiarum per mortem naturalem prioris possessoris : nam cæteri vacationum modi, puta, per depositionem, vel privationem, vel translationem, vel electionis cassationem, seu postulationem repulsam, aut renuntiationem auctoritate apostolica admissam, vel per promotionem ad Episcopatum etc. eadem auctoritate factam, jam in § 2. *Concordat. German.* continentur, atque reservantur.

549. Porro in monasteriis dictæ Sedi immediate non subjectis, et aliis Regularibus beneficiis extra Curiam vacantibus, non solum permittitur fieri electio canonica per eos, ad quos pertinet : sed nec opus est, pro confirmatione recurrere ad Sedem apostolicam, ubi hactenus non consuevit haberi talis recursus. De monasteriis quoque monialium nihil se dispositurum promittit Pontifex, nisi sint exempta : et tunc per commissionem ad partes.

550. *Majores dignitates in cathedralibus post pontificales et principales in collegiatis, reser-*

vantur collationi Papæ. Et quæ sint tales? — Resp. III. Ulterius collationi papali reservantur « majores dignitates post pontificales in cathedralibus; et principales dignitates in collegiatis ecclesiis, » juxta textum expressum in fine § 3. *Concordatorum.* Et tales majores, seu principales dignitates, apud nos solent esse præposituræ dictarum ecclesiarum cathedralium, vel collegiatarum; uti notat Layman, lib. IV. *Theol. Moral.* tract. II. cap. II. n. 1. In quibusdam vero ecclesiis ejusmodi major seu principalis dignitas censetur esse decanatus : nam, quæ dicenda sit major dignitas in ecclesia post pontificalem, non nihil controvertunt doctores; et quoad hoc standum esse consuetudini locorum, notat Glossa c. *Deliberatione.* ℣. *Electionis. de Offic. legati* in 6. et Chokier. ad reg. 3. Cancellar. n. 1. et 16.

551. *Nonnullæ ecclesiæ cathedrales habent speciale privilegium, ut possint ad istas eligere.* — Solum adde, quod non obstante prædicta reservatione concordatorum nonnullæ ecclesiæ cathedrales speciali privilegio apostolico munitæ dicantur; vi cujus possunt eligere præpositum : prout de metropoli Salisburgensi refert Pirhing, h. t. n. 362. de Cathedrali Augustana Layman, cit. tract. II. c. XI. n. 1. et Branden, super *Concord. German.* quæst. 12. n. 2. et de Leodiensi Laurent. Nicolarts tit. I. *Concord. German.* § 12. et Chokier ad reg. 3 Cancellar. n. 16, referens bullam Sixti V. 1585, pontificatus sui anno primo datam : in qua Leodiensibus conceditur potestas eligendi præpositum, aliosque inferiores, dummodo electio fiat intra triginta dies a die vacationis computandos; simulque infra sex menses, a die electionis numerandos, a sancta Sede petatur confirmatio.

552. *In cæteris dignitatibus, et beneficiis quibuscunque, datur alternativa mensium.* — Resp. IV. « De cæteris vero dignitatibus, et beneficiis quibuscunque sæcularibus, et regularibus vacaturis, de quibus jure ordinario providetur per illos inferiores, ad quos alias, providetur. » Concordata Germaniæ, § 4, excludunt quamcunque aliam reservationem, et gratiam expectativam a Papa confaciendam; atque statuunt, seu concordant in alternativam mensium, illis Papæ verbis : « Placet etiam nobis, quod per quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacunque verborum forma, per nos, vel auctoritate nostra factam, vel faciendam, non impediemus nos, quominus de illis, dum vacabunt de februarii, aprilis, junii, augusti, octobris, et decembris mensibus, libere disponatur per illos, ad quos eorum provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio pertinebat, » etc. Et infra : « januarii, martii, maii, julii, septembris, et novembris mensibus, specialiter dictæ Sedi reservatis, » etc. Hæc ibi. Verum circa hunc textum dubitari solet, quænam complectatur beneficia : unde

553. *Quænam beneficia sub hac alternativa mensium in concordatis Germaniæ comprehendantur? Sub alternativa mensium comprehendi quælibet beneficia, vel officia, quæ dantur in titulum, passim tradunt auctores.* — Quæritur V. Quænam beneficia sub memorata alternativa mensium in concordatis Germaniæ comprehendantur? Resp. I. Quod exceptis beneficiis supra n. 546. 547. et seqq. relatis, utpote collationi pontificiæ semper reservatis, concordata Germaniæ sub alternativa mensium comprehendant quælibet beneficia, et officia ecclesiastica, quæ in titulum dantur, quocunque nomine vocentur, passim tradunt auctores; ac præsertim Laurent. Nicolarts. tit. I. *Concordat. German.* dub. 1, § 14, 15, 16 et 22, et dub. 2, § 2. et dub. 3. et seqq. citans alios.

554. *Et ratio hujus sententiæ. Dictio* Quicunque *propter suam generalitatem, comprehendit omnia.* — Ratio hujus sententiæ dari solet; quia imprimis istud videtur aperte convincere dictio illa universalis, qua cit. § 4. utuntur relata concordata Germaniæ, « De cæteris vero dignitatibus, et beneficiis quibuscunque : » hæc enim dictio universalis, *Quicunque,* sive in dativo, sive ablativo « Quibuscunque » propter suam generalitatem comprehendit omnia; ut c. *Solitæ.* juncta Glossa ℣. *Quodcunque, de Majorit. et obedient.;* Barbosa, tract. *de Dictionib. usu frequentiorib.* dict. 317. n. 1 et 3. ac seqq. cum aliis.

555. *Dictio* Vero *est adversativa præcedentium, in jure et in facto.* — Accedit, quod hoc ipsum etiam importet dictio illa, « In cæteris vero : » nam dictio *Vero*, est adversativa præcedentium, in jure et in facto, l. *Si vero*, ff. *Qui satisdare cogantur;* atque cum aliis notat Barbosa, loc. cit. dict. 420. n. 1. Tandem in eisdem concordatis illico subjungitur mentio de beneficiis, quorum « provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispo-

sitio pertinebat » ad collatores inferiores; unde signum est, omnia isthæc beneficia comprehendi sub alternativa mensium: et sicut hæc, si vacant in mensibus ordinariorum, possunt libere per istos conferri; ita e converso, si vacant in mensibus pontificiis, non nisi per Papam, seu auctoritate ipsius conferri posse. Nam in concordatis seu compositionibus æqualitas servanda est, nisi quid specialiter reservetur, sive excipiatur.

556. *Dantur tamen aliqua beneficia, quæ sub præfata alternativa mensium concordatorum Germaniæ non comprehenduntur. Ut beneficia jurispatronatus laicorum ex fundatione, ædificatione, aut donatione. Secus dicendum de beneficiis jurispatronatus ecclesiastici.* — Resp. III. Nihilominus præmissis non obstantibus, dantur aliqua beneficia, etiam concessa in titulum, quæ sub præfata alternativa mensium concordatorum Germaniæ non comprehenduntur, sed semper, et in quocunque mense vacaverint, per collatores inferiores conferri possunt. Ita communis; et patet inductione. Sic quippe loquendo de beneficiis jurispatronatus laicorum, ex fundatione, ædificatione, aut donatione acquisiti, fatentur omnes, ea non comprehendi sub memorata alternativa mensium et proinde patronum laicum posse ad ea præsentare clericum idoneum quocunque tempore seu mense vacaverint. Glossa cap. II. § *Collatio*. h. t. in 6. Nicolarts, d. tit. I. dub. 5. § 8. et seqq.; Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 57, n. 25. et 26; Gonzalez, ad reg. 8. Cancellar. gloss. 18, n. 2. et seqq. allegans multiplicem decisionem Rotæ, et plurimos doctores. Secus dicendum de jurepatronatus ecclesiastici, utpote cui facile derogatur. Gonzalez, loc. cit. n. 6. et Nicolarts, ubi supra, citans alios: et concordant dicta superius n. 395. et 424.

557. *Item beneficia vacantia per resignationem.* — Deinde, quod sub præfata alternativa mensium non contineantur beneficia, quæ vacant per resignationem; adeoque possint episcopi in quocunque mense resignationes beneficiorum admittere, eaque sic resignata libere conferre, non obstantibus concordatis Germaniæ (dummodo illa sint talia, quæ ipsi alias in mensibus non reservatis per obitum vacantia conferre potuissent, nec aliud obstet: prout prohibita est resignatio promotorum, juxta dicta n. 547.). docet Branden, ubi supra, quæst. 12. n. 13; Chokier, ad reg. 8. Cancellar. gloss. 11. n. 29; Nicolarts, cit. tit. I. dub. 9. § 9. allegans alios. Quia (inquiunt) per reservationes horum concordatorum, quæ specialiter in bonum pacis et tranquillitatis facta sunt, non videtur pontifex voluisse duriorem facere conditionem collatorum Germanorum, quam fecerit conditionem aliarum nationum per regulas Cancellariæ. Atqui per regulas Cancellariæ, quibus ligantur cæteri collatores ordinarii, excipitur modus vacationis per resignationem; neque hic comprehenditur sub alternativa mensium, juxta reg. 8. (nunc 9.) illis verbis: « Alias quam per resignationem quocunque modo vacatura: » sicque possunt collatores ordinarii aliarum nationum beneficia resignata in quolibet mense conferre; ergo hoc ipsum poterunt collatores Germani non obstantibus concordatis, horumque alternativa mensium.

558. *Atque beneficia alteri accessorie unita.* — Insuper, quod beneficia alteri accessorie unita (ut puta, vicariæ perpetuæ parochialium unitarum dignitatibus, ecclesiis cathedralibus vel collegiatis, monasteriis, aliisve piis locis) non cadant sub concordatis Germaniæ, seu horum alternativa mensium, imo nec sub reservationibus regularum Cancellariæ, ultro fatentur doctores: ut Gonzalez, ad reg. 8. Cancellar. gloss. 5. § 3. n. 59. et seqq. allegans Rotam in una Tirasonensi vicariæ, 13 octobris 1593. coram R. D. Litta. Garcias, part. IX. *de Beneficiis*, cap. II. n. 304. et 308; Barbosa, lib. III. *Jur. Ecclesiast. univ.* cap. VI. n. 45; Nicolarts, cit. tit. I. dub. 7. § 9. et alii. Idque desumitur ex constitutione 47. beati Pii V. quæ incipit; *Ad Exequendum*: unitis dictis supra n. 398. et 399. ac seqq. et dicendis infra tit. XII. *Ut ecclesiastica beneficia*, etc. n. 44, 45. et seqq.

559. *Quid de beneficiis speciali nota dignis, ac nonnullis privilegiis apostolicis. Remissive.* — An vero ultra prædicta dentur quædam alia beneficia, sub præfata alternativa mensium non comprehensa, ut puta illa, quæ censentur esse digna speciali nota; et quid dicendum de nonnullis privilegiis apostolicis conferendi beneficia, etiam in mensibus apostolicis vacantia: meliori aliorum, ac præsertim in materia concordatorum Germaniæ practicorum judicio relinquitur.

560. *Quid juris si beneficio vacante in mense pontificio, eidem intra tres menses non provideatur a Papa?* — Quæritur VI. Quid juris si beneficio vacante in mense pontificio, eidem intra tres menses non provideatur per Pa-

pam? Resp. I. Quantum ad propositum, in allegatis concordatis Germaniæ § 4. sic reperitur conclusum: « Quoties vero aliquo vacante beneficio in januarii, martii, maii, julii, septembris, et novembris mensibus, specialiter dispositioni dictæ Sedis reservatis non apparuerit intra tres menses a die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo apostolica auctoritate provisum fuerit, ex tunc, et non antea ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo libere disponere poterit. »

561. *Trimestre istud incipit currere a die notæ vacationis in loco beneficii.* — Ubi ponderando ly, « a die notæ vacationis in loco beneficii, est sciendum, quod trimestre illud non incipiat currere a die vacationis beneficii, nec a die notæ vacationis ipsius quomodocunque; sed primum a die notæ vacationis in loco beneficii. Nam ut declaravit Gregorius XIII. in sua constitutione 41. *Quæ in Ecclesiam* (ac refertur tom. II. *Bullar. Roman.*) verba illa concordatorum Germaniæ, « In loco beneficii, » conjunguntur cum verbis, « Notæ vacationis, » quæ proxime antecedunt. Et consequenter, si beneficiarius moriatur in loco distanti a beneficio, non illico incipit currere trimestre illud: sed tunc primum, quando vacatio illa innotuit in loco beneficii taliter vacantis; ut nimirum hac ratione illi, qui ad ejus consecutionem aspirarint, habeant tres integros menses pro illius impetratione.

562. *Hi tres menses debent esse completi de momento ad momentum. Quando tempus debeat computari de momento in momentum?* — Porro hi tres menses debent esse completi in momento ad momentum: nam omne tempus currit regulariter de momento in momentum, ubi aliud a jure non exprimitur. Joan. Andreas, c. *Super eo.* 12. n. 10. et Abbas, ibid. n. 12. *de Appellation.* istam appellans regulam notabilem, quæ in hoc quotidie allegatur. Quanquam cæteroquin circa quæstionem illam, « An tempus computetur de momento in momentum, » multum variant doctores; uti videre est apud Glossam c. *Cum in cunctis.* ỳ. *Exegerit. de Election.* et Fagnanum, c. *Ad nostram.* n. 31. *de Regularib.* dicentes nihilominus, frequentiorem esse opinionem, quod ubi favor tantum vertitur in causa, dies ultima cœpta habeatur pro impleta ut l. *Anniculus.* 132. ff. *de Verb. signif.* et l. *In usucapione.* ff. *de Divers. et temporal. præscription.* Alias secus: ut l. *Denique.* ff. *de Minorib.* et l. *In omnibus.* ff. *de Actionib. et obligat.* cum concordantiis. Atque hoc ultimum censetur locum habere in proposito, ubi agitur de cessatione ordinariæ potestatis summi pontificis conferendi beneficia in mensibus alternis. Unde Rota in una Augustana, canonicatus. 12. Januarii. 1703. resolvit, collationem canonicatus, qui vacaverat die 6 julii 1700. factam in ordinario loci die 6 octobris ejusdem anni, esse nullam, eo quod non fuisset elapsum integrum trimestre.

563. *Præfatum trimestre non est computandum a notitia vacationis beneficii per Papam acquisita.* — Illud præmissis est addendum, quod præfatum tempus trium mensium, utpote incipiens currere « a die notæ vacationis in loco beneficii, » juxta tenorem concordatorum Germaniæ, et citatam constitutionem Gregorii XIII. *Quæ in Ecclesiam*, neutiquam sit computandum a notitia vacationis beneficii per Papam acquisita: alioquin enim, cum plures dies intercedere necesse sit, donec vacatio beneficii post superatam permagnam distantiam viarum Sanctissimo legitime denuntietur, non illico post elapsum trimestre, atque ex tunc, collator ordinarius illud conferre posset: prout tamen concedunt eadem concordata, ubi non apparet, quod alicui de illo apostolica auctoritate provisum fuerit. Unde

564. *Quinimo currit Papæ ignoranti.* — Infertur primo, quod dictum trimestre currat Papæ, etiam ignoranti: prout in simili habetur casus in c. *Statutum*, juncta Glossa ỳ. *Numerandum. de Præbend.*, in 6. Quia, ne beneficia diutius æquo vacarent, Pontifex in favorem Ecclesiarum, etiam contra seipsum statuendo vi concordatorum ita decrevit: alioquin enim, si voluisset, expressisset tempus scientiæ suæ, et non vacationis beneficii, arg. c. *Ad audientiam.* 12. *de Decimis*: atque observatum legitur in c. *Licet.* 4. *de Supplend. negligent. prælat.* et c. *Quia diversitatem.* 5. § fin. *de Concession. præbend.* Nam est reg. 57. jur in 6. « Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda. » Unde si toto trimestri Papa nihil sciret de vacatione beneficii (puta, quia nemo pro ejusdem consecutione Pontifici supplicaret) nihilominus elapso trimestri posset collator ordinarius ejusmodi beneficium conferre: hoc ipso, « quod non appareret intra tres menses a die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo apostolica

auctoritate provisum fuerit; prout loquuntur concordata Germaniæ, *ex tunc* concedentia collatoribus ordinariis liberam de illo disponendi facultatem.

565. *Ac etiam Sede apostolica vacante.* — Infertur ulterius, quod etiam Sede apostolica vacante, post elapsum trimestre a die notæ vacationis in loco beneficii possit collator ordinarius illud conferre : idque in vim eorumdem concordatorum Germaniæ; atque confirmat consuetudo hactenus recepta. Nam rationes n. præced. allatæ, etiam urgent in casu Sedis apostolicæ vacantis.

566. *Solvitur instantia ex c.* Si Apostolicæ de Præbend. *in* 6. *desumpta.* — Nec obstat textus in c. *Apostolica.* 35. juncta Glossa, et doctoribus ibid. *de Præbend.* in 6. asserentibus, quod Sede apostolica vacante possint quidem collatores libere conferre parochiales Ecclesias tunc in Curia vacantes, non autem alia beneficia apud eamdem tunc vacantia. Resp. enim, istud procedere de beneficiis, quæ Sede apostolica vacante contingit apud eamdem Sedem vacare : in quo casu, loquendo de solis « Parochialibus Ecclesiis » (et sic tacite cætera beneficia tunc vacantia in Curia excludendo : cum « exceptio firmet regulam in contrarium » in casibus non exceptis, l. *In iis quæ.* ff. *de Legib.* juncta Glossa ibid. Barbosa, Axiomat. 85. n. 4.) statuitur in cit. c. « Si apostolica, de præbend. » in 6. quod dictæ parochiales Ecclesiæ possint conferri Sede apostolica vacante, « ne ipsarum vacatio diuturna periculum valeat animabus afferre, » prout loquitur Pontifex ibid. secus est dicendum de beneficiis vacantibus in mense pontificio juxta concordata Germaniæ : quia horum collatio indistincte relinquitur collatoribus inferioribus, quando « non apparuerit intra tres menses a die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo apostolica auctoritate provisum fuerit : » prout Sede apostolica tamdiu vacante non apparet, neque apparere potest.

567. *Sensus concordatorum Germaniæ, ibid.* In loco beneficii, etc., *declaratur per Gregorium XIII.* — Resp. II. Cum circa sensum dictorum verborum. « Non apparuerit intra tres menses a die notæ vacationis in loco beneficii. » quæ collatores ordinarii in præjudicium collationis pontificiæ interpretabantur; plures successive fuerint ortæ difficultates, collatoribus ordinariis post lapsum trium mensium illico conferentibus beneficium vacans, si is, cui Papa illud jam contulerat, quocunque casu in loco beneficii nondum apparuisset. Hinc Gregorius XIII. in citata sua constitutione 41, *Quæ in Ecclesiam*, declaravit verba illa, « In loco beneficii, » conjungi eum verbis immediate antecedentibus, « Notæ vacationis, » et ad illa duntaxat referri : sicque voluntatem concedentis, ac sensum dictorum verborum esse, « ut dispositio beneficii intra tres menses a die notæ vacationis a Sede prædicta fieri, deque gratia facta alicubi apparere debeat : » sive dein appareat in loco vacantis beneficii, sive Romæ, aut in loco, ubi existit Pontifex. Unde subjungit citatus Pontifex, declarando, quod ordinarii, aut alii collatores, non possint post lapsum trium mensium ejusmodi vacantia beneficia conferre, « si de illis intra dictum trium mensium per Romanum Pontificem, ac dictam Sedem qualiscunque gratia, vel dispositio, aut concessio facta fuerit. » Voluit tamen Pontifex ibidem, quod taliter provisi de beneficiis, intra tres illos menses concessionem sibi factam collatoribus ordinariis significare, vel in ipso beneficii loco publicare teneantur. Quod intellige, dummodo istud commode fieri possit, et temporis angustia, vel alia impedimenta non obstent. Engel, tit. *de Rescriptis.* n. 23; Pirhing, h. t., n. 363; Georg. Branden, super *Concordatis Germaniæ*, quæst. 12. Notab. 3; Nicolarts in cit. *Concordat.* tit. I, dub. 11, § 1. et seqq. estque uberius dictum supra lib. I. tit. III. *De Rescriptis.*, § 3, n. 68.

568. *Post lapsum trium mensium non excluditur Papa a collatione beneficii, si istud collator ordinarius nondum contulit.* — Resp. III. Quamvis post lapsum trium mensium a die notæ vacationis in loco beneficii, si de hoc auctoritate Apostolica nulli provisum fuerit, possit collator ordinarius libere de eodem disponere, ut dictum : non tamen idcirco excluditur jus concursus summi Pontificis. utpote concurrentem cum quolibet ordinario jurisdictionem. atque potestatem conferendi beneficia habentis, c. *Dudum.* 14. *de Præbend.* in 6. cum similibus.

569. *Atque istud exemplificatur.* — Unde si casus contingeret, quod Papa post lapsum dictorum trium mensium conferat beneficium, antequam collator ordinarius illud contulisset, (puta, si dies factæ collationis pontificia prior sit die collationis ordinarii) non est dubium, quin provisus a Papa excludat provisum ab ordinario, juxta textum expressum c. *Si a Sede.* 31. *de Præbend.* in 6. juncta

Glossa ✝. *Nec appareat.* ita Branden in *Concordatis Germaniæ*, quæst. 6. n. 18. et infra, Notab. 1. n. 1. ac seqq. allegans Rotam in una Meten. canonicatus, coram R. P. D. de Rubeis. 8 novemb. 1577. et Cassadorum, decis. 1. *de Pactis*, et Simonettam l. I. decis. 7, Nicolarts, tit. I. ad *Concordat. Germ.* § 3. citans plurimos alios. Accedit ratio, quia, licet Papa post lapsum trium mensium collatoribus ordinariis concesserit potestatem libere disponendi de beneficio vacante, non tamen hujusmodi facultatem a se abdicavit: quinimo majorem sibi reservasse dignoscitur, arg. cit. c. *Dudum. de Præbend.* in 6. juncto relato textu concordatorum, ubi de tali abdicatione nulla, vel minima mentio habetur.

§ XX.

DE PRIMIS PRECIBUS IMPERATORIS.

570. *Imperatori Romanorum neo-electo, ex auctoritate apostolica concedi solet speciale indultum nominandi ad beneficia idoneas personas. Nominatio hujusmodi nomine* primarum precum *denotatur.* — Quæritur I. An, et qualem potestatem porrigendi *Primas preces* ad beneficia, habeat imperator? Resp. I. Imperatori Romanorum neo-electo, ex auctoritate apostolica, et antiquissima consuetudine, concedi solet speciale indultum apostolicum, ut in qualibet Ecclesia per S. Romanum imperium, prout nunc est, ubicunque constituta, semel personam sibi gratam et acceptam, cæteroquin tamen idoneam, collatori ordinario nominare possit, quam iste ad beneficium vacans omnino recipere teneatur. Et hujusmodi nominatio per Romanorum imperatorem facta, speciali nomine *Primarum Precum imperatoris* denotatur.

571. *Indultum hujusmodi apostolicum est ab antiquis temporibus usitatum.* — Porro harum *Primarum precum imperatoris* non solum meminerunt recentiores auctores: ut Joan. Chokier, in tract. *Scholia in Primarias Preces imperatoris*, intitulato; Fagnanus c. *Nulla.* n. 9. et seqq. *de Concession. præbend.*; Henric. Wagnerek in *Commentario exegetico SS. canonum*, c. *Is cui, de Præbend.* in 6.; Pirhing, h. t. n. 367; Engel, eod. n. 70. et alii. Verum etiam de eisdem mentionem faciunt antiqui canonistæ: ut Joan. Andreas, cit. c. *Is cui.* n. 1. *de Præbend.* in 6. et Speculator tit. *de Præbend.* § *Restat.* n. 7. asserens, quod « Imperator habet privilegium, quod ego (inquit) vidi Bullatum, quod in qualibet Ecclesia Alemanniæ possit facere unum recipi. » Unde patet de antiquissima consuetudine hujus privilegii, quod imperatori neo-electo, et a Papa confirmato, idque postulanti, in scriptis concedi solet: adeo, ut Nauclerus in sua *Chronographia* testetur, Rudolphum I. qui anno Domino 1273, electus est, jam usum fuisse hoc privilegio sub nomine *Primarum precum*, ex antiqua, et approbata ab antecessoribus ad se perducta consuetudine: sicque hanc dudum jam ante tempora Rudolphi I. viguisse appareat.

572. *Refertur tenor dicti indulti apostolici.* — Exemplar talis indulti apostolici, per Paulum V. Ferdinando Romanorum regi in imperatorem electo, 1620. pridie Non. junii concessum, per extensum refert, scholiisque illustrat Joannes a Chokier in tract. *Scholia in Primarias preces imperatoris,* intitulato: ex cujus indulti tenore simul colligi poterit, qua facultate porrigendi *Primas preces* ad beneficia gaudeat imperator. Quia tamen ejusmodi indultum apostolicum est longius, et apud memoratum auctorem, in quinque sectiones divisum, videri potest: hinc dimissis cæteris, solummodo secundam, et tertiam sectionem, utpote præ cæteris ad propositum facientem, huc adducere placuit; ubi Pontifex indultum *Primarum precum* interponendarum, sequentibus verbis neo-electo imperatori concessit.

573. « Hinc est, quod Tuæ Celsitudinis supplicationibus inclinati, dicta auctoritate præsentium serie eidem T. C. concedimus, indulgemus, quod si per te quibusvis collatoribus seu collatricibus quorumcunque beneficiorum ecclesiasticorum, sæcularium, et regularium, ordinum quorumcunque, per S. Romanum imperium videlicet constitutorum, etiam si qui, vel si quæ ex illis pontificali, seu alia quavis dignitate præfulgeant, seu collegia, capitula, et conventus fuerint, super singulis beneficiis ecclesiasticis, cum cura, vel sine cura sæcularibus, vel ordinum hujusmodi regularibus, in singulis cathedralibus, metropolitanis, vel collegiatis, vel aliis quibusvis ecclesiis, etiamsi beneficia hujusmodi, canonicatus et præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in eisdem cathedralibus, etiam metropolitanis, et collegiatis et ipsæ præbendæ in illis, et hujusmodi ecclesiis, in quibus majores et minores præbendæ esse noscuntur, etiamsi majores fuerint, et ad dignitates, personatus, admi-

nistrationes, vel officia hujusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, dummodo dignitates ipsæ in cathedralibus et metropolitanis post pontificales majores, aut collegiatis hujusmodi principales non existant, ad eorumdem collatorum et collatricum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem, communiter vel divisium pertinentibus singulis personis conferendis, seu super hoc quod personæ hujusmodi ad illa recipiantur, et admittantur. Preces porrigi, seu de personis eisdem ad hujusmodi beneficia nominationes fieri contigerit Primarias, iidem collatores et collatrices (salvo, quod singulæ collationes, et singulæ ecclesiæ, ex hoc ultra, quam in uno beneficio non graventur; ac ipsi collatores et collatrices saltem quatuor beneficia ecclesiastica conferre habeant) hujusmodi Precibus, et nominationibus parere intendere, nec non personas ipsas ad hujusmodi beneficia, postquam ipsis de illis canonice provisum fuerit, juxta earumdem Precum, aut nominationum tenorem recipere, et admittere debeant et etiam teneantur. Ita quod Celsitudo Tua unam et eamdem personam supra dictis collatoribus, et collatricibus, simul, vel successive nominare possit. Ita tamen, quod quamprimum persona sic nominata de aliquo beneficio provisa fuerit ejus nominatio quoad alios collatores, vel collatrices facta, ipso jure expiret; et quoad easdem Preces, canonicatum et præbendam, ac dignitatem, seu personatum, administrationem, vel officium in una ecclesia pro unico duntaxat beneficio computari debere declaramus, » etc. Hæc ibi : concedendo postmodum eidem neo-electo imperatori potestatem deputandi executores, qui auctoritate apostolica, etiam per censuras ecclesiasticas, compellere possint ordinarios collatores, vel collatrices, ad executionem dictarum *Primarum Precum :* « Non obstantibus quibuscunque, » etc. Pro cujus indulti apostolici meliori intelligentia.

574. *An imperator neo-electus possit eodem, uti ante approbationem Papæ? Approbatio imperatoris neo-electi spectat ad Papam.* — Quæritur II. Utrum neo-electus imperator jam ante approbationem Papæ, possit uti indulto interponendi *Primas preces* pro assecutione beneficiorum? Resp. Etsi Romanus Pontifex non nisi prævia approbatione imperatoris neo-electi (quæ ad Papam de jure spectat. c. *Venerabilem*. 34. *de Election*. et Clem. 1. *de Jurejurand.*) ac specialibus desuper expeditis litteris, Indultum *Primarum precum*, ad præviam ejus petitionem concedere soleat; prout patet ex tenore relati indulti apostolici, nihilominus videtur dicendum, quod imperator neo-electus, nomine, et auctoritate apostolica, potestatem nominandi, seu *Primas Preces* ad beneficia vacatura interponendi, vigore memorati indulti concedi solitam, statim, ac concorditer electus fuit, erga personas bene meritas, exercere valeat : idque ob cognitam benignitatem summorum Pontificum, qui memoratum indultum litteris, et si posterius datis, non dubitantur concessuri; sicque ratihabituri nominationes ad beneficia auctoritate ipsorum jam antea factas : nam « ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari. » juxta reg. 10. jur. in 6. Ita Henricus Wagnereck ubi supra, § 1, ℣. *Quæres*. et seqq.; Pirhing, h. t. n. 371. Engel eod. n. 70. in fin. qui ad istud adducunt recens exemplum Ferdinandi IV. Augustæ Vindelicorum post electionem suam, nemine improbante, sic practicantis : quamvis Joan. Chokier in *Scholiis de Primis Precibus*, sect. 2, quæst. 12, de hoc dubitet, istamque quæstionem relinquat indecisam.

575. *Ad quæ beneficia possit imperator primas preces porrigere?* — Quæritur III. Ad quæ beneficia virtute indulti apostolici possit imperator neo-electus *Primas Preces*, seu nominationes porrigere? Resp. I. Virtute memorati indulti apostolici potest imperator in omnibus ecclesiis, intra fines Sac. Rom. imperii, prout nunc est, consistentibus, etiam metropolitanis, cathedralibus, collegiatis, et quibuscunque aliis, *Primas Preces*, seu nominationes de personis idoneis porrigere, quas ordinarii collatores, vel collatrices, postquam illis sic provisum fuerit, omnino recipere, atque nominatos ad vacantia beneficia admittere tenentur : ita tamen, ut idem collator, seu collatrix non nisi semel, id est pro unico tantum beneficio, gravetur. Ita auctores, qui supra; et patent singula ex tenore indulti apostolici proxime relati.

576. *Istos solum potest porrigere in ecclesiis intra fines sac. rom. imperii, prout nunc est, existentibus.* — Dicitur notanter, « in omnibus Ecclesiis intra fines Sac. Rom. imperii, prout nunc est, existentibus. » Quia indultum illud porrigendi *Primas preces* solummodo conceditur imperatori per Romanum Imperium, prout nunc est : non autem pro provinciis, et regnis olim ad id pertinentibus,

sed hactenus ab eodem avulsis. Siquidem in istis nullam amplius jurisdictionem habet imperator.

577. *Quid, si collator existat extra fines imperii, Ecclesiæ vero intra illos : aut e contra?* — Quod si vero collator, vel collatrix habitet extra ditiones sac. Rom. imperii, sed intra istud habeat quædam beneficia conferenda, saltem quatuor : tunc ipse, vel ipse puta abbas, vel abbatissa, videtur teneri ad recipiendas *Primas Preces* imperatoris ratione dictorum beneficiorum, utpote consistentium intra fines imperii. Ratio hujus est, quia Pontifex concedens indultum, non respexit ad domicilium collatorum, sed ad locum, in quo beneficia consistunt : ubi desumitur ex illis verbis relati Indulti : « Per s. Rom. imperium videlicet constitutorum. » Joan. Chokier, loc. cit. sect. 2. post quæst. 17. ✠. *Per sacrum;* Wagnereck d. c. *Is cui*. § 2. Not. 2. h. t. in 6; Pirhing, eod. n. 367. Not. 2. Qui proin e contra inferunt, secus esse dicendum, quando collator habitat quidem in imperio, sed beneficia conferenda consistunt extra illud : quia tunc non tenetur collator ille admittere *Primas Preces* imperatoris, argumento a sensu contrario desumpto.

578. *Idem collator non nisi semel potest per Primas Preces imperatoris gravari.* — Et additur, « ita tamen, ut idem collator non nisi semel gravetur, etc. Istud enim expresse habetur determinatum in relato indulto apostolico, illis verbis : « Salvo, quod singulæ collationes, et singulæ ecclesiæ ex hoc ultra quam in uno beneficio non graventur. » Nec immerito : tum quia alioquin non primæ, sed secundæ Preces fore censerentur; tum quia Papa nunquam intendit eumdem collatorem super pluribus beneficiis, aut receptione duorum gravare, nisi istud exprimat, c. *Mandatum*. 38. *de Rescript.* juncta Glossa. ✠. *Super receptione duorum,* et doctoribus. ibid. Unde consequens est, quod nec imperatori talem tribuat facultatem, in præjudicium collatorum ordinariorum, quibus alias vix amplius superesset occasio conferendi.

579. *Et quando imperator censeatur gravasse?* — Gravasse autem semel collatorem censetur imperator, quando hujus *Preces primariæ* ad effectum pervenerunt, atque nominatus actu beneficium sibi præsentatum obtinuit. Alioquin vero, si hic *Primis precibus* imperatoris pro se factis renuntiaverit, aut morte præventus, vel quocunque alio impedimento detentus beneficium illud non obtinuerit; nihil prohibet, quin imperator novas preces pro illo ad eumdem collatorem dirigere valeat. Chokier, ubi supra quæst. 8; Pirhing, h. t. n. 373; Engel, eodem n. 70. vers. ✠. *Potest*.

580. *Dantur plura beneficia, quæ sub primis precibus imperatoris non comprehenduntur. Ut dignitates pontificales, et dignitates majores post eas in cathedralibus, et principales collegiatis.* — Resp. II. Dantur tamen plura beneficia, quæ sub *Primis precibus* imperatoris, seu potestate nominandi ad ea non comprehenduntur. Ita certa, et communis, ac patet inductione. Sic imprimis hinc excipiuntur dignitates pontificales; nec non dignitates majores post pontificales in cathedralibus, et principales in collegiatis : ubi patet ex tenore indulti apostolici *Primarum precum*, n. 573. relati ibi. « Dummodo dignitates ipsæ in cathedralibus, et metropolitanis post pontificales majores, aut collegiatis hujusmodi principales non existant. » Quæ autem censeantur ejusmodi majores, vel principales dignitates, dictum est supra. § præced. n. 550.

581. *Item prælaturæ regulares, imo et simplex monachatus.* — Deinde excipiuntur prælaturæ regulares, seu dignitates in monasteriis : ut abbatia, decanatus, prioratus conventuales. Talia enim beneficia ex natura sua sunt regularia, supponuntque professionem religiosam : nam abbas eligi non potest nisi professus, c. *Cum in magistrum*. 49. *de Election*. Idemque dicendum esse de simplici monachatu, vel canonicatu regulari, quod videlicet non cadat sub *Primis precibus* imperatoris, probat etiam ratio; simulque recepta consuetudo, quæ est optima legum interpres, c. *Cum dilectus. de Consuetud.* Alioquin certe multum turbaretur pax religiosa, bonumque regimen Monasteriorum.

582. *Beneficia regularia alia sunt ex natura sua talia; alia solum per accidens : et an cadant sub primis precibus?* — Nec obstat tenor indulti apostolici *Primarum Precum*, ibi : « Super singulis beneficiis ecclesiasticis sæcularibus, vel ordinum hujusmodi regularibus. » Resp. enim cum Henric. Wagnereck, in cit. c. *Is cui*. § 2. ✠. *Beneficiorum ecclesiasticorum*. h. t. in 6. quod beneficia regularia alia sint ex natura sua talia; ut sunt proxime dicta. Alia vero per accidens solum; puta, quia sunt regularia ex fundatione, vel legitima præscriptione : ut parochiæ per regulares administrari solitæ, c.

Cum de beneficio. 5. h. t, in 6. Atque de hisce beneficiis regularibus posterioris generis, procedunt relata verba indulti apostoli primarum precum : quamvis piissimi imperatores, ne quoquo modo turbent disciplinam regularem, etiam horum beneficiorum regularium dispositionem plerumque soleant relinquere prælatis, et superioribus ordinum. Wagnereck loc. cit. Nisi dicere placeat, istud ex eo contingere, quod parochiæ, seu alia ejusmodi beneficia regularium, a potiori sint accessorie unita ipsorum monasteriis, sicque redeant dicta superius n. 399.

583. *Beneficia jurispatronatus laicorum excipiuntur ab indulto primarum precum : secus dicendum de beneficiis iurispatronatus ecclesiastici.* — Tertio ab indulto *Primarum precum* excipiuntur beneficia quæ sunt jurispatronatus laicorum. Huic enim Pontifex nunquam censetur derogare, nisi hoc ipsum clare exprimat; ne cæteroquin laici quoquo modo retrahantur a fundandis, ædificandis, vel dotandis ecelesiis, aliisque beneficiis. Glossa c. *Cum dilectus*. 28. ỷ. *Quempiam præsentare*. in fin. *de Jurepatronat.*; Chokier, ubi supra. sect. 2. ỷ. *Præsentationem*. citans alios. Secus tamen est dicendum de beneficiis jurispatronatus ecclesiastici, utpote in quibus cessat allata ratio : simulque, quia indultum *Primarum Precum* inter alia expressam mentionem facit de beneficiis ad quorumvis « præsentationem pertinentibus. » Accedunt dicta superius n. 395. et 424.

584. *Primæ preces locum non habent, nisi collator ad minus quatuor beneficia conferre possit.* — Quarto. *Primæ Preces* imperatoris locum non habent, nisi collator ordinarius ad minus quatuor beneficia conferri possit : nam, si is unum duntaxat, vel alterum conferendum habeat, aut saltem non nisi tria beneficia conferre possit : non tenetur collator hujusmodi *Primas Preces* imperatoris admittere. Quinimo hæc clausula. « Salvo quod ipsi collatores, vel collatrices, saltem quatuor beneficia ecclesiastica conferre habeant. Indulto apostolico *Primarum Precum* porrigendarum, imperatoribus neo-electis concedi solito, expresse inseri consuevit : » ne alioquin facile contingat, ut quis toto vitæ suæ tempore impediatur ab usu juris liberæ suæ collationis. Textus memorati indulti. n. 573. relatus Wagnereck ubi supra § 2. ỷ. *Saltem quatuor;* Pirhing, h. t. n. 370, limit. 3; Engel, eod. n. 70. ac præsertim Chokier, cit. sect. 2. ỷ. *Saltem quatuor beneficia;* qui ibidem. ỷ. *Super singulis beneficiis ecclesiasticis*, nonnullas alias limitationes adducit.

585. *Indultum primarum precum subsistit, etsi repugnet juri communi, et concordatis Germaniæ : et cur?* — Dices. Indultum *Primarum precum* repugnat et juri communi, et concordatis Germaniæ; ergo non videtur admittendum. Antecedens probatur; tum quia *Primæ preces* sapiunt naturam gratiarum expectativarum, quæ cum inducunt votum captandæ mortis, etiam gentilibus exosæ fuerunt, eorumque legibus prohibitæ; ut legitur cap. II. *de Concession. præbend.*; tum quia in concordatis Germaniæ conceditur collatoribus ordinariis libera collatio beneficii vacantis in mensibus alternis : sed talis facultas impeditur per *Primas Preces* imperatoris. Resp. neg. consequent. Quia enim indultum *Primarum precum* conceditur auctoritate solius Papæ (qui de jure potest supra jus dispensare, c. *Proposuit*. 4. *de Concession. præbend.*) et quidem intuitu eximiorum meritorum imperatoris erga ecclesiam, quam veluti matrem et dominam recognoscit, ejusque fidelem advocatum, pugilem et athletam adversus schismaticos, hæreticos, turcas, aliosque fidei et Christi nominis hostes se profitetur, atque exhibere consuevit : hinc neutrum allegatorum inconvenientium urget. Et quidem, qua ratione Pontifex sua suprema potestate tollat deformitatem, quam videntur continere gratiæ expectativæ, dicetur inferius tit. VIII. *de Concessione Præbendæ*, etc. § 3. n. 43. Ad alterum patet ex eo; quia sæpe dictum indultum apostolicum quoad *Primas preces* ab imperatore interponendas expresse derogat concordatis Germaniæ, ibi : « Non obstantibus — concordatis nationis Germanicæ, ac eorumdem concordatorum confirmatione. » Quia enim privilegium *Primarum precum* est longe antiquis concordatis Germaniæ, juxta dicta n. 571. non sustinuisset Fridericus imperator, auctor concordatorum, per hæc quidpiam derogari suo, suorumque successorum imperatorum tam eximio, speciali, simulque pervetusto privilegio.

586. *An imperator eamdem personam possit nominare ad plura beneficia : et quo modo?* — Quæritur IV. An imperator eamdem personam, porrectis *Primis Precibus*, possit nominare ad plura beneficia? Resp. Affirmative : ita tamen, ut quam primum ejusmodi persona de aliquo dictorum beneficiorum provisa fuerit, cesset nominatio ipsius quoad alia

beneficia. Patet istud ex tenore indulti apostolici, supra n. 573. jam relati : vers. *ita quod Celsitudo :* et amplius declarat Chokier, ibid. in *Schol.* asserens, id fieri posse vel *simul ;* puta, quia Cæsar per idem diploma, atque sub unico contextu verborum, quempiam nominat ad diversas ecclesias, seu canonicatus. Vel *successive ;* puta, hodie nominando precistam ad canonicatum Frisengensem proxime vacaturum, et cras per aliud diploma nominando ipsum ad canonicatum Augustanum, vel Ratisbonensem.

587. *Quid prosit talis nominatio ad plura beneficia ?* — Proderit autem hujusmodi multiplicata ad plura beneficia nominatio, ut quis certius, citiusque consequatur beneficium : nam citius solet contingere vacatio quædam in pluribus, quam in una solummodo ecclesia. Quamvis ac eveniente, atque subsecuta collatione beneficii, omnes aliæ gratiæ, seu nominationes ad alia beneficia mediantibus *Primis Precibus* factæ, illico cessent : Ne videlicet præter intentionem concedentis, qui plura beneficia consequatur, contro c. *De multa.* 28. h. t. cum similibus, et contra c. *Si Clericus.* 11. eod. in 6. juncto textu memorati indulti apostolici, ibi : « In tamen, quod quamprimum persona sit nominata, de aliquo beneficio provisa fuerit, ejus nominatio quoad alios collatores, vel collatrices facta, ipso jure expiret.

588. *Etiam post adeptum prius beneficium, potest imperator eidem precistæ novas preces primarias ad aliud beneficium porrigere.* — Per hoc tamen non negatur, quin etiam post adeptum prius beneficium, sicque consumptam priorem gratiam, seu nominationem, possint eidem precistæ per imperatorem novæ *Preces Primariæ* ad aliud beneficium porrigi; tum quia per hoc nulli generatur præjudicium; eo quod quælibet ecclesia, vel collator non nisi semel per interpositionem *Precum Primariarum* gravari valeat ; tum quia vel posterius beneficium est compatibile cum priori ; et nunc precista potest utrumque simul retinere : vel illud est incompatibile cum priori; et tunc per illius assecutionem pacificam vacat prius beneficium ipso jure, cit. c. *De multa.* h. t. sicq; rursus nullum oritur inconveniens, quamvis precistæ subveniatur per collationem posterioris beneficii, veluti pinguioris, aut alias sibi magis proficui, tum tandem, quia memorata clausula indulti apostolici, *Ita tamen, quod quamprimum*, etc. solum intelligenda est de cæteris *Primis precibus,* quas antea obtinuit precista pro diversis ecclesiis ad citius consequendum hac ratione beneficium : non autem tollit Imperatori facultatem concedenti alias *Primas preces* tali precistæ post prioris gratiæ consumptionem. Rota decis. 738. apud Card. Seraphinum, quam allegat, et sequitur Chokier, ubi supra sect. 3. ℣. *Ita tamen quod.*

589. *Precista debet acceptare beneficium vacans intra mensem.* — Quæritur V. Infra quod tempus teneatur precista acceptare beneficium vacans ; et quid, si intra illud negligat istud acceptare ? Resp. I. Ut *Preces primariæ* imperatoris suum sortiantur effectum, tenetur precista infra mensem, postquam ipsi vacatio oblati beneficii innotuerit, per se, vel per procuratorem ad id speciale mandatum habentem, ejusmodi beneficium acceptare : sicque ante elapsum mensem collatori ordinario, v. g. episcopo, vel capitulo capitulariter congregato, insinuare rescriptum Precum imperatoriarum. Ita Chokier, in *Preces Primarias.* sect. 4. ℣. *Intra mensem.* et ℣. *Duxerint acceptanda ;* Pirhing, h. t. n. 377. Idque patet ex tenore indulti apostolici ab eodem relati, illis verbis ; « et quæ personæ, pro quibus Preces, seu Nominationes ad illa (beneficia) se extendant, infra mensem, postquam ipsis vacatio hujusmodi beneficiorum innotuerit, duxerint acceptanda. » Atque istud merito statutum fuit, eo quod diutina ecclesiarum vacatio, soleat eis esse dispendiosa. c. *Quam sit Ecclesiis de Election.* in 6.

590. *Mensis iste, quando currere incipit ?* — Resp. II. Mensis iste datus ad acceptandum beneficium, incipit currere a die, quo ipsi precistæ innotuit vacatio illius beneficii. Textus est in citato indulto apostolico, illis verbis : « Infra mensem, postquam ipsis vacatio hujusmodi beneficiorum innotuerit. » Atque talem notitiam censetur precista habere a tempore vacationis jam notoriæ in loco, vel ecclesia beneficii vacantis : et alioquin is imputet sibi, si in hoc casu, quo de ipsius commodo agitur, id quod per se, vel per alium scire poterat, ignoravit, juxta textum notabilem in Clem. un. § fin. *de Concession. præbend.* Quanquam Chokier, ubi supra et post ipsum, Pirhing, h. t. n. 378. istud intelligendum censeat, nisi precista justam ignorantiæ causam probaret : puta, quia longe distabat a loco vacantis beneficii, vel quia procurator suus, quem habebat in loco beneficii, interea mortuus fuerat, vel hujusmodi.

Glossa in cit. Clem. un. ỳ. *Nota erit. de Concess. præb.*

591. *Post elapsum mensem, et nulla facta insinuatione primarum precum, collator ordinarius potest beneficium conferre.* — Resp. III. Post elapsum mensem, ac nulla facta insinuatione *Primarum Precum* imperatoriarum, collator ordinarius potest conferre beneficium vacans : si tamen non contulerit, tunc re adhuc integra, poterit precista etiam post mensem, insinuando *Preces primarias* imperatoris, acceptare beneficium. Ita Chokier loc. cit. ỳ. *Post mensem;* Wagnereck, ubi supra. § 3. vers. *Quæres. II;* Pirhing, h. t. n. 378. Prior pars probatur ex eo : quia collator ordinarius nullo jure impeditur, quominus conferat post mensem, postquam precista neglexit eidem, et debuerat, *Primas preces* insinuare.

592. *Si tamen non contulerit, potest precista etiam post mensem preces insinuare.* — Altera pars, spectato jure communi, non caret difficultate. Siquidem fines mandati, imo et indulti apostolici, diligenter sunt observandi, c. *Cum dilecta.* 22. *de Rescript.* et l. *Diligenter.* ff. *Mandati :* ergo, cum in indulto apostolico pro insinuatione *Primarum Precum* assignetur spatium unius mensis, videtur dicendum, quod post illud precista nequeat amplius acceptare beneficium, insinuans tunc primum *Preces primarias.* Verum respondetur istud procedere re amplius non integra : secus dicendum re adhuc integra, seu quando beneficium necdum alteri collatum fuit. Tunc enim posse adhuc acceptari beneficium post mensem, probatur ex clausula, *Non obstantibus,* quæ indulto apostolico sect. 5. § 1. habetur inserta, illis verbis : « Non obstantibus — de insinuatione, publicatione et diligentiis per acceptantes desuper faciendis. » Nam per hanc clausulam remittitur insinuatio, publicatio, et diligentia de insinuatione acceptationis beneficii intra mensem necessario facienda, ubi res adhuc existit integra; atque hæc relinquitur arbitrio nominati, qui proinde re integra etiam post mensem poterit insinuare *Primas Preces*, beneficiumque acceptare. Alioquin vero, si non esset addita ista clausula derogatoria, existimat Chokier, ubi supra. ỳ. *Intra mensem,* quod precista excideret suis precibus, si intra mensem per se, vel per alium non acceptaret : cum hoc ipso non censeretur observare formam, qua non observata actus est nullus. Ac per hoc probatur simul altera pars datæ conclusionis.

593. *An precista post acceptatum semel beneficium, possit variare? Et ratio dubitandi.* — Quæritur VI. An precista post acceptatum semel beneficium possit variare, et ab illa acceptatione tacite, vel etiam expresse resiliendo, petere secundum beneficium vacans, nullique adhuc debitum? Ratio dubitandi, et affirmativam tenendi, est : quia in indulto apostolico *Primarum Precum*, sect. 4. videtur relictum opinioni ipsorum precistarum, quod beneficium vacans ex pluribus sibi oblatis velint acceptare : uti desumitur ex verbis illis n. 589. relatis : « Duxerint acceptanda. » Verum his non obstantibus.

594. *Negative respondetur.* — Resp. I. Precista post acceptum semel beneficium nequit variare, nec postea petere secundum vacans, si negligens fuerit in acceptando primo beneficio. Ita Chokier, ubi supra. sect. 4. *Intra mensem.* vers. *Dubitatur ulterius.* et Pirhing, h. t., n. 379. Ratio est, tum quia jura improbant varationem : ut l. *Servi electione.* ff. *de Legat. I.* ibi : « Servi electione legata, semel duntaxat optare possumus : » juncto cap. un. *de Postulat. prælat.* in 6. et reg. 21. jur. in 6. « Quod semel placuit, amplius displicere non potest : » cum concordantiis; tum quia juxta c. *Si Clericus.* 11. § 1. *de Præbend.* in 6. quando clericus, cui mandabatur provideri de præbenda primo vacatura, negligit eam sibi debitam petere, aliam postmodum prætextu ejusdem mandati petere nequibit : « Cum facta ei gratia per ipsius negligentiam sit extincta, » ut loquitur Pontifex ibid.

595. *Solvitur ratio dubitandi; atque declaratur, qua ratione precistæ tribuatur facultas acceptandi primum beneficium vacans, si velit.* — Nec obstat ratio dubitandi n. 593. allata. Nam per clausulam illam, *Duxerit acceptanda,* solummodo tribuitur precistæ facultas, ut possit acceptare primum beneficium vacans, si velit, atque istud acceptandum duxerit : sin aliter possit expectare secundum vacaturum, illud acceptare; si nec istud, tertium; et sic de cæteris. Non vero per clausulam illam tribuitur precistæ facultas variandi, postquam semel primum vacans beneficium oblatis *Precibus primariis* acceptavit. Quin imo clausula illa satis aperte oppositum innuit, dum permittit quidem libertatem de acceptando, non vero de variando post factam semel acceptationem : junctis præsertim juribus proxime allegatis. Chokier, loc. cit.;

Wagnereck, ubi supra, vers. *Quæres III;* Pirhing, cit. n. 379.

596. *Limitatur dicta sententia negativa in certis casibus.* — Resp. II. Limitatur tamen data conclusio in nonnullis casibus, in quibus post acceptatum prius beneficium vacans, potest precista petere secundum. Sic quippe contingit, quando primus actus acceptationis fuit invalidus : tunc enim reiterandus est, reiterarique potest, l. *Qui per salutem.* ff. *de Jurejurand.* Deinde id ipsum contingit, quando precista acceptans beneficium primo vacans non potest consequi illud, quod acceptavit, arg. l. 2. ff. *de Optione legat.* et l. *Si Maritus.* § fin. ff. ad leg. Jul. *de Adulter.* Chokier, loc. cit. allegans Hostiensem c. *Quia cunctis.* § penult. *de Concession. præbend.* in 6. et duas alias limitationes subjungens, quæ tamen in re sub prioribus comprehenduntur; atque videri possunt apud ipsum, vel Pirhing, atque Wagnereck, ubi supra.

597. *Quid dicendum de executoribus primarum precum, per imperatorem deputandis?* — Quæritur VII. Quid dicendum de executoribus *Primarum precum* per imperatorem deputandis? Resp. I. Etsi nominatio ad beneficium ecclesiasticum virtute indulti apostolici per imperatorem quantumvis laicum facta, censeatur papalis; cum is facere intelligatur, cujus auctoritate vel mandato actus fieri probatur, c. *Mulieres.* 6. § fin. *de Sentent. excommunicat.* et c. *Qui facit per alium.* 72. *de Reg. jur.* in 6. cum similibus. Quia tamen facile contingeret, ut ordinarii collatores non parerent imperatori noviter creato, ejusque *Primis Precibus :* hinc Pontifex eidem concedit executores, qui per se, vel alium, seu alios compellant collatores ordinarios ad conferendum precistis beneficia vacantia, juxta tenorem *Primarum precum* imperatoriarum. Patet istud ex textu indulti apostolici imperatoribus neo-electis concedi soliti, quod verbatim refert Chokier, ubi supra, sect. 4. Simile quid habetur c. *Cum nostris,* 6. *de Concession. præbend.* et c. *Constitutus.* 19. *de Rescript.* et alibi sæpe, ubi pariter pro executione litterarum apostolicarum ad beneficia, deputantur certi executores.

598. *Executores hujusmodi, nec non eorum subexecutores, debent esse constituti in dignitate ecclesiastica.* — Resp. II. Executores hujusmodi, nec non eorum subexecutores, quos illis pro se ipsis subdelegaverunt, debent habere qualitates illas, quæ ex parte delegati apostolici requiruntur in c. *Statutum.* 11. *de Rescript.* in 6. nempe, ut sint in dignitate ecclesiastica constituti, vel personatum obtineant, seu cathedralium ecclesiarum canonici existant. Ita Chokier, cit. sect. 4. ℣. *Quodque cuicunque.* et ℣. *Per se vel alium,* post Rotam decis. 99. « Notat quod executor. in antiq. » et concordant dicta superius lib. I. tit. XXIX. *de Officio et potestate judicis delegati.* § 3. n. 70. et 73. ubi et hujus ratio redditur.

599. *Atque auctoritate apostolica, etiam per censuras, possunt exequi primas preces.* — Resp. III. Executores, ac subexecutores memorati, auctoritate apostolica, etiam per censuras ecclesiasticas, exequi possunt *Primas preces :* habentque eadem auctoritate apostolica liberam facultatem præstandi ea omnia, quæ ad dictarum precum; seu nominationum imperatoriarum effectus consequendos opportuna fuerint. Ita textus expressus memorati indulti apostolici, sect. 4. et Chokier, ibid. apud quem plura alia videri poterunt de *Precibus primariis* imperatoris; quamvis præmissa sint cæteris notabiliora, scituque magis necessaria. (ADNOTATIO LVII.)

ADNOTATIONES

IN TOMUM TERTIUM ANACLETI REIFFENSTUEL

ADNOTATIO I.

Lib. II Decretal. Tit. XXI, De Testibus cogendis vel non, § II, n. 42, pag. 78.

DE TESTIBUS SYNODALIBUS.

Inter testes, qui compelli possunt ad ferendum testimonium contra Ecclesias et earum clericos, recensentur illi qui dicuntur *synodales*, utpote ab episcopo synodum agente designati, et juramento ligati quod legitur apud Gratianum can 7, caus. XXXV, quæst. 6, ibi : « Episcopus in synodo residens, post congruam allocutionem, septem ex plebe ipsius parochiæ vel eo amplius, prout viderit expedire, maturiores, honestiores, atque veraciores viros in medium debet evocare, et allatis sanctorum pignoribus unumquemque illorum tali sacramento constringat : Amodo in antea, quidquid nosti aut audisti, aut postmodum inquisiturus es, quod contra Dei voluntatem et rectam christianitatem in ista parochia factum sit aut futurum erit, si in diebus tuis evenerit, tantum ut ad tuam cognitionem quocumque modo perveniat, si scis aut tibi fuerit indicatum synodalem causam esse et ad ministerium episcopi pertinere, quod tu nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter pretium, nec propter parentelam ullatenus celes episcopum, aut ejus missum, cui hoc inquirere jusserit, quandocumque te ex hoc interrogaverit, sic te Deus adjuvet et istæ sanctorum reliquiæ. » In isto canone, quem Gratianus a Burchardo deceptus tribuit Eutychiano Papæ, cum ejus sit auctor Regino Prumiensis, ut probat Sebastianus Berardus, in opere sæpe laudato, *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti* etc., part. II, cap. XXV, testes synodales sunt laici. « Hæc itaque formula, inquit Berardus loco citato, erat a Reginone proposita qua episcopi laicos interrogarent de illis quæ ad rectam diœceseos administrationem pertinere videbantur. » Cf. Adnotationem II voluminis primi pag. 583.

« Innocentius III in concilio Lateranensi cap VI, (*Collect. concil.* Harduini, tom. VII, col. 23) eadem innovavit, statuitque, ait Benedictus XIV, *de Syn. diœces.* lib. IV, cap III, n. 4, ut in synodis provincialibus, quotannis celebrandis, synodales testes pro qualibet e provinciæ diœcesibus constituerentur, ut unusquisque sibi commissam perlustraret, quodque corrigendum deprehenderet ad futuram provincialem synodum deferret. « Per singulas diœceses, sunt verba Innocentii, statuant idoneas » personas, providas videlicet et honestas quæ, per » totum annum simpliciter et de plano, absque » ulla jurisdictione, sollicite investigent quæ correctione vel reformatione sint digna, et ea fideliter perferant ad metropolitanum et suffraganeos » et alios in concilio subsequenti, ut super his et » aliis, prout utilitati et honestati congruerit, provida deliberatione, procedant, et quæ statuerint » faciant observari. »

» Innocentii decretum, inquit Giraldus, *Expositio juris pontificii juxta recentiorem Ecclesiæ disciplinam*, part I, sect. 264, licet pertineat ad solos testes a provinciali synodo designandos, non propterea abrogavit antiquum morem ut scilicet etiam a quolibet episcopo in sua diœcesana synodo deputarentur. Verum cum non ita facile, ob humanæ conditionis fragilitatem, viri vere probi et integerrimi inveniri possint qui, omni postposito humano affectu, veritatem investigent, eamque sincere, solo charitatis studio, episcopo aperiant, ideoque (sic prosequitur laudatus Benedictus loc. cit. n. 8), synodales testes fere ubique desueverunt, in eorumque locum suffecti sunt fiscales episcoporum et decani, hoc est vicarii foranei, qui utique, quemadmodum bene animadvertit Van Espen, *Jur. eccl. univ.* tom I, part. I, tit. XVIII, cap. III, n. 14, si doctrina, pietate, prudentia et zelo præstarent, ac munus suum diligenter obirent, synodalium testium defectum supplerent et compensarent. »

Attamen, dum hodiernis temporibus in Galliis celebrarentur synodi provinciales et diœcesanæ, inter viros ecclesiasticos uniuscujusque diœcesis, doctrina et virtute insignes, testes synodales opportune delecti fuerunt.

ADNOTATIO II.

Lib. I, Tit. XXII. De Fide instrumentorum, § *III. n. 84, p. 94.*

SIGILLARE CUM CORRIGIA, QUID?

« Si quis vellet, inquit auctor noster, sigillare (instrumentum) cum re non habente characteres, v. g. cum corrigia vel hujusmodi, nihil ageret. » *Corrigia* dicitur fasciola quædam chartis appensa. Olim, deficiente sigillo, nodus fiebat cum corrigia dependente, ut probat charta anni 1122, ex tabulario Fontevraldensi desumpta, in qua legitur : « Ego Aimericus prior de Brajerac propria manu subscripsi, et in corrigia quæ in charta dependet nodum feci. » Et infra : « Ego Willelmus de Scannis propria manu mea præsenti chartæ signum crucis impressi, et nodum in corrigia quæ de cruce pendet feci. » Cf. Du Cange, *Glossarium ad scriptores mediæ et infimæ latinitatis*, v° *Corrigia*.

ADNOTATIO III.

Lib. I. Tit. XXII. § *III, n. 85, p. 94.*

DE ANNULIS IN GENERE ET IN SPECIE DE SIGILLARITIIS.

Eruditi libenter perlegent ea quæ Joannes Albertus Fabricius de annulis digessit in sua *Bibliographia antiquaria*, Hamburgi et Lipsiæ, 1713, in-4°, pag. 554 et seq.

« Operæ pretium est hoc loco etiam nonnulla de *annulis* quoque adjungere, quod argumentum præ cæteris illustravit Joannes Kirchmannus, Lubecæ suæ decus, in libro singulari *De annulis*, edito Lubecæ, 1623, in-8°, Sleswici, 1657, in-8°, cura filii ejus cognominis anno decimo quarto post auctoris fata, fœtum hunc posthumum in lucem protrahentis. Post hasce doctissimas Kirchmanni de annulis meditationes, Franciscum Bernardinum Ferrarium neque suas sæculo invidere velle scripsit Joannes Rhodius in libro *de Ascia* pag. 63. Sed hactenus quidem Ferrario pridem defuncto nihil, quod sciam, bujus argumenti ab eo editum est, quanquam Octavii Ferrarii præclaræ quædam de annulorum apud Romanos usu observationes leguntur lib. I *Electorum*, cap. XXI. Ferreis utebantur plebeii homines militesque manipulares et servi; argenteis plebs, aureis equites et senatus. Vide jurisconsultos ad Digest. L. XL, c. XX, *de Jure aureorum annulorum*, Salmasium f. 170, ad *Hist. August.* Lipsium, *Electer.* II, cap 8; Joann. Mercerium, lib. I. *Opinion.* cap. VIII; Bernartium ad III, 3, *Sylv.* Statii et Gasp. Barth. tom. I ad Statium, pag. 320.

» De luxu in annulorum multitudine, vide quæ viri docti ad Martial. XI, 60, et Valesium ad Ammian. XXVIII, in-4°, pag. 531 et seq.

» Cur manu sinistra frequentius gestari soliti, plures causas comminiscitur Mich. Piccartus, Epist. ad Kirchmannum, post Gudianas, pag. 255.

« De annulis signatoriis antiquorum, quibus etiam ad cellas, arcas et res alias quascumque obsignandas usi sunt, scripsit Georg. Longus Mediolan. 1618 in-8° et Lipsiæ 1709 in-8°, Kirchmannus cap. V, Lipsius ad Tacitum lib. II *Annalium*, Laur. Zaccagnius J. C. in notis ad *Acta Archelai cum Manete*, pag. 441, qui pag. 27. observat cera vel creta sive luto ad obsignandum usos veteres fuisse. De cera notavit etiam Vossius, lib. IV operis *de Idololatria* cap. XCI. Præcipue vero, de modo signandi epistolas et testamenta apud veteres, consulendus Salmasius, lib. *de Modo usurarum* et in specimine confutationis *Animadversionum* Des. Heraldi. Vide et Novarinum, lib. V *Schediasmatum* cap. XXIX, et, de annulo, quo fons baptismi signatus, notas ad Optatum pag. 9, seq. et 12 editionis Amstelodamensis. Annuli illi consignatores etiam *sigillaritii* dicuntur a Vopisco in Aureliano cap. L, qui cap. XLII affert dictum mimi cujusdam bonos principes omnes in uno annulo posse perscribi.....

» Quoad varia simulachra sive ut ex Plinii X, 16 *Epist.* dicam *aposphragismata* quibus annuli ordinati apud veteres fuerunt, sive deorum, de quibus Rycquius cap. XXII *de Capitolio*, sive aliis quibuscumque ut in Syllæ et Pompeii annulo tria trophæa insculpta testatur Xiphilinus pag. 19 et seq. videri possunt Fortunius Licetus *de Annulis antiquis*, Utini 1645 in-4°; Leonardus Augustinus *de Gemmis annulorum* Francof. 1694, in-4°, cum Jac. Gronovii notis; Abrahami Gorlæi *Dactyliotheca* cum præfat. Ælii Everardi Vorstii *De origine annulorum*, et animadversionibus ejusd. Gronovii, Lugduni Batavorum 1695, in-4°. Hic Gorlæus male bis vocatur Abraham Gorous in Aringhi *Roma subterranea* VI, 50, pag. 383, ubi et ipse de annulis varia non contemnenda collegit, occasione annulorum in sepulchris antiquis repertorum.

» Præclara etiam de annulis et sigillis observavit Joannes Mabillonius lib. II. *De re diplomatica*, cui jungendum D. Joan. Mich. Heineccii opus præclarum *De veteribus Germanorum* aliarumque nationum *sigillis*, Francofurti 1709, in-f°. Vide et de annulis veterum Matthiam Zimmermannum in *Florilegio*, Joan. Conr. Dietericum in *Antiquitatibus biblicis* V. T. ad Jeremiam XXII, 24, pag. 628 et seq. Alexandrum ab Alexandro, II, 19; Theophilum Raynaudum, tom. VII opp. pag, 501 et seq. Josephi Laurentii *Polymathiam* lib. I, diss. XI et Martini de Roa *Singularia scripturæ* part II, pag. 460 et seq.; Georgii Thegen dissertationem *De Annulorum in republica usu*, Regiomont. 1701; Dan. Guill. Molleri *de Annulo Trinitario*, Altdorff. 1701; *de Annulo pastorali* D. Joan. Adami Schmidii diatribam, Helmstad. 1706; *de Annulo pronubo*, dissertationem Petri Mulleri jurisconsulti plus simplici vice editam. *De annulis magicis* agit Joannes Michael in notis ad Caffarelli *Curiositates inauditas*, pag. 267. De annulis ex cortice surculi palmæi, quibus Judæi, olim Alexandriæ seditionem moturi, velut tessera inter se usi sunt, memorat Socrates

VII, 13, *Hist.* Multa etiam nec contemnenda de vario annulorum genere congessit Andreas Stubelius, in notis ad *Panegyricum* dicatum solemni creationi magistrorum, Lipsiæ, 1684, in-4°. Δακτυλιογλύφος Cicer. IV. Academ. qui vocatur annularius. Duumvir collegii annulariorum memoratur in veteri inscriptione apud Begerum pag. 81 *Spicilegii antiquitatis*.

» Claudam brevem hanc scriptorum de annulis notitiam fabella judaica, qua aiunt beatis singulis, antequam paradisum ingrediantur, decem annulos ab angelo porrigi, quorum inscriptiones vide, ubi lubebit, apud Poocockium in *Miscellaneis*, pag. 295 et sequenti. »

Cf. quæ sunt dicenda sub Adnotatione XXXIV hujusce voluminis.

ADNOTATIO IV.

Lib. II. Tit. XXII. § *IV*, *n. 113*, *p. 99.*

DE JURE ARCHIVII PRO CANONICORUM COLLEGIIS.

Juxta doctrinam auctoris nostri, jus archivii tantummodo competit prælatis ecclesiasticis majoribus. Porro inter illos recensetur quodvis capitulum metropolitanum aut cathedrale, utpote jurisdictionem in habitu semper retinens, et in actu aliquando exercens secundum canonicas regulas, sede vacante. Ideo, dum anno 1808, bonæ memoriæ Pius PP. VII ecclesiam Montis Albani in Galliis erigebat in cathedralem, instituit « unam seu plures dignitates et convenientem numerum canonicatuum, pro totidem futuris dignitate seu dignitatibus et canonicis, qui eidem Ecclesiæ Montis Albani una cum aliis presbyteris et clericis inservire teneantur; quique capitulum dictæ cathedralis Ecclesiæ constituant cum suis pariter choro, mensa capitulari, arca, bursa et sigillo communibus... » (PELLETIER, *Des Chapitres cathédraux en France*, Parisiis, Lecoffre, 1864, cap. XXXI). Attente legantur et sane intelligantur verba pontificia. Mensa capitularis, arca et bursa non idem sonant. Arca scilicet refertur ad archivium in quo deponuntur et asservantur instrumenta. « Arca dicta, inquit Isidorus in libro *Originum* XX, cap. IX, quod arceat visum atque prohibeat. Hinc et archivum, hinc et arcanum, id est secretum, unde cæteri arcentur. » Quando igitur Pontifex erigit ecclesiam episcopalem cum capitulo, licet non semper expressis verbis ipsi capitulo jus archivii conferat, illud jus subintelligi debet inter jura de more et clausulis generalibus concessa. « Cui nempe capitulo ea ipsa incumbere debent onera atque ecclesiastica munia, quibus cætera cathedralia capitula in Gallia ordinarie perfruuntur, cum facultate utendi eisdem choralibus indumentis atque insigniis, fruendique iisdem omnibus et singulis juribus, honoribus, indultis, gratiis, favoribus, prærogativis, cæterisque tandem privilegiis quibuscumque, dummodo adhuc in usu sint, neque peculiari ex concessione vel oneroso titulo adquisita esse dignoscantur. » Sunt verba Sanctissimi D. N. Pii PP. IX Ecclesiam cathedralem in civitate Vallis-Guidonis in Gallia, anno 1855, erigentis. Cf. Pelletier, *ibid.* cap. LXX, aut *Analecta juris pontificii*, fasciculo 54.

Porro jus prædictum archivii non videtur competere collegiis canonicorum non cathedralibus. In exemplum exstant litteræ apostolicæ *Consueverunt*, die 31 martii 1857. a prælaudato Pontifice Pio IX pro erectione capituli exempti in civitate Sancti Dionysii prope Parisios datæ, in quibus nec ullum deprehenditur verbum ad prædictum jus archivii respiciens. Attamen cum idem Pontifex mandaverit ut capitulum canonice erectum, infra annum a datis hisce litteris computandum, suas constitutiones conficeret, postmodum Apostolicæ Sedis examini pro necessaria sanctione subjiciendas, canonici San-Dionysiani apprime potuerunt in suis constitutionibus jus archivii pro se ipsis exprimere et firmiter obtinere, accedente Pontificis approbatione. Cf. prædictas litteras in collectione legum gallicarum, vulgo *Bulletin des lois*, XI serie, n. 4863, licet versio gallica plurimis scateat mendis; aut in foliis mensilibus *Bulletin des lois civiles ecclésiastiques*, et *Nouveau journal des conseils de fabriques* nuncupatis, pro anno 1857.

Hoc in loco memorare juvat dispositiones quasdam concilii tertii provinciæ Mediolanensis sub sancto Carolo celebrati et a Sancta Sede approbati, ex Bartholomæi Gavanti *Enchiridione seu manuali episcoporum* fideliter desumptas. « In archiviis capitulorum, duo canonici præficiantur cum diversis clavibus et ad biennium, ita tamen ut alter tantum per vices mutetur, et novus sit cum antiquiore. Periculo suo asservanda recipiant per instrumentum, et successoribus scripta consignent coram deputato a capitulo. Inventarium ideo fiat in libro. Ea quæ ad præbendas singulorum canonicorum attinent, in illud inserantur, vel saltem exempla authentica. Nec auferri, neque describi quidquam liceat sine consensu capituli. Si concedatur exscribi, fiat in loco archivii seu capituli coram præfectis archivii. » Utinam hæ regulæ ab omnibus capitulis serventur!

ADNOTATIO V.

Lib. II. Tit. XXII. § *IV*, *n. 115*, *p. 100.*

SOLUTIONES CANONUM, QUID?

« Canon, pensitatio, inquit du Cange. Tria pensitationum genera recenset Asconius in tertiam Verrinam, canonem, oblationem, indictionem. Ac *canon* quidem, seu canonici tituli, sunt solemnes et antiquæ præstationes; *indictio*, quidquid præter canonem indicitur; *oblatio* denique, aurum et argentum, quod largitionibus inferebatur. De ejusmodi pensitationibus multa habent Cujacius, Jacobus Gothofredus, Henricus Valesius et alii. Charta Philippi regis Franc. anni 1271 : « Sic quod possit

» subfeudare et in acapitum dare, retento dicto » templo laudimio, canone sive servitio. » Charta anni 1218 ex archivo S. Victoris Massiliensis, armar. Nemausensis diœcesis, n. 1 : « Pro supra» dictorum annuo canone seu servitio solam libram » piperis dicta Ecclesia dabit. » Charta Guillelmi Dalmatii Aptensis episcopi an. 1247, inter instrumenta tom. I, novæ *Gall. Christ.* pag. 80, col. 1 : « De » novo concedimus et donamus ipsi nobili Ber» trando Raybaudo dictum castrum in feudum... » excepto quod censum de dicto castro, sive cano» nem, qui erat unius sterlingi, permutamus in » unum multonem vivum, qui valeat octo solidos » Willelmenses, quem serviat dictus nobilis vir » B. Raybaudi annuatim in vigilia beati Martini. » Consuetudo Lemovicensis art. 99 : « Præterea » emphyteotæ, et alii qui debent census annuos, si » non solvant ad diem statutum censum, vel ca» nonem, vel etiam pensionem... » Vide Acherium, tom. VI *Spicileg.* pag. 194, et Fredericum Schannatum *Vindem. litter.* pag. 138, statuta Lossensia apud Joannem Mantellium, *Hist. Loss.* part. III, pag. 47 : « Si un locataire renonce à son stuit » avant la Saint-André, il n'est obligé qu'aux ca» nons arriérés; mais s'il le fait après la Saint-An» dré, il doit encore ce dernier canon; » hoc est pretium, vel saltem pretii partem locationis annuæ statuto tempore solvendam. Pluries occurrit ibi eadem significatione; sed et practicis nostris « ca» non emphytéotique » etiamnum dicitur vectigal annuum ex fundo emphyteutico solvendum. (*Glossarium ad scriptores mediæ et infimæ latinitatis*, v° *Canon.*)

ADNOTATIO VI.

Lib. II, Tit. XXII. § IV, n. 128, p. 102.

RECENTIORUM CONCILIORUM DECRETA DE LIBRIS PAROCHIALIBUS.

Concilium Parisiense, anno 1849 celebratum, tit. III, cap. VIII, *De fundationum executione*, sic se habet : « Ut plenæ et assiduæ fundationum executioni quæ in singulis Ecclesiis, sive cathedralibus, sive parochialibus, necnon in sacellis vicarialibus, annexis, aliisve locis piis canonice erectis constituuntur, invigilet episcopus exigunt simul religio, caritas et justitia. Ideo decernunt Patres in prædictis locis quamprimum conficiendum esse indicem omnium tum bonorum et redituum, tum onerum, tum denique instrumentorum quibus innotescit fundatorum voluntas. Mittatur dictus index ad episcopum in ejus cancellaria asservandus. Insuper in iisdem Ecclesiis, vel saltem in loco adjacenti, semper dependeat tabella quæ, secundum anni dies, piorum onerum compendium palam oculis exhibeat. Monemus etiam et obtestamur parochos, capellanos, imo sacrorum locorum in temporalibus administratores quoscumque, etiam laicos, ut omni humano respectu postposito, fundationum titulos sedulo requirant, diligenter servent, et opportuno tempore renovari curent. Nullas denique omittant cautiones a lege civili vel aliunde requisitas, quibus jura sibi concredita integra et sartatecta permaneant. »

In concilio Rhedonensi, eodem anno celebrato, legitur, decreto XVII : « Maximi est momenti ut in regesto cuncta inscribantur nomina baptizatorum in ordine quo fuerunt imposita, accurate et modo ad legendum facillimo. Nunquam omittat sacerdos diligenter conficere actum baptismalem et chirographa patrini saltem et matrinæ requirere... Habeatur etiam in unaquaque Ecclesia parochiali liber confirmatorum, in quo ipsorum nomina inscribantur. »

Concilium Lugdunense, anno 1850 habitum, hæc quæ sequuntur præcipit, XXIII, *De regimine bonorum Ecclesiæ* : « Rationum et deliberationum libri sint adamussim exarati et reconditi. Redditus accurate percipiantur ne, eorum penuria, cultus divini majestas imminuatur. Igitur instrumenta, quæ spectant ad bona sive mobilia, sive immobilia, ne perimantur aut pereant præscribanturve, sed ut sartatecta serventur, continuo invigilent Ecclesiæ rectores... Juxta ordinarii præscripta, omnium sive immobilium sive mobilium inventarium rite confectum habeatur. Fundationum antiquarum instrumenta sedulo serventur, et onera iis imposita, quæ nonnisi ad mentem concilii Tridentini, sess. XXV *de Reform.* cap. IV, servatis constitutionibus Urbani VIII, *Sæpe*, 21 junii 1625, et Innocentii XII, *Nuper*, 23 decembris 1697, reduci possunt, religiose persolvantur... In quolibet sacrario, tabella palam collocata missas celebrandas aliaque in fundationibus præstanda exhibeat. »

Patres concilii Auscitani, anno 1851 celebrati, sic loquuntur, tit. III, cap. I : « Mandamus sacerdotibus ad quos spectat baptismi dispensatio ut librum seu regesta habeant parochialia, in quibus ad futuram memoriam singula baptismata ex ordine recenseant, cum baptizati, ejus parentum et susceptorum nominibus. Horum authenticum exemplum quotannis ad archiva episcopalia transmittant. Si quis in aliena parochia, cum proprii sacerdotis vel ordinarii licentia, baptizatus fuerit, in libro suæ parochiæ inscribatur... Confirmatorum nomina in parochialibus regestis sedulo inscribantur, notato confirmationis die, patrini et confirmantis pontificis nomine. »

In actis et decretis primi concilii provinciæ Westmonasteriensis, in Anglia, anno 1852 habiti, part. II, art. XVI et XVII, hæc reperiuntur : « Liber item baptizatorum a sacerdote sedulo et caute in sacrario servetur, in quo baptizatorum necnon patrini ac matrinæ nomina ab ipso sacerdote, forma injuncta, conscribantur, et uniformitas in iis conscribendis per totam provinciam obtineatur... Teneatur in unaquaque Ecclesia registrum confirmatorum, inserto nomine patrini seu matrinæ; et elenchus confirmatorum episcopo tradatur. »

« Parochus, cui copulationem peragere competit tenetur matrimonium contractum cum omnibus rerum adjunctis, quæ ad probationem efficiendam necessaria vel utilia sunt, libro nuptiali parochiæ propria manu inscribere. Distincte igitur exprimantur : nomen baptismale, cognomen, ætas, religio, habitatio et conditio conjugum; insuper an prius jam matrimonio juncti fuerint necne; porro nomen, religio et conditio parentum ac testium, dies quo, necnon sacerdos coram quo matrimonium inierunt. Quod si difficultates emerserint, modus quo sublatæ fuerint indicandus erit. (*Instructio de causis matrimonialibus*, § 76 ad calc. *Act. et decret. conc. Viennensis* anno 1858 celebrati.) »

ADNOTATIO VII.

Lib. II. Tit. XXII. § *VIII*, *n. 255*, *p. 122.*

DE ACTIS PRODUCENDIS CORAM JUDICE APPELLATIONIS.

« Præcipitur in decretali 12, *G. Perpetuus*, hoc titulo, copiam instrumentorum communium, id est, actorum in prima instantia dandam esse, ab appellante producendam coram judice appellationis. Huic sanctioni accessit decretum concilii Tridentini, tam quoad causas criminales quam civiles. Quod ad causas criminales spectat, hæc ab eodem concilio, sess. XIII, *de Reform.* cap. III, sancita sunt, ibi. « Reus ab episcopo aut ejus vicario in spiri» tualibus generali, in criminali causa appellans, » coram judice ad quem appellavit acta primæ » instantiæ omnino producat; et judex, nisi illis » visis, ad ejus absolutionem minime procedat. Is » autem a quo appellatum fuerit intra triginta dies » acta ipsa postulanti gratis exhibeat, alioqui absque » illis causa appellationis hujusmodi, prout justi» tia suaserit, terminetur. »

« Circa quod decretum testatur Fagnanus, in supra relata decretali n. 11, Congregationem Concilii censuisse non esse distinguendum an in istis causis procedatur ex officio judicis, an ad querelam partis. Quia vero in citato cap. III, Concilium nihil statuit quo pacto causa sine actis terminari possit aut debeat, sicuti quo remedio succurrendum sit appellanti in definitione causæ, si notarius differat exhibitionem actorum, et judex sit in hoc culpabilis, non adjiciendo in utrumque ita delinquentem dumtaxat pœnam, ut videre est in cap. XX, sess. XXIV, de quo infra, eadem Congregatio censuit, ut refert laudatus Fagnanus, loc. cit. nn. 29 et 32, tenendam esse theoriam Innocentii ad hanc decretalem n. 1, a canonistis et legistis frequentissime receptam, videlicet, constito de contumacia judicis a quo, et notarii recusantis exhibere acta, partem judicis ad quem esse appellantem a molestiis absolvere, et pronuntiare acta et sententiam judicis a quo, si forte unquam reperiantur, cassa fore et vana; dummodo tamen petens velit expensas administrare. Censuit etiam dicta Congregatio appellatum teneri ad expensas translationis actorum, si ipse, non autem appellans, prosequi causam voluerit : quibus postea si appellans uti voluerit, hunc teneri pro rata expensas subire, nisi aliter ferat loci consuetudo.

» Quod vero spectat ad causas civiles, præfatum Concilium, cap. XX *de Reform.* sess. XXIV, ita statuit : « Præterea, si quis in casibus a jure permissis appellaverit etc... » Circa quod decretum refert idem Fagnanus, loco cit. nn. 13 et 14. quod S. Congregatio fuit in sensu appellantem teneri propriis expensis transferre omnia acta, etiam ad justitiæ causam non facientia, et id habere locum etiam in causis profanis, spectantibus ad forum ecclesiasticum, et in actis factis a partibus coram judice delegato apostolico, ita ut appellans audiri nequeat in curia, nisi dicta acta producantur.

» Item refert n. 16 quod eadem Congregatio censuit episcopum ejusque notarium cogi posse a delegato apostolico, appellationis judice, nedum ad exhibendam copiam integram actorum, sed etiam originalia, quoties idem delegatus de fide exempli seu copiæ sit dubius.

» Cum autem in principio cit. cap. XX dicatur causæ omnes ad forum ecclesiasticum « pertinentes » ortum fuit dubium an in dicto capite, § *Præterea*, comprehendantur etiam causæ profanæ, ad judicem ecclesiasticum per appellationem devolutæ; quas Fagnanus n. 17 refert Congregationem censuisse non comprehendi, licet judici ecclesiastico commissæ fuissent sive in prima, sive in secunda instantia. Refert etiam n. 32, quoad mercedem dandam notario, a Concilio præscriptam cit. § *Præterea* sacr. Congregationem hoc decretum limitasse, videlicet hanc utique dandam esse, si notarius sit, non vero, si sit cancellarius episcopi. » (Giraldus, *Expositio juris pontificii juxta recentiorem Ecclesiæ disciplinam*, part. I, sect. 266.

ADNOTATIO VIII.

Lib. II. Tit. XXII. § *IX*, *n. 260*, *pag. 123.*

DE NOTARIIS PRO CAUSIS ECCLESIASTICIS.

Canonistæ docent episcopos creare posse notarios pro suis respective diœcesibus, et revera notariorum hujusmodi officia valde utilia sunt respectu tam episcopi quam subditorum. Sit in exemplum opus cui titulus : *Le parfait notaire apostolique*, a Joanne Ludovico Brunet exaratum; secunda editio revisa notabiliterque aucta, Lugduni, 1775, 2 vol. in-4°. In hoc opere, post dissertationem præviam de notariorum origine et de notariatu, tota materies in novem libros dividitur scilicet : I. De variis notariorum apostolicorum generibus, de eorum competentia et officiis; II. De actis ad sacramenta spectantibus; III. De actis ad dignitates ecclesiasticas spectantibus; IV. De actis juridictionis episcopalis; V. De actis quæ respiciunt ad beneficia in genere; VI. De modis canonice perveniendi ad beneficia; VII. De actis faciendis ut beneficium cano-

nice deseratur; VIII. De transactionibus in materia beneficiali; IX. De actis quæ se referunt ad statum regularium. Subjungitur tractatus cui titulus : *Le parfait procureur des officialités*. Non diffitemur quod author et auctor nimium faveant sæcularibus principibus in rebus ecclesiasticis, sed attentus lector quæ sunt rejicienda facile deprehendet. Cf. etiam Monacelli, *Formularium legale*.

In Galliis, juxta praxim hodiernam, episcoporum cancellarii notariorum munere, quando opus est, funguntur; sed isti officiales, ad nutum amovibiles, in quibusdam causis non omnem subditorum fidem sibi conciliare possunt. Revera, quando temporibus nostris synodi tum provinciales tum diæcesanæ celebratæ fuerunt, notarios pro tempore sessionis episcopi creaverunt, quod et accidit in causis beatificationis et canonizationis servorum Dei. Nihil obstat quominus duo vel tres notarii pro quavis diœcesi permanenter instituantur.

ADNOTATIO IX.

Lib. II. Decretalium, Tit. XXIII. De Præsumptionibus, § II, n. 55, pag. 143.

DE PRÆSUMENDO IMPEDIMENTO IN RE MATRIMONIALI.

« Ex textu cap. 13, *Tertio loco*, huj. tit. colligitur quod licet alias nec fama, seu rumor viciniæ, nec propria conjugum confessio de interveniente impedimento affinitatis, contractæ per copulam fornicariam cum consanguinea uxoris ante initum matrimonium, sufficiat ad divortium, seu separationem conjugum quoad vinculum matrimonii, juxta cap. 5, *Super eo. — De eo qui cognovit consang. uxoris*; si tamen plura talia adminicula concurrant, quæ simul sumpta præsumptionem violentam faciant, tunc ea sufficiunt ad plenam probationem faciendam, ut in casu hujus decretalis, ubi erant per testes probata, saltem remote, fornicationis indicia cum consanguinea uxoris, seu sponsæ de præsenti, quod nimirum vir et neptis sponsæ visi sint per plana et nemora, vias et invia sæpius simul vagari, deinde fama publica et testimonium viciniæ super eodem ac denique accessit etiam confessio, juramento firmata, tam viri, alioquin propendentis ad sponsam ductam retinendam, tum ipsius mulieris per dictum virum carnaliter cognitæ. Hæc enim licet singula seorsim non sufficiant ad plenam probationem, simul tamen juncta sufficienter informant animum judicis ad judicandum subesse impedimentum dirimens affinitatis, et pronuntiandum matrimonium seu sponsalia de præsenti, inter tales inita, esse irrita, quia quæ non prosunt singula collecta juvant, ut habet Glossa hic, ℣. *Dicta sunt*. Farinacius in *Prax. crimin.* part. V, quæst. 136, nn. 8, 151 et 152, ubi ait quod, in casu hujus decretalis, præter confessionem juratam viri et mulieris quod invicem se carnaliter cognoverint, concurrant etiam vagatio per nemora et loca solitaria, testimonium pariter ex publica fama viciniæ, quasi alias Pontifex, his non concurrentibus, non permisisset dictos conjuges ab invicem separari.

» Omnes doctores scribentes circa hunc textum, inter quos Abbas, Piringh, Layman, Wagnerek, Allagona, Barbosa et Glossa hic interpretantur illum intelligendum esse non de separatione quoad thorum, sed quoad vinculum.

» Neque ex eo quod Pontifex usus sit verbo *consultius est* argui potest quod dubium habuerit de affinitate contracta, quia iste est terminus obvius et communis quo utuntur Pontifices in decretalibus, licet definitive resolvant sive præcipiendo, sive prohibendo, sive declarando. Accedit quod si dubium habuisset de contracta affinitate non præcepisset dissolutionem matrimonii, cum in dubio pronuntiandum sit pro eo, non contra, juxta decretalem Innocentii III in cap. *Licet. De testibus et attestationibus*, ibi : « Tolerabilius est enim ali-
» quos contra statuta hominum dimittere copulatos
» quam conjunctos legitime contra statuta Domi-
» ni separare. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I. sect. 270.)

ADNOTATIO X.

Lib. II. Tit. XXIII. § III, n. 70, pag. 149.

DE TORTURA, PURGATIONE CANONICA ET VULGARI.

Sic loquitur auctor noster : « Remanet proinde quod si solæ vehementes conjecturæ seu præsumptiones urgeant, in causis criminalibus criminaliter motis, reus non sit condemnandus; sed, vel is ad extorquendam confessionem subjiciatur torturæ, spectato præsertim jure civili; vel ipsi indicatur purgatio canonica, juxta sacros canones tot. tit. *De purgatione canonica*. » Nota verba hæc : *spectato præsertim jure civili*, quia nullibi, in jure canonico, tortura tanquam medium confessionis obtinendæ præcipitur, aut etiam consulitur. Econtra, apud Gratianum II, caus. II, quæst. 5, cap. *Consuluisti* sic docet Stephanus PP. V : « Consuluisti de infantibus, qui in uno lecto dormientes cum parentibus mortui reperiuntur, utrum ferro candente aut aqua fervente, seu alio quolibet examine, parentes se purificare debeant eos non oppressisse. Monendi sunt namque et protestandi parentes ne tam tenellos secum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet proveniente suffocentur vel opprimantur, unde ipsi homicidii rei inveniantur. Nam ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri a quolibet sacri non censent canones; et quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum. Spontanea enim confessione vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini nostro judicare. Occulta vero et incognita illi sunt relinquenda qui solus novit corda filiorum hominum. Hi autem, qui probantur vel confitentur

talis reatus se noxios, tua eos castiget moderatio, quia, si ille qui conceptum in utero per abortum deleverit homicida est, quanto magis qui unius saltem diei puerulum peremerit homicidam se esse excusare nequibit? »

Accedit cap. *Si quandoque* caus. XV, quæst. 6, ibi : « Si quandoque a sacerdotibus et auctoribus Ecclesiæ quædam scripturæ quoquo modo per metum, aut fraudem aut per vim extortæ fuerint, vel ut se liberare possint, quocumque ab eis conscriptæ aut roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præjudicium vel nocumentum valere censemus... Confessio vero in talibus non compulsa sed spontanea fieri debet. »

Attamen canonistæ veteres non omnino torturam reprobabant, spectato præsertim jure civili, ut loquitur Reiffenstuel, ex dictis in Procemio hujusce *Jur. canon. universi*, § XIII, *de Confœderatione juris civilis cum canonico*, vol. I, pag. 53, ubi hæc leguntur : « Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur, cap. I, *De novi operis nuntiat.* Ubi Glossa ℣. *Adjuvantur* notabiliter infert : Et ita in causa ecclesiastica leges possumus allegare ut, etiamsi canones deficiant, possit judicari secundum leges. » Sufficiuntne rationes illæ ad legitimandum torturæ usum in tribunalibus ecclesiasticis? Non nobis liquet. Cf. G. d'Espinay, *De l'Influence du droit canonique sur la législation française*, Tolosæ, 1856, Bonnal et Gibrac, pag. 120 et 229. Auctor allegat librum VII Decretalium qui, ut omnes sciunt, non fuit publicatus, nec inter fontes juris canonici recenseri debet.

Quoad purgationem canonicam, hæc scribit Giraldus : « Cum autem ab infamato seu suspecto de crimine præstandum erat juramentum se illud non commisisse, ut statuitur capp. 1, 4 et 16 *de Purgatione canonica*, si forte in aliquibus curiis adhuc mos vigeat hanc purgationem indicendi, ita judices monitos vult Van Espen part. III, tit. VIII, cap. IV, n. 58 : « Quin et judices merito in indicenda hac » purgatione circumspecti esse debent, ne eam facilius indicendo sacrilegii et perjurii participes » efficiantur; etenim cum homines, qui magnorum criminum sunt rei, ausi fuerint propter utilitatem aut voluptatem quas in criminibus quæsiverunt, graviter eos impingere in legem æternam » ejusmodi crimina prohibentem magnopere timendum est ne, ut supplicium et infamiam quæ ob » crimina commissa imminent evadant, pejerare » audeant. Facile est hinc videre quam sæpe sacrilegium sit ab ejusmodi criminosis expetere ut » juramento se purgent, cum, si non certum sit, » saltem admodum verisimile quod pejerabunt, si » crimen revera commiserint : temerarium proinde est credere quod tale crimen non commiserint, quia jurant se non commisisse. » (*Exposit. juris pontif.* part. I, sect. 894.) Insuper idem Giraldus passim docet purgationem canonicam omnino nunc obsolevisse.

Tandem purgatio dicta vulgaris absolute jure canonico interdicitur. Sic enim se habet rubrica tituli XXXV, lib. V Decretalium, *De Purgatione vulgari* : « Duella et aliæ purgationes vulgares prohibitæ sunt quia per eas multoties condemnatur absolvendus, et Deus tentari videtur. »

ADNOTATIO XI.

Lib. II. Tit. XXIII, § IV, n. 98, pag. 154.

DE PRÆSUMPTIONE ORTA EX VITA HACTENUS HONESTA.

« Hæc præsumptio, inquit Giraldus, est verisimilis dumtaxat et aliquando fallit, ut fefellit in ipso Salomone, cujus cor, cum jam senuisset, per mulieres depravatum fuisse refertur III Reg. cap. XI, v. 4, adeo ut contra ipsum locum habere possit illud adagium : « Angelicus juvenis senibus sathanizzat in annis. » Ideoque neque Innocentius in cap. 15, *Cum in juventute*, hoc eod. titulo, hujusmodi præsumptioni acquievit : voluit siquidem inquisitionem occultam fieri per dictos episcopum et abbatem, non quidem super veritate, sed super credulitate et infamia quæ, licet a malevolis orta, si tamen tanta est ut bonis et gravibus viris scandalum ingerat, præstat sufficiens fundamentum ad juridice exquirendum, etiam super veritate criminis objecti. » (*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 268.)

ADNOTATIO XII.

Lib. II. Decretal. Tit. XXIV, De jurejurando. § II, n. 67, pag. 167.

DE SENSU JURAMENTI IN QUIBUSDAM CAPITULIS PRÆSTITI PRO STATUTORUM OBSERVATIONE.

Quinæ conditiones, quæ tacite subintelliguntur in omni juramento promissorio, quamvis absolute facto, sunt notandæ scilicet : I. Si potero licite; II. Salvo jure, et auctoritate superioris; III. Si non is sponte remiserit in cujus favorem juratum est; IV. Si res in eodem statu permanserint; V. Si et altera pars fidem servaverit. Meminerint horum conditionum præsertim canonici qui præstiterunt juramentum de servandis statutis quæ non fuerunt ad tramites juris concinnata. Cf. ea de re D. Pelletier, *Des chapitres cathédraux en France*, Parisiis, 1864, Lecoffre, capit. XV, XLIV et LII; et *Mémoire pour le chapitre cathédral de Nice*, Parisiis, 1865, Lecoffre.

ADNOTATIO XIII.

Lib. II. Tit. XXIV, § III, n. 84, pag. 170.

STATUTA ILLICITA, DAMNOSA, VEL LIBERTATI ECCLESIASTICÆ CONTRARIA, NULLATENUS SERVANDA, QUAMVIS JURATA. QUÆDAM DE JURAMENTIS PRINCIPIBUS SÆCULARIBUS PRÆSTITIS.

Cum doctrina nostri auctoris apprime congruunt quæ a D. Pelletier, *Des chapitres cathédraux en*

France, et *Mémoire pour le chapitre cathédral de Nice*, locis in Adnotatione præcedenti citatis, docentur et pro praxi inculcantur.

« Contingit, inquit Nicolaus III, cap. *Contingit*, in 6., hoc eodem titulo, in nonnullis ecclesiis de earum consuetudine observari quod nec ipsarum prælati, cum primo ad ecclesias ipsas accedunt, admittuntur, nec canonici, cum de recipiendis ibidem novis canonicis agitur, aliter recipiantur in ipsis nisi jurent statuta et consuetudines ipsarum ecclesiarum scripta et non scripta inviolabiliter observare. Inter laicos etiam in multis civitatibus castris et terris, in suis potestatibus, rectoribus vel officialibus assumendis, consuetudinis morbus irrepsit quod potestates, rectores et officiales hujusmodi ad potestarias, rectorias et officia eadem, nisi prius servaturos se statuta ipsorum locorum clausa juraverint, nullatenus admittantur. Quia vero in statutis et consuetudinibus supra dictis interdum aliqua reperiuntur illicita seu impossibilia vel obviantia ecclesiasticæ libertati, ne sub tali generalitate jurandi sic jurantibus peccandi occasio præbeatur, cum juramentum non fuerit ut esset iniquitatis vinculum institutum, hac generali constitutione animarum periculis obsistere cupientes, præcipimus a quibuscumque scientibus contineri in prædictis consuetudinibus et statutis illicita, impossibilia, vel libertati ecclesiasticæ obviantia, juramenta hujusmodi aliquatenus non præstari; et talia juramenta ea intentione facienda vel facta ut etiam illicita vel impossibilia seu ecclesiasticæ libertati obviantia observentur, cum etiam sub tali intentione præstari non possunt absque divinæ majestatis offensa, decernimus in hujusmodi illicitis, impossibilibus, seu libertati ecclesiasticæ obviantibus, non servanda; quin potius, pro animarum salute, si sub forma prædicta vel simili aliquos ignorantes prædicta illicita, seu impossibilia, vel libertati ecclesiasticæ obviantia jurare contigerit, ad observanda dumtaxat licita, possibilia et non obviantia libertati ecclesiasticæ jurantium referri debet intentio. Declaramus quoque juramenta sub hujusmodi generalitate, qualitercumque et sub qualicumque verborum forma præstita vel præstanda ad licita, possibilia, libertati ecclesiasticæ non obviantia tantum extendi, ipsosque jurantes ad alia per præstationem hujusmodi non teneri. »

Hæc Nicolai decretalis expresse confirmata est et etiam extensa a Gregorio XIII constit. *Inter Apostolicas*, 5 sept. 1584, ad jurantes et jurare facientes adversantia decretis concilii Tridentini, cum additione pœnarum tam in exigentes quam in præstantes talia juramenta, ibi :

« Nos, præsentium auctoritate, innovamus prædictam constitutionem Nicolai Papæ, ibidemque alias omnes canonicas sanctiones de abusu et reprobatione hujusmodi juramentorum promulgatas, volumusque eas ubique ab omnibus, etiam quoad præterita, inviolabiliter observari. Ac etiam præcipimus et interdicimus prælatis, canonicis et aliis supra dictis, nec non Ecclesiarum capitulis et monasteriorum, cæterisque conventibus, civitatum quoque, castrorum et terrarum communitatibus, et personis quacumque dignitate præditis, ne ulla omnino juramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel libertati ecclesiasticæ aut decretis concilii Tridentini obviantia, sive ante sive post electiones, confirmationes, provisiones, receptiones, admissiones aut alios actus, ubicumque ac quocumque tempore, etiam prætextu cujusvis consuetudinis quantocumque tempore observatæ, quæ potius corruptela est censenda, sive in genere sive in specie præstare, reddere vel exigere, neque super præstitis, redditis vel exactis hucusque quemquam in judicio vel extra inquietare audeant quoquo modo vel turbare. Illos enim qui juramenta illicita, impossibilia, damnosa vel ecclesiasticæ libertati aut decretis dicti concilii obviantia exigere contenderint, episcopos videlicet et alios quacumque pontificali dignitate præditos suspendimus a divinis; capitula vero et conventus eorumque Ecclesias et loca omnia interdicto ecclesiastico supponimus ac singulares personas excommunicationis sententia innodamus, inhabilesque facimus ad obtenta et alia obtinenda eo ipso; nobisque et Romano Pontifici pro tempore existenti relaxationem suspensionis et interdicti, necnon absolutionem ab excommunicationis sententia hujusmodi perpetuo reservamus : decernentes eos, qui talia juramenta scienter præstiterint usu et commodo rei et gratiæ cujus causa juraverint, eo ipso privatos esse, alios vero ignorantes ad præstitorum juramentorum hujusmodi observationem minime teneri, necnon irritum et inane quidquid secus per quoscumque scienter vel ignoranter attentatum est hactenus et deinceps contigerit attentari. »

Insuper notabis cum Giraldo, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 274, quod I, observari facientes vel observantes statuta et consuetudines contra libertatem Ecclesiarum, præter excommunicationem latam in jure communi, et speciatim in cap. *Noverit, De sententia excommunicationis*, incurrere etiam latam a bulla Cænæ, § XV; et II. licitum esse ecclesiasticis præstare juramentum fidelitatis laico principi illud exigenti, non absolute coactum, sed sub conditione voluntarium si in tali territorio morari velint, propter securitatem status; sed tale juramentum illi non præstandum est tanquam superiori, sed tanquam comparti reipublicæ per modum contractus; Thesaurus, *de Pœnis ecclesiast.* cap. I, verb. *Juramentum*, in quo vide reliqua circa hujusmodi et similia juramenta, quæ laico principi ab ecclesiasticis præstari possint vel non. »

In concilio Lateranensi IV prohibitum fuit ne laici viros ecclesiasticos, nihil temporale obtinentes ab eis, ad præstandum sibi fidelitatis juramenta compellant, cap. *Nimis*, hoc eod. titulo. Ideo quando princeps exigere velit juramentum hujusmodi, clerici non possunt illud præstare sine in-

dulto Romani Pontificis. Sit in exemplum indultum Pii PP. VII Carolo-Felici, regi Sardiniæ, anno 1822 concessum. Hic advertere juvat quod pensiones quibus, loco bonorum ecclesiasticorum a guberniis invasorum, annuatim in quibusdam regionibus clerici gaudent, minime constituunt illud temporale propter quod principes juramentum fidelitatis obtinere possent.

ADNOTATIO XIV.

Lib. II. Tit. XXIV, § III, n. 94, pag. 173.

DE ALIENATIONE REI DOTALIS JURAMENTO FIRMATA.

« Decretali *Cum contingat*, hoc eod. titulo, per quam abrogata est lex VII, § 16, ff. *de Pactis* et L. *Non dubium*, C. *de leg.* decernentes mulierem non teneri servare juramentum de non veniendo contra alienationem rei dotalis, accessit ampliatio facta a Bonifacio VIII, in cap. 2, *Licet mulieres*, hoc eod. titulo, in 6. statuente insuper ut judices sæculares in hujusmodi causis omnino teneantur servare dispositionem juris canonici et non civilis, et ad id etiam compellantur a locorum ordinariis, sub pœna excommunicationis. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I. sect. 273). »

ADNOTATIO XV.

Lib. II. Tit. XXIV, § III, n. 101, pag. 174.

DE JURAMENTI VI AUT GRAVI METU EXTORTO.

« Cum in decretali *Verum*, cap. 15, hoc eod. titulo, declaret Cœlestinus non esse puniendos tamquam pro mortali crimine non servantes juramentum metu præstitum pro vita et rebus conservandis, eamdem declarationem sibi objecit S. Thomas, 2.2. quæst 98, art. 3, ad I, pro firmanda contraria theologorum sententia communiter recepta, simulque explicat in quo sensu hujusmodi declaratio accipienda sit, ibi : « Per metum et coactionem non » auferri juramento promissorio vim obligandi res» pectu ejus quod licite fieri potest, et ideo, si ali» quis non impleat quod coactus juravit, nihilomi» nus perjurium incurrit et peccat. Potest tamen » per auctoritatem summi Pontificis imo et epis» copi, aut alterius potestatem delegatam habentis, » ab obligatione juramenti, præsertim si coactus » fuerit tali metu qui cadere posset in virum con» stantem, jurans absolvi; quod autem dicitur tales » non esse puniendos tanquam pro mortali cri» mine, non ideo dicitur quasi non peccent mor» taliter in foro conscientiæ, » sed quia in foro externo minor eis pœna infligitur propter circumstantiam metus, quo facile percellitur humana fragilitas.

« Si autem ageretur de præstanda re juramento promissa, quæ esset materia levis, juxta fere omnes theologos etiam dignioris notæ, sive hæc sit tota materia sive pars promissionis, juramentum, sive sponte sive coacte emissum, in executione admittit parvitatem materiæ, ac proinde inferunt transgressorem non esse reum peccati lethalis. Quod tamen admittendum non esse existimarem, si esset tota materia, cum in omissione illius redderetur Deus testis falsitatis juxta sententiam S. Thomæ qui, quæst. 89, art. 7, ait : « tenetur (ju» rans) ut faciat verum esse id quod juravit, alio» quin deest veritas juramenti. » Si autem materia sit dividua et jurans in actu juramenti habuerit intentionem eam totam præstandi, certum est apud omnes tale juramentum admittere parvitatem materiæ in executione, et sic transgressorem venialiter peccare, si pars non præstita sit levis. De hac quæstione vide allata à Paulo Gabriele Antoine tract. *De virtute religionis*, cap. IV, de juramento, quæst. 5. (Giraldus, *Exposit. jur. Pontif.* part. I, sect. 272.)

ADNOTATIO XVI.

Lib. II. Tit XXIV. § VII, n. 217, pag. 196.

DE JURAMENTO SUPPLETORIO.

Auctor *Exposit. jur. Pontif.*, part. I, sect. 275, sic loquitur : « Casus decretalis *Ex litteris vestris*, hoc titulo, est circa contractum de quo, cum dubium esset an veram usuram involveret, jussit Pontifex ut compellerentur partes, etiam per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, ad præstandum juramentum de veritate dicenda. Huic sanctioni tacite derogatum esse videtur a Gregorio IX qui, in sua decretali, ex integro desumpta ab edicto prætoris et ejus interpretatione per prudentes facta, relata in cap. 36 *Juramentum*, hoc eod. titulo, quotiescumque reus conventus est de actione famosa, declaravit non licere juramentum illi referre, ibi : « Juramentum a te parti delatum » nisi justa de causa non potuit recusari. Quamvis » quod in judicio a parte parti defertur recusari » possit licite ac referri. Nec liceat convento fa» mosa actione referre hujusmodi jusjurandum. »

« Hujus Gregorianæ decretalis fundamento (licet spectet ad juramentum litis decisorium) nisus Van Espen, part. III, tit. VII, de instruct. causar. civil. cap. VIII de juramento suppletorio ob defectum probationum, n. 19 et 20, sustinet hoc juramentum nunquam esse deferendum in causis criminaliter motis, aut etiam in civilibus ex actione famosa, qualis esset causa usurarum ut in supra transcripto cap. *Ex litteris vestris*, ibi : « Sed et passim prag« matici tradunt hoc juramentum ob perjurii peri» culum magna cum moderatione et circumspec» tione esse deferendum. Atque in primis jura» mentum hoc in vicem probationis non esse » deferendum, cum criminaliter agitur, imo vel » civiliter ex actione famosa qua reus damnatus » redderetur infamis, tradunt communiter Docto» res ad cap. fin. 36, *De jurejurando*, ubi dicit » Pontifex : *Nec liceat convento famosa actione re-*

» *ferre hujusmodi juramentum*. Rationem illius al-» legat Damhouder in *Praxi rer. civil.* cap. CLXXIX, » n. 9, ne videlicet reo detur occasio pejerandi » ut scilicet infamiam evadat; sicuti ob periculum » perjurii juramentum hoc deferendum non est in » causa criminali aut famosa, ita nec in causa civili, » ardua et notabili, quemadmodum post Glossam » ad L. XXXI, ff. *De Jurejurando* notant Doctores. » Nemo etiam non videt periculum esse pejerandi » ubi de re ardua et notabili, perdenda aut lucran-» da, agitur. »

« Quidquid autem sit de juramento suppletorio in causis partium collitigantium, certum est in locis quos complectitur concilium Romanum celebratum, anno 1725, sub Benedicto XIII, prohibitum esse judicibus, sub pœna nullitatis, et omnium actorum, illud exigere a reo principali criminaliter examinato, ut ex sequenti decreto, relato cap. II, tit. XIII ejusdem concilii, ibi :

» Stylum itaque in quibusdam curiis sæcularibus » et ecclesiasticis, nullo unquam jure præceptum, » inolevisse perpendimus ut judices, sive eorum » notarii aut scribæ, reos criminali facinore accu-» satos examinaturi, juramentum ab his præstari » jubeant de veritate dicenda. Quia tamen ex hoc, » quotidiana sicuti est experientia compertum, nec » in fisci favorem, nec contra reos ipsos, qui ut » plurimum patrata a se negant delicta, utilitatis » aliquid elici non ignoratur, adeo ut, peculiari in » hac facti contingentia, nedum talia deinceps jura-» menta exigendi necessitas adesse probetur, imo » potius ne illa penitus exigantur sacri ipsa jura-» menti ratio postulet ac suadeat. Hinc est quod » nos, rationibus utrinque perpensis, et quamplu-» rium inhærentes insignium tribunalium praxi, » juramentum ipsum per reos sic criminaliter in-» quisitos præstandum, consulto, dum uti princi-» pales tantummodo constituuntur, tollendum et » submovendum ducimus, prout, sacro etiam ap-» probante concilio, præsenti hac constitutione om-» nino tollimus ac submovemus; nec juramentum » hujusmodi ullatenus ab eisdem, nisi tamen ut » testes quoad alios examinentur, in futurum per » quoscumque judices et ministros, sub quovis » prætextu, causa et quæsito colore, volumus exi-» gatur; alias examen, sic constitutum, et acta » omnia nulla sint eo ipso et irrita, omnique ca-» reant contra reos effectu. »

« Licet in nonnullis locis, quos non complectitur cit. Concilium Romanum, vigeat adhuc consuetudo exigendi a reo, criminaliter inquisito, dictum juramentum, expediret quidem illam ubique aboleri ob validissimas rationes experientia comprobatas in laudati concilii textu allatas; quemadmodum, die 6 julii 1695, propositum etiam fuit Sacræ Congreg. Concilii, a qua, discusso dubio an expediret illam a summo Pontifice abrogari, rescriptum fuit ut scriberent pro veritate theologi et canonistæ. Nulla tamen decisio emanata reperitur ob discordes fortasse dictorum theologorum et canonistarum sententias. Si legas Ludovicum de Ameno, *Practica crimin.* part I, tit. XIX, § IV, verbo *Reus*, n. 16, iisdem rationibus, quibus innixum est concilium Romanum, dictam consuetudinem abolendam ostendit, pari modo quo laudatus Van Espen et doctores ab eo citati. Si vero legas Ursayam, *Instit. crimin.*, lib. III, tit. II de crimine perjurii, a n. 16 ad 27, mordicus contrarium sustinet, innixus potissimum supra relatæ Honorii decretali, *Ex litteris vestris*; qui tamen scripsit annos quatuordecim ante dictum concilium Romanum : non enim forsan ita sensisset, si scripsisset post, cum fuerit unus ex decretalistis ejusdem concilii. »

Cf. auctorem nostrum, lib. II. Decret Tit. XVIII *De confessis*, § VII, n. 164 ; tom. II, hujusce edit. pag. 497.

ADNOTATIO XVII.

Lib. II. Decretalium. Tit. XXVI. De præscriptionibus. § II, n. 34, pag. 230.

AN PRÆLATI INFERIORES PRÆSCRIBERE POSSINT JURA EPISCOPALIA ?

« Per decretalem *Cum olim*, hoc titulo, Innocentius III declarat abbatem regularem in Ecclesiis sæcularibus intra diœcesim sitis præscribere posse jura episcopalia, et inter cætera : I. Ordinationem clericorum; II, Pœnitentiam, id est, jus absolvendi etiam a casibus episcopo reservatis, prout ex sensu contrario ex hac decretali inferri potest, si abbas id præscripsisset.

» Verum quoad ordinationem clericorum abrogata est a concilio Tridentino sess. XXIII, cap. X, *de Reform*... Quoad pœnitentiam vero, id est, absolutionem a casibus episcopo reservatis, procedendum est cum distinctione, ut optime hic Fagnanus a n. 22 ad 24. Aut abbas, aut alius inferior prælatus ex privilegio apostolico, vel legitima præscriptione, habet omnimodam jurisdictionem quasi episcopalem in certa parte diœcesis, excluso episcopo, ita ut sit vere in statu *nullius diœcesis* : tum certum est absque præscriptione posse sibi casus reservare et absolvere, quin ei obstet decretum Tridentinum, sess. XIV, cap. VII, *De casibus reservatis*, quia hoc loquitur de casibus quos sibi reservat episcopus. Aut ex privilegio vel præscriptione non est in statu *nullius*, sed est simpliciter exemptus, et tum non valet præscriptio absolvendi a gravioribus casibus episcopo reservatis, a quo dumtaxat pœnitentes absolvi possunt juxta cit. Tridentinum decretum, cum quoad hoc semper dictus abbas sic exemptus remaneat subjectus episcopo diœcesano...

» In decretali *Veniens*. hoc titulo, statuitur præscribi posse a prælato inferiori jus dimittendi suos subditos ad quemcumque maluerit catholicum antistitem pro ordinibus recipiendis; cui hodie derogatum est, quoad non habentes privilegium apostolicum nominatim, directe ac expresse ipsis concessum, conformiter ad constitutionem Benedicti

XIV, *Impositi nobis*, 27 febr. 1747, cui nunc standum est, in qua præfigitur statuiturque modus servandus, etiam in casu quo episcopus proprius vel abest, vel non habet ordinationem, ad hoc ut tam ordinans quam ordinatus evitet censuras.

» In decretali, *Cum inter*, hoc titulo, Pontifex admittit abbatem... initiare posse prima tonsura, nedum monachos sibi subditos sed etiam sæculares, in quos habet ordinariam et quasi episcopalem jurisdictionem... Prout respicit monachos sibi subditos, adhuc viget hæc decretalis... ac definitum fuit ab ipsomet Tridentino concilio, teste S. Carolo in concil. Mediolan. V, part III, de sacram. ordinis; atque pluries etiam declaravit Congregatio Concilii signanter die 12 febr. 1724, in *Vratislaviensi; Resolut. ejusd. Congreg.* pag. 19. An vero vigeat, prout respicit subditos sæculares communior sententia est cum Fagnano in cap. *Quanto, De consuetud.* n. 24, et latius in cap. *Statuimus, De supplenda neglig. prælatorum*; Petra in commentar. ad constit. IX Pii II, n. 38 et seqq. Fermosinus in cap. *Cum contingat, De ætate et qualit. præficiend.* quæst. II, n. 19 et seqq. qui sentiunt adhuc vigere quoad aliquid, solamque ipsius executionem fuisse a Concilio suspensam quodammodo per ablationem jurisdictionis in ipsos subditos, adeo ut, si eos ordinet, illicita quidem sed valida sit eorum ordinatio, ut ex pluribus Congregat. Concilii declarationibus evidenter ostendunt. Ratio ipsorum est quia abbati presbytero, etiam solemniter benedicto, Concilium Tridentinum sustulit quidem totaliter hoc jus, quando nullos habet subditos regulares non vero quando hos habet. In hoc namque casu Concilium in ipso reliquit potestatem ut, ordinando suos subditos regulares, imprimat in eis characterem simulque eis conferat liberam executionem seu exercitium ordini suscepti; econtra, alios ordinando, imprimat quidem in eis characterem ratione potestatis, sed non conferat ordinis executionem, ob ademptam jurisdictionem in sibi non subditos regulares, ut ex declarationibus Congregat. ejusdem Concilii, quas afferunt per extensum. Et sic ordinatio subditi sæcularis ab abbate facta in casu, ita se habet ut ordinatio non subditi, scienter et pro libitu facta ab episcopo, quæ valida est sed illicita. Vide Fagnanum ac Petram loc. cit. ubi sic concordant varia prædictæ Congreg. decreta, quæ inter se videntur contraria. (Giraldus, *Exposit. jur. Pontif.*, part. I, sect. 285, 286 et 290.)

Decretum autem Concilii Tridentini, sess. XXIII, *de Reform.* cap. x, sic se habet : « Abbatibus, et aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum, intra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiam si nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre. » Vide uberrimas explanationes apud Benedict. XIV, *De Syn. Diœc.* lib. II, cap. XI.

ADNOTATIO XVIII.

Lib. II. Tit. XXVI. § *III, n. 62, pag. 233.*

DE BONA FIDE AD PRÆSCRIBENDUM REQUISITA.

« Ex juribus hoc titulo insertis colligitur :

» I. Bonam fidem requiri tam in initio quam in decursu præscriptionis, ita ut mala fides superveniens interrumpat prescriptionem in foro tam canonico quam civili, cum in materia peccatum respiciente jus canonicum sequi debeamus.

» II. Per hos textus derogatum esse juri civili disponenti quod in præscriptione longi temporis, decem scilicet annorum inter præsentes, et viginti inter absentes, bona fides solum requiratur ab initio, uti habetur in § *Diutina* XII, Instit. *De usucap.* et in L. unica Cod. *De usucap. transferendis*, et quod in præscriptione longissimi temporis, triginta scilicet vel quadraginta annorum, nulla requiritur bona fides, neque ab initio, neque in decursu, L. *Sicut*, L. *Omnes*, et L. *Cum novissimi*, Cod. *De præscript. 30 vel 40 annorum*.

III. Minime attendendum esse cap. 15 *Placuit*, caus. XVI, quæst. 3. ℣. *Præscriptionem*, ubi dicitur : « Bona fides non ad tractum medii temporis, » sed ad initium possessionis refertur. » Verba enim hujus textus non sunt concilii Africani, cui tribuitur, sed Gratiani qui juxta leges civiles locutus est; cum autem fuerit auctor privatus, in hac materia a Pontificibus definita, non est audiendus. (Giraldus, *Expos. jur. Pontif.*, part. I, sect. 280.) »

ADNOTATIO XIX.

Lib. II. Decretalium. Tit, XXVII. De sententia et re judicata. § *II, n. 69, pag. 275.*

DE JUDICE CONTRA JUSTITIAM AGENTE.

« In Decretali *Cum æterni*, hoc titulo in 6. statuitur ut, si judex ecclesiasticus tam ordinarius quam delegatus, contra conscientiam et contra justitiam in gravamen partis alterius, in judicio quidquam fecerit per gratiam vel sordes, ab executione officii per annum suspensus sit, et ad æstimationem litis parti quam læserit condemnandus. Quod si suspensione durante, damnabiliter ingesserit se divinis, irregularitatis laqueo se involvet, a quo nonnisi per summum Pontificem poterit liberari, salvis aliis constitutionibus quæ judicantibus pœnas infligunt.

» Huc spectant ex contrario sensu propositiones proscriptæ ab Alexandro VII, sub die 24 sept. 1665, et ab Innocentio XI, sub die 2 martii 1679. Proscripta ab Alexandro VII, quæ est XXVI in ordine : « Quando litigantes habent pro se opiniones æque » probabiles, potest judex pecuniam accipere pro » ferenda sententia in favorem unius præ alio. » Proscripta ab Innocentio XI, quæ est propositio II in ordine : « Probabiliter existimo judicem posse ju» dicare juxta opinionem etiam minus probabilem. »

« Nota I. ex Thesauro, *De pœnis ecclesiast.*, cap. v, verbo *Munera*, quod suspensio in præd. decretali inflicta, cum lata sit ad tempus, de natura sua est Papæ reservata, estque tam ab officio judicis quam ab ordine, non tamen a beneficio.

» Nota II. Cum eodem Thesauro, dicto verb. *Munera*. cap. IV, quod si judex munera seu pretium a partibus accipiat pro justitia administranda, sententia est ipso jure nulla, licet alias justa; si vero lata sit ob gratiam, est annullanda, si itidem alias justa sit.

Nota III. Ex laudato Thesauro, loco cit. illum teneri in foro conscientiæ ante declaratoriam restituere danti pretium acceptum pro sententia justa; pro injusta autem, secundum probabiliorem, post condemnationem, qua etiam non secuta, obnoxium semper esse oneri satisfaciendi parti læsæ.

» Circa dantes et recipientes munera pro obtinenda gratia vel justitia in curia Romana videnda est constitutio Alexandri VII, *Inter gravissimas*, 2 maii 1656. (Giraldus, *Expos. jur. pontif.*, part. I, sect. 291.) »

Legimus supra *per gratiam vel sordes*. « Dicitur fieri *per sordes*, inquit Glossa, si prece, pretio, timore vel odio judex corruptus sit. »

ADNOTATIO XX.

Lib. II. Decretalium, Tit. XXVIII. De appellationibus, recusationibus et relationibus. § *III, n. 67, pag. 314.*

DE APPELLATIONE AB INFERIORE AD SUPERIOREM OMISSO MEDIO.

« Sunt varii casus in quibus appellari potest, omisso medio, inter quos :

» I. Cum appellatur ad Romanum Pontificem, ob plenitudinem potestatis, cum illius jurisdictio sit concurrens cum jurisdictione omnium ordinariorum, can. *Si quis*, caus. II, quæst. 6; cap. 7, *Si duobus*; cap. 31, *De priore*, et cap. 34, *Ad audientiam*, hoc eod. titulo; nedum si agatur de quolibet judice ecclesiastico sed etiam laico, in terris tamen Papæ subjectis, cit. cap. 7.

» II. Cum appellatur ad legatum Papæ in illius legationis districtu, cap. I, *Cum non ignoratis*, *De officio legati*,

» Nota etiam in ordinibus regularibus appellationem faciendam esse gradatim; sic a prælato locali appellandum est ad provincialem, ab hoc ad generalem, tum ad protectorem, deinde ad S. Congregationem episcoporum et regularium, tandem ad Sedem apostolicam. Cf. decretum ejusd. Congregationis datum anno 1587, insertum in constitutione Benedicti XIV, *Sacrosancti apostolatus*, 11 aug. 1748. Sed hodie, quoad appellationem ad protectorem, derogatum est ab Innocentio XII qui, constit. *Christi fidelium*, 16 feb. 1694, § *Insuper*, illi ademit facultatem cognoscendi causas particularium religiosorum. Hæc Innocentiana constitutio confirmata est a Benedicto XIV, const. *Quantum*, 15 febr. 1741. » (Giraldus, *Exposit. jur. Pontif.*, part I, sect. 304.)

ADNOTATIO XXI.

Lib. II. Tit. XXVIII, § *XI, n. 301, pag. 353.*

DE CASIBUS IN QUIBUS APPELLATIO NON ADMITTITUR.

« Quamvis decretalis *Ad nostram*, hoc titulo, loquatur de regularibus, extenditur tamen a doctoribus relatis hic a Fagnano ad quoscumque subditos. In ea igitur statuitur religiosos sicut et quoscumque alios subditos, juxta dictam extensionem, non habere jus appellandi a correctione excessuum quos commitunt contra suarum regularum observantiam, et respective contra bonos mores, si correctio earumdem regularum mandatum non excedat.

» Huic sanctioni concordat cap. 26, *Reprehensibilis*, hoc eod. titulo, in quo etiam appellatio denegatur. Item cap. *Irrefragabili*, *De officio judicis ordinarii*, loquens de correctione excessuum quorumcumque subditorum : in qua materia, correctionem nimirum et morum reformationem tangente, tam allata capitula, quam sacri alii canones non admittunt appellationem, nisi in devolutivo. Quas quidem sanctiones innovavit Tridentinum, cap. I, sess. XXII, et cap. X, sess. XXIV, *de Reform*.

» Huc spectat summa constitutionis Benedicti XIV, *Ad militantis*, 30 martii 1742, in qua referuntur sequentes causæ, in quibus appellatio cum inhibitione in suspensivo concedi prohibetur, non obstante quacumque contraria consuetudine etiam immemorabili aut privilegio, sub pœna nullitatis actorum, etiam quoad citationes expediri solitas coram signaturæ præfecto ad effectum comparendi aut adeundi eamdem signaturam, etc.

» I. A decretis, quorum executio a Tridentino demandata est locorum ordinariis, etiam uti Sedis Apostolicæ delegatis, appellatione vel inhibitione quacumque postposita.

» II. Ab eorum decretis, tam in visitatione quam extra, circa cultum divinum conservandum, vel augendum, et præcipue circa missæ celebrationem.

» III. A decretis cogentibus clericos, tam sæculares quam regulares, etiam monachos et exemptos, ad processiones publicas; servata tamen forma constitutionis S. Pii V, *Etsi mendicantium*; et circa præcedentias in eisdem inter dictos clericos, vel associatione cadaverum, delatione umbellæ, etc., ac super observantia censurarum etiam episcopalium, et festorum diœcesum.

» IV. A decretis circa curam animarum et sacramentorum administrationem, aliaque parochialia munera, etiam quoad exemptos tam sæculares quam regulares.

» V. A deputatione vicariorum etiam perpetuorum, cum assignatione congruæ, in parochialibus

perpetuo unitis quibuscumque ecclesiis aut locis piis.

» VI. A visitatione dictarum ecclesiarum parochialium et aliarum quarumcumque, quomodolibet exemptarum, et a decretis circa earumdem reparationem et curam animarum.

» VII. A decretis quibus episcopi, etiam uti Sedis apostolicæ delegati, cogunt rectores ecclesiarum parochialium aut baptismalium, ob populi numerositatem, sibi tot sacerdotes adjungere quot sufficiant ad sacramentorum administrationem, aut quibus, ob grave populi incommodum ad hæc percipienda, ipsis etiam invitis, novas parochias constituunt cum assignatione competentis portionis; vel quibus tandem ob paupertatem, et in cæteris casibus a jure permissis, perpetuo alia simplicia beneficia uniunt.

» VIII. A deputatione coadjutorum aut vicariorum parochialium ecclesiarum ob earum rectorum illiteraturam vel suspensionem, aut etiam privationem, quando turpiter et scandalose vivunt, si moniti incorrigibiles perseverant.

» IX. A translatione beneficiorum simplicium etiam jurispatronatus ex Ecclesiis collapsis, quæ ob inopiam reparari nequeunt, in matrices aut alias Ecclesias cum omnibus emolumentis et oneribus; vocatis iis quorum interest : et a decretis cogentibus patronos, rectores, beneficiatos aut parochianos ad restaurationem ecclesiarum parochialium, servata forma Trident. sess. XXI, cap. VII.

» X. A censuris, sequestratione et subtractione fructuum contra curam animarum habentes non residentes.

» XI. A denegatione, revocatione, suspensione vel restrictione facultatis audiendi sæcularium confessiones contra sacerdotes non parochos etiam regulares.

» XII. A divisione seu distinctione parochiarum, earumque institutione in titulum juxta Trident., sess. XXIV, *de Reform.*, cap. XIII, ubi parochiæ vel certos non habent fines, qua de causa earum rectores promiscue petentibus sacramenta administrant, vel nullæ sint.

» XIII. A deputatione œconomi, tempore parochialis Ecclesiæ vacantis, sicut et ab indictione concursus, relatione examinatorum et prælectione et provisione episcopi in eodem concursu.

» XIV. A decretis contra habentes publicas lectiones, necnon prædicationem verbi Dei sine licentia episcopi, etiam a regularibus in alienis Ecclesiis, et in suis non petita ejus benedictione, juxta constit. Clementis X, *Superna*.

» XV. A decretis circa clausuram monialium ac punitionem delinquentium in eam et personas intra eam degentes. Item circa examen pro approbatione vel reprobatione confessariorum earumdem, tam ordinariorum quam extraordinariorum, et tam sæcularium quam regularium quomodolibet exemptorum, etiam pro monialibus subjectis iisdem regularibus; sicuti et contra earumdem ministros, tam pro mala administratione quam pro reddenda singulis annis bonorum ratione, ac demum circa quorumcumque illarum officialium amotionem, servata forma quoad regulares et exemptos constitutionis Gregorii XV, *Inscrutabili*.

» XVI. A pastoralis visitatione diœcesis et præsertim monasteriorum commendatorum, abbatiarum, prioratuum et præpositurarum, in quibus non viget regularis observantia; necnon beneficiorum tam curatorum quam non curatorum, sæcularium et regularium, qualitercumque commendatorum, etiam exemptorum; prout etiam ab executione eorum quæ in ipsa visitatione mandata, decreta aut judicata fuerint; necnon similiter a quibuscumque decretis et provisionibus, etiam extra visitationem, pro conservatione vel reparatione ecclesiasticæ disciplinæ, quoad vitam, mores et honestatem quorumcumque clericorum, luxum, commessationes, choreas, lusus, crimina, et sæcularia negotia fugienda atque evitanda, juxta plura decreta dicti sacri Concilii et præsertim sess. VI *de Reform.* cap. IV, sess. XIII, cap. I; sess. XIV, cap. IV; sess. XXI, cap. VIII: sess. XXII, cap. I et cap. VIII; et sess. XXIV, cap. X; ad formam tamen decretorum sacr. Congregationis episcoporum, de mandato san. mem. Clementis VII, editorum anno 1600.

» XVII. A decretis cogentibus præsentatos, electos vel nominatos a quibusvis ecclesiasticis personis, etiam Sedis apostolicæ nuntiis, ad se subjiciendum examini ordinariorum, antequam instituantur et confirmentur.

» XVIII. A denegatione promotionis ad sacros ordines et a suspensione susceptorum ob crimen occultum sive ex informata conscientia.

» XIX. A præfixione termini pro punitione regularis episcopo non subjecti, degentis intra claustra vel extra, notorie, scandalose delinquentis, facienda a suo superiore, et pro notitia punitionis hujusmodi episcopo danda.

» XX. A censuris, aliisque provisionibus contra concubinarios, et etiam contra detinentes mulieres suspectas domi aut extra.

» XXI. A privatione privilegii fori et decretis contra clericos non incedentes in habitu et tonsura, et in aliis casibus a Trident. præscriptis sess. XIV, cap. VI et XXIII *de Reform.*

» XXII. Ab approbatione et reprobatione patrimonii, pensionis aut beneficii, quoad promovendos ad sacros ordines.

» XXIII. A convocatione capituli facta ab episcopo pro deliberando aliquo negotio cum voto capitularium, ad ipsius tamen vel suorum commodum non spectante.

» XXIV. A decretis circa conversionem tertiæ partis quorumcumque proventuum et obventionum, tam dignitatum quam canonicatuum et personatuum, portionum et officiorum in distributiones quotidianas, earumque divisionem inter dignitates obtinentes et alios divinis interessentes in Ecclesiis cathedralibus et collegiatis, in quibus nullæ sunt

hujusmodi quotidianæ distributiones, vel sunt ita tenues ut verisimiliter negligantur, juxta Trident. cap. III, sess. XXI et sess. XXII cap. III *de Reform.*

» XXV. Ab executione piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos, dicta sess. XXII, cap. VIII.

» XXVI. A visitatione hospitalium et quorumcumque piorum locorum etiam exemptorum et a laicis administratorum, collegiorum, confraternitatum, eleemosynarum, montium pietatis, et a cognitione et executione pertinentium ad Dei cultum et pauperum sustentationem, atque a ratione administrationis eorumdem locorum singulis annis episcopo reddenda; nisi aliter in ipsorum institutione et ordinatione expresse cautum fuerit, juxta cit. cap. VIII, sess. XXII et cap. XV, sess. VII, cap. IX, sess. XXII, et cap. VIII sess. XXV.

» XXVII. Ab examine, suspensione vel remotione quorumcumque notariorum, scribentium in causis ecclesiasticis, juxta cap. X, dict. sess. XXII.

» XXVIII. Ab erectione seminarii, et præfixione taxæ imponendæ dignitatibus, personatibus, officiis, præbendis, portionibus, abbatiis et prioratibus cujuscumque ordinis, etiam regularium, hospitalium (quæ dantur in titulum vel administrationem), beneficiis quibuscumque, tam regularium quam juris patronatus, exemptorum et nullius diœcesis, vel annexis aliis Ecclesiis, monasteriis, hospitalibus aut quibusvis locis piis licet exemptis; ac tandem imponendæ redditibus pertinentibus ad fabricas Ecclesiarum, confraternitates et monasteria omnia (non tamen mendicantium) et decimis quacumque ratione spectantibus ad laicos et milites cujuscumque militiæ aut ordinis (excepto Hierosolymitano), nec ab unione aliquot beneficiorum simplicium : sicuti neque a decretis contra scholasterias obtinentes, quibus lectionis vel doctrinæ munus ad docendum, aut per se aut per alios, est annexum. Nec denique a quibuscumque provisionibus curam, directionem et administrationem seminarii respicientibus, juxta Trident. sess. XXIII *de Reform.* cap. XIII.

» XXIX. A reddenda ratione administrationis gestæ ab œconomo et vicario capitulari, tempore sedis episcopalis vacantis, juxta Trident. sess. XXIV *de Reform.* cap. XVI.

» XXX. A comminatione excommunicationis a jure latæ et a sententia suspensionis et interdicti, nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis, et e converso a sententia absolutionis ab iisdem censuris.

» XXXI. Ab executione quorumcumque aliorum decretorum locorum ordinariis a Trident. et constit. Pii IV, *Benedictus Deus*, demandata.

» XXXII. In prædictis omnibus causis permittitur simplex dumtaxat et extrajudicialis recursus ad S. Sedem et, juxta earum naturam, appellatio in solo devolutivo ad quos de jure, sine retardatione legitimæ executionis decretorum super eisdem causis, numquam autem admittenda nisi prius constito de legitima ejus interpositione, et in causis a jure permissis.

» XXXIII. Si denegatum fuerit instrumentum sententiæ a qua appellatur, appellans tenetur producere in actis ejus copiam simplicem, et in inhibitione exprimenda est conditio quatenus vere tenor insertus vere et in substantialibus cum originali concordet, eodemque originali præsentes litteræ sint in tempore posteriores, alioquin nullæ et irritæ censeantur sub infra scriptis pœnis respectu notariorum; ut seq. n. XXXV.

» XXXIV. Si appellatum fuerit a gravamine quod per definitivam reparari nequit, si hoc est de carceratione jam secuta cum mandato verbali, non admittitur appellatio nisi prius constito de carceratione per depositionem duorum saltem testium; et interim appellans remanere debet in carcere donec aliter decisum fuerit. Si vero gravamen est de censuris jam prolatis vel de comminatione carcerationis, torturæ aut censurarum, observanda est dispositio decretorum Congr. Episcoporum sub Clemente VIII, juxta declarationes Benedicti XIII in append. ad conc. Roman. ad 12 et 13 decretor. Clementis VIII.

» XXXV. Ab hac generali regula denegandæ appellationis Pontifex excipit particulares casus in quibus per Trident. constitutiones apostolicas aut communem doctorum sententiam in suspensivo admitti potest, serio tamen expendendis a judice superiori an sint de exceptis; et tunc aliter non concedenda nisi adjecta hac clausula : Nos enim, attentis juribus et supplici libello nobis præsentatis atque in actis exhibitis, sicut præfertur, inhibendum esse speciali rescripto... sub pœna nullitatis, notariis vero infamiæ et perpetuæ inhabilitatis, ad officium notarii in causis ecclesiasticis exercendum ipso facto incurrendæ, si præsumpserint citationes expedire sine tali speciali rescripto, ejus productione et insertione prædictæ clausulæ in actis; et insuper quoad notarios Urbis quinquaginta ducatorum auri de camerâ, hujc pro una medietate, et pro parte recurrenti, sin minus locis piis, arbitrio Pontificis applicandorum.

» XXXVI. Item excipiuntur monitoria in causis privilegiatis coram auditore cameræ apostolicæ, ejusque locum tenentibus, etiam in prima instantia tractandis, juxta præscriptum constit. Pauli V, *Universi* et citatas declarationes Benedicti XIII. Quæ si expediantur ultra montes, offerri prius debet supplex libellus universam facti speciem clare continens, et prævio ejusdem auditoris cameræ rescripto de ipsis expediendis, sub pœnis ut suprà in notarios aliter expedientes.

» XXXVII. Denique in cit. const. *Ad militantis*, § 42, statuitur ut causæ omnes tam civiles quam criminales ad forum ecclesiasticum pertinentes, exceptis privilegiatis et aliis de jure excipiendis, in prima instantia coram locorum ordinariis cognoscantur, nec a quoquam avocari possint, nisi per viam legitimæ appellationis.

» Hucusque summa Benedictinæ constitutionis.

» In causa tamen correctionis regularis vel disciplinæ ecclesiasticæ procedendum est cum his distinctionibus, an prælatus in correctione procedat ut judex judicialiter, vel ut pater paterne. In primo casu a correctione per sententiam decreta appellari poterit, Trident. sess. XIII, cap. I *de Reform.* Fagnan. in cap. *Ad nostram, De appellat.* n. 6. In secundo casu interest an superior in correctione maneat intra limites a sacris canonibus, regula, vel constitutionibus, pro pœnis correctionis gratia præscriptis; an vero istas excedat. In primo casu non datur appellatio, cap. 3 et 26 *de Appell.*, quia ab hujusmodi correctione appellans redarguere iniquitatis censetur sacram regulam, vel sacros canones, non prælatum aut superiorem qui non procedit ut judex, sed ut regulæ et canonum executor. In secundo casu, si excessus sit notabilis gravato conceditur appellatio, quia tum superior abutitur sua potestate, cap. 3, *de Appellat.* in 6. Debet tamen eo casu exprimi causa appellationis, scilicet quod superior corrigendo modum excesserit, ut judici appellationis de justitia illius constet et appareat appellatum esse in casu permisso, ut optime advertit Pirhing, tit. *de Appellat.* n. 45. (Giraldus, *Exposit. jur, pontif.* part 1, sect. 292 et sect. 308.) »

ADNOTATIO XXII.

Lib. II. Tit. XXVIII. § XII, n. 324, pag. 357.

DE JUDICIS RECUSATIONE.

« Ex const. Benedicti XIV, *Romanæ curiæ*, 21 dec. 1744, qua confirmantur decreta, alias edita, 10 jan. 1742, de judicum recusationibus pro ditione ecclesiastica, hi recusari non possunt tamquam suspecti : I. In causis executivis depositi et futurorum alimentorum. II. In causis designatis per decreta edita a Congregatione reformationis tribunalium Urbis, 17 april. 1731, videlicet pro schedulis vulgo *pagherò per altrettanti*, litteris cambii jam acceptatis, mercede, pensionibus demorum et solutione canonum; III. In causis non excedentibus valorem scutorum viginti quinque.

» In aliis vero quibuscumque causis, tam executivis quam ordinariis et in quacumque instantia (exceptis dumtaxat causis commissariis) unica permittitur recusatio judicis absque allegatione causæ suspicionis intra tres dies numerandos a die repreductionis monitorii, vel citationis ad dicendum contra jura. In reliquis recusationibus servandum est jus commune, citationesque quoad ulteriores recusationes impune sperni possunt, nisi in ipsis certa et justa causa exprimatur. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 303.) »

ADNOTATIO XXIII.

Lib. II, Tit. XXVIII, § XII, n. 331, pag. 358.

DE RELATIONIBUS JUDICUM.

Cap. 68, *Intimasti*, hoc titulo, sic se habet : « Intimasti et infra. Præterea, hospitalariis ignorantibus, et non facta eis copia de inquisitionis processu, ad nos relationem transmisisse noscuntur (*subintellige* inquisitores); cum, juxta legitimas sanctiones, quoties relaturum se judex quilibet pollicetur, illico litigatoribus apud acta consultationis exemplum edere teneatur.. »

« Antequam, scribit Giraldus, ad hujus decretalis explanationem deveniatur, notandum est S. Raymundum, in hac Gregoriana collectione, ad instar Trebonii in Digestis aliquid intermiscendum putasse de relationibus, seu judicum ad supremum principem consultationibus, quibus stantibus solebat appellatio anteverti, si ante sententiam dixisset judex eumdem principem esse consulendum quid facto opus esset, vel eludi si post sententiam, ut in L. penult. ff. *De Appellat. recipiend.* Cod. Theodos. *De Relationibus.*

» Harum quidem relationum usum in causis dubiis apud veteres frequentem, ut vitium brevitatis inimicum sustulit, Justinianus Novell. CXXV. Jure tamen pontificio retentum fuisse constat tum ex hac decretali, tum ex cap. 5, *Licet, De officio legati*; can. 12, caus. II, quæst. 1; can. 29, *Biduum*, in fine, ead. causa, quæst. 6; can. 48, *Siquid*, ead. causa, quæst. 7; can. 3, *Denique*, causa VI, quæst. 3, et can. 1. *De libellis*, ℣. *Nam si tale*, dist. XX; cum ea tamen conditione ut antequam judex mittat ad principem, consultationis exemplum et suæ opinionis apud acta litigantibus edat, et eorum refutationes seu refutatorias preces jungat, si quid forte alterutri imperfectum videatur; atque ita plenam atque integram totius controversiæ instructionem relatio contineat, ne tantillum ambigere quid sit a se rescribendum idem princeps possit, prout præscribebatur L. *Ne causas* 15, L. *Jubemus* 34, eod. hoc titulo. L. ult. ff. *Quando appellandum sit*; L. *Inter pœnas* 6, ff. *De interdictis et relegatis*; L. 2, eod. *De officio vicarii*, et totum titulum *De relationibus.*

» Species itaque hujus decretalis hæc est. Cum transmissa fuisset ad Gregorium relatio de causa contra quosdam hospitalarios, nullatenus facta copia de inquisitionis processu, declarat non recte judicem processisse eum, secundum allatas leges, quoties idem judex dicit se velle referre negotium ad superiorem, statim teneatur dare litigantibus exemplum.

» Verum hodie relationes istæ fere exoleverant et in locum illarum subintravit recursus ad jurisconsultos et academias, et donec ab his respondeatur, judex non solet in causa procedere. Ita Vallen. et Remig. Maschat, *Instit. canon.* hoc eodem titulo, n. 29. (*Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 305). »

ADNOTATIO XXIV.

Lib. II, Tit. XXVIII, § XII, n. 331, pag. 358.

VARIA DOCUMENTA DE APPELLATIONIBUS.

» Circa appellationem in causis matrimonialibus, vide disposita a Benedicto XIV constit. *Dei miseratione.*

» Circa appellationem ab irrationabili judicio ordinarii quoad præficiendos parochialibus ecclesiis, vide disposita ab eodem, constit. *Cum illud.* Et circa præsentatos eisdem ecclesiis a patronis, et appellationem interpositam ab uno ex dictis præsentatis qui, se digniorem existimavit et posthabitus fuit, vide responsa laudati Benedicti ad postulata archiepiscopi Florentini, contenta in ejus epistola *Redditæ nobis.*

» Circa appellationem pro nullitate professionis regularis, vide const. ejusd. Pontificis, *Si data.*

» Circa appellationem a damno dato, vide const. ejusdem. seu *motu proprio*, *Inveterata.* (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 308). »

Legant canonistæ, circa appellationes in causis matrimonialibus, *Instructionem de causis matrimonialibus ad usum judicum ecclesiasticorum imperii Austriaci*, ad calcem. *Act. et decret. Concilii provinc. Viennensis*, anno 1858 celebrati, Vindobonæ ex officina Cæs. reg. typographia aulæ et status 1859, in 4°.

« Nota, inquit Giraldus, cum Romanus Pontifex nulli in terris judici subjectus sit, penitus interdictam esse appellationem ab ejus sententiis et decretis ad futurum generale concilium, tum a SS. Canonibus *Nemo 13, Aliorum 14, Facta 15, Ipsi sunt 16*, caus. IX, quæst. 3; tum a Pio II const. *Execrabilis*, 18 januar. 1459 et Julio II, const. *Suscepti* 1 jul. 1509, qua confirmatur dicta const. *Execrabilis*, supplendo omnem defectum solemnitatis, etiam publicationis forte omissæ, declarando insuper § VI appellantes, non totum ipso facto incurrere pœnas in ea inflictas, excommunicationis scilicet Papæ reservatæ, si sint singulares personæ, interdicti vero, si universitates, sed etiam habendos esse pro veris et indubitatis schismaticis et de catholica fide male sentientibus, quas pœnas extendit etiam ad eos qui decreverint, consuluerint, declaraverint, aut aliorum dicta approbaverint, aut vocem dederint ut ad futurum Concilium universale a Papa appellare liceat, possit, et debeat.

» Sub eadem pœna excommunicationis et respective interdicti dicta appellatio reprobata est a bulla in die Cœnæ Domini quotannis legi solita.

» Quin obstet quod a Conciliis Basileensi sess. XXXIII, et Constantiensi sess. XXIV, declaratum fuerit de fide concilium esse supra Papam, ac per consequens ab eo appellari posse ad futurum generale concilium, quia respondetur, ita Thesaurus, *de Pœnis ecclesiast.*, cap. I, verbo *Appellatio*, « illud concilium (Basileense nempe) fuisse illegi» time inchoatum et terminatum, et quædam tan» tum illius acta fuerunt confirmata a Nicolao V, » alia autem, ut hæc de quibus agimus, reprobata » ab Eugenio IV, Conc. Basil. sess. XXXVIII. » Præterea non est verum quod in dicto concilio » id fuerit definitum sed solum declaratum pro » schismatis tempore, dum ignoratur quis verus » sit Papa; nam ad Concilium universale id per» tinet declarare. Ita Marius alter, part. V, lib. V, » cap. I, disp. 3; Bellarm., lib. XX, *de Conciliorum* » *auctoritate*, cap. XIX in fine; Marta, *de Jurisd.*, » part. III, cap. XVII, n. 7. »

» Hic accessit proscriptio sequentis propositionis, in ordine propositionum XXIX inter alias ab Alexandro VIII damnatas, die 7 decembris 1690 : « Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis » Romani supra concilium œcumenicum auctori» tate, atque in fidei quæstionibus decernendis in» fallibilitate, » infligente excommunicationem ipso facto incurrendam, Papæ reservatam, in docentes, defendentes, edentes dictam propositionem, aut de ea, etiam disputative publice aut privatim tractantes nisi forsan impugnando; prohibente insuper in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione divini judicii, illam a quoquam in praxim deduci. (*Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 308). »

ADNOTATIO XXV.

Lib. II. Decretalium, Tit. XXIX De clericis peregrinantibus, n. 5, pag. 359.

DE IIS QUI ROMAM ITER FACIUNT.

« Quamvis rubrica hujus tituli, *De clericis peregrinantibus*, concepta sit dumtaxat de clericis, in allata tamen decretali *Conquerente* æque laicis ac peregrinantibus ad limina Apostolorum, vel ex alia causa ad Sedem Apostolicam, idem conceditur favor. In ea igitur statuit Pontifex ut peregrinantibus iterque ad dictam Sedem arripientibus litis causa, pro introducenda aut prosequenda appellatione, licet se suaque eidem Sedi non commendaverint, omnia integra tamen servanda sint et, si ablata fuerint, restituenda.

» Hæc Decretalis ampliata est a bulla in die Cænæ Domini legi solitæ, addente excommunicationem, Papæ reservatam, in nocumentum afferentes Romipetis, aliisque ad curiam Romanam accedentibus, vel ibi commorantibus vel inde recedentibus, §§ IX et X...

» Notandum tamen est quod, ut peregrinatio ad Sedem Apostolicam vim habeat appellationis, tria simul concurrere debent.

» I. Ut iter assumatur intra decem dies a sententia lata vel gravamine illato, et iter hoc judici vel parti intimetur, licet apostoli non petantur. Nam talis ipso facto appellat, iterque est ei loco apostolorum, cap. *Dilecti filii*, 52, *De appellat.* Nomine *Apostolorum* veniunt litteræ dimissoriæ datæ appellanti a judice, deferendæ ad judicem appella-

tionis, in quibus testantur hanc esse interpositam.

II. Ut iter instituatur ante citationem, nam citatione præventus tenetur comparere coram judice a quo potest in causa procedi, cap. *Meminimus* 9, dicto titulo.

» III. Ut iter fiat ante notitiam rescripti apostolici ab adversario impetrati, nam post hujus notitiam, dolo et malitia se itineri committeret, cap. *Suggestum* 15, eod. titulo. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part I, sect. 309.) »

ADNOTATIO XXVI.

Lib. II. Decretalium. Tit. XXX, De confirmatione utili vel inutili, n. 17, pag. 362.

DE CONFIRMATIONE DECRETORUM A CONCILIIS PROVINCIALIBUS LATORUM.

In *Analect. jur. Pontificii*, Romæ 1855, fascic. VII, col. 1270, reperiuntur opportunæ lucubrationes circa revisionem, correctionem, et approbationem ab Apostolica Sede decretorum conciliorum provincialium. Quæ lucubrationes cum principiis auctoris nostri apprime cohærent: inter illas quasdam seligemus.

Decreta concilii cujuslibet provincialis possunt confirmari sive in forma communi sive in forma specifica. Omnis confirmatio statutorum vel privilegiorum, a Sancta Sede concessa in forma communi, semper est conditionalis. « Confirmatio quæ conceditur in forma communi, inquit Fagnanus, cap. *Si quis*, hoc titulo, n. 18, videlicet adjecta clausula, « si juste, canonice aut provide factum sit, » vel alia consimili, quæ hodie in confirmationibus statutorum et privilegiorum ex stylo consuevit exprimi per illam clausulam : « Dummodo sacris » canonibus, Tridentini concilii decretis et consti» tutionibus apostolicis non adversentur; » et talis confirmatio seu innovatio nihil novi juris tribuit juribus... unde per hujusmodi confirmationem non præcluditur via judici ordinario cognoscendi de validitate juris confirmati... Et in hoc conveniunt omnes, et est ratio, juxta Glossam 2, quia Summus Pontifex censetur hoc facere sine alicujus præjudicio. » Cf. Adnotationem XIV, *De auctoritate conciliorum provincialium*, vol. I. hujusce operis, pag. 594; Pelletier, *Des chapitres cathédraux en France*, cap. LIII. Nota quod clausula : Dummodo SS. canonibus, etc.... Quando non exprimitur, semper subintelligitur. « Confirmatio, docet Fagnanus, loc. cit., facit de aliquo validius ut non possit revocari per statuentes, sed de nullo non facit aliquod, nisi Papa apponeret clausulam *non obstantibus*, etc..., aut *ex certa scientia* scriberet, vel in contradictorio examine decerneret... Et est ratio quia illud quod non est confirmabile de jure non præsumitur per incuriam confirmatum. »

Confirmatio autem in forma speciali, inquit auctor noster, « non est nuda et simplex confirmatio, sed potius est nova concessio, atque in effectu dispensatio, ideoque vim habet actum cæteroquin nullum reddendi validum. » Attamen, per dictam confirmationem in forma speciali, nullum tertio infertur præjudicium. Hæc est doctrina Fagnani, cap. *Cæterum, de Rescriptis*, qui sic loquitur : « Amplia primo hanc conclusionem ut locum habeat, etiamsi Papa ex litteris habuerit certam notitiam præjudicii tertii... Amplia secundo in jure quomodolibet quæsito, etiam ex privilegio... Amplia tertio, etiamsi Papa secundam gratiam fecerit *motu proprio* et *ex certa scientia*, nam motus proprius non firmat privilegium contra jus alterius... Amplia quarto, etiamsi Papa processerit de plenitudine potestatis.., Amplia quinto, etiamsi... fuerit generaliter derogatum constitutionibus apostolicis..... etiam cum clausula *quorum tenores* : nam nihilominus Rota semper tenuit hujusmodi generales derogationes non sufficere. » Huc spectant regulæ Cancellariæ XVIII et LXXI, quas videre potes apud auctorem nostrum, lib. III, tit. V, *De præbendis et dignitatibus*, § XVI.

Igitur concludendum cum *Analect. jur. pontif.* loc. cit. quod, coram decretis Conciliorum quorumlibet provincialium, nedum a Sancta Sede confirmatis sed simpliciter a S. Congregatione *recognitis*, sacri canones, decreta Tridentina, et constitutiones apostolicæ, necnon jus tertio quæsitum, vim suam roburque proprium omnino conservant.

ADNOTATIO XXVII.

Lib. II. Tit. XXX, n. 30, pag. 364.

PROPOSITIONES CIRCA POTESTATEM ECCLESIÆ JUDICIARIAM A SS. D. N. PIO IX DAMNATÆ; ET DE NECESSITATE, INCUMBENDI ETIAM NOSTRA ÆTATE, LECTIONI LIBRI II DECRETALIUM.

Non erit supervacaneum hic meminisse quarumdam propositionum, in ordine XIX, XXIV, XXV, XXVII, XXX et XXX, a Sanctissimo D. N. Pio PP. IX, die 8 decembris 1864, litteris encyclicis *Quanta cura*, et syllabo hisce litteris annexo damnatorum. Quæ propositiones jam a nobis sub Adnotatione XXI, vol. II, pag. 589, fuerunt recensitæ.

Quoad utilitatem addiscendi, etiam hodiernis temporibus, librum II Decretalium, toto corde adhæremus his quæ ab editore *Jur. canon. univ. Analecti Reiffenstuel*, edit. compendiaria ad usum seminariorum, Parisiis, 1854, Leroux et Jouby, sapienter observata fuerunt his verbis : « Hic observabimus plurimum errare eos qui putant hunc tractatum (correspondentem libris II et V Decretalium) minus esse utilem, eo quod hodie rariores sint processus ecclesiastici. Plurimæ enim in ipso traduntur regulæ sapientissimæ, tum ad rationem agendi prudenter dirigendam, ut sunt illæ quæ ad probationes et semiprobationes pertinent, et quæ *logica canonica* merito appellari possunt, tum ad

devitanda delicta eorumque pœnas. (Tom. III, sub init.)

Insuper lector catholicus non sine animi voluptate hæc sequentia colliget, quæ nostra ætate D. G. d'Espinay, in jure civili gallico doctor, substitutus in tribunali Segré, scripsit dum libri, pluries citati et ab Academia Tolosana coronati, cui titulus : *De l'Influence du droit canonique sur la législation française*, Tolosæ, 1856, Bonnal et Gibrac, ideam principalem et conclusionem exponebat... : « Les » Papes devinrent, au moyen âge, les suprêmes » législateurs de toute l'Europe occidentale; ils » furent les auteurs d'une législation nouvelle qui » devait exercer sur la législation séculière une » influence considérable. Ils empruntèrent au droit » romain ce qu'il avait de plus parfait; ils conser- » vèrent les dispositions où la sagesse antique » brillait du plus pur éclat; ils modifièrent celles » qui rappelaient encore les traditions du paga- » nisme, et rendirent les lois civiles conformes aux » principes chrétiens. Sous leur direction, le droit » canonique fit entrer l'ordre moral dans l'ordre » légal.

» Devant cette législation chrétienne et savante » tout à la fois, appuyée sur l'Evangile et sur la ju- » risprudence antique, les usages que les barbares » avaient apportés des forêts de la Germanie dis- » parurent peu à peu durant la suite des siècles... » La transformation opérée dans la législation ro- » maine par le christianisme a été parfaitement » décrite par M. Troplong, dans son beau Mémoire » intitulé : *Influence du christianisme sur le droit* » *romain*.

» Sous l'influence du droit canonique, l'esclavage » personnel de l'antiquité disparut peu à peu; le » servage de la glèbe reçut par la suite du temps » de nombreux adoucissements, et cessa enfin » complètement.

» C'est aussi le droit canonique qui a transformé » l'institution de la famille, réhabilité la femme et » donné à l'union conjugale une force et une di- » gnité nouvelles, en proclamant à la fois son » unité, sa sainteté, son indissolubilité; en pros- » crivant l'inceste, le divorce, la répudiation, la » polygamie, le rapt et l'achat de la femme... La » rigueur primitive de la puissance maritale et » paternelle a été adoucie. Le pouvoir du chef de » la famille, dans la société moderne, n'est plus le » droit absolu que la loi romaine consacrait...

» Le droit canonique a exercé son influence sur » d'autres parties encore de la législation. Il a fait » connaître aux peuples occidentaux l'usage du » testament, inconnu aux Germains avant l'inva- » sion; il leur a appris à respecter la volonté » des mourants, à obéir à cette expression de la » pensée humaine, qui se manifeste après la mort, » et qui survit au testateur, comme l'âme survit » au corps.

» Il a dégagé de ses antiques liens l'expression » des volontés humaines; il a fait du consente- » ment, manifesté d'une manière libre et intelli- » gente, la source de tous les contrats...

» Mettant au-dessus de tout le respect dû à l'é- » quité, la législation canonique a modifié sur plu- » sieurs points la faculté d'acquérir par la prescrip- » tion. Elle a fait de la bonne foi du possesseur, » continuée pendant tout le temps de la possession, » une condition nécessaire pour prescrire... Par » l'effet de ses dispositions équitables, l'ancien » droit germanique, qui confondait la possession » et la propriété, et sanctionnait les guerres privées » et les contestations à main armée, a été aban- » donné.

» Les institutions judiciaires ont fait, pendant la » période féodale, de nombreux progrès qu'elles » doivent aussi à l'influence de l'Eglise. Celle-ci a » remplacé par l'examen rationnel des affaires la » procédure barbare qui abandonnait leur décision » au hasard du combat judiciaire ou du *jugement* » *de Dieu*. Elle a substitué la raison à la force; elle » a créé une procédure savante, propre à assurer » au civil la connaissance exacte des causes liti- » gieuses; au criminel, la recherche et la punition » des crimes.

» En un mot, les lois de l'Eglise ont régularisé » et perfectionné tout ce qui touche à l'administra- » tion de la justice; elles ont moralisé la vie juri- » dique, assuré le triomphe du droit et contribué » pour une large part à la formation et au déve- » loppement de la législation française... C'est elle » qui a fourni les matériaux avec lesquels a été » construit l'édifice de la civilisation européenne; » c'est elle qui a établi les fondements sur lesquels » repose la législation des peuples occidentaux; » c'est elle enfin qui a donné à la société moderne » un caractère propre qui la distingue profondé- » ment des sociétés antiques. »

ADNOTATIO XXVIII.

Lib. III. Decretalium. Tit. I, De vita et honestate clericorum. § I, n. 9, pag. 367

INGREDI PRESBYTERIUM ET AD ALTARE PROPINQUARE LAICIS VETITUM.

« Hæc prohibitio, repetita in cap. I, *Ut laici*, hoc titulo, renovata decreto Congregat. Rituum anno 1688, relata fuit a Benedicto XIII, tit. XXVIII, *De immunitate*, cap. IV, conc. Rom. anni 1725; nulla tamen erat adjecta pœna in contra facientes. Verum cum non satis observaretur, idem Benedictus, loco cit. sequentem inflixit, ibi : « Verumtamen cum » adhuc laici quidam in vetita temere nitantur, et » ibidem aut stare, aut scamna habere, vel genu- » flexoria sibi arrogare præsumant; id iterum juxta » SS. canonum, ejusdemque apostolicæ Sedis men- » tem, sub ecclesiarum, regularium etiam et quo- » modocumque exemptarum, interdicti pœna, ipso » facto incurrenda et Romano Pontifici reservata, » inhibemus; mandantes ut si quæ sint pro laicis

» sacra intra loca prædicta sedes, scamna et genu-» flexoria, illinc auferantur et removeantur om-» nino. »

« Nota quod hæc pœna tantum incurritur si laici intra dicta septa temere stare præsumant, ut clare inhibitionis verba sonant, ut etiam notavit Navarrus in cap. *Accepta, De restit. spoliat.* opposit. VIII, n. 33, ibi : « Qui bona fide ignoranter aut impru-» denter chorum intrant, neque enim tales proprie » dicuntur præsumere... Quare, licet sacerdotes, » dum missam celebrant, diligenter curare debeant » ne laici intra presbyterium maneant, non ideo » tamen ita mente turbari debent ut sacrum se fa-» cere in Ecclesia interdicta existiment, si casu » laicum aliquem bona fide, ignoranter, aut im-» prudenter ibi manentem videant, dummodo non » sint ecclesiarum rectores, neque eis constet quod » hoc ille sibi arrogare præsumat. Quam quidem » animadversionem certum est spectare ad dictos » rectores, cum ex officio id prohibere teneantur. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 310.)

Sedulo advertendum quod dicta interdicti pœna, ipso facto incurrenda, tantum viget in locis ubi decreta concilii Romani, anni 1725, applicanda veniunt, scilicet in provincia romana et regionibus quarum Archiepiscopi, episcopi, et abbates *nullius* jurisdictionem quasi episcopalem habentes ad prædictum concilium fuerunt convocati.

ADNOTATIO XXIX.

Lib. III. Tit. I, § II, n. 45, pag. 575.

DE IIS, QUI AD MONASTERIA MONIALIUM ACCEDUNT. COLLOQUII CAUSA.

« Parentibus, fratribus et sororibus monialium licet eorum filias et respective sorores moniales alloqui sine licentia episcopi, diebus tamen non prohibitis, id est, Adventus et Quadragesimæ, ex decretis congregationis concilii et congreg. episcoporum et regularium, relatis a Lucio Ferraris, *Prompta bibliotheca*, v° *Moniales*, art. IX, n. 8 et seqq.; sicut et eorum consanguineis in primo et secundo gradu, excepto casu in quo ex constitutionibus monasterii, vel speciali decreto episcopi, interdictus esset accessus sine licentia ejusdem episcopi, ut ex aliis decretis relatis a dicto Ferraris loco citato n. 11.

» Eadem prohibitio frequentis accessus ad monasteria monialium, nedum afficit subditos episcoporum, in quorum diœcesibus sita dicta monasteria, sed etiam episcopos alienæ diœcesis, vice-legatos, et actuales locorum gubernatores, ut declaravit Benedictus XIV, in epistola decretali *Gravissimo*, 31 oct. 1749, ad omnes archiepiscopos, episcopos, aliosque ordinarios ditionis ecclesiasticæ. Quia vero hi ordinariæ episcoporum jurisdictioni non subsunt, ac proinde immunes sunt vi coactiva ab illorum pœnis, videlicet contra transgressores statutis, ut cap. *A nobis* 2, *De sentent. excomm.* ideoque præcipit Benedictus quod si aliquando contigerit « ut » eorum aliqui... ad monasteria monialium se » conferant, et cum iis episcopi injussu agant, in-» fringentes synodorum sanctiones atque episcopo-» rum edicta... hi... Romanum Pontificem, aut » Congregationem episcoporum et regularium cer-» tiorem faciant, ad contemptam episcopalem auc-» toritatem vindicandam. »

» Idem accessus et allocutio, etiam sine frequentia, specialiter interdicta est regularibus, tum a Sixto et Paulo V, ac Urbano VIII, tum a posterioribus Pontificibus, et potissimum a Clemente IX sub pœna excommunicationis, aliisque ab episcopo infligendis, ut ex sequenti decreto Congr. concilii, sub die 11 maii 1669, ab eodem approbato, ibi : « Regulares quicumque absque legitima facultate « accedentes ad colloquendum, etiam per modicum » temporis spatium, cum monialibus aut aliis intra » clausuram degentibus, peccare mortaliter, eosque » sub excommunicationis, privationis vocis activæ » et passivæ, aliisque contra regulares, accedentes » sine licentia ad monasteria monialium, statutis » pœnis, posse ab ordinario, tanquam Sedis aposto-» licæ delegato, coerceri. » A qua excommunicatione nequeunt absolvi a suis superioribus, etiamsi agatur de accessu, et colloquio cum monialibus proprii ordinis; sicuti nec ipsæ moniales, si episcopus in prohibitione sub eadem excommunicationis pœna de eis expressam fecerit mentionem, ut ex altero ejusdem Congregat. decreto in *Viterbien.*, 26 junii 1627, lib. XXI *Decretor.* pag. 176. Die vero 26 nov. 1672 eadem Congregatio declaravit non eximi a gravi culpa ad ipsas moniales accedentes sine episcopi licentia, ob quamcumque causam, licet honestam et rationabilem. Insuper, die 21 maii 1678, declaravit affici iisdem pœnis, si item sine speciali episcopi licentia cum ipsis loquantur, post concionem ad illas habitam...

» Nota I. Sub nomine regularium venire etiam equites S. Joannis Hierosolymitani, utpote veros religiosos, posseque episcopum contra ipsos cum monialibus colloquentes procedere vigore decreti generalis Congregationis episcoporum et regularium editi 12 kal. decembris 1623 jussu Urbani VIII, ut pluries declaravit eadem S. Congregatio cujus decreta, una cum mox citati Urbani, refert Lucius Ferraris, *Prompta Bibliotheca* v° *Moniales*, art. IX, nn. 27 et 28.

» Nota II. Sub nomine monialis venire etiam abbatissam in hac materia locutionis, ut de abbatissis Urbis Romæ declaravit Alexander VII, const. *Sacrosancti*, et generatim pro quibuscumque aliis abbatissis Congregatio Concilii, 14 nov. 1654, ut in libro XIX *Decretor.* ejusdem Congregationis pag. 425. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 317.) »

« Quod spectat ad locutionem cum monialibus interdictam regularibus sine legitima licentia, notandum quod hæc, si attendatur decretum Sixti V, dari dumtaxat poterat a S. Congregatione; si vero

attendatur alterum Urbani VIII, quo illud Sixti reformatur, dari tantum poterat ab ordinario regularibus conjunctis cum monialibus, aut cum aliis intra clausuram degentibus, in primo et secundo consanguinitatis gradu, quater in anno, pro die et certa hora, et extra Adventum, quadragesimam, feriam sextam, sabbatum, vigilias et dies festos; quæ licentia subscribi debebat etiam a superiore regulari pro monialibus regularium regimini subjectis, et registrari in libris cancellariæ ordinarii, ac earum confessario consignari, qui una cum auscultatricibus locutioni præsens esse tenebatur: attento tamen posteriore Congregationis concilii, decreto 26 nov. 1672, *Spoletana*; *accessus ad monasteria*, videtur non ita hodie restrictam esse ordinariorum facultatem, quin dictam licentiam indiscriminatim et illimitate impertiri possint, ut etiam argumentatur Gaudentius, tom. I. *De visit. prælator. ecclesiast.* cap. IV, dub. XI, sect. 4, n. 28. (Giraldus, *ibid.* part. I, sect. 317 et sect. 191, Appendice II.) »

ADNOTATIO XXX.

Lib. III. Tit. I. § II, n. 59, pag. 377.

CONTRA JUDICES MUNERA RECIPIENTES.

» Decretali *Cum ab omni*, hoc titulo, reprobanti munerum receptionem pro administratione justitiæ, sine ulla tamen pœnæ adjectione in judices, accessit decretalis Innocentii IV, relata cap. I, *Cum æterni, De sententia et re judic.* in 6. pœnas in eosdem infligentis...

» Insuper accessit decretalis Bonifacii VIII, relata in cap. 11 *Statutum, De Rescriptis* in 6. in qua judicibus delegatis a Sede apostolica idem prohibet, exceptis esculentis et poculentis sponte oblatis, et moderatis expensis, si extra domicilium eos proficisci contingat...

» Quoad mercedem vero nomine assesssorum, in allata decretali *Cum ab omni* prohibitam, hæc Bonifacius addit: « Assessorem autem, ut quandoque » faciunt aliqui fraudulenter, nisi eo indigeat, quod » conscientiæ relinquatur ejusdem, sibi nequa- » quam adjungat; alioquin de suo proprio provi- » dere teneatur eidem. Si autem indigeat, ipsum » neutri parti suspectum assumens, ei de compe- » tenti salario, provide moderando ab eo, faciat a » partibus communiter provideri. » Insuper declarat ut, si quid receperit, teneatur ad restitutionem, non obstante donantis condonatione.

» Ad hanc restitutionem tenentur sive sint judices ordinarii, sive delegati tam Papæ quam quorumcumque ordinariorum, ante omnem declarationem, licet sententiam justam tulerint; si vero injustam, non danti, sed parti læsæ restituendnm. Thesaurus, *De pœnis ecclesiast.* cum communi, v° *Munera*, cap. IV et VI.

» Huc spectat propositio proscripta ab Alexandro VII, 24 sept. 1665, in ordine XXVI: « Quando » litigantes habent pro se opiniones æque proba- » biles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda » sententia unius præ alio. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I. sect. 319.)

ADNOTATIO XXXI.

Lib. III. Tit. I. § III, n. 88, pag. 384.

CONTRA CLERICOS COMAM NUTRIENTES.

« Nutritio comæ clericis prohibita, juxta communem canonistarum sententiam, intelligenda est de ea quæ morem lascivum, vanum et fœmineum, præ se fert; quam si relaxaverint, licet videantur esse ipso facto excommunicati propter particulam illam, « anathema sit... », Doctores nihilominus cum Glossa hic sentiunt non esse canonem latæ sententiæ sed ferendæ. Notat insuper Suarez, tom. V. *De relig.* tract. III, lib. II, cap. XIX, n. 5 quod, quamvis tempore Gregorii probabile sit fuisse latæ sententiæ, hodie tamen non ita ob desuetudinem. Idem sentit Thesaurus, *De pœnis ecclesiast.* cap. I v° *Superstitio*, additque cum Sanchez, Navarro, et Azorio ly « anathema sit » esse verbum ambiguum, an scilicet habeat vim præsentis vel futuri temporis, ideoque accipiendum in mitiorem partem.

» Juxta hodiernam Ecclesiæ disciplinam huc potissimum spectat prohibitio deferendi a quibuscumque clericis comam adscititiam vulgo « peruccam » et præsertim a sacerdotibus, tam extra missam quam in ejus celebratione.

» Quod attinet ad illius delationem tam a clericis quam a sacerdotibus extra missam, indiscriminatim prohibita fuit a Benedicto XIII, in concilio Romano celebrato anno 1725, tit. XVI cap. III; nec hodie illa uti posse sine episcopi licentia ostendit Benedictus XIV, *Instit. eccles.* XXXIV et XCVI.

» Quod vero attinet ad eamdem delationem in actu celebrationis missæ, adeo prohibita est ut nec episcopus, nec legatus apostolicus facultatem eam deferendi impertiri possit, ex declaratione Innocentii XII, in cit. *Instit.* XXXIV. Quod et in præsens inviolabiliter servatur, cum solus Summus Pontifex, et nonnisi ex urgenti causa, eam concedat. (Giraldus, *Exposit jur. pontif.* part. I, sect. 314.) »

Quæ supra docet Giraldus sane sunt intelligenda. De jure communi usus fictitiæ comæ clericis extra missam non interdicitur; sed concilium romanum anno 1725 illum prohibuit pro regionibus quarum Archiepiscopi, episcopi et abbates quasi episcopalem jurisdictionem habentes ad dictum concilium fuerunt convocati; et in diœcesi Bononiensi, dum illustrissimus Prosper Lambertinus, postea Benedictus XIV, suam Institutionem XCVI scribebat, hunc etiam clericis ac sacerdotibus interdictum fuisse a synodo Cardin. Jacobi Boncompagni, decessoris sui, memorat. Addit Benedictus « si clericis beneficio ornatis aut sacros ad ordines assumptis comas appositas omnino interdicat episcopus, ejus auctoritatem a sacris Congregationibus confirmari, uti Melphitano episcopo contigit, qui

decretum ejusmodi in lucem ediderat... Illud pariter cognitum nobis erat decretum a Clemente XI fuisse ne canonici, beneficiis præditi, cæterique ad chorum pertinentes divinis laudibus interessent cum ejusmodi comis (in Bullar. pag. 593); idque mandatum executioni nos ipsi vidimus in Vaticana basilica, ubi per plures annos theologalem præbendam obtinuimus; cit. instit. XCVI. » Procedit igitur conclusio auctoris nostri, loc. cit. n. 90, dicentis excusari posse praxim quorumdam clericorum gestantium, extra missam, comam fictitiam ob debilitatem capitis aut aliam hujusmodi rationabilem causam; salvis nihilominus statutis locorum synodalibus.

ADNOTATIO XXXII.

Lib. III. Tit. I. § IV, n, 97. pag. 386.

DE VESTE TALARI.

» Quoad vestem talarem, respectu constitutorum in sacris et beneficiatorum, videtur emollitum fuisse rigorem constitutionis Sixti V, *Cum sacrosanctum*, 9 januar. 1589, a constitutione Benedicti XIII, *Catholicæ Ecclesiæ*, 2 maii 1725, quandoquidem, licet in ea ejusd. constitutionis Sixtinæ mentio fiat, infliguntur tamen pœnæ in solos beneficiatos laicales dumtaxat vestes deferentes, et ne ullum quidem verbum legitur de talaribus.

» Rursum quamvis idem Benedictus, in concilio Romano, tit. XVI, *De vita et honest. clericorum*, cap. III, confirmaverit edictum circa vitam et honestatem ecclesiasticorum Almæ Urbis, ipsius jussu publicatum sub 20 dec. 1724, injungatque episcopis aliisque respective ut illud in suis diœcesibus publicandum et omnimode observandum curent, in quo præcipitur ut constituti in sacris et beneficiati, tenue etiam beneficium possidentes, juxta resolutionem Congregationis Concilii sub die 13 sept. 1677, deferant talarem vestem ab ortu solis usque ad dimidium noctis horæ primæ; nihilominus valde admodum in eo recessum est a rigore Sixtinæ sanctionis, cum in contravenientes infligatur pœna dumtaxat decem scutorum pro qualibet vice et totidem dierum detrusionis in carcerem.

» Huic moderationi accessit etiam usus et praxis timoratorum, ac tolerantia et acquiescentia successorum Pontificum et ecclesiasticorum præsulum, a quibus videmur summopere quidem inniti super delatione vestium clericalium, non autem talarium, nisi quando supra enuntiati clerici Ecclesiam sunt ingressuri, sive ad missarum mysteria, sive ad divina officia et ecclesiastica munia obeunda, ut clarissime patet ex eorum edictis et synodalibus statutis, sacrorum canonum rigorem emollientibus, relatis a Benedicto XIV, *De syn. diœc.* lib. XI, cap. VIII. Imo ipsemet, cum esset archiepiscopus Bononiensis, *Instit.* XXXIV et LXXI in ordine, non obstante Sixti constitutione, *Cum sacrosanctum*, quam citat *Instit.* LXXI, obligationem vestem talarem deferendi limitavit ad solos sacerdotes missam celebraturos; de qua obligatione iterum sermonem instituens cit. cap. VIII *De syn.* se ad easdem Institutiones dumtaxat retulit. Nota cum eodem dicto cap. VIII quod, quamvis Tridentinum talaris vestis non meminerit, cum tamen remittat judicio episcoporum statuere quænam vestis ordini et dignitati clericorum conveniat, hi nullatenus contravenire possunt eorumdem edictis, in quibus sub certis pœnis præcipiatur delatio vestis talaris. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. II, sect. 48.) »

Cf. Auctorem nostrum, hoc titulo, § III, nn. 64, 65 et seqq.

In Galliis, dum anno 1807 illustriss. et reverendiss. archiepiscopus Aquarum Sextiarum DD. de Cicé decreta pro suo capitulo metropolitano conderet, vestem talarem a canonicis deferendam esse saltem diebus dominicis et festis, et per totam hebdomadam sanctam, et quoties aliunde essent Ecclesiam ingressuri, præscripsit. (Pelletier, *Des chapitres cathédraux en France*, cap. XXX.)

ADNOTATIO XXXIII.

Lib. III. Tit. I. § IV, n. 102, pag. 387.

DE COLORE VIRIDI QUIBUSDAM CAPITULIS CONCESSO.

Permittitur episcopis color viridis, inquit auctor noster. In cæremoniali episcoporum legitur : « Omnes tam sæculares quam religiosi episcopi galero utuntur a parte exteriori nigro, cui ab interiori sericum coloris viridis suffulciatur chordulis pariter et floccis sericis viridibus ab eo pendentibus... (lib. 1, cap. III, n. 5.) » Porro nonnullorum capitulorum canonicis Summi Pontifices concesserunt, et etiamnum concedunt usum chordularum viridium cum floccis ejusdem coloris super galerum nigrum, necnon zonæ rubræ renes præcingentis, uti videre est in magno Bullario, signanter in brevi, die 9 februar. 1816, a Pio VII dato pro archipresbytero et ejus successoribus capituli Ecclesiæ metropolitanæ Bracharensis, ibi : « Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Antonius de Sequeira qui, ut asserit, archipresbyter et una ex dignitatibus metropolitanæ Ecclesiæ Bracharensis, quod cum, per alias in simili forma brevis die 15 maii 1789 expeditas litteras, dilectis filiis dignitatibus et canonicis præbendatis dictæ metropolitanæ auctoritate apostolica indultum fuerit, sub certis modo et forma tunc expressis, ut ipsi funiculum cum flocculo viridis coloris in pileo, itemque zonam seu fasciam et tibialia rubri coloris gestare possent et valerent... ipse Antonius, vel alius tunc temporis possessor ejusdem dignitatis, in hujusmodi apostolico indulto comprehensus minime remansit, eo quod præbendam obtinet ab aliis capitularibus præbendis penitus separatam, residentiamque habet personalem, liberam et spontaneam sine obligatione. Quoniam autem, sicut in eadem expositione additum erat, sedem propriam eodem in choro tenet

fixam a cornu evangelii tertiam, nobis propterea humiliter supplicari fecit ut, pro majore Dei cultu, ac meliore cum aliis dignitatibus et canonicis publice servanda conformitate, sibi in præmissis opportune prævidere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, etc... (*Bullarii romani continuatio*, Romæ, 1847, tom. XIII, pag. 457.) »

Innumeræ sunt in prædicto Bullario concessiones apostolicæ de chordulis aut funiculis violaceis cum flocculis ejusdem coloris pileo circumvolvendis; necnon de vestibus oblongis et etiam mantellettis violaceis in gratiam canonicorum et aliorum factæ.

ADNOTATIO XXXIV.

Lib. III. Tit. I. § IV, n. 104, pag 387.

DE USU ANNULI.

« Quamvis annuli delatio tam in decretali *Clerici officia*, hoc titulo, quam in concilio Romano celebrato a Benedicto XIII, anno 1725, tit XVI, cap. III, prohibita sit quibuscumque clericis quibus non competit; hodie tamen speciatim interdicta est omnibus sacerdotibus et etiam abbatibus, si benedicti non sint, dum missam celebrant, sicuti et protonotariis non participantibus; item doctoribus quibuscumque et canonicis cathedralium ex decretis Congregat. Rituum 13 febr. 1625 et nov. 1628. Hi tamen canonici ex decreto ejusd. Congregationis, 4 aug. 1663, uti possunt annulo aureo, sed sine gemma et absque aliqua effigie. (Giraldus, *Expos. jur. pontif.* part. I, sect. 324.) »

In *Pontificali Romano commentariis illustrato*, auctore Josepho Catalano, nova edit. Parisiis anno 1850 apud Méquignon juniorem evulgata, in prolegom. cap. XVII, post disquisitiones uberrimas de annulis episcopalibus, gestatoriis et signatoriis tam apud Latinos quam apud Græcos, legitur : « Restat nunc illud monere, præter episcopum et abbatem habentem usum pontificalium, non posse protonotarios titulares (quos non participantes vocant), neque doctores canonicosve cathedralium ecclesiarum deferre annulum cum gemma in missa, tum ad differentiam episcopi, tum ad humilitatis indicium, coram sanctissimo sacramento quod manu tractari debet, uti docet Gavantus ex decreto sacræ Rituum congregationis. Observat autem vir clarissimus Cajetanus Merati, in novis *Observationibus* ad ipsum Gavantum pag. 339, ex alio ejusdem Congregat. decreto, die 4 aug. 1663, statutum fuisse posse canonicos missam celebrare cum annulo aureo et de rigore uti, sed sine gemma et sine aliqua effigie. Solus itaque episcopus et abbas, ut dixi superius, annulo cum gemma uti possunt; nihilominus ab ipsis esset legendus S. Petrus Damiani, qui pretiosas annulorum margaritas graviter damnat. »

» Annulus datur episcopo, inquit Gavantus, *Comment. in rubr. Missalis* part. II, Tit. I, de præparatione sacerdotis celebraturi..., et regulariter quidem in digito indice manus dexteræ defertur, neque in gemma sculptum quid esse debet, ex Durando lib. II *De ritib.* cap. IX; sed in missa pontificali jubetur episcopus gestare annulum in digito annulari dextræ manus... Alii caveant ne unquam annulum gestent in missa, qui expresse prohibitus fuit protonotariis non participantibus, et quibuscumque doctoribus, die 13 februar. 1625, et item canonicis cathedralium ecclesiarum qui se majores æstimabant protonotariis, die 20 nov. 1628. Canonicorum vero nomine, hac in re, intelliguntur etiam dignitates, sive sint sive non sint de gremio capituli. »

« Annuli usus, inquit Ferraris, *Prompta bibliotheca*, v° *Annulus*; in missa prohibetur protonotariis non participantibus, et doctoribus quibuscumque et canonicis cathedralium, S. Congr. Rit. 13 februar. 1625 et 20 nov. 1628. Possunt tamen canonici missam celebrare cum annulo aureo, et de rigore uti, sed sine gemma et sine aliqua effigie, S. Congr. Rit. 4 aug. 1663. Benedictus tamen XIII, in concil. rom. tit. XVI, cap. III statuit in missæ celebratione esse deponendum. » Notandum quod decreta concilii Romani anni 1725 veniunt applicanda tantum in locis quorum ordinarii convocati fuerunt ad prædictum concilium. Hæc autem sunt verba Benedicti : « Non annulos deferant (clerici), nisi hi eis ratione dignitatis competant et tunc illos, nisi abbates sint benedicti, in missæ celebratione deponant. »

Idem Ferraris, v° *Protonotarius titularis seu extra numerum*, docet : « Protonotarius titularis non participans potest apponere pileum super insigniis et habere annulum dum celebrat, dummodo non cum gemma. S. C. R. 21 aug. 1601 apud Cordubam in *Praxi dispensat. apostolibar.* lib. V, cap. VI, n. 52; Barbosa in *Summ. decis. apostol.* v° *protonotarius titularis* n. 6. Piton. *Constitut. et decis. ad canonicos*, n. 119. Unde quamvis protonotarii titulares non possint in missa gestare annulum cum gemma, ut censuit S. R. C. 21 aug. 1601, 13 febr. 1625 et 20 nov. 1628, apud Piton. loc. cit. n. 459, ex Gavanti his verbis : « Annuli usus prohibetur » protonotariis non participantibus, doctoribus qui» buscumque, canonicis cathedralium; » tamen, die 4 aug. 1663, eadem S. R. C. apud eumdem Piton. loc. cit. n. 722, ex eodem Gavanto (*lege* Merati) statuit ut sequitur : « Possunt canonici missam ce» lebrare cum annulo aureo et de rigore uti, sed » sine gemma et sine aliqua effigie. »

Ex his sequitur : I. Quod usus annuli aurei cum gemma et cum aliqua effigie competit extra missam episcopis, abbatibus, prælatis habentibus usum pontificalium, protonotariis titularibus, canonicis Ecclesiarum cathedralium et doctoribus quibuscumque. II. Quod usus annuli aurei cum gemma, sed sine aliqua effigie, competit in celebratione missæ episcopis, abbatibus benedictis et prælatis

habentibus usum pontificalium. III. Quod usus aurei annuli, sed sine gemma et sine aliqua effigie, competit in celebratione missæ protonotariis titularibus et canonicis cathedralium, salvo tamen decreto concilii romani in locis ubi viget, et decreto Pii VII de quo infra. IV. Quod usus annuli aurei cujus libet non competit doctoribus in celebratione missæ.

Quoad canonicos ecclesiarum cathedralium sic tradunt communiter liturgistæ, signanter Catalani, Ferraris, Merati, Pitonius et alii.

Sed ab hac opinione aliquo modo recedit Paulus Carli, cathedralis Brixiensis canonicus, in opere imperfecto cui titulus : *Bibliotheca liturgica*, Brixiæ, Valotti, 1833, verbo *Anulus* (sic), ibi : « Canonici in missæ celebratione de rigore uti non debent annulo, etiam aureo tantum, hoc est sine gemma vel effigie aliqua; S. R. C. 4 aug. 1663, in una *Dalmatiar*. n. 2094 ad XI. Perperam hoc decretum refert Meratius sub his verbis : « Canonici quando » missam celebrant de rigore uti possunt annulo » aureo, sed sine gemma et sine aliqua effigie. » Purgandus tamen est clarissimus auctor, quippe quod ex authentica editione haud potuit decretum excerpere. Verba autem « de rigore uti non debent » quibus usa est S. Congregatio in rescripto ad dubium : « Utrum possint canonici cum annulo » etc... missam celebrare? » Videntur sensum dicere : ex lege annulum canonicis permissum non esse; ex consuetudine tamen (saltem ubi viget, ut in casu fuisse opus est opinari) indulgentiam esse adhibendam; atque id firmari etiam potest decreto quod paulo mox sequitur, dum per illud annulus tantum cum gemma vetitus declaratur. « Num di» gnitates et canonici cathedralis adhibere possint » annulum cum gemma, quem jam gestare asso» lent, etiam quando celebrant, sacrisque functio» nibus dant operam? Responsum fuit : Negative. » S. R. C. 13 sept. 1670. » Si et annulus simplex, hoc est aureus tantum, in casu non liceret, id certe quidem negativæ S. Congregationis responsioni additum legeretur; quod cum minime factum fuerit, manent idcirco in suo robore quæ superius dicta sunt, imo potiori quædam ratione enuntiari posse videntur. Dum vero Gardellinius (in suo indice, verbo eodem) proxima scribit : « Annuli de» latio in missa omnibus sacerdotibus vetita, » etiamsi sint protonotarii titulares, dignitates et » canonici cathedralis, » nullam in casu indulgentiam admittit, quam tamen decretorum verba, ut patet, respuere non videntur, sicuti dictum est.

Jus pro canonicis ecclesiarum cathedralium annulum gestandi desumptum videtur ex eo quod capitulum sit pars integrans cujuslibet Ecclesiæ episcopalis, retineat jurisdictionem in habitu, illamque exerceat in actu, sede scilicet vacante. Unde non solum episcopo, sed etiam canonicis ex quibus coalescit capitulum, quælibet Ecclesia episcopalis uti sponsa traditur, et in signum unionis perpetuæ tam episcopus quam canonici, unum effecti caput Ecclesiæ (nam capitulum a capite), annulo decorantur.

Denique protonotarii titulares seu honorarii sacrum operantes vetantur annulum adhibere, S. R. C. 27 april. 1818, in decreto de privileg. protonotariorum, adprobante Pio VII, 13 dec. ejusd. anni, constit. *Cum innumeri*; Carli, loc. citato.

Antiqua statuta synodalia in partibus Galliarum non reprobabant annuli delationem a clericis inferioris ordinis. Quod probatur tit XII, n. 1. *Statutor. synod. diœcesis Aurelianensis* anni 1664, ubi legitur : « Armillas, inaures et quæ sunt hujusmodi nemo gerat; nemo etiam annulum, nisi cui propter officium vel gradum jure concessus est, tumque unicus sit, nec magni pretii, quem dum missam celebrat sacerdos deponat. »

De annulis episcoporum, abbatum, regum, et virginum Deo sacrarum, et de annulis nuptialibus lege apud laudatum Catalanum in *Pontif. Rom.* edit. cit. exquisitissimas lucubrationes, tom. I. pag. 28 et seqq. 345, 360, 459, 461, 549 et 612; tom. III, pag. 360 et 469. Cf. etiam Adnotationem III, hujusce volum. supra; et opusculum quoddam *Del uso dell'anello*.

ADNOTATIO XXXV.

Lib. III. Tit. I. § *IV, n. 109, pag. 388.*

QUID INTELLIGENDUM PER FIBULAS, VESTES DIFFIBULATAS, ET PECTORALIA?

Quid sonent voces spitegium, tabardum sive tabardus, vestes virgatæ et partitæ, sufficienter explicat auctor noster; qui tamen ampliora desiderant, *Glossarium ad scriptores infimæ et mediæ latinitatis* adire possunt. Restat ut de fibulis, vestibus diffibulatis et pectoralibus aliquid attingamus.

Fibulare apud Columellam lib. I, cap. VI, pro alligare sumitur, unde apud Vitruvium eodem sensu *fibulationes*, a fibulis quibus vestis subligatur. Unde etiam *fibulatorium*, illud quod apponitur mantello, per quod mittuntur fibulæ ne dissipetur mantellum. Sæpissime fibula eodem sensu sumitur quo fibulatorium. Fibulas aureas pro donariis oblatas Ecclesiis habet anonymus, *De miraculis S. Remacli* cap. XI et XXIV, apud Mabillonium. Porro verba decretalis *Clerici officia*, hoc titulo, sunt hæc : « Fibulas omnino non ferant neque corrigias auri vel argenti ornatum habentes... » quæ intelligi debent de fibulis aureis vel argenteis, aut auri vel argenti ornatum præ se ferentibus, non de fibulis quibuscumque. Etenim vestes *diffibulatæ*, id est non alligatæ, dissipatæ, apertæ, prohibentur. Cf. auctorem nostrum, n. 103.

Pectorale, seu formale seu formaculum, fere idem sonat ac fibula et fibulatorium; gallice *fermail*, *fermoir* (hodie *broche* ad usum scilicet mulierum) est quasi fibula major et ornatior. De quo in *Cæremon. episcopor.* lib. I, cap. VIII, § I, n. 3 : « Episcopo officium in vesperis facturo presbyter

ipse adsistens... capiet paramenta videlicet... pluviale, sine tamen formalio ad pectus... Porro « *Formalium*, inquit Catalanus in *Comment. ad Cæremon. episcop.* gemma seu aurea lamina gemmata est, posita in fibula pluvialis episcopi, appellaturque etiam pectorale, quod in pontificali celebratione posita ante pectus episcopi pendeat ita ut fibulam pluvialis cooperiat... » Meminit et ejus S. Carolus in *Actis Mediolan. Eccl.* ubi agit de ipso pectorali ad pluvialis connectendi usum quod ita describit : « Pectorale scilicet illud quo ante pectus pluviale » connectitur, duobus uncinis subjectis, ex argento » inaurato conflatum esse debet, cui lapis pretiosus » inseratur aut sacra imago, »

Macri in suo *Hierolexico* dat sequentem pectoralis definitionem : « Sic appellatur gemma illa quæ in pontificali celebratione ponitur pendens ante pectus episcopi, ita ut fibulam pluvialis cooperiat, vel in fine aperturæ collaris casulæ. Significat antiquum summi sacerdotis rationale, ideo etiam rationale in quodam antiquo manuscripto cæremoniali appellatur; et in Cæremoniali episcoporum formalium denominatur. » Solis prælatis competit pectorale; nec dignitates nec canonici solemniter celebrantes possunt illud gestare, quamvis antiqua sit contraria consuetudo, uti decrevit S. R. C. die 15 sept. 1753.

In decretali cit. *Clerici officia* prohibitum est clericis ne pectoralibus deauratis utantur. Cf. auctorem nostrum n. 104. Hic agitur de singulo quo equi pectus ambitur et stringitur.

ADNOTATIO XXXVI.

Lib. III. Tit. I. § *V*, *n.* *139*, *pag.* *394.*

AN SIT VETITUM CLERICIS POSSIDERE ACTIONES, UT AIUNT, VIARUM FERRATARUM, ET ALIAS HUJUSMODI?

Scriptores menseorum quibus titulus, *Revue théologique*, jun. 1858, serie III, pag. 135 et 136, docuerunt illud vetitum esse, ex eo quod clerici, qui dant pecuniam ad societatem ut inde lucrum cum aliis sociis reportent, dicuntur negotiari; siquidem omnes ad contractum societatis concurrentes dicuntur negotiari sive pecuniam ministrent, sive operam, sive industriam, sive aliud.

Contra hanc opinionem dissertationem instituit D. Bouix, *Revue des Sciences ecclésiastiques*, tom. II, pag. 444 et seqq. et concludit nullam prohibitionem existere quominus clerici possideant actiones viarum ferratarum et alias hujusmodi, dummodo clerici de quibus agitur non subscribant vel emant prædictas actiones animo illas vendendi, ubi lucrum colligendi occasio sese dederit. Præbere, inquit, pecuniam quacum fit commercium quodlibet, non est in omni casu negotium facere. In societate quæ commercio incumbit, adesse possunt socii sive vigilantes sive dormientes. Socius qui vigilat negotiatur, non autem dormiens. In societate sub nomine collectivo omnes socii sunt negotiatores, non vero in societatibus anonymis. Insuper, etsi clerici possidentes prædictas actiones tanquam negotiatores habendi forent, non ideo peccarent, siquidem negotiatio clericis vetita est illa quæ fit cum res emuntur et revenduntur, forma nullatenus immutata. Commercium industriale, illud scilicet quod fit ex rebus emptis, per artem alias non indecentem transformatis, non prohibetur. Tandem theologi qui reprobant participationem clericorum in societatibus sub nomine collectivo ad lucrum stabilitis in mente non habebant societates novas, hodiernis temporibus excogitatas, quarum conditio est diversa. Hæc est summa rationum, quas opponit et judicio Sanctæ Sedis humiliter subjicit prælaudatus canonista.

ADNOTATIO XXXVII.

Lib. III. Tit. I. § *V*, *n.* *144*, *pag.* *395.*

DE OFFICIIS ET LUDIS RESPECTU CLERICORUM INHONESTIS.

Clemens XIII, litteris encyclicis *Cum primum*, sub die 17 sept. 1759, omnibus ordinariis mandat ne patiantur tam clericos quam sacerdotes, in laicorum domibus obsequiis, abjectisque servitiis addictos, licet sub quovis honestiori titulo susceptum servitii genus obtegere nitantur, quietos in suo dedecore insordescere, sed curent, quatenus opus sit, tota ordinariæ ac delegatæ jurisdictionis auctoritate, servatis servandis, eosdem ad ecclesiasticæ vitæ instituta, et ad clericalis militiæ munera revocare.

Clerici nec mimis nec joculatoribus et histrionibus intendere debent, ut in decretali *Clerici officia* verbis apertissimis cavetur, hoc titulo. Cui suffragatur Benedictus XIV, *De syn. diœc.* lib. XI, cap. x, n. 11, ubi absolute asserit temere nimii rigoris censuram appingi synodali statuto, quo ecclesiastici a choreis, comœdiis aliisque spectaculis longe abesse jubentur. A fortiori nullo modo possunt in comœdiis recitare profanis, et contra recitantes valent episcopi statuere pœnam excommunicationis ferendæ sententiæ, uti declaravit S. Congr. Concilii in *Sulmon.* 22 aug. 1655, apud Ferraris *Prompta Biblioth.* v° *Clericus*, art. IV, n. 17. Hic attendenda maxime venit epistola vicario capitulari Aquilano, jussu Summi Pontificis Clementis XI, scripta, cujus tenor sequitur : « È pervenuto a notizia della Santità di » Nostro Signore che in cotesta città sia per recitarsi una commedia in musica, nella quale intendano intervenire per interlocutori alcuni sacer» doti; e se bene la Santità Sua difficilmente si » persuade che voi, quando seriamente riflettiate » alle calamità universali, ed anco particolari di » cotesta città, non vi possiate indurre a permet» tere a sacerdoti e cherici, che compariscano ne' » teatri, e rappresentanze, le quali appena si tolle» rano nelle persone laicali, essendo ciò vietato » da sagri canoni, e dalle resoluzioni di questa sa» gra Congregazione, tuttavia ha stimato di stretta-

» mente ingiungere che prohibiate, in nome di Sua » Beatitudine, sotto gravi, pene a sacerdoti e che- » rici di intervenire, come sopra, in alcuna sorta » di commedie, o rappresentanze, benche sagre o » spirituali. Non mancherete per tanto di obbedire » al supremo comando di Nostro Signore etc., e » Dio vi prosperi. Roma, 31 ottobre 1706. » (Apud Ferraris loc. cit. n. 19.)

« A frequentia ludi alearum et taxillorum (quorum nomine, juxta communem venit quicumque alius similis ludus e fortunæ potius eventu quam ab industria et arte pendens) neque hodie clerici excusari possunt, obtentu contrariæ consuetudinis quæ, tanquam corruptela jam reprobata fuit ab Innocentio III, in cap. 11, *Inter dilectos; De excessibus prœlatorum;* potissimum cum hujusmodi prohibitio ab omnibus fere locorum ordinariis sub certis pœnis innovetur. Quamvis vero ab iisdem ordinariis transgressores puniri possint pro eorum arbitrio, ipsos tamen in iisdem pœnis infligendis monitos velle videtur Benedictus XIV ut abstineant. ab excommunicatione latæ sententiæ, *De syn. diœc.* lib. X, cap. XI, n. 2... Non obstante hac moderatione, ab ordinariis servanda, eos monitos velim cum Thesauro, *De pœnis ecclesiast.* cap. IV, v° *Lusus,* et doctoribus cumulate ibidem citatis, clericos in sacris constitutos et beneficiatos peccare mortaliter aleis frequenter et ex consuetudine ludentes, ita si publice, sicuti et si notabilem pecuniæ quantitatem ludo exponant, potissimum ex fructibus beneficiorum. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 324.) »

ADNOTATIO XXXVIII.

Lib. III Decretalium. Tit. II, De cohabitatione clericorum et mulierum, § I, n. 10, pag. 397.

QUÆ FŒMINÆ POSSINT HABITARE APUD SACERDOTES?

« Rigor decretalis *Inhibendum*, hoc titulo, statuentis inhibendam esse sacerdotibus, nedum cohabitationem cum fœminis de quibus suspicio esse potest, sed neque cum illis in quibus aut naturale fœdus nihil permittit sævi criminis suspicari, id est, matre, amita et sorore, aut cum extraneis, nulla suspicione notatis, ad moderationem antiquorum canonum revocatus est ab Innocentio III, cap. 9, *A nobis*, hoc titulo.

» Nec desunt qui contendant hac posteriori Innocentii decretali minime derogatum fuisse contrariis synodorum sanctionibus, et potissimum decretali *Inhibendum*, desumptæ e concilio Nannetensi, ea ducti ratione quod, cum hæc inserta sit compilationi Decretalium Gregorii IX, vim habet legis universalis. Verum placet hic referre sensum Benedicti XIV circa utriusque decretalis observantiam et conciliationem, prout aperuit, lib. XI, *De syn. diœc.* cap. IX, n. 7, ibi : « Hac ratiocinatione de- » cepti aliquot episcopi se juri communi institisse » putarunt, cum clericis vetuere ne cum ulla prorsus » fœmina, licet arctissimo sibi consanguinitatis » nexu obstricta, cohabitarent. Verum aliter sensere » peritissimi SS. Canonum interpretes, quibus » compertum cum sit jurium contrarietatem esse » evitandam, nec facile in eadem canonum collec- » tione admittendam. Ita res visa est componenda. » Decretalis, inquiunt, Innocentii III regulam con- » stituit universalem communiter observandam. » Decretum Nannetense ponit regulæ limitationem » in specialibus quibusdam eventibus adhibendam. » Quamobrem licet in diœcesi contingat turpe in- » cestus flagitium semel aut iterum ab uno aut » altero clerico perpetrari, non idcirco fas erit epis- » copo a communi regula recedere, et non sine » populi admiratione ac scandalo, quasi omnes » haberentur ejusdem enormis criminis aut rei aut » suspecti, statim edicere ne ullus in posterum cle- » ricorum cum nepte, amita, sorore, aut matre » cohabitet. Sed si quemquam reperiat dubiæ » famæ, cujus cum consanguinea contubernium » etiam apud probos et prudentes viros male oleat, » ille, cui certe congruit regulæ limitatio, separa- » tionem injungat, ea tamen adhibita circumspec- » tione et cautela, quam rerum circumstantiæ » exposcunt, ne delictum quod latet patefiat... Nos » parochis nostræ Bononiensis diœcesis convivere » permisimus cum fœminis usque ad tertium con- » sanguinitatis, et primum ac etiam interdum » secundum affinitatis gradum, sibi conjunctis : cæ- » terarum vero nomina ad nos deferri jussimus » ut, earum conditione inspecta, deliberaremus an » sine ullius offensione possent parochorum ædes » incolere. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 328.)

ADNOTATIO XXXIX.

Lib. III, Tit. II, § I, n. 22, pag. 399.

DE PURGATIONE CANONICA CLERICIS DE CONCUBINATU SUSPECTIS INDICENDA.

« In decretali *Tua nos*, hoc titulo, statuitur indicendam esse purgationem canonicam clericis de concubinatu suspectis; verum hodie hæc purgatio apud omnia fere ecclesiastica tribunalia in desuetudinem abiit. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 334.) » Cf. Adnotationem X supra.

ADNOTATIO XL.

Lib. III. Tit. II. § II, n. 54, pag. 407.

DE SENSU DECRETORUM TRIDENTINORUM ADVERSUS CLERICOS CONCUBINARIOS.

« Ex decretis concilii Tridentini (sess. XXI, *de Reform.* cap. 6, et sess. XXV, *de Reform.*, cap. 14.). clare deducitur illius mentem esse non deveniri posse ad sententiam privationis beneficii, nisi certo constet de beneficiatorum incorrigibilitate, ad quam firmandam in non parochis directivam legem

citra quodcumque arbitrium episcopis observandam præscripsit; a qua, cum agatur de gravissima pœna, ne latum quidem unguem tanquam ab essentiali judiciali forma recedere eis minime licet; ita ut beneficio privati, non servato ordine judiciario, qui hodie non est alius quam ab eodem Tridentino præscriptus, possint petere restitutionem tanquam spoliati, ut in terminis de privatione beneficii probat Fagnanus ad cap. 26, *Dilectus*, l. *de Rescriptis*, n. 20 et 21....

« Nota I. Per concubinarios eos intelligi qui concubinas aut fornicarias, ad instar uxorum, sive continuo sive vage secum retinent, etiam extra propriam domum; quidquid in contrarium senserit de concubinatu vago Garcias, *De beneficiis*, part. II, cap. x, n. 186, asserens concubinarios vagos prædictis pœnis obnoxios non esse, ex declaratione S. Congregationis; quam tamen Amœnus, loc. cit. n. 35, existimat fabulosam, cum de ea non constet, nec ullibi reperiatur, imo nec credere potest Sacr. Congregationem ita declarasse contra apertam Tridentini mentem.

« Nota II. Non solum hos concubinarios prædictis pœnis obnoxios esse, sed etiam simplici incontinentia cum hujusmodi fœminis notatos, sine qualitate concubinatus; Tridentinum enim utitur verbis disjunctivis « qui cum concubinis, aut aliis mulie» ribus de quibus haberi possit suspicio, ullam » consuetudinem habere audeant.... »

« Nota III. Ad incurrendas prædictas pœnas non requiri notorietatem concubinatus et incontinentiæ, cum absolute statutæ sint contra clericos, similes fœminas retinentes, et de quacumque muliere crimine fornicationis suspectos. Requiri tamen præviam monitionem et quidem specialem, non generalem per edictum; et hæc debet esse trina, vel una pro tribus; non tamen trina ante inflictionem singularum pœnarum a Tridentino statutarum, ut contra dictum Garciam probat Amœnus loc. cit. « Etenim, ait, verum est quod ad hoc ut clericus » concubinarius privetur suis beneficiis, debet ter » personaliter moneri, non tamen necessarium est » quod tali modo moneatur, si infligenda est minor » pœna quam sit privatio beneficii : etenim Conci» lium aperte ait quod, si moniti primo non resi» piscant, amittent tertiam partem fructuum; si » post secundam monitionem adhuc perseverent, » fructus ex integro amittant, et post tertiam pri» ventur beneficiis. Somnium est quod singulæ » monitiones debeant esse trinæ, quia hoc modo » secunda monitio evaderet quarta, et tertia esset » septima, quod est inauditum. »

« Nota IV. Pœnam privationis fructuum a Tridentino impositam, quamvis sit latæ sententiæ, non obligare in foro conscientiæ ante declarationem, Thesaurus, *de Pœnis ecclesiast.* cap. vi. ℣. *Concubinatus*.

» Nota V. Onus admonitionis faciendæ episcopo, concubinatus reo, a concilio provinciali, juxta præscriptum Tridentini, et respective denuntiationis faciendæ Summo Pontifici in casu insordescentiæ in concubinatu, cum hodie concilium provinciale, vel raro admodum vel nunquam, justis de causis, non celebretur, crederem idem onus spectare ad metropolitanum. (Giraldus, *Exposit. jur. Pontif.* part. I, sect. 332.) »

ADNOTATIO XLI.

Lib. III. Tit. III. De clericis conjugatis, § I, n. 8, p. 409.

DE CLERICIS CONJUGATIS APUD GRÆCOS.

Docet auctor noster clericis conjugatis apud Græcos id solum permissum esse scilicet uxore, quam virginem in ordinibus minoribus constituti duxerunt, postea in majoribus adhuc uti. Huc spectat constitutio Benedicti XIV, *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742, in qua pœnæ infliguntur contra Græcos in sacris constitutos, mortua uxore, aliam post sacram ordinationem ducentes, vel, si antea uxorati non fuerint, uxorem ducere præsumentes.

ADNOTATIO XLII.

Lib. III. Tit. III; § I, n. 12, p. 410.

DE CLERICIS MINORISTIS MATRIMONIUM CONTRAHENTIBUS.

« Quamvis ex verbis cap. *Si cui clericorum*, hoc titulo, appareat pœnam esse ferendæ sententiæ, communis tamen canonistarum interpretatio est ut clericus minorista, per matrimonium contractum dummodo validum fuerit, ipso facto privatus sit beneficiis et ecclesiasticis pensionibus, teneaturque ea dimittere ante omnem declarationem, et fructus postea perceptos restituere; Thesaurus, *De pœn. eccl.* cap. iv, ℣. *Apostasia*, n. 5, quam privationem ipso facto incurrendam idem Thesaurus ex cap. 10, *Ut consultationi*, hoc eod. titulo, cum doctoribus ibi citatis, extendit etiam ad minoristamassu mentem statum incompatibilem cum clericatu, puta militarem.

» Ex constitutione Sixti V, *Cum sacrosanctum* 9 januarii 1589, minoristæ nedum matrimonium contrahentes, vel statum incompatibilem cum clericatus assumentes sed etiam habitum clericalem dumtaxat dimittentes, incurrunt ipso facto pœnam privationis tam beneficiorum quam extinctionis pensionum, circa quam constitutionem animadvertit laudatus Thesaurus quod, juxta aliquos, non esse usque ad hunc rigorem usu receptam; juxta alios requiri monitionem et contumaciam; et verius putat requiri declaratoriam pro foro conscientiæ.

» Imo non desunt doctores asserentes privationem beneficii induci ipso jure per matrimonium nulliter contractum, quia ex intentione clericorum contrahentium matrimonium assumptus est status incompatibilis; adeoque, juris interpretatione, be-

neficio ipso facto renuntiatum intelligitur, arg. cap. *Nuper* 4, *De bigamis*, ubi propter affectum, seu intentionem cum opere subsecuto, quis inter bigamos reputatur. Hujus sententiæ sunt Abbas, Lessius, Garcias, qui ulterius testantur hanc esse communem : quam sequitur etiam Barbosa in hoc cap. et *Allegat.* LVII, n. 270, qui tamen recte limitat in casu quo matrimonium nullum esset ex defectu consensus, cum tunc non esset præsumptio tacitæ renuntiationis. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 336.)

ADNOTATIO XLIII.

Lib. III. Tit. III, § II, n. 29. pag. 413.

DE CLERICIS CONJUGATIS QUOAD CANONIS ET FORI PRIVILEGIUM.

Audiatur ea de re Fagnanus in cap. *Joannes*, hoc titulo : « Nota clericum conjugatum non gaudere clericali privilegio, licet habitum et tonsuram deferat, ut hic est expressum, et notat Bernardus post casum, et Joan. Andr. n. 8. ℣. *Item quod conjugatus*. Sed cave ne decipiaris, quia per constitutionem Bonifacii VIII, in cap. unico, eod. tit. in 6. innovatam a Concilio Tridentino, cap. 6 in fine sess. XXIII, clerici non bigami gaudent duobus tantum privilegiis videlicet canonis, *Si quis suadente* 17, quæst. IV, et fori, ne scilicet pro commissis excessibus trahi possint criminaliter ac civiliter ad judicium sæculare; ad hoc tamen ex dicto cap. unico requiritur ut tonsuram et vestes deferant clericales, et ex dicto cap. 6 et quoad fori privilegium, præter habitum et tonsuram, requiritur etiam ut alicui ecclesiæ inserviant. Dixi quoad fori privilegium, quia quoad privilegium canonis, decretum Concilii nihil novi statuit, ut alias fuit resolutum. Quare licet hodie non cogantur deferre tonsuram præcise, coguntur tamen causative, id est, si velint canonis et fori privilegio potiri, ut hic per Abb. n. 7, ℣. *Et conclude latius*; quia sine tonsura et habitu non retinent privilegium canonis, et sine tonsura, habitu et servitio non retinent privilegium fori. Dum ergo decretalis *Joannes* dicit clericum conjugatum, etiam tonsuratum, non gaudere clericali privilegio non intelligas tu de prædictis duobus privilegiis, sed de reliquis privilegiis ecclesiasticis, quæ clericus conjugatus perdidit ipso facto, ut in dicto cap. unico ℣. *In cæteris*, et ibi notat Glossa communiter approbata; neque ad hoc requiritur monitio, sed sufficit solus contractus matrimonii, nam ex contrario actu hæc privilegia amittuntur. Et ita limitant et intelligunt hunc textum Glossa, Abbas, Hostiensis et alii communiter. »

« Cum autem, inquit Giraldus, in dicta decretali *Joannes* addat Pontifex exceptionem, clericum videlicet conjugatum non esse cogendum ad delationem habitus et tonsuræ, dummodo nullum percipiat beneficium ecclesiasticum, videtur declarare dari posse clerico conjugato beneficium in titulum contra dispositionem omnium supra allatarum decretalium. Verum hæc exceptio intelligenda est, si beneficium possideat ex dispensatione Papæ, ut Glossa hic et canonistæ communiter. (*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 342.) »

ADNOTATIO XLIV.

Lib. III. Tit. IV, De clericis non residentibus in ecclesia vel præbenda, § IV, n. 110, pag. 441.

AN LICEAT CANONICIS CHORO TANTUM REVERENTIALITER ADSISTERE, PRIVATIM HORAS CANONICAS RECITARE, ET MUSICIS VEL CAPPELLANIS RELINQUERE CANTUM?

Respondendum negative adversus auctorem nostrum. Qui submissa et non alta voce simul cum aliis psallunt, non lucrantur distributiones; et non eis suffragatur quæcumque contraria consuetudo, ut sæpius declaravit Sacra Congregatio Concilii, 12 januar. 1619, lib. XII *Decret.* pag. 7) per hæc verba : « S. Congregatio sæpius respondit canonicos in choro teneri omnino psallere, alioquin obligationi suæ non satisfacere. » Et in causa Vicen. proposita die 7 junii 1626, lib. XV *Decretor.* pag. 565 a tergo, S. Congregatio respondit : « Canonicos in choro alta voce non psallentes distributiones quotidianas non lucrari, quavis consuetudine non obstante. »

Quibus declarationibus accessit etiam declaratio Benedicti XIV, constit. *Cum semper*, ad universos Italiæ ordinarios, 19 aug. 1744 directa, § 24 ibi : « Equidem scimus, in aliquibus metropolitanis et cathedralibus ecclesiis, inter canonicos eam opinionem invaluisse ut se munus suum satis implere contendant, dum choro præsentes assistunt, licet ipsi sibi silentium imperent, neque psallentibus beneficiatis aut mansionariis in cantu se adjungant. In hujusce vero opinionis confirmationem adduci ab eisdem solent inveteratæ consuetudines, statuta peculiaria, aut etiam prætensa Ecclesiarum suarum privilegia. At cum synodus Tridentina, sess. XXIV, cap. 12, loquens de dignitatibus et canonicis qui choro interesse debent, unum ex eorum officiis esse dicat « in choro ad psallendum instituto, hymnis » et canticis Dei nomen reverenter, distincte devo» teque laudare, » cumque pauca omnino sint capitula in quibus eo modo a canonicis in choro assistitur, ideoque receptæ in universa Ecclesia disciplinæ paucos illos adversari dignoscatur; cum insuper opinio illa nunquam, in Congregatione Concilii Tridentini interpretationi præposita, examinata sit quin statim explosa fuerit et improbata, quamvis præsumptis consuetudinibus, aliisque fundamentis et rationibus innixa perhiberetur, canonicis etiam Ecclesiarum patriarchalium hujus nostræ Urbis super hoc instantibus; cum denique idem judicium prolatum reperiatur a pluribus conciliis provincialibus, ab hac etiam apostolica Sede approbatis et confirmatis, nihil jam esse reliquum vi-

detur quominus pauciores universorum legi se accommodent. Equidem minime nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasum habeant unius vel alterius ecclesiæ canonici se muneri suo satisfacere per simplicem in choro assistentiam absque divinæ psalmodiæ cantu. Verum, nisi illis præsto sit apostolicum, non præsumptum vel abrogatum, sed legitimum ac vigens privilegium sive indultum, jure ac merito verendum est ne isti, dum ita se gerunt, præbendarum ac distributionum fructus minime suos faciant, et consequenter ne ad eorum restitutionem teneantur. » Hoc documentum refert Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I. sect. 608.

Insuper idem Benedictus XIV, in brevi sub die 19 januar. 1748 ad capitulum Veronensis Ecclesiæ directo, scribit illa quæ sequuntur : « Porro nolumus, inter tot tantaque privilegia eidem capitulo et canonicis concessa numerandum esse illud quod, quemadmodum tibi æque ac nobis notum est, antiqua traditione contra sacrorum canonum sanctiones ac nostram præsertim constitutionem cujus initium est : *Cum semper oblatas*, invectum ab ipsis canonicis non modo contenditur sed etiam servatur, interressendi dumtaxat choro et cum cæteris mansionariis, cappellanis, acolythis et clericis canentibus psallentibusque adsistendi, nunquam vero cum iisdem canendi psallendive, etsi nonnullos eorumdem esse accepimus qui aliter sentientes a conscientiæ angoribus agitantur, ex eo quod ea propter se non fecisse fructus suos existiment. Itaque a te, dilecte fili noster (Patriarcha Aqueleiensis) poscimus et flagitamus ut non solum hujusmodi et abusum et corruptelam ab ecclesiastica disciplina alienam, et canonicis ordinationibus ac nostræ quoque constitutioni contrariam, penitus evellere et eradicare adnitaris ; verum etiam ipsos suaviter fortiterque admoneas et hortaris ut, in posterum, ea qua decet et tenentur reverentia choro intersint adsistantque, nec non pari pietate, attentione, ac vigilantia, omnino canere vel psallere cum cæteris studeant et contendant. Deinde edicas et notum facias nos, quemadmodum per hasce nostras in forma brevis litteras tibi declaramus et injungimus, decernere et statuere, sicut in eadem constitutione nostra innuimus, ipsos suosque successores canonicos, choro quidem interessentes adsistentesque, minime vero canentes psallentesque, nullo pacto ex præbendis et distributionibus facere fructus suos, atque adeo restitutioni obnoxios esse et fore. Verum cum iis qui, hac super re, conscientiæ stimulis acti, ad te confugerint, benigne indulgentes, tibi facultatem tribuimus et impertimur ut, sive per te ipsum, sive per alios a te deputandos, unusquisque canonicus qui se in canendo psallendove in choro cum aliis defecisse animadverterit, dummodo promittat se deinceps omnino curaturum ut in choro et præsens adsistat, et cum aliis canat psallatque, absolutionem a culpa et super omnibus fructibus indebite perceptis dispensationem obtinere possit et valeat. Cæterum volumus et mandamus ut nulli eorumdem canonicorum, qui, licet præsens in choro adsistat, tamen minine canit psallitve, suffragentur hujusmodi indulta ac privilegia quæ unicuique moderno ac pro tempore existenti canonico, ad tuorum meritorum intuitum, per easdem præsentes litteras concedimus et elargimur. »

Inter privilegia dictis canonicis concessa reperimus usum palmulæ vulgo *bugia* ad instar episcoporum, tam in missis privatis quam in solemnibus cum cantu, sive in sua, sive in aliis ipsius civitatis et diœcesis Veronensis, atque aliarum etiam diœcesum ecclesiis.

Quoad autem musicam, audiatur Innocentius XII, in decreto 20 aug. 1692, cujus analysim præbet laudatus Benedictus XIV, litteris encyclicis *Annus qui*, 17 februar. 1749, his scilicet verbis : « In eo (decreto) autem, offusis variarum interpretationum (circa constit. Alexandri VII, *Piæ sollicitudinis* 1657, et decretum ven. Innocentii XI, 3 dec. 1678) tenebris penitus dispulsis, rem totam aperiens ac declarans, generatim quarumcumque cantilenarum seu motetorum cantum prohibuit. In sacrarum autem missarum solemnibus solummodo permisit, ultra cantum Gloriæ et Symboli, cani posse introitus, graduale, et offertorium ; in vesperis vero, nulla mutatione etiam minima facta, antiphonæ, quæ initio cujusque psalmi vel in ejus fine dicuntur. Insuper voluit et jussit ut cantores musici omnino legem chori sequerentur et cum eo prorsus convenirent; quemadmodum in choro fas non est aliquid addere officio vel missæ, ita etiam musicis noluit id licere; et illud dumtaxat concessit ut ex officio et missa, quæ in solemnitate sanctissimi sacramenti corporis Domini celebrari solet, nimirum ex hymnis S. Thomæ, vel antiphonis, aliisque relatis in breviario et missali romano, carmen aliquod seu motetum, nulla verborum varietate, desumi et cantari posset, ad fidelium devotionem excitandam, dum sacra hostia elevatur, vel publice veneranda et colenda exhibetur. »

Porro, si musici et cantores possint tantum in musica recitare antiphonas in vesperis, et debeant omnino sequi legem chori et cum eo prorsus convenire, a fortiori choro ipsi et canonicis silentium imponere, et textibus gregorianis psalmisque juxta modos Gregorianos cantandis substituere cantilenas, iisdem licet textibus aut psalmis adaptas, nequeunt.

ADNOTATIO XLV.

Lib. III, Tit. IV, § IV, n. 133, pag. 446.

DE MODO PROCEDENDI CONTRA NON RESIDENTES.

« Hodie in privatione beneficii, respectu obtinentium dignitates, canonicatus, vel portiones in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, omnino servan-

dus est ordo a Tridentino prescriptus, sess. XXIV, cap. 12, *de Reform*. Is igitur est ut primo anno absentes ultra tres menses priventur dimidia parte fructuum quos, ratione etiam præbendæ ac residentiæ fecerunt suos; secundo anno, si eadem usi fuerint negligentia, priventur omnibus fructibus illius anni; ac demum, crescente contumacia ita ut etiam tertio anno residere neglexerint, privari possint et debeant, juxta SS. canonum sanctiones, ipso beneficio seu præbenda.

« Qui pœnarum gradus, antequam deveniatur ad privationem, ita necessario servandi sunt ut, eis non servatis, nulla sit sententia, prout pluries sensit Rota; ac declaravit etiam pluries S. Congregatis Concilii, signanter 14 januar. et 25 februar. 1741 in *Thesauro Resolut.* tom. X, pag. 9 et 17.

» Præter has declarationes, attendenda sunt etiam notata a Fagnano in cap. 11. *Ex tuæ*, n. 14, et cap. 32, *de Præbendis*, n. 26, circa dictam nullitatem, in quibus refert reprehensum fuisse a sacra Congregatione episcopum Tarentinum eo quod comminatus fuerit canonico, jam decem et octo menses absenti, pœnam privationis, si intra mensem non resedisset; a qua etiam declaratum fuisse testatur expectandum esse lapsum trium annorum, antequam ad privationem in totum procedatur.

» Imo si ignoraretur ubi sint, non satis est lapsus trium annorum, sed, transacto tertio, citandi sunt trinæ citationis edicto ad valvas ecclesiæ, et postea expectandi per sex menses, antequam ad privationis sententiam deveniatur, juxta formam præscriptam in cit. cap. *Ex tuæ*, quam Tridentinum non immutavit, ut ibidem notat laudatus Fagnanus n. 25.

» Non tamen interdictum est episcopo, etiam pendente ipso triennio, contra non residentes procedere præviis citationibus, illosque suspendere, et excommunicare; licet inchoata sit via judicii a Tridentino præscripta, juxta SS. canonum dispositionem cit. cap. *Ex tuæ*, § *Contra eos;* tunc tamen devenire non poterit ad sententiam privationis, ut declaravit eadem Congregatio in *Palentina* 18 nov. 1673, lib. II, *Decretor*, pag. 393, ac *Instit. eccles.* CVII Benedicti XIV, non obstante quod, in dicto § *Contra eos*, sermo sit de prælatis ecclesiarum non residentibus, ut ibi Glossa verbo *Ipsos*...

» Prædictus autem ordo procedendi ad privationem beneficii, a Tridentino ut supra præscriptus, minime servandus est contra habentes beneficia curata non residentes, sed statim procedi potest per censuras simul et sequestrationem ac subtractionem fructuum, aliaque juris remedia, quemadmodum præscribit idem Tridentinum, sess. XXII, cap. 1, § *Quod si*, juncto cap. 1, sess. VI, *de reform*. ea protissimum ratione quia, ut optime animadvertit Zypeus, *De jure novo*, hoc eodem titulo, n. 15, cura animarum mox ex mora periculum habet. Quod autem contra hos ita procedi possit, declaravit etiam Sacra Congregatio Concilii in *Gerunden*. 26 april. 1621, dummodo tria edicta publica præcesserint, et lapsi fuerint sex menses ad præscriptum constitutionis Innocentii III cap. *Ex tuæ*, hoc titulo.

» Cumque quæsitum fuisset an episcopus, præmissis dictis tribus monitionibus pro revocandis parochis ad residentiam, posset procedere ad privationem parochiæ, et sic an verba illa Tridentini « etiam usque ad privationem, » intelligerentur inclusive vel exclusive, eadem Congregatio, 8 junii 1624, sensit « intelligenda esse inclusive, dummodo » præcesserint tria edicta publica, et lapsi sint sex » menses, juxta cap. *Ex tuæ, De Clericis non residentibus*. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 354.)

ADNOTATIO XLVI.

Lib. III. Tit. IV. § IV, n. 165, pag. 452.

NON LICET CANONICIS ABESSE ULTRA TRES MENSES SUB PRÆTEXTU QUOD DECRETUM TRIDENTINUM NON SIT USU RECEPTUM.

Auctor noster cap. 12 *de reform.* sess. XXIV. Concilii Tridentini fideliter equidem refert, atque notat cum Fagnano et Garcia, ex sententia Sacræ Congregationis, sublatam fuisse consuetudinem etiam immemorialem secundum quam, quavis de causa, et ultra tres menses, quolibet anno canonicis abesse licuerat; sed addit aliquos canonistas, inter quos Pirhing et Sannig, docere constitutionem Concilii Tridentini in multis locis, ac præsertim Germaniæ ecclesiis, non fuisse usu receptam.

Quidquid senserint ea de re præfati canonistæ, certissimum est eos esse deserendos, tum ex principiis ab ipsomet auctore nostro allatis, ubi de acceptatione legum, lib. I, tit. II, § VI, vol. I. p. 133; tum ex rationibus sub Adnotationibus XII et XVI vol. I. expositis; tum denique ex auctoritate Benedicti XIV, supra Adnotat. XLIV citati. Etenim si canonici non psallentes in choro cum aliis fructus non faciant suos, quacumque consuetudine sublata quæ corruptela declaratur, a fortiori non residentes et ultra tres menses abessentes.

ADNOTATIO XLVII.

Lib. III. Tit. IV. § VII, n. 215, p. 463.

AN CANONICI ET PAROCHI VACANTES EXERCITIIS SPIRITUALIBUS ABSOLVANTUR A RESIDENTIA?

Respondendum affirmative saltem pro regionibus Italiæ et insularum adjacentium, et pro regnis regi catholico subditis. Litteræ enim encyclicæ, a Sacra Congregatione concilii anno 1710 ad episcopos missæ, jussu Clementis XI, sic se habent :

« Reverendissime Domine uti Frater. Inter gravissimas pastoralis officii curas, quibus Sanctissimus Dominus noster assidue premitur, in eam præcipuo studio incumbit ut quicumque in sortem Domini vocati sunt, præsertim vero sacerdotes et

animarum rectores, tum sacrarum litterarum, divinarumque rerum scientia, tum etiam vitæ morumque honestate cæteris antecellant, ac in omnibus juxta monitum apostoli præbeant semetipsos exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate. Cum etenim ipsi sint sanctiora Ecclesiæ membra, dispensatores mysteriorum Dei, christiani populi duces et magistri, mediatores inter Deum et homines, lucernæ super candelabrum positæ ut luceant omnibus qui in domo sunt, nihil est quod alios magis ad pietatem divinumque cultum accendat quam illorum vita et exemplum. Omnes siquidem in ipsos, tanquam in speculum oculos conjiciunt, ut inde sumere possint quod imitentur.

» Porro cum diuturna experientia compertum sit, ad retinendam conservandamque sacerdotalis ordinis dignitatem et sanctimoniam, maxime conducere ut ecclesiastici viri spiritualibus exercitiis aliquando vacent quibus quidquid sordium de mundano pulvere contractum est commode detergitur, ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem extollitur, recte sancteque vivendi norma vel institutuitur, vel confirmatur, proinde Sanctitas Sua, pro eximio quo flagrat omnium salutis zelo, vehementer exoptans ut pium hoc et saluberrimum exercitiorum spiritualium opus ubique locorum magnopere frequentetur ac vigeat, universos patriarchas, archiepiscopos, episcopos, cæterosque tum Italiæ tum etiam insularum adjacentium ordinarios enixe admonet ac in Domino hortatur ut illud, in sua quisque diœcesi, quo majori poterunt conatu et studio promovere satagant. Præcipue vero iis districte injungit ac præcipit ut quæ dudum san. mem. Innocentius XI Pontifex Maximus, per encyclicam epistolam a sacra Congregatione episcoporum et regularium consultationibus proposita, ad universos Italiæ, insularumque adjacentium episcopos datam, die 9 octobris 1682, quoad hujusmodi spiritualia exercitia a singulis clericis, decem dierum spatio, antequam ad sacros ordines assumantur, peragenda mandavit exacte ac inviolabiliter observari et exequi curent, et quos iisdem exercitiis per antedicti temporis spatium minime operam dedisse cognoverint a sacra ordinatione repellant penitus et arceant.

» Præterea Sanctitas Sua eosdem ordinarios admonet et hortatur ut fructu, qui sane uberrimus ex prædictis spiritualibus exercitiis percipitur, opportune proposito ac explicato, universos ex clero sibi subjectos, seu præcipue animarum rectores, confessarios, canonicos, aliosque beneficiatos chori servitio adstrictos, diligenter excitent ad eadem exercitia, saltem semel in anno peragenda in domibus religiosorum societatis Jesu, seu presbyterorum congregationis missionis, si adsint, sin minus in alia pia seu regulari domo, ab ipsis ordinariis ad id designanda et approbanda.

» Ut autem alacrius ad ejusmodi spiritualem secessum singuli conveniant, Sanctitas Sua omnibus præfatis animarum rectoribus, confessariis, canonicis, beneficiatis aliisque sacerdotibus et clericis, qui per decem dies singulis annis eadem exercitia peragerint in domibus præfatis, ibique diu noctuque permanserint, ac interea temporis vere pœnitentes et confessi sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino elargitur.

» Parochos insuper per idem tempus semel tantum in anno exercitiis hujusmodi vacantes a residentia benigne absolvit. Quod ipsum servari præcipit quoad canonicos, beneficiatos, aliosque personali residentia obstrictos et chori servitio mancipatos, quos nihilominus lucrari decernit integros fructus et quotidianas suorum respective canonicatuum et beneficiorum distributiones quascumque, perinde ac si choro, divinisque officiis personaliter interessent, dummodo tamen eadem exercitia peragant, obtenta prius ab ordinario licentia, a quo nullatenus concedenda erit Adventus et Quadragesimæ tempore ac in solemnioribus festivitatibus, nec unquam omnibus simul canonicis, aliisque choro inservientibus, sed eo adhibito modo ut chori servitium nequaquam intermittatur; et quoad parochos, idoneis prius subrogatis œconomis ab ipsomet ordinario approbandis qui animarum curam laudabiliter administrent.

» Mandat insuper Sanctitas Sua ut hæ litteræ publicentur in ipsa diœcesi, et in cancellariæ regestis pro perenni eorum quæ in illis continentur observantia describantur, et ad hunc ipsum finem quolibet triennio earum publicatio in posterum renovetur.

» Quæ omnia ita diligentor ab Amplitudinis tuæ vigili providentia ac pastorali sollicitudine præstanda fore confidit Sanctissimus Pater ut a Sanctitate Sua laudem, a cœlesti vero bonorum operum retributore condigna præmia valeat promereri; et Amplitudini tuæ copiosa divinorum charismatum incrementa ex animo precamur. Datum Romæ, die 1 februarii 1710. » Illæ litteræ encyclicæ, de mandato Clementis XII, ad omnes ditiones Hispaniarum regi catholico subjectas fuerunt extensæ, die 30 aug. 1732.

Præterea non desunt in Italia capitula quæ, virtute indulti apostolici, divinorum officiorum celebrationem omnino suspendere possunt, exercitiorum spiritualium causa, prout me præsente et audiente testabatur anno 1856 Eminentissimus cardinalis pro tempore Sacræ Congregationis concilii præfectus Cagiano de Azevedo.

Huc spectat responsum Sacræ Congregationis concilii ad episcopum N. directum, die 11 dec. 1859. Petierat episcopus « utrum parochus pia peragens exercitia secessus ecclesiastici, quæ quotannis, jussu episcopi, et quidem perutiliter peraguntur in seminario diœcesano, et, durante horum exercitiorum tempore, missam die festo aut dominico non celebrans, teneatur missas hoc tempore non oblatas pro populo deinceps supplere? » S.

Congregatio respondit : « Teneri die statuta per alium, citra speciale indultum Sanctæ Sedis. » (*Revue théologique*, fascic. januar. 1861). Unde sequitur parochum, qui nequit, diebus sive dominicis sive festis etiam suppressis, ad mentem constitutionis Pii IX *Amantissimi redemptoris*, 2 maii 1858, per alium celebrare missam pro populo, dum ipse spiritualibus exercitiis vacat, teneri ad residentiam personalem strictiori vinculo prædictis diebus; ideoque esse muneris episcopi piorum secessus annui exercitiorum tempus ita præfigere ut parochi a sua obligatione diebus statutis implenda non deterreantur.

RESOLUTIONES S. CONGREGATIONIS CONCILII CIRCA RESIDENTIAM PAROCHORUM.

Hæc est summa principalium resolutionum quas recenset Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. 1, sect. 358, in appendice.

I. Sola distantia loci, etiam cum æqua causa discedendi, non excusat parochum ut possit abesse à sua Ecclesia sine licentia in scriptis obtenta, nisi talis necessitas repente se offerat, quæ non patiatur dilationem hujusmodi licentiam petendi, quo casu quamprimum de discessu et de necessitate ordinarium certiorem facere tenetur, ut de causa cognoscere possit.

II. Parochus, habens justam causam abeundi extra parochiam per duos menses aut tres, non satisfacit suæ conscientiæ, si petat licentiam jurans gravem se causam habere quam non expedit manifestare, ut sic petita licentia abesse possit, licet episcopus non concedat.

III. Similiter abesse non potest in casu quo causam expressit quam vir bonus et æquus rationabilem judicaret, licet rigidus prælatus minus æquam judicet ac licentiam deneget, vel quia movetur suspicione quod ficta sit, cum tamen sit vera; sed habet recursum ad superiorem.

IV. Non potest per hebdomadam abesse, non petita vel non obtenta licentia, etiam relicto vicario idoneo, ab ipso ordinario approbato : quæ licentia, causa cognita, in scriptis concedenda est. In casibus autem repentinis, pro absentia modici temporis, sufficit licentia vicarii foranei.

V. Non est liber a culpa nec a pœna amissionis fructuum qui, veluti per quatuor mensium spatium, ex urgenti admodum causa, ad curandam suam valetudinem, morbo gravi instante, recessit, et ad hujusmodi absentiam non petiit licentiam ab episcopo quia bona fide putavit evidentiam causæ satis esse, nisi periculum fuerit in mora petendi licentiam. Non sufficit licentia tacita, sed requiritur expressa juxta formam concilii Trident. sess. XIII, cap. I.

VI. Non licet parocho alibi degere, quamvis ob aeris intemperium nemo, nisi indigena, in eadem sede immoretur. Si tamen esset infirmus, et in loco parochiali curari non posset defectu medicorum vel medicinarum, tunc potest ab ordinario dari dilationem trium vel quatuor mensium ut in locis vicinioribus maneat, recuperandæ sanitatis causa, posito interea ab ipso ordinario in domo parochiali idoneo vicario cum congrua portione ex redditibus ejusdem parochiæ.

VII. Nec ætas senilis, nec exiguus parochianorum numerus excusat parochum a residentia, etiamsi vicinus parochus supplere possit; etiamsi essent in parochia tres tantum vel quatuor incolæ.

VIII. Parochi, urbis vicinitate illecti, non possunt in illa majorem anni partem traducere, subrogato etiam sacerdote qui, si forte aliquid contingeret, præsto esset, suamque operam impenderet. Iidem non possunt, sine licentia expressa episcopi, in urbe immorari, tam diurno quam nocturno tempore, relicto etiam idoneo substituto, et licet diebus festis ad proprias Ecclesias se conferant, statim vero revertantur. Nec licet parocho qui, nocturno tempore in propria residet parochia, celebrata ibidem summo mane missa, civitatem petere, ibique immorari, vel tota vel majori saltem anni parte, relicto etiam substituto; nec e contrario nocturno tempore parochiam relinquere, relicto substituto, licet in ea diurno tempore commoretur.

IX. Parochus non excusatur a residentia ex eo quod fructus sint tenues, et quod antecessores non resederint.

X. Ex causa inimicitiarum exortarum sine culpa parochi, antequam parochiæ possessionem adipiscatur, potest episcopus ipsi assignare dilationem sex mensium, ut interim confugiat ad locum propinquiorem et securiorem, constituto tamen vicario idoneo cum congrua assignatione ex redditibus Ecclesiæ; interea debet parochus modis omnibus curare ut inimicitiæ sedentur. Quod si intra sex menses hoc obtinere non potuerit, debebit episcopus ipsi dare sex mensium prorogationem, sine tamen ulterioris prorogationis spe, quæ rarissime concedi solet, cum indulta perpetua de parochis non residendis, etiam ex rationabilibus causis, sublata fuerint a Trident. sess. VI, cap. III. Nec tamen ob unicum parochianorum odium excusatur parochus a residentia.

XI. Non excusatur propter aeris intemperiem neque tempore pestis.

XII. Parochus habitare debet in domo Ecclesiæ, vel, si Ecclesia eam non habeat, in propinquiori intra limites parochiæ, aliter tenetur ad restitutionem fructuum. Tenetur habitare domum parochialem, etiamsi esset in castro diruto et inhabitato et posita cum Ecclesia in cacumine montium, in quo nulli habitant parochiani.

XIII. Monachus deputatus parochus tenetur et cogi potest habitare in domo parochiali et apud Ecclesiam parochialem residere, non autem in monasterio distante a cura.

XIV. Episcopus non potest uti opera parochi, ut potest opera duorum canonicorum, etiam constituto idoneo vicario; nisi in visitatione diœcesis, tem-

pore a Tridentino permisso. Neque illum præficere potest muneri confessarii ordinarii monialium, licet in monasteriis suæ diœcesis magnus sit earum numerus, et pauci reperiantur sacerdotes.

RESOLUTIONES CIRCA RESIDENTIAM EPISCOPORUM.

Apud eumdem Giraldum loco cit. inveniuntur decisiones sequentes :

I. Episcopus, sine justis et rationabilibus causis absens per spatium sex mensium, punitur ipso jure per amissionem quartæ partis fructuum, applicandæ vel in commodum fabricæ Ecclesiæ vel in pauperum sublevamen. Si in contumacia persistat, alia quarta parte privandus est. Si pertinaciter in contumacia perseveret, si sit episcopus comprovincialis, metropolitani munus erit, si vero metropolitanus, debebit suffraganeus antiquior residens sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ, eo ipso incurrenda, infra tres menses, vel per litteram vel per nuntium certiorem facere Romanum Pontificem qui, spectata majori vel minori contumacia, contra episcopos non residentes animadvertet, providendo, si ipsi videbitur, Ecclesias de utilioribus pastoribus.

II. Episcopus nequit jungere trimestrem absentiæ ipsi concessum, ex æqua causa et licet grex non patiatur damnum, cum trimestri subsequentis anni, et ita a diœcesi abesse per continuum semestrem, nec, visitans sacra limina in fine triennii aut quinquennii, potest in principio alterius triennii aut quinquennii rursum visitare, et per consequens abesse a sua Ecclesia, per octo menses continuos.

III. Si episcopus v. g. per decem annos usus non fuerit vacatione singulis annis, non potest, deficiente causa a concilio prærequisita, a diœcesi abesse.

IV. Episcopi habentes coadjutores non idcirco a residentia excusantur.

V. Potest quidem episcopus morari in qualibet diœcesis parte, dummodo tempore a concilio Tridentino præscripto, sess. XXIII, cap. I, scilicet tempore Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, et corporis Christi diebus, pergat ad cathedralem, nisi tamen munia episcopalia in sua diœcesi eos alio vocent. Si tamen, hoc deficiente, in cathedrali Ecclesia dictis temporibus non resideant, non incurrunt pœnas episcopis non residentibus inflictas.

VI. Episcopus absens, etiam ex causa a Concilio approbata, minime gaudet beneficio alternativæ.

VII. Episcopus, tempore pestis, residere tenetur in propria diœcesi, potest tamen adire tutiorem ipsius diœcesis locum, non autem removere tribunal et vicariam a civitate; nec ei suffragatur prætensa consuetudo degendi extra diœcesim, et cogendus est a metropolitano ad residentiam.

Circa residentiam eorumdem episcoporum legatur constitutio Benedicti XIV, *Ad universa*, 3 sept. 1746.

ADNOTATIO XLVIII.

Lib. III. Decretalium. Tit. V, De præbendis et dignitatibus, § II, n. 41, pag. 471.

BENEFICIUM MONOCULARE QUID?

Juxta auctorem nostrum, beneficium monoculum vel monoculare vocatur quando prælatus illud solummodo habet ad conferendum. Alia definitio et quidem verior datur a Garcia, *Tractatus de beneficiis*, part. V, cap. I, n. 518; qui tradit beneficium dici monoculare vel quando in una Ecclesia unum dumtaxat adest beneficium, vel si alicui competat collatio unius tantum beneficii.

ADNOTATIO XLIX.

Lib. III. Tit. V, § IIII, n. 61, pag. 475.

AN DARI POSSIT CANONIA SINE PRÆBENDA?

Juribus ab auctore nostro allatis, quæ aperte convincunt dari posse canoniam sine præbenda, suffragatur decretum executoriale a cardinali Legato, anno 1802, pro erectione Ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium in Galliis datum, virtute cujus erigitur in unaquaque Ecclesia metropolitana vel cathedrali capitulum cum certo numero canonicatuum a primo cujusque sedis episcopo definiendo, quamvis in articulo undecimo conventionis initæ inter Pontificem et primum consulem reipublicæ gallicanæ, die 15 julii 1801, gubernium gallicanum onus dotandi capitula non assumpserit, et aliunde ex parte fidelium tunc temporis nulla spes præbendas obtinendi affulserit. Idem confirmatur litteris apostolicis a Pio IX, pro restauranda hierarchia episcopali, in Anglia, et pro erectione capitulorum cathedralium, anno 1850 datis, necnon decreto S. Congregationis de Propaganda fide, 21 april. 1852, ubi legitur canonicales præbendas in Anglia deesse, ibi : « Cum canonicales præbendæ desint, et canonici curæ animarum, juventutis institutioni, aliisque officiis pro religionis bono, attento etiam mediocri sacerdotum numero, per diœcesim vacare debeant, existimarunt EE. PP. annuendum ut iidem ab onere residentiæ penes cathedralem et sacra officia persolvendi eximantur, ita tamen ut in proxima synodo provinciali episcopi curent de nonnullis diebus designandis, in quibus canonici chorum adire atque officia peragere teneantur, utque etiam apud episcopum congregentur, præsertim pro negotiis circa quæ, ex sacris canonibus, capituli sententia est exquirenda. (*Acta et decreta I conc. Westmonasteriensis*, anno 1852 habiti, in appendice, n. III.) »

ADNOTATIO L.

Lib. III, Tit. V. § IV, n. 102, p. 482.

DE NECESSITATE CONSENSUS EXPRESSI EPISCOPI PRO BENEFICIORUM ERECTIONE, CUM ASSIGNATIONE DOTIS.

Huc spectant decreta, diebus 9 et 10 aprilis 1802, a cardinali legato pro Galliis data. In

priore legitur : « Quoniam, ut in sæpe memorata conventione Parisiis peracta, atque a Sanctitate Sua per apostolicas supra citatas litteras approbata, constitutum est, nova a futuris archiepiscopis et episcopis parœciarum circumscriptio in singulorum diœcesibus facienda est, quam minime dubitamus talem futuram quæ fidelium in unaquaque diœcesi existentium tum copiæ, tum necessitati respondeat, ne illis doctrinæ pabula, sacramentorum subsidia, atque ad æternam salutatem assequendam adjumenta possint deesse, ut impedimenta omnia quæ expeditam ac plenam ipsius conventionis, hac in parte, executionem a singulis antistitibus peragendam retardare possent penitus removeantur, necessarium propterea ducimus ut, eo modo quo de diœcesibus factum est, hujusmodi novæ parœciarum circumscriptioni viam sternamus. Hinc ergo est quod nos, de præfata apostolica auctoritate nobis ut supra communicata, omnes et singulas parochiales ecclesias, quæ in territoriis diœcesium novæ circumscriptionis continentur, et in quibus animarum cura per quemcumque presbyterum exercetur, qui parochi, rectoris, vicarii perpetui, aut alio quocumque titulo et appellatione gaudet, cum suis titulis, animarum cura et jurisdictione quacumque, nunc pro tunc, suppressas perpetuo fore declaramus, ita ut, cum singulis ecclesiis in unaquaque diœcesi in parochiales erectis singuli parochi seu rectores novorum antistitum auctoritate præfecti fuerint, omnis antiquorum parochorum jurisdictio in territorio novis parœciis assignato cessare prorsus debeat, neque ullus, præter novos parochos, seu rectores a novis antistitibus institutos, illarum ecclesiarum, aut in eo territorio, parochus, rector, aut alio quolibet titulo et appellatione gaudens, censeri et haberi, neque animarum in eo territorio contentarum curam exercere amplius possit.

» Singulis vero parochialibus ecclesiis sic erigendis, pro congrua rectorum sustentatione eos redditus qui, ut in supradicta conventione statutum est, assignandi erunt, iidem archiepiscopi et episcopi dotationis locum habituros fore declarabunt.

» Hæc omnia cum singuli antistites perfecerint quod, quam citissime ut præstetur ab ipsis vehementer cupimus et hortamur, eorum quilibet nobis reddendum curet exemplar decreti, authentica forma exaratum, erectionis omnium ecclesiarum parochialium totius diœcesis suæ, adjuncto singularum titulo, invocatione, extensione, terminatione, limitibus, congrua, adnotatisque nominibus civitatum, pagorum et locorum in quibus singulas parœcias erexerint ut exemplar ipsum nostro pariter huic decreto inserere possimus ad supplendam enumerationem parœciarum et locorum, ex quibus unaquæque diœcesis extare debebit, quæ juxta receptam consuetudinem a nobis peragi debuisset. »

In posteriori autem : « Deinde parochialibus ecclesiis omnibus universi gallicani territorii, a nobis in supra memorato generali decreto nostro litterarum apostolicarum executoriali apostolica auctoritate supressis, de eadem auctoritate primo futuro episcopo N., tenore præsentis decreti, injungimus et mandamus ut, secundum ea quæ in supradictæ conventionis approbatione a Sanctissimo Domino Nostro sancita sunt apostolicis litteris *Ecclesia Christi*, tot in N. diœcesi novo circuitu, finibus, ut supra a nobis circumscripta, ecclesias seligat, easque in parochiales quam citissime erigat quot necessariæ ipsi videbuntur, diligentissima ratione habita tum copiæ tum necessitatis fidelium curæ suæ subjectorum, ne illis doctrinæ pabula, sacramentorum subsidia atque ad æternam salutem assequendam adjumenta ullo pacto possint deesse. Eos vero redditus qui, ut in supra dicta conventione statutum est, assignandi erunt singulis parochialibus sic erigendis, pro congrua rectorum sustentatione, idem episcopus prædictis parochialibus ecclesiis earumque rectoribus pro tempore futuris perpetuo attribuat et constituat. »

Hæc attributio canonica et constitutio dotis habet effectum conferendi ipsi doti characterem et excellentiam redditus ecclesiastici. Cf. Pelletier, *Des chapitres cathédraux en France*, cap. XVI in fine.

ADNOTATIO LI.

Lib. III, Tit. V, § V, n. 133, pag. 488.

DE CONSANGUINEIS AD BENEFICIA NON ADMITTENDIS.

« Decretalis 25, *Dilecto filio*, hoc titulo, permittens episcopo conferre suis consanguineis beneficium vacans, etiam ex causa resignationis, correcta est a S. Pio V, constitut. *Quanta*, 1 april 1568, in cujus § *Præcipimus*, prohibetur episcopis ne beneficia in eorum manibus resignata, suis aut dimittentium consanguineis, affinibus vel familiaribus conferant, alioquin irrita sit collatio, ibi : « Præci-
» pimus atque interdicimus ne ipsi episcopi aut
» alii collatores, de beneficiis et officiis resignandis
» prædictis, aut suis, aut dimittentium consangui-
» neis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fal-
» lacem circuitum multiplicatarum in extraneos
» collationum, audeant providere. Quod si secus,
» ac etiam quidquid præter vel contra formam præ-
» dictam fuerit a quocumque temere attentatum,
» id totum ex nunc vires et effectum decernimus
» non habere. »

« Et hæc prohibitio Piana habet locum etiam, quando agitur de ecclesiis parochialibus, seu beneficiis curam animarum habentibus, quæ per concursum magis idoneis conferri debent. Hinc præfati non sunt admittendi ad concursum ; et, si fuerint admissi, quamvis reperti fuerint magis idonei, beneficium seu ecclesia nemini ex ipsis conferri potest, ut patet ex responso S. Congregationis Concilii per extensum relato a Benedicto PP. XIV. *De Syn. diœces.* lib. XIII, cap. XXIV, n. 4.

» Oppositum tamen dicendum, si beneficium aut ecclesia non vacaverit per resignationem, sed per obitum; cum enim bulla Piana loquatur in casu vacationis per resignationem, ad illum vacationis per obitum extendi non debet, præcipue cum in hoc casu cesset illa ratio suspectarum pactionum et fraudum quæ in resignationibus facilius intervenire possunt. Atque ita, occasione causæ *Patavinæ*, statuit Sixtus V, cujus decretum, die 15 junii 1589, S. Concilii Congregatio commendavit, et in posterum sic in casibus occurrentibus respondendum decrevit, ut videri potest apud eumdem Benedictum, *ibid.* n. 5 et 6; qui pariter animadvertit, n. 9 et 10, Pianam constitutionem complecti quidem se prohibere etiam beneficiorum permutationes, quæ mala fide se fraudulenter coram ordinariis fiunt; eas tamen admittere quæ bona fide, ac seclusa omni fraude, uno verbo, quæ a canonicis sanctionibus et apostolicis constitutionibus permittuntur, quæ nimirum respiciunt utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ; aut in quibus permutantium utilitas quodammodo vergit in utilitatem Ecclesiæ. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 371.) »

Cf. auctorem nostrum ubi *De Renuntiatione*, vol. I. pag. 415.

ADNOTATIO LII.

Lib. III, Tit. V, § V, n. 149, pag. 491.

DE CONCURSU PRO COLLATIONE ECCLESIARUM PAROCHIALIUM HABENDO.

Huc spectat pro temporibus nostris documentum maximi momenti, statutum scilicet Illustriss. et Reverendiss. Episcopi Leodiensis in Belgio, 21 feb. 1854 publicatum, quod sequitur :

« Theodorus-Alexius-Josephus De Montpellier, miseratione divina et Sanctæ Sedis apostolicæ gratia, episcopus Leodiensis.

» Venerabili clero salutem et benedictionem in Domino.

» Reverendi ac dilectissimi fratres; jam a suscepti a nobis, meritis licet imparibus, episcopatus primordiis, manifestata nobis fuerunt vota plurimorum ex clero; desiderabant nempe magnopere immutari viam, qua recenter conferri cœperant parochiales ecclesiæ, vi statutorum in synodo diœcesana anni 1851 promulgatorum. Continuo, dum, confirmationis sacramentum administraturi, integram perlustraremus diœcesim, magis magisque, quænam in hoc negotio communia essent sensa, perspectum habuimus. Nosmetipsi non potuimus non videre quam gravia, hisce temporum adjunctis, arcta concursuum lex secum ferret incommoda. Quapropter in frequenti ecclesiasticorum cœtu, secessus spiritualis tempore, indicare festinabamus hanc collationis methodum absque mora immutatum iri, et hanc nostram esse maturam sententiam. Quæ nuntium hoc exceperunt ex omni parte signa grati et applaudentis animi omne, si quod substitisset, circa cleri vota dubium procul abjiciendum demonstraverunt.

» Nec vos latet, fratres dilectissimi, nos eodem quoque momento addidisse quæ in posterum facienda essent, et quæ sequenda via aut methodus, tunc demum quid nuntiandum et stabiliendum fore, dum, collatis studiis et consiliis, summum toti negotio lumen affulgeret. In hunc vero finem quid magis in promptu et in votis esse potuit quam ad illum accedere cui in Ecclesiæ gubernio ipsum Spiritus Sancti lumen adstat indesinenter?

» Rogavimus igitur excellentissimum Sedis apostolicæ nuntium ut rem totam coram Summo Pontifice dignaretur exponere, ac gravia explicare motiva ob quæ consultum et necessarium videretur rerum statum quoad parochiarum collationes immutari; simul expostulantes ut Sua Sanctitas nobis dignaretur quam primum indicare supremum suum beneplacitum.

« Significavit autem nobis, 13ª hujus mensis, prælaudatus Sedis Apostolicæ nuntius « Sanctissimum Dominum Nostrum Pium, divina providentia Papam IX, attentis peculiaribus circumstantiis rescribendum mandasse : circa ecclesias quæ succursales nuncupantur, non mutandum esse quod olim obtinebat, ita ut earum rectores libere ab ordinario eligi possint, et maneant ad nutum amovibiles. Quoad parochiales ecclesias, titulo stabili conferri solitas (primarias dictas), voluit ac decrevit Sanctissimus Dominus eas imposterum ad tramites Tridentinæ synodi gubernandas tribui omnino debere. Cæterum voluit, summa benevolentia, Pater optimus ac amantissimus parochialium ecclesiarum provisiones, cum omnibus inde secutis, quoties opus fuerit, jam inde a conventione anno 1801 inita, sanatas censeri et sanare. »

« Responsum hoc novum insignis erga nos Sanctissimi Domini bonitatis pignus ac paternæ sollicitudinis pro grege nobis commisso tesseram, quanto cum venerationis, gratitudinis ac submissionis sensu accepimus non est quod vobis edicamus.

» Nostri jam muneris est quod promisimus exsequi ac regulas describere sufficiendas in locum cap. II, tit. XII statutorum.

» 1° Parochias primæ vel secundæ classis vulgo dictas, jam inamovibili et stabili titulo conferri solitas, via concursus juxta Concilii Tridentini præscriptum et mentem conferemus, promulgato concursus edicto, ad valvas ecclesiæ cathedralis affigendo.

» Supervacaneum ducimus annotare parochiis his nequaquam indissolubiliter annexum esse munus Decani; poterit siquidem et rector ecclesiæ succursalis decanus constitui, ubicumque bonum diœceseos regimen id suadere videbitur.

» 2° Parochias succursales, auditis consiliariis nostris, conferemus, postquam nominatus a nobis satisfecerit speciali ad hoc instituto examini coram examinatoribus synodalibus vel prosynodalibus.

Conferemus eas titulo quidem revocabili, ita tamen ut nonnisi, ob probata nobis rationum momenta, ob bonum animarum regimen, et ex paterno erga clerum affectu, hoc revocationis jure uti unquam velimus.

» In conferendis porro his succursalibus parochiis, non minus ac in cæteris, adhibere conabimur omnem diligentiam et coram Domino elaborare ut dignioribus semper gubernandæ tradantur. Et quas in eo etiam negotio secuturi simus regulas perlibenter vobis manifestamus.

» Tradidit eas ipsum Tridentinum concilium, dum edixit, præter scientiam et ætatem, rationem habendam esse morum, doctrinæ, prudentiæ, et aliarum rerum ad ecclesiam gubernandam opportunarum, sess. XXIV, cap. 18, *de Reform.*; quæ probe intelligens Benedictus XIV, pronuntiat « suo mu-» neri defecturos qui doctrinæ tantum judices es-» sent, nec inquirerent quinam præ aliis probitate » morum, laboribus, præstito antea ecclesiæ ser-» vitio, cæterisque dotibus ad officium parochi » obeundum necessariis, essent idonei et commen-» dabiles. » Litteræ encycl. 14 dec. 1742; *De syn. diœc.* lib. IV, cap. VIII.

« Perpendemus ergo serio et cum consiliariis nostris expendemus quid parochiæ status et necessitas postulent, quænam in ea jam adsint, quænam desint ad bonum regimen subsidia; quænam futuri parochi dotes ingenii, pietatis, temperantiæ, prudentiæ, modestiæ, mansuetudinis; si didicerit a Domino esse mitis et humilis corde, non superbum, non iracundum, non turpis lucri cupidum, non litigiosum, sed hospitalem, benignum, modestum, inclamat apostolus; quinam labores in sacro ministerio, in scholis, in collegiis, in conferentiis ecclesiasticis, in bonis operibus; quænam præstita Ecclesiæ servitia, in arduis forte negotiis, in commodi temporalis sacrificiis, in insignis obedientiæ testimoniis.

» Et coram Domino testamur nos aliud nunquam intenturos quam quod justitiam et æquitatem omnem erga dilectissimum clerum spiret, et quod animarum salus ac religio postulet.

» Datum Leodii, sub signo sigilloque nostris et secretarii nostri chirographo, hac die 21 februarii anni MDCCCLIV, — Theodorus, episc. Leodien. De mandato Illustriss. et Reverendiss. episcopi, C. G. Bogaerts, canonicus a secretis. »

Rescriptum ad episcopum Leodiensem transmissum confirmare videtur sententiam a D. Bouix in *Tract. de parocho* insertam, beneficia curata ad nutum amovibilia non esse necessario conferenda per viam concursus.

Sane intelligendum est responsum, cujus tenor nec apud Garciam invenitur, quod Gregorius XIII fecerit, audita relatione Congregationis, scilicet constitutionem B. Pii V non habere locum nisi in his diœcesibus in quibus coacta fuerit synodus diœcesana, et juxta formam cap. 18 sess. XXIV fuerint deputati examinatores. Nam Sacra Congregatio respondit, si eo anno quo concursus instituitur non sit celebrata synodus diocesana, valere concursum coram examinatoribus in ultima synodo diœcesana deputatis, dummodo saltem sex supersint, 2 aug. 1607, 19 julii 1638, apud Zamboni, *Collect. declarat. S. Congr. Concilii*, v° *Concursus*, § VII. nn. 1 et 7. « Concilium Tridentinum, animadvertit Van-Espen, *Jus ecclesiast. univ.* part. I, sect. III, tit. V, cap. III, n. 5, eadem hac sessione qua promulgavit decretum de forma concursus, etiam decreverat cap. 2 ut synodi diœcesanæ quotannis celebrentur. Hac ergo decreti executione supposita, et ei conformi annua celebratione synodi diœcesanæ, optima ratione decrevit Concilium ut quotannis in synodo examinatores ad examen concursus deputarentur. At supponere Concilium voluisse, ob intermissionem synodorum, etiam concursum esse necessario omittendum, eo quod examinatores in synodo propositi et probati non haberentur, a ratione alienum et nimis litterale est. » Revera cum Sanctissimus Dominus Noster Pius IX responderet, ut supra, episcopo Leodiensi in cujus diœcesi synodi multoties omissæ fuerant ita ut plane defecissent examinatores synodales dicti, nihilominus voluit idem Pontifex collationes factas, a tempore etiam concordati anni 1801, sanare et sanatas declarare. Aliunde in elencho consuetudinum abrogatarum et reprobatarum, illud legitur : « Item consuetudo etiam immemorabilis » contra disposita a Concilio Tridentino et S. Pio V » in collatione beneficiorum, ex constitutione Inno-» centii XII Ecclesiæ, 22 sept. 1695. » Cf. Adnot. XXVII. vol. I, pag. 602.

Quid autem in hoc casu faciendum sit exponit Benedictus XIV, *De syn. diœc.* lib. IV, cap VII, n. 9 et 10 : « Ut, elapso anno et non existentibus sex examinatoribus in synodo electis, institui valeat validum experimentum concurrentium, necesse est ut episcopus vel novam synodum cogat, vel facultatem petat a S. Congregatione Conc. novos examinatores extra synodum deputandi... nec S. Congregatio facultatem, de qua loquimur, renuit unquam petentibus concedere; quoniam cum probe noverit non facile esse episcopis, singulis prorsus annis, suas synodos cogere, ne idcirco legitimis careant examinatoribus, statim ac episcopus eidem exponit sex ex electis in postrema synodo amplius non exstare, potestatem ei facit novos eligendi a majore parte capituli approbandos; quorum tamen officium duraturum decernit tantum ad annum, quo elapso, iterum ad preces episcopi illos in munere confirmat, quod et deinceps semper in annum iisdem prorogat. »

ADNOTATIO LIII.

Lib III. Tit. V. § VI, n. 174, pag. 495.

QUANDO VALEAT COLLATIO BENEFICII A PONTIFICE FACTA ?

« Ex constitutione Julii III *Sanctissimus*, quam refert Azor. part. II, lib. VII, cap. 1, quæst. 2,

per solam supplicationem signatam, subscriptionem nempe Papæ cum clausula *Placet* vel *Fiat ut petitur*, litteris non expeditis, nullum acquiritur jus. Declarat enim Pontifex quod impetrantes beneficia a Sede apostolica titulo collationis vel confirmationis, aut unionis, aut alio, si ante litteras expeditas dictorum beneficiorum possessionem apprehenderint per se vel per alium, aut ratam habuerint per alium suo ipsorum nomine apprehensam, sint ipso facto privati omni jure in dictis beneficiis quæsito, et hæc remaneant Pontifici reservata, et una cum fructibus etiam in conscientiæ foro dimittere et restituere teneantur, ita ut non suffragetur eis regula *De Triennali*, et fiant inhabiles ad illa eadem per novam provisionem obtinenda. Notat tamen Thesaurus, *De pœnis eccl.* cap. IV, v° *Gratia*, hanc constitutionem non loqui de episcopatibus, sed de beneficiis inferioribus, et quod istæ pœnæ non incurrantur, quoties non proceditur cum mala fide, sed ex conscientia bona; ideo tunc suffragabitur regula *De Triennali*... fructus tamen ante litterarum expeditionem percepti restituendi erunt, nisi præscripti sint. (Giraldus, *Exposit. jur. Pontif.* part. I, sect. 384.)

Ne concludas ex verbis prælaudati Thesauri licere episcopis possessionem sedis apprehendere ante litterarum expeditionem, cum e contrario ipsis præceptum sit, sub pœna nullitatis omnium actorum, ante omnem possessionem capiendam, litteras apostolicas capitulo exhibere et sic de legitima sua institutione probationem afferre. Cf. Adnotationem XXXII, vol. I, pag. 607, et regulam cancellariæ XXXI.

ADNOTATIO LIV.

Lib. III. Tit. V, § XIII, n. 406, pag. 544.

AN BENEFICIUM MONOCULUM SUBJACEAT RESERVATIONI?

« Regula nona, docet Rigantius, locum habet in beneficiis monocularibus, nec ordinarii conqueri possunt se privari hoc unico lumine, quia id non contingit omni tempore, sed dumtaxat in mensibus apostolicis; Lotter. *De re benefic.* lib II, quæst. XXXIX, n. 3 et seqq. Gonzalez ad regul. VIII, gloss. 9, § IV, n. 15; Leuren. *For. benefic.* Tom. II, quæst. DLVII, n. 3; Garcias *De beneficiis*, part. V, cap. I, n. 5, ubi refert sic judicatum; Nicolarts ad *Concordata Germaniæ* dub. II, § 3 et 4; Barbosa, *De episcop.* part. III, allegat. LVII, n. 180, et respondendo contrariis; Castropal. *Oper. moral.* Tom. II, tract. XIII, disput. II, punct. 22 n. 8, ubi ait quod fere omnia beneficia curata sunt monocularia, et proinde, si hæc a reservatione essent immunia, multum detraheretur nostræ regulæ. (*Commentaria in regulas, constitutiones et ordinationes cancellariæ apostolicæ*; in prim. partem regulæ IX, § II, n. 135.) »

Attamen idem auctor, disserens de regula quarta § I, n. 41 et 42, sic loquitur; « Redeundo ad regulæ explanationem, vindicat ea sibi quoque locum in cathedralibus et collegiatis, in quibus adest una tantum dignitas; hæc enim, etsi unica, semper est major vel principalis, quia talis reputatur respectu aliorum beneficiorum de cathedrali vel collegiata, et sufficit quod in eis nemo adsit qui ratione suæ præbendæ, præcedat vel superiorem locum obtineat, aut sedeat supra possidentem illam unicam dignitatem. Leurenius et cæteri ibidem citati... Quod tamen intelligendum, quando in ecclesia adsunt alia beneficia. Nam si unica tantum existat dignitas sine aliis beneficiis, ita ut tota ordinarii facultas in conferendo restringatur, et obligetur dictæ unicæ dignitati, hæc tanquam monocularis non comprehenditur sub regula; ut inter utrumque casum distinguendo explicat Corradus in *Prax. benefic.* lib. II, cap. XIII, n. 24 et 45. ubi reddit rationem; Clericat. *De benefic.* discord. 78, n. 4; Rota, decis. CCXIX, n. 5, coram Durano. »

ADNOTATIO LV.

Lib. III. Tit. V, § XV, n. 446, pag. 555.

AN ORDINARIUS, MENSE ELAPSO, CONFERRE POSSIT BENEFICIA APUD SEDEM VACANTIA.

Ex cap. *Statutum*, hoc titulo, in 6. licet beneficia vacantia apud Sedem sint reservata, nihilominus si Pontifex de illis, intra mensem computandum a die quo vacaverint, non disposuerit, possunt mense elapso ad ordinariis collatoribus conferri. In hoc casu proprie non fit devolutio a Pontifice ad ordinarium, quæ a superiore ad inferiorem fieri nequit, sed jus ordinarii tantummodo relaxatur, seu impedimentum injectum tollitur; Van Espen, *Jus eccles. univ.* part. II, Tit. XXIII, cap. III, n. 8.

« Quæstio tamen est inter doctores, inquit Rigantius, an dispositio recensiti cap. *Statutum* revocata fuerit per extrav. *Piæ sollicitudinis*; *De præbendis*? Et non esse revocatam firmant Æneas de Falconibus, Massobr. Lotter. et alii, et moventur, primo quia plures eximii nominis doctores dicto textu utuntur ad probandam conclusionem quam ipsi firmant, quod post mensem ordinarii possunt conferre; secundo quia Bonifacius VIII voluit inseri textum illum in libro Sexto decretalium, et, si esset abrogatus, inseri non mandasset, ut dicit idem Bonifacius in Prœmio; tertio quia dicta extravagans est ejusdem Bonifacii, publicata anno primo sui pontificatus, et Sextus fuit longe postea compilatus, nempe anno IV. Ideo cum in hoc libro Sexto eadem extravagans inserta non reperiatur, dicendum quod Bonifacius noluit eam observari, quodque potius textus cap. *Statutum*, quem in eodem libro inseruit, suum deberet obtinere vigorem.

Addit etiam Lotter. *De re Benefic.* lib. II, quæst. XXV, n. 55, rationem nempe quod extrav. *Piæ sollicitudinis* non dicit id ad quod allegatur; nam nil aliud habet quam quod Bonifacius, quia satagebat ut beneficia vacantia apud Sedem per-

sonis idoneis conferrentur, reservavit nedum quæ ita in futurum vacarent, verum etiam quæ eatenus intra mensem computandum ex data illarum litterarum vacare contingeret. Non posuit ergo legem futuris vacationibus ultra mensem duraturis, sed præteritis intra mensem jam elapsum, et retro computandum ex die datæ, ibi : « a data præsen- » tium hactenus in curia vacaverint; » quæ verba, prosequitur Lotterus, sunt adeo clara ut qui circa illa titubet ad grammaticos veniat remittendus, subditque quod Joannes Andreas non aliter illum textum intellexit.

« E contra vero quamplures alii doctores textum in dict. cap. *Statutum* esse abrogatum per extrav. *Piæ sollicitudinis*, et signanter Glossa in dicta extrav. et alii; et est magis communis opinio. Quinimo, ubi etiam dispositio capitis *Statutum* revocata non esset per extravag. *Piæ sollicitudinis*, adhuc revocata dici deberet per alteram extravag. *Ad regimen*, absolute reservantem beneficia vacantia in curia provisioni Summi Pontificis, derogando omnibus contrariis; Monet. et Passerin. et alii. Ac ita semper in praxi constantissime servatum fuit et servatur; nam de beneficiis apud Sedem vacantibus, pluribus etiam elapsis mensibus ab eorum vacationis tempore, Pontifices libere disposuerunt et disponunt absque eo quod ordinarii ausi unquam fuerint, aut audeant in eorum collatione manus apponere. Estque optima ratio, quia indecorum videtur facultatem conferendi, quam Pontifex habet, intra unius limites mensis restringere, quando episcopis et patronis ecclesiasticis data est sex mensium dilatio; et quando regibus et supremis principibus laicis nullum currit tempus ad præsentandum, ubi agitur de eorum jurepatronatu. Et in concordatis gallicanis, licet certum tempus sit præfixum regibus christianissimis ad nominandum ad beneficia consistorialia, attamen praxis inolevit ut semper et quandocumque admittantur nominationes eorum; nulla habita consideratione quod lapsum sit tempus, quia præponderat reflexio, quod gravissimis aliis negotiis distenti, nominare nequiverint. Quæ ratio militare etiam debet pro Summo Pontifice, invigilante pro Ecclesiæ universalis cura et regimine. Qua de re merito ex contrariis doctoribus ipse antesignanus Æneas de Falconibus ait credere quod suam opinionem curia non reciperet, et Lotter. n. 64 agnoscit et ipse adeo difficilem esse reduci ad praxim dispositionem dicti cap. *Statutum* ut ferme ad impossibilitatem dicat accedere. (*Comm. in regul. cancell.* in regul. I, § I, n. 366 et seqq.) »

ADNOTATIO LVI.

Lib. III. Tit. V. § XVII, n. 533, pag. 585.

DE OPERE RIGANTII IN REGULAS CANCELLARIÆ.

Occasionem libenter accipimus commendandi omnibus has paginas evolventibus eximium librum jam pluries citatum, cui nempe titulus : *Joannis Baptistæ Rigantii Commentaria in regulas, constitutiones et ordinationes cancellariæ apostolicæ;* opus posthumum Sanctiss. D. N. Benedicto XIV dicatum, et impressum tum Romæ tum coloniæ Allobrogum, quatuor tomi in-f° in duo volumina redacti.

Rigantius, natus anno 1661 Melphicti in Apulia, venit Romam anno 1675 ut utrique juri navaret operam. Illum, vix annum agentem vigesimum secundum, Bandinus Panciaticus, tunc S. Congreg. episcoporum et regularium a secretis, postea S. R. E. cardinalis, scientia et eruditione juris amplissimus, auditorem sibi adscivit. Hoc munere defunctus est per triginta quinque annos, dum prælaudatus Bandinus esset Pro-Datarius sub Pontificibus Alexandro VIII et Innocentio XII, deinde præfectus Sacræ Congregat. Concilii ab anno 1701 usque ad annum 1718. Cum itaque, in expediendis apostolicæ Datariæ negotiis et causis audiendis dijudicandisque, conspiceret multa et perquam necessaria deficere in auctoribus, qui super cancellariæ apostolicæ regulis scripserant, ad privatam commoditatem plurima notatu digna colligere cœpit, quæ post modum in dies auxit. Hinc S. R. E. cardinalis Pro-Datarius sub Clemente XI pluries eumdem enixe rogavit ut commentaria quæ in præfatas regulas paraverat in lucem ederet, ad quod et amici, quoad vixit, urgere non destiterunt. At ille, qui nimia præditus erat modestia, negavit se facturum. Opinabatur quippe ea ipsa commentaria accuratiori indigere examine, quod, ætate jam ingravescente, perficere non poterat; quanquam disseruisset docte abundeque, quod nemo ante ipsum ita præstiterat.

Equidem priores scriptores, qui super cancellariæ apostolicæ regulis sua ediderunt commentaria Sotus nempe, Gomesius, Mandosius, Gonzalez, Kochier, Molinæus, auctor damnatæ memoriæ; Luetius, Peleus et Quesada, neque regulas elucidarunt omnes, si duos excipias Sotum nempe et Kochier; Quesada namque breves tenuesque notulas super eis exaravit : nec quod Rigantius præstitit præstare potuerunt. In plurimis immutatæ sunt regulæ ab illis, super quibus laudati auctores scripserunt, ob non paucas, quæ factæ sunt a Summis Pontificibus, præsertim Alexandro VII, iisdem regulis additiones. Emanarunt insuper ab apostolica Sede varia indulta et concordata, quæ non exiguam interpretationis regularum partem sibi vindicant. Hæc igitur omnia si novum desiderabant auctorem, qui cancellariæ apostolicæ regulas, sic a modernis Pontificibus auctas, et indultis, concordatis, privilegiisque obvolutas, explanaret, hoc sane perfecit Rigantius. Opus evulgatum est cura nepotum ipsiusmet auctoris, et in illo apponuntur notæ, alio charactere distinctæ, quæ materiam de qua Rigantius disseruit respiciunt, quas quidem ipse non prætermisisset si am plius vixisset. Vita functus est anno 1735.

ADNOTATIO LVII.

Lib. III. Tit. V. § XX, n. 599, pag. 603.

UTRUM HODIE IN GALLIIS VIGEANT REGULÆ CANCELLARIÆ?

Inconcussum est plerasque cancellariæ apostolicæ regulas etiamnum apud nos maximi esse momenti, exempli gratia regulas XVII. *De non tollendo jus quæsitum;* XXII. *De unionibus*; XXXI. *Non valeant commissiones causarum, nisi litteris expeditis*; XXXVI. *De triennali;* LXVII. *Officiales nihil exigent ultra debitum,* multasque alias, sed quæstio præsertim movetur de regulis, virtute quarum collatio quorumdam beneficiorum Sedi apostolicæ reservatur. Sunt autem apud nos Ecclesiæ episcopales, canonicatus, et Ecclesiæ parochiales.

I. Quoad Ecclesias episcopales, quæ reservantur ex regula II, articuli IV et V conventionis, anno 1801 Parisiis initæ, illarum collationem a Summo Pontifice faciendam agnoscunt, concessò tamen principi nominationis jure.

II. Quoad canonicatus, oportet sedulo perpendere verba quibus usus est cardinalis legatus in decretis, *Inter cæteras*, die 10 aprilis 1802 datis, pro erigenda unaquaque Ecclesia sive metropolitana, sive cathedrali, ibi : « Ut vero N. Ecclesia, capituli erectione peracta, tam salutaris institutionis utilitatem et ornamentum celerius valeat percipere, primo futuro itidem ejus episcopo, de specialissima gratia, eadem auctoritate apostolica, indulgemus ut dignitates omnes, etiam principales, et canonicatus, a primæva eorum erectione vacantes, pro prima hac vice idoneis ecclesiasticis viris libere et licite conferre possit. » Quæ ut probe intelligantur, sciendum est dignitates et canonicatus, recenter ab apostolica Sede erectos, censeri apud Sedem vacantes, Pontificique reservari; Rigantius in I part. reg. IX, § II, nn. 128 et 130; D. Pelletier, *Des chapitres cathédraux en France*, cap. IX. Idcirco verba cardinalis legati ad tollendam in casu reservationem tendunt. Unde concludendum prædictos canonicatus reservationibus apostolicis subjacere. Aliunde in actis emanatis ab Apostolica Sede, pro negotiis Galliarum ecclesiasticis, nullum revera verbum invenitur ex quo privilegium quodcumque erui valeat. Nec obstat art. 35 inter organicos, siquidem persona gubernio grata bene potest eligi a Summo Pontifice.

Recentissimis temporibus, in statutis pro capitulo Molinensi a Sacra Congregat. Conc. moderatis, anno 1853, collatio primæ et unicæ dignitatis Pontifici Summo reservata fuit, conformiter ad regulam Cancellariæ IV. Et pro capitulis cathedralibus Angliæ, anno 1850 instauratis, in *Act. et decret. I conc. provinc. Westmon.* legitur, part II, cap. XI, n. 7 : « Regula pro canonicis designandis hæc erit. Post primas electiones virtute commemorati brevis apostolici ab episcopis libere effectas, in posterum, observata distinctione mensium circa collationem Sanctæ Sedis rescripto peragendam, alternis vicibus nominatio fiat, vel libere per episcopum, vel per capitulum, ea tamen ratione ut quoties propositio ad capitulum pertineat, tres ecclesiastici viri semel, iterum, et tertio episcopo exhibeantur, ut idoneus et undequaque commendatus ab eodem canonicus instituatur; aliter electio libere ad episcopum pertineat. » Quæ dispositio mentem Sanctæ Sedis aperit et manifestat, siquidem prædicti canonicatus, omni præbenda licet destituti, nihilominus regulæ IX subjacent.

III. Quoad Ecclesias parochiales, verba cardinalis legati sunt hæc : « Eidem futuro ac pro tempore existenti episcopo N. ut, præter collationem parœciarum eo modo qui in sæpe memorata conventione, ac in præsenti decreto statutus est, quæcumque alia, cum cura et sine cura, ecclesiastica beneficia quomodolibet nuncupata, juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas, et salvis reservationibus et limitationibus tum temporis vigentibus, personis idoneis pleno jure conferendi et de illis providendi, de eadem speciali apostolica auctoritate potestatem omnem concedimus et impertimur. » Ex his verbis scilicet : « præter collationem parœciarum eo modo qui in sæpe memorata conventione ac in præsenti decreto statutus est » et art. ejusdem conventionis : « X. Iidem episcopi ad parœcias nominabunt, nec personas seligent nisi Gubernio acceptas; » D. Bouix, *Revue des sciences ecclés.*, tom. I, pag. 97 et seqq. concludendum existimat quod apud nos beneficia curata non subjacent reservationibus apostolicis, quia legitur absolute in prædicta conventione ly *nominabunt*. Hæc interpretatio nobis videtur litteræ quæ occidit nimium adhærere. Necessitas et sensus articuli X eruitur ex eo quod, in art. IV et V, nominatio episcoporum principi tributa fuerit, et jus ordinariorum conferendi beneficia curata, quod nullo modo impetebatur, opportune fuerit expressum ut, occasione hujus affirmationis, conditio seligendi personas gubernio gratas adjiceretur. Sensus ergo est : episcopi nominabunt jure ordinario, servatis servandis et exceptis excipiendis, sed in omni casu et a quocumque collatore personæ gubernio gratæ seligentur. Aliter ex hac strictiori interpretatione verbi *nominabunt* etiam quis concludere posset Ecclesias parochiales in Galliis et in Belgio sine concursu conferri posse, quod adversatur doctrinæ ab ipsomet D. Bouix in tractatu *De Parocho* professæ, et responsioni a Sanctissimo D. N. Pio IX episcopo Leodiensi datæ, supra Adnot. LII. Præterea privilegium quodlibet nunquam præsumitur, et ad evincendam prælaudatam interpretationem clausula derogans regulis cancellariæ, et in specie illis quæ de reservationibus apostolicis tractant, necessaria foret. Limitantur quidem reservationes ad illas quæ vigebant ante regiminis immutationem, ibi : « Juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas, ac salvis reservationibus et limitationibus tunc temporis vigentibus; » sed D.

Bouix opinionem suam super fundamento hujusce clausulæ non adstruit, bene vero et tantum super ly *nominabunt*, et ly *conferendi potestatem*.

Huic igitur clausulæ adhærendum ut solvatur quæstio de qua agitur. Oportet inquirere quænam fuerint reservationes apud nos, vigente concordato Leonem X inter et Franciscum I inito. Porro in prædicto concordato legitur tit. IV. *De reservationibus sublatis*, ibi : « Volumus quoque et ordinamus quod in regno, Delphinatu et comitatu prædicto (Diensi ac Valentinensi) non dentur aliquæ gratiæ expectativæ, ac speciales vel generales reservationes ad vacatura beneficia per nos et Sedem prædictam non fiant; et si de facto per importunitatem, aut alias, a nobis et successoribus nostris et Sede prædicta emanaverint illas irritas et inanes esse decernimus. » Illud caput *Volumus* sic interpretatur Petrus Rebuffus : « Notandum est in tribus casibus adhuc permitti (reservationes), primo ratione loci, utpote quando in curia vacant (beneficia) cap. 2, *De præb.* in 6. secundo ratione personæ, aut officialium Sedis apostolicæ, extrav. *Ad regimen*, nisi jure regali vacent... tertio ratione beneficiorum, utpote si sint majores dignitates et alia beneficia, de quibus in titulo proximo supra... Et licet hic non excipiantur reservationes in corpore juris clausæ, de quibus in cap. 2, *De præb.* in 6. etc... Probus in *Addit.* ad Joann. monach. in cap. *Præsenti; De officio legati* in 6. tamen tacite secundum eum intelliguntur exceptæ... (*Concordata inter sanctiss. D. N. PP. Leonem*... 1538). » Quidquid sit, de facto reservationes erant rarissimæ.

Sed superest major difficultas, ante regiminis immutationem, ut verbis Cardinalis legati utar, eadem non erat conditio regionum et locorum de quibus loquitur idem cardinalis legatus. Quædam regiones concordatis etiam variis regebantur aliæ vinculo strictioris obedientiæ ergo Sedem apostolicam irretitæ manebant; quid juris? cum prælaudato D. Bouix, loc. cit. respondendum videtur hæc puncta nostri juris concordatarii non posse sufficienter explanari, nisi interveniat ipsiusmet apostolicæ Sedis declaratio.

Notandum quod supra nullam fecerim mentionem de prædicta clausula, cum ageretur de canonicatibus quia sub nomine beneficiorum sive cum cura, sive sine cura, non veniunt canonicatus et præsertim canonicatus cathedralium. Cf. canonistas, et, si libuerit, D. Pelletier, *Des chapitres cathédraux en France*, cap. IX.

ELENCHUS

TITULORUM, PARAGRAPHORUM ET QUÆSTIONUM

IN HOC TERTIO VOLUMINE JURIS CANONICI UNIVERSI CONTENTORUM.

LIBRI II DECRETALIUM

TITULI XX.

§ VI.

De testimonio laicorum contra clericos, et econtra.

§ VII.

De testibus in causa propria, vel ecclesiæ, aut universitatis suæ.

§ VIII.

De numero testium ad legitimam probationem requisitorum; et an aliquando sufficiat testimonium unius?

§ IX.

De testibus singularibus, eorumque probatione.

§ X.

De testibus contrariis, variantibus, et vacillantibus.

§ XI.

Deestibus de scientia, de credulitate, et auditu auditus.

§ XII.

De fama, et qualiter probetur, ac probet.

§ XIII.

De productione testium.

§ XIV.

De juramento testium.

§ XV.

De examine testium, ac interrogatoriis suggestivis vitandis.

§ XVI.

De publicatione attestationum.

§ XVII.

De exceptionibus contra testes proponendis horumque reprobatione.

TITULUS XXI.

DE TESTIBUS COGENDIS, VEL NON.

§ I.

Quo modo, et pœna, quibusque in causis testes cogendi sint?

§ II.

De personis privilegiatis, vel non, a ferendo testimonio.

TITULUS XXII.

DE FIDE INSTRUMENTORUM.

§ I.

De instrumentorum natura et divisione ac de instrumento publico.

§ II.

De fide protocolli, atque exemplarium seu transsumptorum.

§ III.

De fide sigilli, et aliis istud concernentibus.

§ IV.

De fide archivii atque scripturarum in eo repertarum.

§ V.

De scripturis privatis, earumque divisione, authentizatione, et probatione; ubi et de comparatione litterarum.

§ VI.

De Fide scripturarum privatarum, præsertim respectu scribentis.

§ VII.

De libris rationum, fideque ipsorum; nec non de sculpturis antiquis.

§ VIII.

De productione, atque editione instrumentorum.

§ IX.

De impugnatione instrumentorum, præsertim ob defectum notarii.

§ X.

De reprobatione instrumentorum per testes.

§ XI.

De contrarietate, rasura, et amissione instrumentorum: ubi et de extravaganti dubia.

TITULUS XXIII.

DE PRÆSUMPTIONIBUS.

§ I.

Quid, et quotuplex sit præsumptio?

§ II.

De effectu præsumptionum, seu qualiter probent.

§ III.

De sufficientia præsumptionum ad ferendam sententiam.

§ IV.

De conjunctione, ac prævalentia præsumptionum, ubi et de nonnullis harum in specie.

TITULUS XXIV.

DE JUREJURANDO.

§ I.

De natura, et divisione juramenti; et qualiter sit licitum?

§ II.

De interpretatione juramenti et conditionibus eidem tacite inexistentibus.

§ III.

De obligatione juramenti promissorii.

§ IV.

De juramento ut confirmante pacta, vel contractus de jure invalidos.

§ V.

De juramento litis decisorio, ejusque divisione, effectu, ac requisitis.

§ VI.

De juramento necessario, seu a judice in supplementum probationis delato, ejusque requisitis.

§ VII.

Resolvuntur alia dubia juramentum litis decisorium concernentia.

TITULUS XXV.

DE EXCEPTIONIBUS.

§ I.

De natura, et varia divisione exceptionum.

§ II.

De tempore opponendi exceptiones.

§ III.

Solvuntur alia dubia oppositionem exceptionum concernentia.

§ IV.

De exceptionibus in judicio summario, aut summarissimo proponendis.

§ V.

De exceptione excommunicationis, et quibusdam aliis exceptionibus in specie.

TITULUS XXVI.

DE PRÆSCRIPTIONIBUS.

§ I.

De natura, divisione, effectu atque conditionibus usucapionis, et præscriptionis.

§ II.

De rebus, quæ præscribi possunt, vel non possunt.

§ III.

De bona fide ad præscriptionem requisita.

TITULUS XXVIII.

DE APPELLATIONIBUS, RECUSATIONIBUS, ET RELATIONIBUS.

§ VIII.

De effectu devolutivo appellationum : ubi et de transportatione actorum, ac decreto Sac. Congregationis circa materiam appellationum.

§ IX.

De attentatis appellatione pendente, horumque revocatione.

§ X.

De casibus, in quibus jura prohibent appellare : ubi plura de clausula, Appellatione remota.

§ XI.

Declarantur alii casus, in quibus appellare non licet.

§ XII.

De recusationibus, et relationibus.

TITULUS XXIX.

DE CLERICIS PEREGRINANTIBUS.

TITULUS XXX.

DE CONFIRMATIONE UTILI, VEL INUTILI.

LIBER TERTIUS

TITULUS I.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

§ I.

De nomine, et dignitate clericorum.

§ II.

De honestate vitæ clericalis in genere, et quoad nonnulla in specie.

§ III.

De obligatione clericorum deferendi habitum et tonsuram, hujusque forma.

§ IV.

De qualitate habitus clericalis, et pœnis eum non deferentium.

§ V.

Utrum beneficiarii ratione studiorum, vel ob servitium episcopi, aut vi consuetudinis, excusentur a residentia?

§ VI.

De distributionibus quotidianis, earumque constitutione, ac licita perceptione.

§ VII.

De casibus, in quibus canonici absentes lucrantur distributiones quotidianas.

TITULUS V.

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

§ I.

De natura præbendæ, ac beneficii ecclesiastici, hujusque requisitis.

§ II.

De multiplici divisione beneficiorum : ubi plura de beneficio manuali.

§ III.

Quid sit canonia, vicariatus, commenda, præstimonium, ac pensio : et an hæc veniant nomine beneficii ecclesiastici.

§ IV.

De creatione beneficiorum, nec non qualitatibus in limine fundationum appositis.

§ V.

De collatione beneficiorum : ubi plura de collatione ecclesiarum parochialium per concursum.

§ VI.

De potestate conferendi beneficia respectu Papæ, ejusque legati : ubi et de mandatis apostolicis de providendo.

§ VII.

De potestate conferendi beneficia respectu episcopi, capituli sede vacante, vicarii generalis, et collegii.

§ VIII.

De pluralitate, et incompatibilitate beneficiorum.

§ IX.

De dispensatione, et consuetudine circa pluralitatem beneficiorum.

§ X.

De vacatione beneficiorum per assecutionem alterius incompatibilis.

§ XI.

De requisitis ad vacationem ipso jure beneficiorum incompatibilium, horumque dimissione, et collatione.

§ XII.

De variis modis, quibus beneficia ipso jure vacare dignoscuntur : ubi et de vacatione ipsorum per sententiam.

§ XIII.

De reservatione beneficiorum in genere.

§ XIV.

De beneficiis affectis, et appositione manus Papæ.

§ XV.

De beneficiis apud Sedem apostolicam seu in curia vacantibus, aliisque collationi Papæ specialiter reservatis.

§ XVI.

De regulis cancellariæ, ac tenore modernarum.

§ XVII.

Solvuntur varia dubia circa regulas cancellariæ, ubi et de intrusis in beneficio.

§ XVIII.

De concordatis Germaniæ.

§ XIX.

Solvuntur variæ quæstiones circa concordata Germaniæ.

§ XX.

De primis precibus imperatoris.

ELENCHUS ADNOTATIONUM

EXCUDEBANT COSNIER ET LACHÈSE, ANDEGAVI.


Ex Libris
VIGILANTIA PRÆSTAT
Brinton Coxe.